

ULRICI HUBERI
ICTI ET ANTECESSORIS FRISII

DE

IVRE CIVITATIS

LIBRI TRES

CVM

COMMENTARIIS

NICOLAI CHRISTOPHORI

S. R. I. LIB. BARON. ET EQVITIS

DE LYNCKER

S. C. M. a CONSILIIS IN AVLA IMPERIALIBVS

EO SVPERSTITE

QVIDEM MAXIMAM QVOAD PARTEM IMPRESSIS

SED NVNC DEMVM

EX AVCTORIS MSTO QVOAD RELIQVAM PARTEM SVPPLETIS AC

EDITIS

NOVA DE SCRIPTIS LYNCKERIANIS

PRAEFATIONE

ET

INDICIBVS NECESSARIIS

ADORNATI

CVRA

IO. CHRISTIANI FISCHERI.





FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

IMPENSIS EDITORIS ∞ IↃCCLII.

$.15



PRAEFATIO.

B. L.
S.



Si numquam Tua B. L. humanitas atque beneuolentia, meum ſtudium meamque operam antea comprobaſſet; id tamen nunc ab ea ſperare liceret, quum duorum inter ICtos ſaeculi noſtri Principum HVBERI nempe ac LYNCKERI exaſciatum laborem, quem in elaborando, interpretando ac illuſtrando iure publico uniuerſali ſeu iure ciuitatis tam egregie poſuerunt, Tuo nunc ſiſtere audeam obtutui. Quare non laudo Viros, qui longe meam ſuperant laudem, quorum fama iam dudum totum peragrauit orbem, et quos ipſa intuetur cum admiratione aeternitas. Non commendo librum ſatis commendatum, nec materiam, quae tantis auctoribus digna eſt, et tantum habet voluptatis, quantum vtilitatis. Hoc vnum ago, vt promiſſum ſeruem et breuem, ſed tamen accuratum ſcriptorum LYNCKERI Tibi exhibeam indicem, quem nunc praefaminis loco a me humaniter accipe et vtiliter in Tuos conuerte vſus.

INDEX

Scriptorum tam editorum quam ineditorum NICOLAI CHRISTOPHORI S. R. I. Lib. Baron. et Equitis de LYNCKER, S. C. M. à Conſiliis in Aula imperialibus.

1. Ratio docendae diſcendaeque iuriſprudentiae Romano-Germanicae. Ienae 1786. fol.
2. Sciagraphia inſtitutionum imperial. Ienae 1686. fol.
3. Facies genuina pandectarum. ibid. 1687. fol.
4. Conſpectus iuris publici Romano-Germanici Ienae 1686. fol.
5. Delineatio iuris feudalis, ibid. 1688. fol.
6. Decretalium iuris Pontificii methodica diſpoſitio, ib. 1681. fol.
7. Series operis Hugonis Grotii de I. B. et P. ib. 1688. fol.
8. Sciagraphia Ethic. *Ionſton.* et libr. Politic. *Iuſti Lipſii* ib. 1685. fol.

9. Inſti-

9. Institutiones eloquent. forens. ad veter. et recentior. doctrinas.
10. - - ad disciplinas philosophicas omnes.
11. Nexus institut. Iustinianear. per singulos §§. Ienae 1691. 8.
12. Institutiones Iustinianeae.
13. Analecta ad ius vniuersum, Ienae 1691. 4to.
14. - - ad *Georg. Ad. Struvii* Syntagma iuris Ciuilis ib. 1690. 4to.
15. - - ad *Valer. Andr. Desselii* erotemata iuris canonici, ib. 1689. 4to.
16. - - ad *Gabr. Schwederi* introduct. in ius publicum Imp. Rom. Germanici nouissimum, ib. 1689. 4to.
17. - - ad *Georg. Ad. Struvii* Syntagma iuris feudalis, ib. 1722. 4to.
18. Emendationes ad analecta Lynckeriana ad ius vniuersum.
19. Commentarii in vniuersum ius ciuile Romano-Germanicum. ib. 1698. 4to.
20. Vniuersi iuris pandectarum methodus dichotomica. 1678. fol.
21. Series codicis Iustinianei Viennae Austriae 1725. fol.
22. Nouellarum Iustinianear. exegesis methodica, ibid. 1726. fol.
23. Systema iuris publici Rom. Germanici. Ienae.
24. Praecipua feudalia.
25. Institutiones iuris canonici.
26. Iurisprudentia axiomatica.
27. Commentatio ad praecognita notitiae Imperii Boeclerianae Ienae 1691. 4to.
28. Protribunalia. Giessae 1669. 4.
29. Tractatus de grauamine extraiudiciali. Ienae 1737. 8.
30. Concordantiae Iuris feudalis ib. 1688. fol.
31. Vigor Romani iuris inter iura publica Rom. Germ. Imp.
32. Praerogatiua iuris canonici.
33. Lapsuum Grotianorum specimen in Cap. X. Lib. II. de I. B. et P.
34. Atrium iuris publici Giessae 1671. 8.
35. De superioritate territoriali eiusque iuribus commentatio vberior.
36. Commentatio ad capitulationem Leopoldinam. Ienae 1696. 4to.
37. Tabula facti.
38. Rationale differentiarum iuris Electoralis et iuris Ducalis Saxonici.
39. Obseruationes forenses ad processum iudiciarium.
40. Unterweisung wie Beamten und Gerichts-Verwaltere in Verführung peinl. Processe sich zu verhalten. ꝛc.
41. Schema aureae Bullae.
42. Neruus capitulationis Caesareae.
43. Fluctus interpret. de communicatione Maiestatis eiusque iurium in Imper. Rom. Germ. Ienae 1692. 4.
44. Index in Lampadium de Republ. Rom. Germ.
45. De pontificatu Imp. Rom.
46. De incorporatione terrarum imperio debita.
47. Restituta litterarum obligatio. Ienae 1696. 8.
48. De domo Principis.
49. Praxis iuris canonici in foro protestantium, Libri duo.
50. De Magnitudine et perseuerantia Imperii Romani.
51. De iure Sacrorum, quo Caesar Maiestate sua valet.
52. De exortu Electionis et Electorum Imperatoris Romani ac de origine Electoralium officiorum.
53. LL. Romanorum de praeiudicio partus in speciem diffidentium conciliatio, Ienae 1692. 4.
54. Suppetiae nouae et ad L. LXIX. D. pro Socio, 1697. 8.
55. Auspicia academica.
56. Notae subitaneae ad *Io. Henrici Boecleri* institut. politicas.
57. De Legato secundo et vlteriori.
58. De Manu regia dissertatio.
59. Praescriptiones publicae inauguralibus praelectionibus praemissae, Ienae 1691. 8.
60. Dissertat. inaugural. pro Licentia de separatione, Giessae 1664. 4.
61. Dissertatio pro loco in Facult. obtinendo de beneplacito, Ienae 1677. 4.
62. de impari ad Morganaticam matrimonio.
63. Tractatus de iure habitationis, Giessae 1673. 4.
64. Zwey Bücher: eines von der Liebe GOttes gegen uns. Das andere von den Pflichten unserer gegen GOtt.
65. *Andr. Bilderbeck* iuris Lubecensis patrii a communi Rom. Germ. iure differentiae. Giessae 1672. 4.
66. Gründliche Ausführung warum das Fürstl. Samt-Hauß Sachßen zur Reassumtion der vorlängst geendigten vom Kayserl. Cammer-Fiscal aber von neuen erregten so genennten Gleichischen Exemtions-Sache nicht gehalten, samt einem Anhang, daß das Ertz-Stifft Maynz und dessen Belehnte darbey in keine Wege interessiret sind. Gedruckt im Jahr 1681. Fol.
67. Instructorium forense ad vniuersi scientiarum complexum, solidamque cuiusuis iurisprudentiam, qua rebus publicis prospicimus; directum etc. prodiit, 1691. et denuo editum 1698. fol. et quoniam in hoc opere nimis libere de *Stryckio* aliisque ICtis eorum scriptis iudicauerat, index *quorundam vesanorum iudiciorum* quae *instructorio* deprehendisse putabant, huic operi bellum indicebat, sed eius masculam suscipiebat defensionem.
68. Index repetitus quorundam iudiciorum &c. qui prodiit sine anno 4to.
69. Consilia et responsa primo 1704. Ienae fol. excusae, postea ib. 1704. denuo Vol. II. editae sunt. fol.
70. Rerum in Sereniss. Ducum Saxoniae dicaster. decisarum centuriae XV. Ienae 1720. 4to.
71. Resolutiones DCC. disceptationum forensium per principia authentica ad rationes praecipuas litigantium Ienae 1723. 4to.
72. Libertas statuum imperii, et quae perperam libertatis eius esse dicuntur, cum biga tabularum aureae Bullae et capitulat. Ioseph. Ienae 1717. fol.
73. *Karoli Sylbindi Nicei* monita plus quam quinque Millia, quibus totidem et amplius errorum, absurdorum et deliquiorum Tractatus nuperrimus *Samue-*

lis

lii Strykii ICti de actionibus forensibus inuestigandis et caute elegendis, vt et de actionum praescriptione, Halae hoc ipso anno emendate editus, conuincitur iuxta rationem solidam doctrinae Lynckerianae, Francofurti et Lipsiae 1698. Liber olim prohibitus, hodie vero perquam rarus.

Dissertationes sub eius praesidio habitae, quae plerumque a Respondentibus eius auspiciis ductu et sub censura conscriptae sunt.

Dissertatio.
1. De periculo et commodo rei venditae.
2. quo tendant studia iuris. Ienae 1678.
3. de vi legis in praeteritum. Ienae 1681.
4. de iudicio status, Ienae 1691.
5. Lex Rhodia de iactu, Ienae 1679.
6. de pactis. Ienae 1679.
7. de repraesentatione pecuniaria, Ien. 1694. fol.
8. de vinculo Familiae. ib. 1691.
9. de cautione fructuaria, Ienae 1689.
10. de absolutoria. ib. 1695.
11. de praesentatione sui ipsius. ib. 1689.
12. de Anagyria ib. 1692.
13. de compromissis ib. 1686.
14. de eo quod iustum est circa silentium, Ienae 1693.
15. de familiarum nobilium splendore, ib. 1689.
16. de iuramento Mandatarii in animam principalis.
17. de affectione, Ienae 1690.
18. de partu supposito, ib. 1690.
19. de Transactionibus, ib. 1679.
20. de commendatione speciali, ib. 1693.
21. Iura secundi, ib. 1693.
22. de receptis, ib. 1679.
23. de eo quod interest, Ienae 1691.
24. de iuribus ac priuilegiis minorum. ib. 1693.
25. de Laudi vitiis ib. 1679.
26. de potestate matris in liberos.
27. de iure denunciationis, Ienae 1669.
28. de cautione vsufructuaria, Ien. 1681.
29. de fideicommissis vniuersalibus, ib. 1680.
30. de indiuiduitate, ib. 1684.
31. Iura praemiorum, ib. 1691.
32. Iura Minerarum, ib. 1695.
33. de Ganerbinatibus, ib. 1689.
34. de accessione fluuiali, Ienae 1689.
35. de iure commissorum, ib. 1670.
36. de semiplenis probationibus, ib. 1693.
37. de reductione ad arbitrium boni viri, ib. 1691.
38. de Auxiliatoribus furum, ib. 1687.
39. de potestate Imperatoris alienandi bona imperii. Ienae 1695.
40. de acquisitione coniugali ad P. V. Tit. V. Reform. Francof. ib. 1695.
41. de iure repressalium iurisque gentium et ciuilis qua illud conuenientia et disconuenientia, ib. 1691.
42. de bonorum Allodialium in feudalia incorporatione, Ienae 1693.
43. de resistentia quae fit potestati, ib. 1694.
44. de iure rerum, ib. 1678.
45. Experimentum conciliationis Enantiophanon in decisionibus Meuianis, ib. 1694.
46. de Pauliana. Ien. 1675. 4to.
47. de successore feudi. ib. 1689. 4to.
48. de amputatione membrorum in his qui delinquunt ib. 1681.
49. de priuilegiis depositi, ib. 1683.
50. de reliquis, Ien. 1683.
51. Select. positionum centuria, ib. 1687.
52. de praecellentia Marium prae femininis. Giessae 1673.
53. de Proxenetis. ib. 1674.
54. de mero imperio. Ien. 1679.
55. de iurisiurandi inualiditate, ib. 1688.
56. de potestate eminente Principis in iudicio, 1680.
57. Processus iudicii prouinc. Holsatiae comparatus cum processu iuris commun. et Saxonici.
58. de iure et contractu colonario prouinciali Land-Siedel-Recht und Leyhe, ib. 1696.
59. de militia togata, ib. 1697.
60. de bona fide in praescriptionibus, ib. 1696.
61. de iuribus peculii militaris, ib. 1697.
62. de euictionibus, 1699.
63. Trutina doctrin. *Io. Brunemanni* ICti, quibus in Commentar. suis ad ff. et Cod. cursusque scriptis suis a *Benedicto Carpzouio* aliisque ICC. Saxonicis dissentiendum sibi existimauit. 1697.
64. de mandato rei turpis, Ien. 1699.
65. Commentatio in ius Patrium statuti Ciuit. Luneb. part. commun. et de statutis ciuitatum prouincialium. ib. 1699. ibid. denuo edita Tractat. forma.
66. de auctoritate vsuque LL. Iustinianear. in Germaniae iudiciis, tam rationum robore, tum ICC. versatissimorum fide ad seriem Tr. *Grönwegii* de LL. abrogatis in Belgio. &c.
67. de iuris legumue dissentaneis & contrariis Ien. 1698.
68. de inuentione. 1674.
69. de commissario imperiali ad negotia status, Ienae 1678.
70. de commissario imperiali ad causas iustitiae, Ienae 1685.
71. de iure restituendi famam, ib. 1678.
73. de Baptismo. ib. 1684.
74. de eo quod circa sacram coenam iustum est. ib. 1690.
75. de fatalibus, ib. 1678.
76. de nominatione Socii criminis. ib. 1686.
77. de bonis ereptitiis. ib. 1694.
78. Assertiones ex diuersi iuris materiis, ib. 1680.
79. de feudo pecuniario, ib. 1680.
81. de Bodmeria ib. 1679.
81. de furatibus, ib. 1684.
82. de plenitudine summae Maiestatis. ib. 1691.
83. de superioritate sacra, ib. 1689.

84. de potentatu, ib. 1690.
85. de Archiuo imperii, ib. 1686.
86. de idiomate imperiali. ib. 1687.
87. de consensu Electoris, ib. 1687.
88. de eo quod iustum est circa personas diuersae religionis ib. 1691.
89. de munere oirectoriali circa negotia imperii, ib. 1693.
90. de persecutione hostis imperii publici, ib. 1691.
91. de religione obsequii ib. 1682.
92. de Castris, ib. 1692.
93. de caussis iudicium camerale fundantibus, ib. 1693.
94. de formis procuratoriis. ib. 1694.

Scripta quae sub prelo sunt, et MSta quaedam.

1) *Commentarius, seu notae ad* VLRICI HVBERI *Libr. III. de iure ciuitatis.* Vltimum hoc fuit opus, quod ante mortem elaborauerat et impensis suis splendide imprimendum curauerat Illustris LYNCKERVS, sed morte praeuentus, antequam penitus perficeretur, cum reliquis impressis nondum confectis ab heredibus repositum et reconditum fuit. Cum autem iis postea consultius visum fuerit, reliquias istas vendere, mihi tam feliciter contigit, vt eas emerem ex iisque commentarios hos cum inserto HVBERO fere perfectos ex tenebris protraherem et cum orbe nunc communicarem litterato. Et quemadmodum ius publicum vniuersale nemo felicius tradidit quam HVBERVS, nemo autem docte ac solide magis interpretatus est ac illustrauit quam LYNCKERVS, vtriusque exasciatum laborem promulside excipiet eruditorum quisque, qui nouit tantorum ICtorum merita atque harum litterarum gloriam interpretari. Prodit cura nostra *Francof. et Lipsiae* 1752. 4to maiori.

2) *Instructorium forense.* Hoc opus in breui quasi descripsit tabella et ita edidit Auctor. Quum autem illud immensum quantum auctum suis impensis curaret imprimendum, et vix dimidia operis pars esset excusa, praematura mors abstulit LYNCKERVM fecitque, vt *instructorium nouum* cum HVBERO aliisque iacuerit in tenebris, et illustres Magni LYNCKERI successores decreuerint, denique cum reliquiis doctis instructorium forense vendere. Quam primum hoc mihi fuit patefactum, primum HVBERVM postea etiam *Instructorium forense* cum ceteris impressis Lynckerianis in praediis reclusis et latentibus comparaui, et quoque omnibus precibus meis a gratia et humanitate Illustrium Heredum impetraui, vt quae de hoc opere adhuc perfecte elaborata MSta in bibliotheca B. Auctoris asseruantur, mecum communicare, ea promiserint lege, vt consummatum hoc opus, quod priores editiones octo alphabetis (vt vocant) superat, publicarem. Dedi fidem, et si Deus vitam et vires concesserit, lege praenumerationis, id quod deest huic operi, curabo, exscribendum, et pro aequissimo pretio offeram horum scriptorum amatoribus. De hac noua *Instructorii forensis* editione in STRVVII *bibliotheca iuris selecta* editionis septimae ab illustri AVDERO 1743. editae p. 2. haec legimus: *de eodem* (instructorio nempe) *sollicitus fuit perillustris Auctor, bonamque instructorii partem ample auctam formis exprimendam curauit cuius tamen perfectionem grauiora Summi Viri negotia et mors impediuerunt.* Vbi tamen probe obseruandum, totum opus memorati noui *instructorii* a Perillustri Auctore fuisse elaboratum et perfectum hinc in MSto ad prelum paratum, sed ob praematuram Perillustris Auctoris mortem vix ad dimidiam partem impressum adeoque ratione impressionis nondum perfectum. Cuius rei, praeter alia, fidem facit, instructorii laudati MStum, quod in Bibliotheca B. Perillustris LYNCKERI habetur.

3) *Notae* in GEORG. AD. STRVVII *iurisprudentiam Romano-Germanicam forensem* cuius accuratissima editio prodiit in 4to Ienae 1670. e MSto erutae iam sub prelo versantur, et mox lucem adspicient publicam.

4) *Ius publicum* in Swederum in MSto.

Quam plurima alia MSta extant in Bibliotheca *Lynckeriana*, quae, cum videndi facultas ac potestas data mihi non est, iam a me praetermittuntur. Interea in hoc indice plura tamen iuuenies *Scripta Lynckeriana*, quam in Tr. cui inscriptio: *Scripta quae Lynckerianum Nomen praeferunt*, qui 1696. hic prodiit, et alibi, quorum notitia forte Tibi B. L. maiorem adferet voluptatem ac vtilitatem, quam si Tibi commendarem, iam dudum Tibi satis probata et commendata. Vale B. L. et, si placet, his deliciis fruere conatibusque nostris imposterum faue. Dabam in Athenaeo iuxta Salam die 23. Mens. Dec.

A. S. R. CIↃIↃCCLI.

JVRIS



IVRIS PVBLICI UNIVERSALIS, SIVE, DE JURE CIVITATIS LIBER I. QVI EST DE IMPERIO.

CAPVT I.

De Jure & quotuplex id sit.

ARGVMENTVM.

Jus pro regula actuum moralium. Ejus divisiones. In hoc opusculo de Jure Gentium publico agendum, & quo modo. Differentia ejus à Politicâ. Esse qui id seorsim tractarit neminem. Constare praeceptis naturalibus, Gentium & Divinis.

I.

JURIS vox cùm multifariam (*a*) usurpatur,* tum inprimis nota est significatio, quâ dicitur, Regula boni & æqui, (*b*) id est, Lex, quatenus hæc latissimè (*c*) accipitur.**

* *Triplicem Juris significationem vide apud* Grotium *l. 1. de Jure B. & P. c. 1. §. 2. 3. & 4.*
** *Jus pro lege, apud eundem §. 9. unde derivata Juris significatio pro arte Legum.*

 (*a*) MVL-

(*a*) MULTIFARIAM. *Propius* tamen ad hoc institutum, vel (1) *Causaliter* pro *Lege*, ùt *h. l.* & *formaliter* quidem, ùt *præcipiens* notat; idque *varium*: *materialiter* autem ratione *objecti*, quod continet; ùt *præceptum* innuit. Vel (2) *Effectivè*: cum relatione ad *Facultatem*, justè aliquid habendi vel agendi; unde *Jus Dei* & JUS HOMINIS. Et in *homine* quidem (sic & *Universitate* hominum,) *qualitatem moralem* constituit, eamque *activam*; sicut *passivâ* jus nostrum, v. c. in obstrictô ad præstandum, *imminuitur*. Utrumque, (& non minùs in *publicis* quàm *privatis*,) vel *Personarum* vel *Rerum* est: unde *Actiones* & similia Remedia, prout hoc jus *perfectum* est, competunt. Et sicut Jus illud sive Facultas *formam* ipsam notat: ita inde *concretum*, & sive *persona* sive *actio* ejus, *justum* denominatur.

Quanquam verò de JURE DEI, quod non modò Is *in hominem*, sed & *angelos* habet, (nam ad *ratione destituta*, quæ *impropriè* parent, utrespiciamus, nil attinet:) ut hic pleniùs agatur, præter institutum fuerit. Tamen hoc saltim, ne in istud in tractatione nostrâ deinceps impingamus, commemorare juvat: quòd arctissimè illud cum *misericordiâ*, *beneficentiâ* & *reliquis attributis divinis*, conjunctum sit: indeque *Amyraldus*, *c. IV. d. Prædestinat.* Deum posse hominem *innocentem*, pro *arbitriô* suo *merô*, in *gehennam detrudere*, perperam statuat: reprehensus ob id à *Curcellæo* & *aliis*, tum & à *Dannhauerô* in *Hodomor. Spirit. Calvin. pag. 204.* Nec enim juvat *Amyraldum*, quod Deus peccatum protoplastorum humano generi imputaverit. Cui quidem non satis fit, si cum *nonnullis* dixeris, quòd defectum justitiæ originalis imputaverit nobis Deus voluntate interpretativâ: ut eorum voluntas nostra voluntas etiam fuisse videatur. Quin potiùs in nobis carentia utique est justitiæ originalis, propriâ nostrûm voluntate voluntariâ; saltim virtuali & secundùm præscientiam Dei: siquidem Deus præscivit, si extraordinariâ potentiâ omnes simul homines essent producti, omnes etiam eôdem modô & eâdem occasione, Liberô arbitriô abusuros fuisse. Pòrrò ne quidem illa sententia probanda est, quâ asseritur, quòd Deus *hominem annihilare possit*: Nam istud *posse non vult* Deus. Quamvis hæc voluntas, quâ ipse animam hominis (*utut creatam* & *principiô* nitentem, cujus indoles etiam cum æternitate *necessariam* connexionem non habet,) *immortalem* & *in æternum superstitem* vult, revelatione quidem certò constet; ex ratione autem invictè probari immortalitatem illam animæ posse, plerisque non persuaserit *Dygbaus in Tr. d. Immortalit. anim. rational. (Paris. 1651.)* ùt nec Angelus alter, *Henricus Morus*; quando ex hinc naturalem Animæ immortalitatem, quòd illa *indiscerpibilis* sit, demonstrare annisus est: nec *Hildebrandus pecul. Tr.* quippe qui omnes solùm hoc apodicticè probâsse visi sunt, quòd anima *corpori superstes* esse queat. Ceu nec beatitudinem *Naturalistæ* largiuntur, aut damnationem æternam, *ex ratione* evinci posse: cùm quidem ratio dictet, *virtutem*, quod in hâc vitâ sæpè non fit, in alterâ *remunerandam* esse. At verò per solam, ajunt, gloriam superstitem remunerari virtutem post vitam & in vitâ sibi ipsam virtutem pulcherrimam mercedem esse, videri posse: cùm & in exercitiô Virtutis summum bonum consistat. *Gentiles* etiam, (ita sentiunt,) vel ex relatione eorum, qui Divinæ *voluntatis* conscii fuerunt, animam immortalem esse, vel argumentis quidem suis, sed tamen inefficacibus, credidisse. Nam *Platonici* quidem animas humanas, ceu effluvia divinæ essentiæ, in æternum, aut certè longiùs corpore, duraturas opinati sunt; *Epicurei* autem, ceu eductas ex potentiâ materiæ, caducas planè & interituras esse, statuerunt.

Sicut verò *Jus Dei* & *Imperium* ejus, cùm & hoc & istud *à se ipsô* habeat, ad paria redeunt; secùs ac in *Homine*, ubi *Imperium* non est *Jus ipsum* s. *Facultas*, sed *causa*, unde Jus & Fas oritur; ex quô facultas illa educenda est: quanquam in Deo etiam non ubique *Jus* illud se *per* modum *Imperii* exserat. Ita *Imperium Dei*, tum INTERNUM, tum EXTERNUM est.

Illud, licèt *absolutum*, h. e. plenissimum, sit in homines: non tamen est difforme à reliquis attributis Dei, sed omninò conforme illis & hinc ordinatum. Exseritur autem *in Conscientiam* quoque hominis, per *Jus* naturale; atque *Puffendorffius* in *Præfat. d. Offic. Hom. & Civis* docet, quasi *Jus naturale solùm* ad *forum humanum* & actiones *exteriores* respiciat. Nam (1) forum humanum solùm actûs *imperatos* tractat. Frustrà autem legi etiam alii, nedum naturali, actiones humanas exteriores subjicias, nisi & internæ legibus regantur & assuefiant: impuræ aliàs futuræ actiones. (2) *Amplitudo* & *Eminentia Divini Imperii* tale quid internum requirit.

quirit. (3) Actiones *internæ* sunt per se & *propriè* actiones *humanæ*; exteriores internarum tantùm effectûs & signa esse videntur. (4) *Peccatur* interioribus actionibus: unde cùm interni motûs exterioribus actionibus adversantur, *Lucta* illa *moralis* exoritur; quam agnoscit ipse etiam Seneca *V. de benef. c. 14.*

EXTERNVM *Dei Imperium* vocant, quod per *Jus vitæ & necis* in hominem se exserit: rectiùs *in externa hominis*, & quicquid ei *præter animum* concessum est; quò non *vita* modò, sed & *res* illius pertinent: ne satis amplum hoc imperium non videatur. Hoc verò pari ratione in *Gentes* integras, ùt *Cananæam*, v. c., exercet, quin & in *infantes*. Sed ne hoc quidem absolutè adhibet, etiamsi *modus* absoluti quid inferre quandoque videatur; qt. nos eum ordinatæ rationi convenire non advertimus: & falsum adeò est, quod *H. Grotius Lib. 2. c. 20. §. 4.* tradit; *finem* aliquem esse *punientis Dei*; ut sibi in puniendo placeat, *Prov. 1. v. 26. Psal. 2. v. 4.* tuncque ipsum non vi justitiæ, sed *jure Dominii*, puniret: cùm tamen nulla pœna sit, nisi *culpâ* antecedaneâ; hæc autem ex justitiâ arguatur, non ex *Dominiô*; & Dominium absolutum, quod justitiâ & beneficentiâ Divinâ temperatum non est, in Deo nullum sit: Deum verò sibi in puniendô placere, non ad affectum, sed *effectum* pertineat; sicut etiam gloriæ ejus ostensio, aliique fines interveniunt.

(*b*) BONI ET ÆQVI. Nonnullis *Bonum* notat moralitatem absolutè & simpliciter, *Æquum*, quà *ad alios* illa refertur. Nos verò hæc *ad* ꝛ. ùt videtur, rectiùs exposuimus: ubi simul etiam de *Juris* definitione per *Artem*, *systematicè* sumptam, & de *Habitu Jurisprudentiæ* inde productô: sicut quoque *Systema* esse potest absque Librô, aut *præcepta* saltim, priusquam in Librum rediguntur: possunt & præcepta esse perpetuæ veritatis, licèt nemo prudens illorum reperiatur.

(*c*) LATISSIME. Nec tantùm quà *Jus positivum*, etiam consuetudinem s. quodlibet Jus, quod *usu* invaluit; sed ùt Jus quodcunque, etiam *commune*, & sive à *Deo*, qualibet ratione, sive *ab homine* fuerit, complectitur.

II. Partitio summa (*d*) Juris est, in Naturale & Voluntarium, quod in scholis positivum vocatur. Naturale, quod hominibus innatum. Voluntarium, quod repertum & excogitatum. Hoc rursus aut Divinum (*e*) est aut Humanum. Et hoc vel Gentium (*f*) vel Civile (*g*).* Utrumque Publicum (*h*) vel Privatum.

* Grotius *tertiam juris humani speciem addit d. cap. 1. §. 14. quâ tamen heic facile supersedetur.*

(*d*) PARTITIO SVMMA. Est verò Partitio in *Divinum* & *Humanum æquè summa*, & *simplicior*: (quia etiam naturale jus, quà *Lex* est, ex *voluntate* Dei obligat.) nec tam *ambigui* sensûs est, ceu in Jure *voluntario*, etiam quà Jus *Gentium* attinet, occurrit; tum & vim *Imperii*, à quô Legis est auctoritas, rectiùs, quàm *Grotiana* illa, exprimit.

(*e*) DIVINVM. Sed & Jus Naturale *totum divinum*, ceu nec *omne* divinum est *voluntarium*; & quà *hoc* voluntarium est, arbitramentô mediô *repertum & excogitatum* vix commodè dicitur. Tum & Jus *Voluntarium*, ùt sunt ex illô *Ceremon.* & *Forense*, ad hanc disciplinam non pertinet.

(*f*) GENTIVM. Saltim non eô sensu Jus Gentium voluntarium dici seu *arbitrarium* potest, ùt Jus *Civile*. Quâ verò ratione Voluntarii appellatio eidem *adæquatè* non congruat: *c. IV.* dicetur.

(*g*) CIVILE. Hôc arctiùs adhuc patere *Jus* quoddam, *ab inferiori* quàm civili *potestate*, profectum, H. Grotius *I. d. J. B. & P. c. 1. §. 3. & 14.* comminiscitur, quod *Familiarum* & domesticum sit, *æquatorium* aut *rectorium*. Est verò id improprium, nec quodlibet imperium sive *Jussus* Legem conficit, quippe quæ non nisi ad *societatem perfectam* dirigitur. Lex tantùm est *analogicè* jussus Patris, & quatenùs ex *superna Lege* pendet. Sic etiam inter maritum & uxorem non est Jus per omnia *æquatorium*. *I. Cor. 11, 3.* Tum & si distinctionem hanc ad Societates *perfectas* applicare velis, (qualis ne quidem *Domus* est,) inter Regem quoque & subdi-

ſubditos æqualitas eſt, velut in contractibus; nec tamen inde *Societas*, (cui omnia ſuperſtruit *H. Grotius*,) *æquatoria*. *Æquum* verò etiam inter æquales eſt. Et quamvis Rectoriam dicere poſſis Societatem & Jus Rectorium *quatenus cum ſubdito* intercedit: tamen non minùs *Rectorium Jus* illud erit, (etiam quod *pactis* vigorem conciliat,) quod Ipſe æquatorium appellat: quoniam & hoc *supernô Jure* dirigitur. Videlicet omne Jus, *quà Lex* eſt, *rectorium* Jus eſt: quoddam Jus, quà *Facultas* eſt, (quem ſignificatum *priori* acceptioni inſerre non debebat, & cum eo confundere, *H. Grotius*,) inter æquales, quà tales, *æquatorium*: omne verò Jus *utrôlibet* ſenſu *æquum* eſt.

(*b*) PUBLICUM. Eſt verò *Divinum* quoque Jus, quod in *Publicum* (*§. 20. h.*) & *Privatum* abeat. Eſt quoque *tale*, ipſum *Naturale* Jus; (*d. §. 20.*) nec omne Jus Publicum ſolùm *Gentium* vel *Civile* eſt. Optimè *Romani!* quando *Jus Publicum* & *Privatum*, *ſyſtematicè*, & rectè quidem, accepta, (quoniam ad *conſtitutionem* Juris relata, quà hoc ipſum pro *Lege* ſumitur, non diſcernuntur:) ad diſtinctiones Jurium illorum non referunt. Hi enim, oſtensô priùs *Fine*, pulcherrimô Doctrinæ, Juſtitiâ, *Objectum* exhibent, in quô iſta occupetur, *Jus* videlicet ſeu *Syſtema*; quod in duas illas *Poſitiones*, *Publicum* ſc. & *Privatum*, diſtinguunt: & utrumque *ex Præceptis Juris N.G.& C.* compoſitum eſſe monent: quibus etiam hæc, quæ *Divini Juris revelati* ſunt, ſuperaddimus. Quòd ſi verò quem deſiderium capiat diſtributionis Jurium, exactæ magis: hæc eſto. Jus omne vel *Divinum* eſt vel *Humanum*. Hoc non niſi *Poſitivum* eſt ſeu *Civile*. *Divinum*, vel *Naturale* eſt vel *Revelatum*: *Naturale* tum *Primævum* & *abſolutum*; quod & nomen ſuum meritò ſervat: & *Secundarium* ſeu *Hypotheticum*; Jus ſcil. *Gentium*. *Revelatum* verò tum *commune* eſt humano generi, & vel ſimpliciter, ùt *Morale* ſeu perpetuum; vel ſuô modô, ùt *Ceremoniale*, quod temporale fuerat: tum *proprium* Populo Judaico, eſtque *Forenſe*.

III. Jus Gentium publicum eſt, quod docet, quid in regimine (*i*) civitatum ex voluntate populorum (*k*) fas & rectum ſit. Privatum, quod de rebus ſingulorum ubique Gentium cum ratione introductum eſt. Sub hoc comprehendi videtur id, quod inter diverſas civitates (*l*) nec invicem nec uni ſubjectas imperio intercedit. * Tales enim nihilo ſecus quam ſinguli in ſtatu naturali poſiti ſe habent.

* *De quo Grotius d. cap. 1.*

(*i*) IN REGIMINE. Oportet *regimen* hic accipere, non modò *diſtributim*, (quâ rat. etiam in *una* Civitate, & ſi vel *nulla Gens alia* exiſteret, Jus quoddam Gentium, & imò à *ſingulis* hominibus, ſervari poteſt,) ſed & quà Civitas quælibet *alias* quoque Civitates reſpicit; & ſic non minùs *collectivè*. Deinde voluntas *Populorum* intelligenda eſt *communiter*. Sunt enim plurima non niſi *Civilia*, & quæ cum *ratione particulari* introducta, à *pluribus* tamen *Populis*, ſive per *imitationem* ſive per *conventionem*, ſuſcepta ſunt; velut Dotium, Feudorum, Servitutum perſonalium, Jura.

(*k*) EX VOLUNTATE POPULORUM. Oſtendam verò *c. II.* nullum *Jus Gentium* propriè dictum pendere ex *voluntate* Populorum. Nec etiam *Jus* aliquod, *Lex* ſcilicet, eſt *à pari*; ſed *Superioris* eſt unicè: indeque *Jus* nullum *naturale* eſt, ſi per ſcelus ſupponatur, *Deum* non eſſe. Eſt quidem naturalis *origo Majeſtatis voluntaria* & à conventione parium. Sed *Majeſtati conſtitutæ* inviti obſequimur, ùt ſuperiori. Non eſt *Lex*, velle majori parti in *fundanda Republica* obtemperare; ſed *pactum*, ex quô non *Jus*, ùt *Lex* eſt, oritur, nec oriri poteſt; (ſecùs ac introductâ jam in Democratiâ Majeſtate: nam ibi ſi majori parti paremus, Majeſtati obſequimur,) verùm *jus* ùt *facultatem* notat: hæc autem facultas pendet ex *Lege* ſeu *Jure*; quod pacto robur tribuit, & pactô prius ac ſuperius eſt.

(*l*) INTER DIVERSAS CIVITATES. Si quando *ùt privati* agunt; v. c. in Contractibus.

Itaque refert tantùm naturam Juris privati: Cùm aliàs non protinùs *privatus* fit, qui *fingulus* eft, atque fi *Jus*, privatis conveniens, *perfonæ reive publicæ* applicetur, privatum illud non fit ampliùs. Cæterùm diftinctio Jurium non tam ex *fubjecto* & ufu juris, quàm potiùs ex fonte feu *efficiente* cujùsqe petendâ eft. Nam & in *ftatu naturali* pofiti utuntur Jure illô *Gentium*, quod diftributivum dicimus; cùm non omne, faltim non diftributivum illud, Jus Gentium requirat *gentem*, ne unam quidem.

IV. Jus Civile Publicum (*m*) eft, quod ad ftatum (*n*) cujusque Reipubl. pertinet. * Privatum, quod ad fingulorum in eadem civitate utilitatem fpectat.

* §. *ult. Inft. de juft. & jur. ibidemque jus privatum.*

(*m*) PVBLICVM. *Efficienter* omne Jus Civile eft *Publicum*; maximè illud, quod evitare *arbitriô fuô* civibus eft impermiffum: in quô jura *teftamentorum* (v. *l. 3. qui teftam. fac. poff.*) juribus *conventionum* opponuntur. Sed *h. l.* Publicum eft, quod tale eft *fimul objecto & fine* publicô: quorum nec *alterutrum* per fe folum ad hoc fufficit. Unde Dotium, Tutelarum & fim. Jura ad publica non rediguntur. Quæ tamen ficut ex objecto & fine ùt plurimùm *privata* funt: ita quoties ad objectum finemque *immediate publicum applicantur*, & ipfa publica fiunt. Indeque Juris publici illa tantùm *eximie* dicuntur, quæ privatis *nunquam* applicari poffunt. Maximus verò *Privati* exhinc *Juris* præ publicô *ufus* eft, quòd ad Perfonas, Res & Actiones, atque hinc ad Judicia Publica, quoadusque *communia cum privatis* fortiuntur, applicari queat; non etiam publicum privatis.

(*n*) AD STATVM. Non tantùm ad *formam Reip.* ex parte *Imperantis*, uti ftatum *Regium* v. c. dicimus; fed ut Status *totàm habitudinem Reipublicæ* denotet, per quam illa pòffit ad perfectionem indoli & naturæ fuæ convenientem afcendere. Et quidem fi *Jus* Publicum *Syftematicè* cum *Romanis* accipitur, quor. hæc *definitio* eft: Status ille *formale Objecti* Juris iftius conftituit.

V. Nobis confilium eft, delineare Jus Publicum Vniverfale, (*o*) hoc quidem opufculo; Neque enim prius aut Publicum Jus Romanum, quod præcipue intendimus, aut Patrium, quod fecundum illud, aut alterius gentis, nifi hoc præfumpto, folidè collocari poteft. Ita autem hoc agemus, ut non modo viam ad fpecialia fternat, fed & continuò fingulis (*p*) fuo modo civitatibus (*q*) applicari queat. Illarum fane exemplis (*r*) ita hæc generalia publice privatimque illuftrabimus, ut neminem in dijudicatione ullius Reipubl. cujus fitum noverit, ratio fugere poffit.

(*o*) VNIVERSALE. Quod communiter & *abftracte* omnes Civitates *diftributim*, (& vel *una* Civitas, ex ratione communi,) agnofcant: ùt Majeftatis, fubjectionis; & vel Monarchicæ Majeftatis, omnes Respublicæ Monarchicæ. Sic & Dominii, Conventionum, Criminum, Judiciorum. Et tamen cùm non modò *principia* Juri privato *communia*, fed & plura, quæ exindè in jus privatum *deducuntur*, in his *Libris* reperias. Sint etiam in illis paffim integri Articuli, qui ad *privatas* æquè perfonas & res, caufasque pertinent; ùt luftranti Libros iftos facilè patebit. Hinc nfurpare hanc Inftitutionem pro Syftemate *Juris Univerfalis*, utriusque tam *Privati* quàm *Publici*, (& imò

imò hujus *etiam collectivi*, ùt in Bellô, Pace, Fœdere, & sim.) nil impedit. Imò quia faciliùs *Publicum Jus Universale distributivum* seu Civitatum, ùt hæ singillatim, extrà nexum cum aliis, positæ habentur, doceri potest *seorsim*, extrà Jus alterum istud collectivum; (quâ tamen ratione *nova disciplina* non est:) quàm ut à distributivo Jure Universali publico privati Juris doctrina separetur; à quô, ceu *communi* suâ ratione, Jus publicum, maximè distributivum, sortiri complementum suum oportet: quoties nim. Jus privatum personis quoque rebusve publicis applicari necessitas flagitat. Inde Jus Universale Publicum distributum illud, sepositô penitus *privatô* aut *communi* saltim jure, vix commodè tradere licet; idque vel eò quòd hæc quæ privati *Juris Civilis* sunt, non tam arctè publicis, ùt *privata* Juris *Universalis*, cohæreant. Cæterùm *Jus* istud *Universale* Auctoris est *objectum Artis*, uti hactenùs *Jus illud*, in distributione *Juris*, pro *regulâ* sumpti venit. *Ars* verò ejus Juris præcepta continet; & *habitus* inde quæsitus *Prudentiam* Juris Universalis conficit.

(*p q*) SINGULIS CIVITATIBUS. *Individua* ex *speciebus*, v. c. Monarchici Regiminis, ipsisque generibus Imperii, puta, Subjectionis, &c. educta, sed *distributim*, intelligit: non quasi *Hugo Grotius* cæterique Jus Naturale illud unicè, cumprimis *Publicum*, scripserint, quod integris Gentibus *collectim sumptis*, *inter se* conveniat: sed quod *seorsim* illud non tradiderint. Enimverò *H. Grotius*, ait, *Orbi se scribere*, & proponit ea non minùs, quæ ad *singulas* etiam *Civitates*, quin & ad *hominum Individua*, quà requirit hoc illa *Juris Universalis* disciplina, pertinent; ceu vel ex solâ *Capitum* inspectione liquet: utcunque se operosùm magis in tractatione Juris *Belli* exhibuerit. Neque etiam aliud ille sub hujus, ùt & *Pacis*, nomine, (angustiori scilicet, quàm doctrina ejus, se exhibet; quæ nec *tantùm Juris Publici* est,) quàm pompam Libris suis & gratiam pro istorum temporum ratione, captavit. Quando autem Libri isti *Huberiani* aptiùs ad Doctrinam *integram Juris Universalis* dispositi sunt, & qui honorem *Juri Romano* servant, nostroque *Imperio* propiùs adhiberi queunt. Hinc non dubitavimus, eos cæteris in istô genere præferre, illosque in argumenta *Dissertationum nostrarum* Juris universalis, Naturalis & Gentium, assumere. Quâ quidem in re, quamvis non ex *Christianismo* scita istius Juris eruenda noverimus: (vid. Schilterum *de Prudentiâ Juris Christianorum*, & quæ cum *Pufendorffio* disceptata sunt:) Tamen hoc agemus, ut ne quid adversum *Divinis literis* asseratur, & cumprimis etiam disciplina *Hebræorum*, quatenùs ea cum communi illâ congruit, expendatur; ceu in hoc *Seldenus*, *Spencerus*, *aliique* jam præluxerunt.

(*r*) EXEMPLIS. Specimen habes Universalis Jurisprudentiæ *exemplaris*, in his quæ *Historiæ Civili* suæ subiunxit *Auctor Cl.*, exinde selecta. Quam verò exempla *vim* in hâc disciplinâ habeant, posthàc dicetur.

VI. Est autem hoc Jus Publicum ejusmodi, ut pari fere passu cum Politicâ ambulet. Unde à plerisque cum eâ confundi solet. Ut vix reperias ex recentioribus, præter unum Lipsium (*s*), qui meram Politicam tradiderit. Neque ad nostram mentem, qui jus publicum universale (*t*) seorsim dederit. Differunt tamen (*u*) hæc Ars & Politica, ut alioqui Jus & Prudentia. Nam Politices est, actiones publicas cautè dirigere ad beatitudinem civilem. Juris Publici, ut facultas ejus, quod singulis in Republ. ordinibus competit, rectè tribuatur, & justitia in omni regimento custôdiatur. Quod fieri posse existimandum, etsi Plato * omnia Imperia esse corrupta (*x*), & Aristides ** Rempublicam multâ egere injustitiâ, dixerit. In Politicâ practicâ, difficillimum sanè est, non quidem fraudes apertas, quales ille ab Hetruriâ(*y*)

riâ (y), *** ſed conſilia leviter ab honeſto devia, quæ & Belga noſter (z) **** admittit, ubique vitare. Sed Juris diſciplina ab omni iniquitate ſuâ ſponte aliena eſt. Quanquam nuper extitit, qui flagitia ſeculi & ſcelera dominationum ex fonte juris & naturâ civitatis, ſpecie philoſophiæ, derivare inſtituit. *****

* *In epiſt. ad amicos Dionis.*
** *Apud Plutarchum in vitâ.*
*** *Machiavellus.*
**** *Lipſius l. 4. polit. c. 14. n. 2. & 3.*
***** Thomas Hobbes (aa) *in tract. de cive & Leviathan vernaculo.*

(*s*) PRÆTER VNVM LIPSIVM. Et tamen ille ne quidem *integram* doctrinam *Politicam* (ſaltim non partem *Architectonicam*, tradidit, ſed ſolum *Conſultatoriam*; imò ne hanc quidem per omnia, ſed tantùm quà ad *Principatum* ea reſpicit. *Jo. Frid. Hornius* autem noſtrâ ætate Conſtitutivam illam, ſeu *Architectonicam*, perſecutus eſt: & utramque *Boxhornius*, ùt & *Bæclerus*; qui poſterior tamen complura, quæ *juris* ſunt, (in quô & *Bodinum* reprehendit *H. Grotius* §. 57. *Proleg. d. J. B. & P.*) immiſcuit. De aliis ad *Notitiam Imp. Rom.* ipſius *Bæcleri* egimus.

(*t*) JVS PVBLICVM VNIVERSALE. Niſi quòd *Anton. Perezius* tale quid tentaverit. Specialia verò, ſive *ſingularum* Rerumpubl. Jura hi executi ſunt, quos itidem ad *dictam Notit. Imp. R. G.* deſignavimus.

(*u*) DIFFERVNT TAMEN HÆC ARS. Itaque definitiones; quas hactenus propoſuit, (& Juris ſunt, quà Regulam id notat,) ad *Artem* cujuslibet, ùt & ipſa *Juris Publici* deſcriptio, accommodandæ ſunt. Quamvis Artem hîc *habitualiter* accipi videamus, cùm *Prudentiæ* Politicæ opponatur, (quæ duabus iſtis Partibus A. & C. conſtat:) pro *Judiciariâ* ſcilicet, ſive *Jurisprudentiâ*. Cæterùm *diſcrimen* inter haſce Prudentiæ ſpecies, ex *hîc* traditis, deprehendi vix poterit; quoties Politica utilitatem æquitati congruam ſectatur. Licèt verò *Ericus Mauritius* in *Diſſ. de Principiis Juris Publ. Germ. Politicam ſpecialem* nullam agnoſcat, & inde Politicam à Jure Publicô, quòd illa ſe ad Rempubl. quamlibet in individuo demittat, diſtinguendam eſſe cenſeat. Tamen ſicut datur *Politica*, tum *generalis* ſeu *univerſalis*, (& non minùs quæ ad *nexum* quoque *Civitatum* reſpicit, & *Juri* Gentium *collectivo* æqualis eſt: quàm quæ Civitatum *diſtributim* ſpectatarum commoda curat; & Gentium *Juri diſtributivo* opponitur,) tum *ſpecialis*, v. c. Rerumpublicarum Ariſtocraticarum; & imò *Individualis*. Ita ubique *Politica* illa à *Juris* oppoſiti *prudentia* ſtudioſè diſcernenda eſt. Videlicet (1) *Politica* Prudentia tantùm utile, *quâ tale eſt*, reſpicit. Jus verò, ſeu rectiùs *Jurisprudentia publica* (nam *privata* non in his modò, quæ nunc dicimus, ſed in eô ſaltim, quâ *privata* eſt; per quod tamen & ipſa *Prudentia in ſe publica* eſſe non deſinit: multò evidentiùs à *Prudentiâ Politicâ* diſtinguitur,) id conſiderat, quod æquum eſt; & exhinc *utile etiam* publicæ rei *exiſtere*, & *ex uſu* ejus eſſe poteſt: tantò magis, quanto non utique illud *verè* ex Reip. uſu eſt, quod tale *videtur*; & *cum honeſto* ſeu æquitate *pugnat.* Uterque verò, JC. & Politicus, *actiones publicas* prudentiâ ſuâ *ad beatit. civilem* dirigit. (2) *Politica* etiam abſque Jure & Legibus, ſaltim *abſtrahendô* ab illis, eſſe poteſt; ſed non etiam *Jurisprudentia.* (3) *Politica* Leges ſequitur, non quà Leges ſunt, ſed *quà commodant* civitati: nec in eis ſupplet, quà id æquitas requirit; ſed egreditur illas, quà id exigit Reipubl. utilitas. In *Jurisprudentia* ſecùs eſt: quæ Leges reſpicit, *quà juſtitiam* illæ ſuſtentant, easque *ſupplet* ex Juris fontibus. (4) *Politica* inſtruitur ex mero arbitrio rationis; indeque *decipi* citiùs *ſpecie* commodi publici & aberrare poteſt. *Jurisprudentia* verò ſequitur ſcita univerſalia & *definita* morum, nec adeò facilè in applicandô illa *ad factum*, probè cognitum, labitur. (5) *Illa Leges* etiam aliquandiu *negligit*, & dein-

deinceps impedimentô remotô ad eas revertitur. *Jurisprudentia* autem nil sibi indulget. (6) *Politicus* utilitatem *præsentem* respicit. Jurisprudentia æquitatem, & utilitatem adeò *stabilem*, quæ inde sequitur; nec *utilitatem* idcircò nisi *per indirectum* attendit. (7) *Politicus*, ùt *medio*, utitur *Legibus*. Sed *JCtus* etiam ùt *objecto*, quod interpretationi ejus subjacet. (8) *Politicus* suggerit materiam *ferendæ Legis*, quoad *utilitatem* & expedientiam. Sed *JCtus* eandem, quoad *æquitatem*, & *latas* Leges, *aliaque Jura*, solus ad factum applicat. Denique (9) *Politicus*, si *mutanda* sit Lex, defectum utilitatis detegit. JCtus examinat, num aboleri illa & substitui hoc, salvâ æquitate, possit, quod Politicus suggerit. Intereà Jus Publicum tam *ordinibus* singulis, quàm *singulis* etiam in his ordinibus prospicit; quà membra Civitatis aut Gentium *publica* sunt. Sanè etiam in *Jurisprudentia practicâ*, (est v. uterque habitus non nisi practicus, & qui ad *singulas* actiones procedere debet,) difficile est, ut viam rectam teneas; & tamen qui abinde studiò deflectit, quis hunc *Jurisprudentiæ* uti dixerit.

(x) CORRUPTA. quâ rat. *civis* erit *bonus*, qui Legibus obtemperat, etiam *in statu corrupto*; maximè his, quæ *Juris Publici* sunt. v. quæ de Comparatione viri & civis boni, alibi *ad Doctr. Politicam*, disseruimus.

(y) ILLE AB HETRURIA. *Nicolaus Machiavelius*, (maculati velleris,) Reipubl. *Florentinæ*, tempore *Laurentii* Medicæi, sub finem Seculi XV., Secretarius: quem licèt multi putent, non id, quod à Principe fieri *debet*, scripsisse; sed facta tantùm Tyrannorum repræsentâsse: quin nec *malum* probâsse Principem, sed aliquando solùm *non bonum* voluisse; (*c. 4. Principis sui.*) *Fortunæ* autem nomine (*c. 25. ibid.*) Ipsum providentiam Divinam intellexisse. Tamen, post Oratores, *Dan.* Heinsium, *Orat. de Civili Sapientiâ*, & Barlæum *in Principe Machiavelli*, alii quoque integris Tractatibus advertunt, quàm *Ille* non tantùm scelera Imperia tenentium recensuerit, (quod quidem *Tacito*, in *exemplis* tuendæ Tyrannidis, & *Xenophonti* in retinendâ Democratiâ, Historicis quippe, exprobrari non poterat;) sed & commendaverit, vel saltim non unà & *scientiam* & *odium ejus rei* professus sit; quod in *Platone* & *Veteribus* aliis laudat *d. J. Heinsius*. Adversarios nactus fuerat *Possevinum*, (qui tamen ne vidit quidem Machiavelli Librum,) tum & *Gentilettum*, *Bozium*, *Osorium*, *Ribadeneira*, *aliosque*. Fuisse illum *imperitissimum*, solâ exceptâ *civili Historiâ*, *Campanella* scribit: & decessisse fertur in summâ pauperie, quam divinæ iræ in se concitatæ, ob consilia prava Principi suo data, attribuunt.

(z) BELGA NOSTER. Ipse *Justus Lipsius*. v. *Bæclerum* in *Disquis.* de *Libris Politicorum Ejus*. *1642*. ubi *hunc* ipsius & alia *loca*, *I. iv. III. x. 18. III. xi. 5. IV. ii. iii. iv. IV. vi. IV. vii. 12. IV. viii. 20. IV. ix. 17. & 62. & in cap. b. cit. cumprimis. n. 59. 84. 85.* examinat; junctô *Hieronymo* Sirturo, *in Compendio Doctrinæ Polit. J. Lipsii an. 1614.* qui tam quoad *profana* ista, quàm illa etiam, quæ ad *Religionem* pertinent, plura in eô emendavit.

(aa) THOMAS HOBBES, vulgò; aliàs *Th. Hobbius*, (Noctua illa *Malmesburiensis*,) quem ubi ex *naturâ* hominis *corruptâ*, *bellique indole* perpetuâ, res *Societatis* eruere & ad *Dominatum* deducere, inque finem illum *sacra* etiam *ad conceptus suos pertrahere* studuit, Richardus *Cumberland*, omnis impietatis, injustitiæ, nequitiæ & discordiæ doctorem accusat. Expertus est, præter dictum Cumberland *de LL. Naturæ* Adversarios, *Templerum* in *Ideâ Theologica* Leviathan, & Franciscum Julium *Chopium*, in *Philosophiâ Juris verâ*; pluresque *alios*, in *Vitâ ejus*, *anno 1681.* editâ, designatos. Qui hypothesin ejus simpliciter tueretur, *sectatorem* neminem, præter unum *Lambertum Velthuysen* in *Tr. Principior. Justi & Decori. Amstel. 1651.* sed plures tamen *assectas*, nactus est. Quamvis autem monitus *Hobbius* in *Galliâ*, quò concesserat, ibidemque anno *1646. Parisiis* suum *de Cive* Librum ediderat, ab amicis, (quos inter etiam *Gassendus*,) de *hypothesibus* suis fuerit; tamen ab his non destitit: in quibus etiam proponendis *ambiguum* se gessit. Nam in *Leviathane*, (quô nomine *Civitatem*, ceu *hominem artificialem*, cujus anima Princeps sit, intelligit; inque illo de maximâ formâ & potestate Civitatis, *Ecclesiasticæ* & *Civilis*, pro Jure *Regis* & *Episcoporum*, contrà Parlamentarios, agit: *vernaculâ* primùm Linguâ, seu Anglicô sermone; quô, ùt ex *versione Thucydidis*, ab eôdem exaratâ, constat, potens fuerat; ab ipsô, jam ætatem *63. annor.* agente, *Parisiis* etiam scriptô, sed in Angliâ *1651.* editô, tum deinde *Latinè* cum *Appendice* redditô,) Philoso-

losophiam suam, *cap. 14.* apertiùs quidem profitetur. Sed in *c. 2. de Cive*, Legem naturalem definit, per *dictamen rectæ rationis:* Et tamen hoc ipsô fallit, eùm per rectam rationem, semet interprete, non facultatem infallibilem, sed actum ratiocinandi seu *ratiocinationem cujusque propriam* circà actiones suas, (quæ videlicet in utilitatem & damnum cæterorum hominum redundare possunt,) intelligat. Similiter in Libro *de Homine* (quem, ùt & Librum *de Corpore* redux in Angliam scripsit,) *c. 14. §. 5.* Deum, ait, homini, quem rationalem fecerit, hanc legem insculpsisse, ne quicquam faceret, quod alium sibi facere iniquum ipse duceret. In *Præfat.* autem *de Cive*, iterum: *nullum dari justum & injustum*, ait, præter LL. *Civiles*, & in *c. 10. dict. Tract. de Homine in fin.* Leges & Pacta, inquit, ipsi fecimus, *ante Pacta* & Leges *nulla justitia nec injustitia* magis inter homines, quàm inter bestias. *Natalem* habuit *Hobbius* annum *1588.* emortualem *1679.* sub *Carolo II. Rege nonagenariò major. Scripta* illius plura, quæ junctim edita sunt, adducuntur in *Vita* ejus, ubi & *inedita Hist. Belli Civ. inter Carol. I. & Parlam.* tum & *Liber de LL. Anglicanis. Atheismi* jam superstes incusatus, vindicias scripsit, sed ineditas. Denuò cum Edoardô *Herbert* de Cherbury & Benedicto *Spinosá*, in censum Atheistarum, sub tit. *Trium impostorum*, relatus est à *Kortholtio*, *Kilon. 1680.* Quòd si *Veteres Philosophos* requiras; ex quibus secta cumprimis *Platonica*, *Pythagoricá*, *Epicurea*, *Peripatetica*, *Stoica*, respiciendæ sunt: *Historiam* illorum omnium *G. J. Vossius* præ cæteris exhibet, in *Lib. de Philosophorum sectis;* quem nuper, cum *supplem.* & *Auctariô*, (in quô & de *Christianâ*, item *Scholasticâ* Philosophiâ, tum & de *Adversariis Aristotelis*, & *Eclecticis*,) accepimus. Nec minùs juvat recentes adire Scriptores, qui Veterum placita etiamnum *illustrare* satagunt; ùt sunt, (præter eos, qui *Platonica* recoquunt,) *Jo. Schefferus*, qui sententiam *Pythagoreorum*, in quam JCti Romani de Jure naturali brutorum propè inciderùnt, excussit. P. *Gassendus*, qui Philosophiam *Epicuri* repræsentavit, valdè *Aristoteli* adversus; ceu *Democriti* doctrinam Petrus *Borellus* examinat. De quibus alisque, sicut *Instructorium* nostrum *Forense* plura suppeditat: ita de Renato *Cartesiô* inferiùs *L. 1. c. 25.* quantum satis fuerit, dicetur.

VII. Constat hæc Ars præceptis Naturalibus, Gentium & Divinis, ùt tamen & multum lucis ex civilibus *(bb)* populorum institutis accedat. De Jure igitur Naturæ ante omnia agendum.

(bb) EX CIVILIBVS INSTITVTIS. Quæ quidem, quà *communia* sunt, ad *præcepta*, sed ùt *Gentium* Juris, pertinent; quà *propria*, & non tam *Civitatis*, quàm *Civilia*: ita v. *lucem* solùm huic disciplinæ universali adferunt.

CAPVT II.

De Jure Naturali.

ARGVMENTVM.

Status integritatis è gentili & Christianâ doctrinâ quid differat. Pro sensu gentili adhuc eum superesse in sano rationis judicio: hoc rectè imaginis divinæ dici. Definitio Juris Naturalis Tulliana ejusque interpretatio. Esse id immutabile, etiam ut videtur, respectu DEI, utique in universum. Esse alia impropriè Juris Natura eaque mutabilia.

I.

VEtustissimos mortalium nullâ malâ libidine sine probro & scelere egisse, etiam Gentiles credidere. * Sed ut magis esset ignoratio

vitiorum, quàm cognitio virtutum, nec aliud, quam mali nescia & adhuc astutiæ inexperta simplicitas. Neque plus originali integritati tribuere videtur validissimus doctrinæ civilis præceptor, ὁ μέγας. ** Sed è sacris constat, hominum primos à Deo esse conditos in justitiâ & sanctitate efficaci. *** In quibus, juxta dominium in cætera terrena, Imago creatoris (*a*) relucebat. **** Quam si in mutuâ & eximiâ caritate illi custodivissent, vix opus fuerat imperio civitatis. (*b*) Nisi quod ad communicandas utilitates & confusionem vitandam ordo aliquis non fuisset non necessarius.

* *Sunt verba satis nota Taciti & Justini.*
** *Grotius l. 2. c. 2. §. 4.*
*** *Vid. Eccl. 7. v. 29. Ephes. 4. v. 24. Col. 3. v. 10.*
**** *d. v. 10. Col. 3. 2. Corinth. 3. v. 18. adde 1. Corinth. 11. v. 7. Genes. 1. v. 26. & seqq.*

JURE NATURALI. Dari Jus naturæ docet: (1) *Conscientia* eorum, quos nullus metus Superiorum urget, (etiam Gentilium:) eaque (α) *antecedens* (seu de agendis & omittendis:) quam comitatur lucta carnis & Spiritûs. (β) *consequens*: v. *Rom. 2. v. 13. seqq.* unde & *pudor* oritur, qui non potest non ex interno provenire principio. (2) Quia Civilium Jurium & *Legum memoria* extat. Ante igitur jus Civile aliam regulam extitisse necessum est. (3) Consensus *Sapientum & Populorum*. Neque enim *tota species humana* falli potest.

Quamvis autem *Joh. Caramuel* statuerit, *potuisse Deum hominem condere absque Lege*; tamen hoc omninò falsum est. Quia (1) Deus ordinem amat, quod *Justitiæ* ejus convenit; neque liberum motum ab omni lege (quod & *sapientiâ* ejus indignum fuerat,) *rationali* cumprimis *creaturæ*, collatum voluit. At verò ordo non potest esse sine Regulâ. (2) in Deo acquiescit homo, nec quid potest verè diligere, nisi quod in Deo est; neque bonus esse, nisi Deum actu vel habitu diligat. Sed sine Lege contemptui ducere poterat Deum; à quo tamen principium habet. Equidem *Pufendorffius L. II. c. 1. §. 5. d. J. N. & G.* hominem ideò putat non potuisse creari exlegem, quia *hominis dignitas* hoc non admiserit: non & pravitas & varietas ingeniorum: incultus item naturalis & imbecillitas hominis. At verò melior est ratio, quæ ab ipso Deo desumitur: quòd hominem ad *imaginem* sui condiderit; ipse autem Deus non utique ex beneplacito, sed ante hoc per essentiam *justus* sit: per quæ non minùs ad locum *L. I. c. 2. §. 6.* respondendum est.

Cæterùm, quando *H. Grotius* adeò Deum à *causandô* in jure Naturali seponit, ut licèt per scelus *detur, Deum non esse*; tamen adhuc dari Jus Naturale existimandum sit: *Pufendorffio* quidem cum eo non convenit; quippe qui totam substantiam Juris Naturalis ex solô Dei *beneplacito* (quod quidem hactenùs à *Voluntate* distinguitur; ut istud faciliùs vertatur & in se mutabilitatem innuat; secùs ac voluntas,) educit. Quemadmodum verò & hæc *Pufendorffii* doctrina reproba est: cùm dentur bona & mala *antecedenter* ad Voluntatem Divinam; (non quidem ratione causalitatis: nam tale quid de eo concipi non potest; sed ratione *objecti voluntatis*: sive, objectum intellectûs Divini potest ceu principium dirigens concipi, quòd sit ante voluntatem Dei, quæ conficit principium imperans:) puta, ut *per se* talia sint, adeòque in se honestatem vel turpitudinem habeant: non quia solùm ita voluit; cùm quidem aliter velle non potuerit, quàm congrueret sanctitati & justitiæ ejus: siquidem dictamina illa fundantur non in proportione; sed tamen in relatione ad integritatem illam Divinam naturalem, seu æternam: quæ antecedenter se habet. Ita abstractio illa *H. Grotii* locum

locum invenire non potest, ut abstrahamus sc. à Deo quoad existentiam ejus: quia *existentia* praeceptorum *juris* naturae, citrà dependentiam à Deo, nulla est: quippe quòd non tantùm Lex naturalis ùt *indicativa* respici queat; verùm etiam in formâ *praeceptionis & prohibitionis*: quae nulla est absque *superiori*, ejusque voluntate. Unde, licèt voluntatem Dei non excludamus à Lege Naturali, quà talis est; & quà *promulgationem* ejus: sola tamen illa non *causat* Jus Naturale; sed simul bonitas eorum, quae praecipit, *intrinseca*. Quin & abstractio per praecisionem ab *essentiâ* Dei fieri non potest, (etiam ùt scopus est Juris Naturalis,) in his quae *Deum* respiciunt, ùt colendum & glorificandum. Quid verò est, quod nuper effinxisse dicebantur Jesuitae, *peccatum Philosophicum*; ut hoc esset Actus humanus, disconveniens naturae rationali & rectae rationi. *Theologicum* verò transgressio Legis divinae libera. Et *Philosophicum* quidem in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, non esse offensam Dei vel peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, & poenâ aeternâ dignum. Sed vide de *Peccato Philosophico Jesuitarum*, perversè sententiam illorum à *Jansenistis* intellectam, *Segerum S. J. Colon. 1690. 4.*

Nec tamen sufficit, nosse *Deum* Juris Naturalis *Auctorem* esse, nisi etiam dignoscatur, (nam & de hoc curiosiùs disceptant,) cuinam *fundamento* haec *auctoritas* ex parte *Dei*, & necessitas obedientiae ex parte *hominis*, innitatur? Nec enim acquiescunt, si dixeris: satis esse, quòd *Deus* sit, qui Legem hanc homini injunxerit. Itaque *Hobbesius*, qui *jus omne*, (facultatem & fundamentum ejus seu fontem,) à *potentiâ* in alium deducit, jus etiam *naturale* ex *potentiâ Dei irresistibili* petit. *c. 15. d. Cive, n. 5.* Cùm verò potentia *per se* obsequium *internum* & *purum* non pariat: quodque rationem hominis convincat, *cur* parere debeat; sed hactenùs *facti* sit, *quòd* oporteat ipsum obsequi. Potentia etiam, (saltim extrà Deum, in se) arguat, si fieri queat, ipsam *oppositâ potentiâ* aliâ reprimi licitè posse: nec obsequium illud *naturae humanae*, ùt nec *sapientiae Dei & justitiae*, congruat. Hinc *Pufendorffius I. J. N. G. c. 6. §. 12.* vim obligationis J. Nat. ex *Beneficiis Dei* in hominibus deducit; eò quòd *voluntaria* subjectio in hoc Jure Nat. locum habere non possit. Quoniam verò obtemperare oportet Deo, non *nostri gratiâ*, sed quia ille *sui causâ* super omnia verendus & amandus est; indeque beneficia ejus nos solùm ad obsequium, quod praeter illa *jam* ei *debemus*, *invitat*: quin & plura sunt *obsequia*, quae *ad Beneficentiam* Dei non respiciunt; ceu nec dici potest, hominem refractarium & inobedientem *solùm ingratum* esse. Imò ipsa gratitudo *Legem* aliam *supponat*, quâ injungatur: & Beneficia sôlùm *conditionem sine qua* non *gratitudinis* conficere possent. Quid quòd ea quae Juris Nat. sunt *ergà hominem*, satis obliquè ex beneficiis Divinis educerentur. Hinc adhuc *Alii* sunt, qui *Eminentiae Dei* auctoritatem illam Imperii tribuunt. Et sanè, si eò nomine intelligant, quicquid *Numinis* in Deo est, quod vereri homo possit ac debeat: assensum utique merentur. Omninò enim *velle Deus* justissimè potuit, (quae *Lex naturae* est,) ut Sapientiam suam ineffabilem, & Sanctitatem, & quicquid est Divinorum attributorum, homo vereretur, eisque actiones suas conformaret. Haec sunt, quae non solùm suadent obedientiam, sed & explent omnem rationem & necessitatem subjectionis, ad *Legem* illam *homini* datam & ad Auctoritatem, unde illa proficiscitur, relatae. Proinde non debet arcessi obligatio illa ex *Dominio*; & *herili* quidem. Nam licèt ejus nomine *Imperium* intelligas; ceu quidem *Majestas* est in terrenâ potestate, (cùm Dominium quoque res creatas reliquas respiciat,) sicut inde *herile* dicitur; quod non est nisi in creaturam rationalem: Non etiam ad *Angelos* respicias, in quos & ipsos dominium habet Deus ex creatione. Oportet tamen ut Dominio huic *causam* eamque *justam* supponamus, ex quâ in hominem exerceatur. Haec verò nulla alia est, quàm *Eminentia illa*, de quâ modò diximus. Sed haec cùm *ipsa* jam *auctoritatem amplissimam* habeat, ipsumque *dominium* unà contineat. Angustius etiam sit *dominium in hominem*, quàm ut omnem Legis naturalis ambitum exhauriat: imò facilè in sententiam *Hobbesii* incidat; nisi quòd causam *justam* supponi velit, quam *nec injustam* potentiae suae *Hobbesius* circumponit. *Dominium* porrò, ùt inter homines est, ex *resignatione voluntatis* subjectorum in Principem constituatur; & hinc *modum* suum capiat: quicquid verò aliud Dominio Dei peculiare adjeceris, illud omne ad *Eminentiam* essentiae Divinae referri eòque redigi oporteat. Indeque in esse Juris Naturalis non posfit non vis illius & auctoritas à *tota Divinitate* pendere;

dere; quà illa *hominem, ad imaginem sui* conditum, *respicit*. Nam *Dei Majestas* non continetur finibus illis, quibus Dominia mundana circumscripta sunt. Quin & *bonitas ac malitia* actionum ad Jus Nat. relata non ex *dominio* illô pendet, ut in his quæ ab *Imperio humano* proficiscuntur; sed jam *à naturâ* est, *indeque* Deus ea *jubet* vel *prohibet*, *nec aliter potest*. De cætero rigidum esse videtur, non alii *vinculo* imputare obsequium hominis, quàm quòd is *herile dominium à Deo* sentiat: in quo vix est, ut in *Socinum* non irretiare; quem & *H. Grotius*, quando Legem naturalem ex eôdem *dominio* deduxit, respexisse videtur. Denique non modò ut *Dominum suum* homo Deum revereatur; sed & ùt *sapientem, benignum, justum, immensum, omnipotentem*, &c. indeque non solùm ùt *Jus in ipsum* habet. Hinc in *Eminentiâ* illâ DEI meritò persistendum est.

(*a*) IMAGO CREATORIS. Quò rectiùs disponantur illa, quæ in tractatione hâc de IMAGINE DEI expenduntur: dicendum est (1) *Legem naturæ* non esse *Imaginem* illam *Dei*, (quæ & plura complectitur quàm ut omnia ejus ad Legem illam referri queant,) sed potiùs Imaginem illam hoc esse, ad quod, ceu *normam* in actionibus humanis, attendendum esse jubet Lex ista Naturæ, quæ est *Vis* illa *Imagini* huic *superaddita*: siquidem *Imago* ista refert solùm similitudinem cum attributis Divinis. Ipsa verò imago, quà homini eorum conformitas concreata est, *per se non præcipit* nec *prohibet*. Igitur *Lex* naturæ est *præcipiens* illorum, quæ, Imagini Dei congruunt, seu *objecti* illius, quod ad Imaginem ceu normam, expendi oportet. Sicut in *Lege Civili* Vis Legis *Voluntatem* Principis, ùt *præcipiens* innuit, & *præceptum* ipsum continet, Hoc tantùm *Jus* est, & *materia Legis*. Ex quo sequitur, non posse dici: *imaginem numinis esse Legem illam naturæ*: imò ne quidem quòd sit *Jus* naturæ, h. e. *justum* illud, quod Lex illa præcipit vel prohibet; quin potiùs est *norma Juris* illius seu justi naturalis. Non etiam rectè dicitur, *Imaginem illam esse lumen rationis*; sed potiùs inde lumen affunditur rationi. Hinc cùm extincta sit vel imminuta *Imago Dei* in nobis, adhuc tamen *integra* est *Lex naturalis*: & adhuc obstricti sumus agere secundùm *lumen rationis*; prout hoc lucet ex reliquiis Divinæ Imaginis: quam *Christiani* ex verbo Divino *perfectiùs* agnoscere possunt. Itaque nec *Lumen* illud rectè dicitur *Imago*: nec idem rectè dicitur *Jus naturale*; & ne quidem *Lex naturalis*. (2) Notandi sunt illi, qui *Legem Naturæ* ad STATUM INNOCENTIÆ exigendam volunt. Nam hi rem satis difficilem magis impeditam reddunt. Non enim idem est, *Jus naturale ad Imaginem Divinam*, ceu normam, *exigere* oportere; ut quæ huic conformia sunt, præcipere, & quæ ab eô devia sunt, prohibere, censeatur Lex Naturæ: & *Jus naturale* ad *Statum innocentiæ* oportere *exigere*: non tam eô quòd Status ille primævæ integritatis *brevissimo tempore* duraverit: & vix ortus iterum desierit; (de quo & *§. 2. h.*) quàm quòd Lex Naturalis *amplissima* sit; prout *Archetypus* ille, *Lex æterna* scilicet, se habet: ut Deus quoque prospexisse ab æterno credatur humano generi, *etiam cùm lapsurus futrat homo*. Nam illa *Benignitas*, *Misericordia*, &c. cæteræque Virtutes, seu Attributa Divini Numinis, *pro quolibet Statu* hominis vigent semper: indeque *Typus* quoque, seu *Jus naturale*, ad Statum hominis *lapsi* se protendit; atque ea rectè ex illo jure deducuntur & deduci oportet, quæ ad *corruptam hominis naturam statumque* pertinent: ut tamen & sic ad *normam* eandem, quâ *actu & perfectè* homo in statu integritatis utebatur, nunc quoque actiones hominum *singulorum* & *Universitatum* exigendæ sint. Utique *bellum* in statu integritatis nullum fuerat; sed tamen justitia & modus ejus in temperamentis, item finis, pax & concordia. Non minus *eleemosynarum* jura nulla in eô statu exercebantur: nulla item *successionum*: & tamen *fontes* quoque illorum inibi reperiuntur; atque hoc *formaliter*, ut- ut *applicari* nequiverint. Quòd *superiori parendum* velit Jus naturale: idem injungit paritionem Tyranno. Nec adeò *plus luminis* supervenire potuit homini *cum statu corrupto*, seu plura *præcepta* naturalia. Quocircà *aliud* seu *diversum jus Naturale* in *statu Integritatis* futurum fuisse *ab eo quod nunc est*: ut *alia* sit *norma integrorum*, alia *lapsorum*; non aliter dici potest, quàm quòd illa Jura, quæ ad statum corruptum quà talem pertinere poterant, *applicari* tunc quidem non potuerint. Quæ verò ad statum *integrum* pertinuêre, illa *etiam in corruptô non sunt alia*. *Formalis* quoque ratio Legis naturalis, in esse *præcipientis*, eadem mansit: tùm & complexus *præceptorum* nun-

nunquam non *integer* esse potest; saltim quòd præcepta illa, quæ ad statum corruptum apta fuerant, *objecto applicationis caruerint*. Quid quod in statu integritatis *Leges* datæ fuerint, ex quarum *neglectu status corruptus sequi* potuerit. Neque eò quia Lex naturæ *in statu integritatis* primum data est: idcircò solùm *pro illo statu* data videri potest. Imò *nunc* etiam *in quolibet homine* lex illa promulgatur, pro statu ut corruptus est: eademque ad *imaginem Dei* adhibens se refert, quantumvis ea deperdita & corrupta sit. Denique præcepta illa, quæ dicunt esse *naturalis Juris secundarii*; eaque pro certò rerum statu obtinere debuisse, (quò quidem, licèt perperam, referunt prohibitionem *conjugii inter fratrem & sororem*,) etiam in statu *integritatis* locum habitura fuisse, si diutiùs durâsset, ut largiantur, necesse est; quæ tamen & ipsa non absoluta, sed *hypothetica*, sunt.

Ut verò exactiùs constet, quidnam *Imago* illa *Divina* fuerit. Ideò dicendum est: fuisse illam *positivum* quid; contrà *H. Grotium*, (quem & Auctor *h. vers. sed è sacris*, rejicit;) qui *simplicitatem meram*, & *negativum* quid, substituit: cùm tamen integritas Dei, quam refert Imago, non sit negativum quid, quò homines tantùm non mali, adeòque *non boni* fuerint; ipse *textus* quoque *authenticus* hanc doctrinam perimat: & *nuditas Parentum* non in simplicitate, sed in puritate affectuum & temperamenti perfecti, posita fuerit; tum & *communio* rerum, quam tantoperè affectabat *Grotius*, nulla afferi queat. Constitit verò *Imago* illa quoad *Essentialia*, in exquisitâ notitiâ boni & mali, & perfectâ cupiditate ac vi agendi salutariter; secundùm virtutem ac voluntatem Dei: quæ cùm ad vitam *Spiritualem* pertineant, planè *deperdita* sunt, nec humanis viribus recuperari possunt; utut illa per *renovationem*, seu remedia spiritualia, imperfectè in hac vitâ recipiamus. *Ephes. 4. Coloss. 3. Accidentalia* verò pertinebant, vel ad *Civilem* vitam, vel ad *naturalem*. *Illius* pars fuit *Dominium* in creaturas. Ad *naturalem* spectat, quoad (I.) *animum*: quòd (α) *Intellectus* polleret eximiâ rerum scientiâ: quò *principia Theoretica*, etiamnum relicta, referuntur. (β) *Voluntas* virtutibus instructissima esset; quò *principia practica* respiciunt: eoque *Reliquiæ* referri debent, quæ non minùs hujus loci sunt, communes sc. etiam non regenitis. In hâc quidem Imaginis Divinæ facultate (cujus amissio seu corruptio in ipsis quoque *Facultatibus*, Intellectûs & Voluntatis, non solùm in *affectibus* & *usu* habituque inde contractô, consistit,) *reparandâ*, cùm maximam partem & ipsa deperdita sit: generis humani studiis, per plura etiam *objecta* sensim *exorta* occupatis, laboratum est, & in hâc porrò quoad vires suggerunt, laboramus. (II.) Quoad *Corpus*: passionibus id exemptum erat atque mortis periculo: Et hoc ex toto amisimus.

Equidem Auctor *h. §. 1.* Imaginem Divinam eam videri posset unicè *ad spiritualia* referre, seu ad ea, quæ illius essentiam conficiunt. Cùm verò etiam *Dominium* in terrena adjungat; quod accidentale & quidem civile est: oportet addi naturale etiam animi; quod aliàs à justitiâ & sanctitate illâ, quam *efficacem* vocat, omninò secernitur. Cæterùm, quando Idem in justitiâ & sanctitate Imaginem Dei constituit: qualia omninò sunt illa *spiritualia*; nec ad ea, quæ in istâ *naturalia* dicimus, aliter quàm per confusionem, referri queunt: (ceu nec seponi possunt, quod fecisse videtur. *§. 3. h.* ibi: *exquisitiore sensu*, in inquirendâ Juris Naturæ origine; quod quidem inde, quoad perfectionem omnimodam, utique pendet; ceu ex post dicendis apparebit;) non potest dici, non extinctam fuisse Imaginem Numinis: (præterquam in naturalibus;) Atque hinc distinctè potiùs dicendum est: extinctam utique esse quoad spiritualia; imminutam solùm quoad naturalia. Ita tamen, ut quoad spiritualia notitiam ejus teneamus, & virtutem quoque illius recipiamus imperfectè in hâc vitâ: naturalis verò, quoad *animum*, in se reparabilis sit. Quà propter in *perfectione* absolutâ *Christiani* & renati solùm possunt Juri Naturali operam dare; sed *Gentiles*, solùm in perfectione naturali. Equidem contrà Jus Naturale perfectum est CONCVPISCENTIA: est quoque eadem contrà illud, quà in perfectione, quoad naturalia, consideratur. Sed non *profunditate* eâ, quam revelatum DEI verbum recludit; & quæ Juris *perfecti* naturalis est. Nam & Apostolus *Rom. VII, 7.* cognoscebat quidem, concupiscentiam, in mala opera erumpentem, esse peccatum, & interiores motûs, voluntatis concursu, reprobos esse; sed tamen non cognoscebat, *nisi ex Lege*, *radicem* & malum *concupiscentiæ habitualis*: quippe quod non nisi spiritualis & rege-

regenitus cognoscit. Illa verò *involuntaria habitualis*, in Præcepto Decalogi X. *actualis* in IX. interdicta est: *Voluntaria* seu παραιρετική præceptis reliquis. Intereà naturalis etiam facultas, quæ Imaginis divinæ est, *universos*, quantùm satis est, ad *integritatem Juris Naturæ* assequendam, de Bonitate & Justitiâ Dei instruit; secùs non possent dici habere *congenita Juris Naturæ principia*.

Quamvis autem *Pufendorff. L. II. c. 3.* objiciat, *Gentes non admissuras*, si dicamus Legem naturæ, ad imaginem Divinam, expressam esse. Tamen (1) *Patres* ex hoc principio contrà eas disputarunt. (2) Ipsi Gentiles ex sanâ ratione docuerunt, quod homo per virtutem, seu per intellectûs & voluntatis debitam conformitatem, Deo similis reddi debeat. (3) Deus finis noster est, & in eo origini nostræ hæremus. (4) Licèt Ethnici persuaderi non possint: primum hominem perfectâ integritate usum fuisse; tamen credunt: hominem se conformem reddere debere Deo. Instat quidem *Pufendorffius, d. l.* non posse dici: ita esse Legem Naturæ ad divinam essentiam expressam; ut *quomodo Deus se gerit ergà homines*, ità etiam hi se debeant gerere *inter se*: quia aliter se gerat Deus ergà homines, quàm homines inter se, & ergà Deum. Sed *Resp.* Quamvis Lex naturalis *gratitudinem* v. c. à nobis ergà Deum & proximum exigat; cùm tamen *nulla à Deo* possit exigi. Tamen nec à nobis, nisi *in beneficos*, exigitur: quæ obligatio, ejusque æquitas, in Dei quoque *Justitia* fundamentum habet. Deinde non utimur eô jure, quô utitur *Deus* in relatione *ad nos*: neque hoc etiam Deus nobis præscribit; quanquam haud dubiè illud etiam *essentiæ ejus conforme*, nec inordinatum sit; sed jus, quô nos debere uti Ipse nobis præscribit, ut sancti simus; sicut ipse Sanctus est: *Levit. XI, 44. & XX, 7. & 26. I. Pet. I, 16.* atque vult ut *attributa* divina respiciamus & imitemur illa, sub nomine *virtutum*; in relatione ad ipsum Deum & proximum: siquidem ad imaginem Dei conditi sumus, *Ephes. 4.* Videlicet *Sapientia*, *Justitia*, & *Sanctitas* in Deo, sunt causa *exemplaris* Sapientiæ, Justitiæ & Sanctitatis, *primis hominibus* concreatæ. Quanquam igitur non fuerint hæ in primis hominibus eô *perfectionis* gradu, quô in DEO sunt. (Est enim *Sapientia* in Deo infinita, & *Sanctitas* in Ipso conjuncta cum impeccabilitate; multæque aliæ in eo *perfectiones*; ut immensitas, potentia, æternitas, &c. quæ in homine non reperiebantur.) Tamen sufficere debuit, si ad *exemplaris* imitationem *effectus* quocunque modô, & licèt non ex parte omni, productus esset. Ulteriùs *objici* potest: Excellentius esse *jus Dei* in homines, quàm hominis in hominem v. g. Deus habet jus vitæ & necis in hominem absolutè; non homo in hominem. *Resp.* nos Jus pro *regula* sumere: in Objectione pro *facultate* accipitur. Et imò quando accipitur pro regulâ: imitari adhuc Deum possumus; licèt non in gradu tantæ perfectionis.

Cæterùm Imaginem illam divinam intendit LEX ÆTERNA: hæc verò *est Conceptus* Divinæ mentis practicus, secundùm quem Deus *res à se conditas*, sanctitati, bonitati & justitiæ suæ convenienti ratione, gubernare intendit. Alii etiam Definitionem Legis æternæ (*ad homines*) hanc exhibent: quòd sit *norma*, quâ Deus secundùm Bonitatem, Sanctitatem & Justitiam suam homines potissimùm, seu creaturas intellectuales, gubernat; sive quòd sit æternum & immutabile intellectûs divini *judicium* de actionibus, quæ naturæ *rationali* necessariò conveniunt, committendis; quæ verò ei disconveniunt, omittendis, conjunctum cum *decreto*, ut illæ ab agente rationali fieri, hæ autem intermitti debeant. Non ut *Idea* aliqua per Legem hanc ponatur, quam Deus intueri necesse habuerit, Leges Naturales laturus: quippe quòd *ex se* noverit Deus, quæ rerum idea fuerit; ipse sapientissimus. Nec adeò Deus *Legi cuidam subest*; sed loco normati consistit, Lex *Ipse* sibi perfectissima: ceu nec facit *dependentiam*, quando quid in signo rationis antecedit; prout nec intellectus Dei fit dependens, quòd objectum dicatur eum in signo rationis antecedere. Unde non dicitur *Lex Dei*, quasi foret regula & mensura actionum Dei; sed potiùs essentia ejus est ratio dictaminum Dei practicorum. Videlicet norma & normatum est Deus, & imò ipsi actûs Dei norma sunt, & quasi Lex Dei. Unde licèt in divinâ mente Decretum voluntatis de agendis præcedant, ordine rationis, dictamina practica; Legis tamen rationem, respectu divinæ voluntatis, non habent: cùm non præcipiant, seu voluntatem superioris indicent; sed quæ sit ratio agendorum significent, habitudinem scilicet actionum ad essentiam Dei. Et naturalis illa rectitudo est instar Legis, i. e. quod nobis Lex est:

est: Deo est ipsius natura. Proindè veluti *dictamina* illa rationis divinæ practica *in ordine ad ipsam divinam voluntatem* non habent rationem Legis; sed dictitant, quid Deum ex ratione essentiæ suæ velle deceat: ita etiam, in ordine ad *voluntatem creatam*, non habent rationem Legis; donec divina *voluntas* accedat. Quæ quidem *promulgatio* fieri ante hominem conditum non potuit; licèt nihilominus Lex illa *ab æterno* vim suam ac potentiam habuerit. Neque tamen *voluntas* Dei, per Legem significata, *sola* est & adæquata norma actionum bonarum & malarum: siquidem de *bonitate* actionum judicare etiam possumus; ne quidem cogitandô de proximâ & immediatâ directione Legis divinæ. Ut adeò, licèt nulla Lex lata fuisset; tamen differentia actionum, seu *moralitas* earum in se, potuisset ex ipsâ rectitudine & sanctitate Dei naturali, *antecedenter* ad Divinam *voluntatem*, (seu *promulgationem* Legis æternæ in cordibus nostris,) cognosci. Nempe *Moralitas* ipsa actionum, quà honestæ possunt dici & rectæ, potest concipi ante ipsam Legem æternam; quà moralitas illa *absolutè* spectatur. Sed quà *necessitatem* habet, ita in *actu primô* fundatur in *Lege* illâ Dei immutabili, quæ ante omnem creaturam extitit: quoad *actum* verò *secundum* in *promulgatione* illius Legis, quæ facta est in Creatione hominis, & hodienum fit in generatione nostrâ. Equidem peccatum *anomia* dicitur: quô ipsô ad νόμον seu *Legem* refertur. Interim & sic anomia est, quando dicimus, actûs honestos & turpes dari *antecedenter* ad τὸν νόμον; quippe quòd non modò Lex sit expressio voluntatis divinæ; sed simul etiam typus & exemplar rectitudinis Dei. Quare non potest fieri transgressio Legis, ut non etiam simul mediatè lædatur sanctitas Dei naturalis. Et quanquam Lex quoque *positiva* Dei congrua sit ejus *sanctitati* & *sapientiæ*. Attamen id magis *negativè* se habet. Imò cùm ista ex *voluntate* Dei *simpliciter* profluat, in re per se mutabili. Hinc *antecedenter* illa ad voluntatem divinam se non habet.

Et ex his utcunque de DEFINITIONE *Juris Naturalis* judicare licet. Nam *Hugo Grotius* L. . c. 1. §. 10. illud per *dictamen rectæ rationis* min. rectè definit: cùm (1) dictamen sit actus transiens. (2) Si pro *dictatis* accipitur, non exhaurit definitum: quoniam hoc non *præcepta* solùm, sed & *præcipiens* notat; nisi dictamen accipias eô sensu, ut & Legem notet & contenta Legis; & sic dictans & dictatum. Ita verò (3) adhuc *ratio* dictaret, jus esset dictatum: & tamen ratio non est recta, nisi per ipsum jus naturæ; & huic substernitur. Neque etiam *convenientia* vel disconvenientia *cum naturâ rationali* est regula, sed potiùs convenientia vel disconvenientia cum *voluntate* divinâ; quæ naturam illam informat. Non etiam rectè definitur, per omne, quod *actionem* notat: ceu nec est potentialis qualitas; sed *habituale quid*. Rectiùs & simpliciùs fratre suô *Wilhelmus* Grotius *c. 1. de Princip. Jur. Nat. §. 10.* quòd sit *Lex, quam Deus, ùt naturæ auctor, omnium mortalium cordibus insêverit, ad discernendum honestum à turpi; illud jubens, hoc vetans.* Est utique Lex naturæ *superadditum* quid intellectui humano: indeque malè *Sebarrokius*, quòd sit *vis* animæ nostræ, seu *intellectûs*: nam is aberrare potest. Malè etiam alii *ipsam potentiam*, & vel intellectum vel voluntatem seu appetitum rationalem esse: nam & hic præterea necessitatem principiorum dare non posset. Quin potiùs est, Vis, animæ rationali *congenita*, ei rectum & bonum, ex concreatâ imagine divinâ, repræsentans, & inculcans simul, quod sequatur aut fugiat. Aliqui definiunt per ipsam *Legem æternam* Dei, quà *hominem* spectat, in cordibus nostris *promulgatam*: Nam Lex illa æterna *archetypa* est; Lex verò naturæ cordibus hominum implantata, est Lex *ectypa*, & Legis Dei æternæ quædam *participatio*. Item quòd Jus naturæ sit *Regula* quædam (eò quòd etiam *antecedenter ad Legem* justum sit, quod ingerit:) firmiter homini infixa, indicans quid ex se sit justum & injustum, & ad prius sectandum, ad posterius fugiendum obliget. Dicitur *infixa*, ùt habituale quid: *Justum* verò præscindit ab actu spirituali, morali & civili, ut ad quemlibet statum congruat. Alii iterum definiunt, per *vim* quandam innatam mentibus humanis, quæ præcipiat, quod *Legi æternæ* conveniens, & prohibeat, quod eidem repugnans sit. Et *vim* quidem non oportet accipere, ut magis ad voluntatem Dei, quàm ad moralitatem actûs, antecedenter ad eam, respiciat; quanquam per verba *Legis æternæ* satis rei consulatur.

Discernitur autem facilè Jus Naturale ab *Assertionibus* rectæ rationis. Nam assertum rectæ rationis nihil exigit, nec præceptum infert; sed solùm

solùm objectum est intellectûs: & hoc, quod verum vel falsum est, de re vel scientificâ vel practicâ, monstrat; ùt: bis duo esse quatuor, virtutes esse bonas. Atque hæ quoque sunt *notitiæ* impressæ, antecedenter ad exercitium rationis.

De DISTINCTIONIBUS Juris Naturalis si quæras: Distinguit *Zieglerus*, cum communi scholâ, Jus Naturale, in *Primævum* & *Secundarium*. *Illud* dicunt, quod cum origine generis humani cœperit; cujus principium dicunt esse νοῦν seu νόησιν aut σύγκρισιν, quæ *sine discursu* judicet. *Hoc* verò esse, quod natura docuerit, per illationem certæ consequentiæ; cujus principium sit διάνοια, λογισμὸς seu διακριτική: quæ *per discursum* ex collatione rerum quid colligat. Hoc oriri non ex naturâ ipsius rei, sed *ex suppositione* talis *status* aut *conditionis:* & coincidere hoc ipsum cum *J. Gentium primævo*. Sed perversè omnia. Nam (1) Jus *naturale* non est *sine discursu*. (2) etiam, quæ ad certam *hypothesin* respiciunt, primo homini *connata* fuêre; utut *applicatio* eorum ante objecta sua fieri non potuerit. Hinc rectiùs Jus Gentium *primævum* dicimus: quod utrumque illud, *etiam absolutum*, quod dicitur, contineat: quippe quòd *Gentium* non dicatur jus, eò, quòd necessariò Gentes ad exercitium sui requirat; ùt *Gentium* illius *secundarii species* altera, quæ *collectivi* juris est. Malè etiam refertur communiter ad Jus illud naturæ hypotheticum, prohibitio *conjugii* inter *fratrem & sororem*. Nam hæc prohibitio nullius Juris naturalis, sed solùm *Civilis* est: quæ sensim aliis quoque Civitatibus, utut non omnibus, & ne quidem cunctis moratioribus, placuit.

Porrò quædam dicunt cum *H. Grotio* Juris esse Naturalis (I.) *reductivè:* qualis sit furti prohibitio; postquam ex ejusdem *Grotii* sententiâ, (*II. c. 2. §. 2. & alibi,*) falsâ quidem illâ, à *communione* rerum abscessum fuerit. Nam ita Jure Naturali etiam turpe factum esse dicunt, alienam rem, qualis demum post distincta dominia fuerit, invito Domino surripere. Et tamen inanis illa est *reductio?* quam adhibere quoque solent in his Capitibus, quæ Juri Gentium secundario adscribuntur. Equidem quâ ratione Jura tam *Personarum* quàm *Rerum*, imò *Actionum* & Judiciorum, ad Jus quoque Naturale, (de *Statu naturali* distinctiùs alibi agitur,) pertineant, *ad* Tit. *Inst. d. J. N. G. C.* expositum est. (II.) Aliqua *negativè;* ùt est stipulatio, & omnia, quæ *non contra jus Naturale* sunt; quamvis merè positiva seu civilia. Nam ita quoque prohibitio venationis promiscuæ civilis est; prout ipsa venatio promiscua, non positivè sed *negativè*, Juris Naturalis fuerat: cùm hoc ipsum de eâ nil planè disposuisset; neque adeò, ut quilibet venaretur, prohibuisset: relictâ in mediò eâ facultate.

Sed an etiam nonnulla *suasoriè*, Juris Naturalis esse dici oportet? Sub quô schemate multas quidem doctrinas reprobas *Moralistæ* tegunt, & vel ipse *Grotius;* quasi Charitas, aut Generositas, quid suadeant, quod Jure naturali non adeò præcipiatur: v, c. ut interfici me patiar potiùs, quàm ut aggressorem, cum periculo æternæ ipsius salutis, enecem. Imò verò nullum est *jus naturale* suadens seu *suasorium*. Nec suadet Jus naturale, ut à nuptiis consobrini, aut viduæ avunculi, abstineas. Nil penitùs de matrimonio hoc in finibus Juris Naturalis. Et quanquam multa fit jactatio de *Gradibus Honestatis* in Jure Naturali; uti magis v. c. commendari debet is, qui remotiori, quàm qui propiori gradu, licèt Juris Naturalis permissô, matrimoniô sibi mulierem jungit. Non tamen istud ad *moralitatem* ipsam quid attinet. Nec magis gemma est, quæ major est, licèt pretii sit majoris. Non etiam magis est Juris naturalis, quod præstantius objectum aut majorem continentiam habet; quin potiùs rectitudo juris *in se* unius generis est. Eòque pertinent quæ de gradibus beatitudinis æternæ tradi solent. Intereà ob studium majus, Honestatem sectantium, ad laudem & concelebrationem, tum & remunerationem, istud vergere debet. Et hactenùs *Gradûs Honestatis* dici possunt. Denique Divisio illa Præceptorum Naturalium quâ in *Affirmativa*, & *Negativa* distinguuntur, à *Conceptione* illorum desumpta est. An verò ad *rem* ipsam quid faciat? Qui Communiter tradunt, præcepta *Affirmativa* semper obligare; sed non ad semper; i. e. non obligare omnes homines nec omni momento. *Negativa* verò, seu negativè concepta, utrinque. Verùm istud multas exceptiones patitur. Nam præceptum: Deum esse colendum, ad semper obligat. Imò Suum cuique tribuendum, quô tota Justitiæ ratio absolvitur, ad semper obligat. Negativorum quoque jurium obligatio quandoque ad tempus

pus

pos à Superiori suspenditur, & sunt non minùs illorum, ùt affirmativorum, subordinationes. Indeque illis dicteriis frustrà quis immoretur. Denique sunt quædam jura quæ ad omnes, alia quæ ad hos tantùm, qui in particulari societate vivunt, pertinent.

Equidem de CAVSA EFFICIENTE, seu *fonte* Juris Naturalis, ex modò dictis, satis constat. Sed & falsas sententias distinctè ut refellamus, operæ pretium est.

(I.) Malè ex *Naturâ humanâ* Jus naturale petit Pufendorff. *Lib. II. c. 3. d. J. N. & G. n. 14.* hôc argumentô: Quæcunque media ad salutem conducunt, illa sunt juris naturalis: Media *à natura humana* producta ad salutem conducunt. E. &c. *Resp.* Neg. Min. *Natura* enim non est causa efficiens, sed *objectum* mediorum: non regens est, sed *regibilis;* nec potest habere in se *imperium.* Ulterius, natura potiùs est *sedes Legis*, quàm Lex ipsa. Denique, non statim Lex est, quod habet rationem qualiscunque *regulæ:* nam non quælibet regula habet rationem *præcepti.* v. g. Necessitas corporis est mensura temperantiæ; sed non est Lex: item, indigentia pauperis, & facultas dantis, sunt mensura eleemosynarum; sed non sunt Lex. Neque omnes *actus naturales;* ùt edere, bibere, dormire, (quæ suô modô *etiam media* salutis sunt,) &c. sunt statim *juris* naturalis.

Sic & qui *Pufendorffium* sequuntur, ad investigandum Jus naturale, (sepositis illis, quæ de *statu integritatis* in Sacris litteris prodita sunt,) hominem talem supponunt, ùt nunc est; vel *statum præsentem* totius *humani generis:* ac *fingendum* esse volunt, homini de Verbo Divino nil innotuisse; sed *judiciô suô* necesse ipsum habuisse, ut de ratione, quâ *Societas* humana consistere posset, circumspiceret. Ad hanc normam reperta, pro *jure naturali*, & *cynosura* actionum in illô statu, habenda esse. *Fingi* autem posse, salvâ *religione Christiana*, etiam ea, quæ Deus nobis revelaverit aliter: cùm prima pars propositionis nil ponat; ùt in hâc v. c. si asinus volat, habet pennas. Et tamen inde *consequens* inferatur. Nec posse *Paganum* aliâ ratione de dictatis Juris Naturalis persuaderi.

Quamvis autem Jus Naturale ad *omnes* spectare debeat, & omnibus inculcari; eosque ex eô convinci posse oporteat, citrà discrimen Religionis. Non tamen cuiquam proponendum est tale quid, quod vèrbo Dei adversum est. Non enim est *sana ratio*, quæ illi non congruit; sed num congruat eidem vel adversa sit, cognosci, nisi ratio ad illud exigatur, non potest. Fingas etiam licèt hominem corruptum, ùt nunc est, projectum undecunque in mundum, fingas simul plures ùt fungos è terrâ productos esse: quodnam alii inde *Jus Naturale* demonstrabis, nisi *imperfectum*, imò *vacillans;* sinè *lumine* scilicet idoneô, quô uterque carebitis. Volatum è pennis educere licet: non licebit jus naturale, quod *ratione purissima* niti debet, ex statu elicere: quem juvare non nisi *rectitudo* illa potest, ex *cujus amissione* corruptus est. Ne dicam ad *prudentiæ* quæstiones rem deventuram, quid Societati sc. expediat. Et verò ea rationem necessitantem aut certitudinem irrefragabilem inter omnes non habent. Non poterit etiam *corruptio* naturæ penetrari, nisi de *rectitudine* ejus constiterit; ùt nec constare Medico de ratione morbi, qui non oppositum perspectum habuerit, ad quod ægrum perducere studet. Nil denique ad Jus illud *Paganum* proficit, quod *fingi* possit, plures homines simul facultatem Dominii ab initio habuisse: etiamsi tantùm unus illud habuerit homo. Neque enim hæc fictio adversa est *habitudini* acquirendi Dominii: cùm & omnes habere eam simul potuissent; sed *numerum* tantùm acquirentium fingit. Ex hoc verò non sequitur: ergò *totum Jus naturale* ex *ficta hypothesi;* & *corrupti* quidem *hominis*, ùt & corruptæ rationis *judiciô*, extruendum & Christianæ doctrinæ, quam in talibus nec paganus repudiaverit, eò quòd *sanæ Philosophiæ* optimè congruat, præferendum esse. Nam nec aliàs *Philosophia* sibi sufficit; quæ plura ex Divino verbo *incrementa* sumsit. Neque enim v. c. discrimen inter essentiam & subsistentiam singularium substantiarum reale esse, Philosophis innotuisset; nisi hoc ex revelatione Divini verbi constitisset. Quinimò ne quidem *Jus Gentium* ex corruptâ naturâ humanâ educi debet. Nec enim ex *objectô*, circà quod versamur, *principia* auxilii desumere necesse est.

(II.) Non est *Natura humana* Principium Juris naturalis, *quatenùs est rationalis.* Nec enim hæc legaliter præcipit, sed realiter: quia actiones malæ cum ipsâ sunt moraliter incompossibiles. Non efficienter se illa habet ad jus naturale; sed

subjectivè: nam hominis naturæ rationali inscripta est Lex naturæ. Et hinc rationalitas congruum quidem reddit actum naturæ nostræ; sed non imperatum. Non jubet illa, nec auctoritate prædita est, *intensivè* deficiens: tum & *extensivè* deficit, quia ne quidem in Sapientibus, quoad conceptum specificum, eôdem modô se habet.

Non etiam (III.) *natura humana* est principium Juris Naturalis, *quatenùs illa est Socialis.* Nam (1) Socialitas, (malè *Pufendorff Sociabilitas*, corrigendô *Aristotelem*; cùm tamen infantes jam sociales fuit. Et quamvis homo affluentiam omnium bonorum haberet; tamen si *socio* destitutus esset, infelicissimum se esse sentiret haud dubiè:) nihil homini præcipit, sed præcepta est: atque stimulat tantùm hominem ad actiones virtuosas; neque præcipit sibi ipsi appetitus socialis. (2) Socialitas potiùs ob utile instituitur primariò, & ob necessarium; non ob *honestum*: quam utilitatem etiam promovet. Id verò non intrinsecè bonum vel malum est; sed indifferens. (3) *Cultus Dei* ex socialitate non pendet; & tamen ille est maxima, eaque præcipua, pars Juris Naturalis: ita ut vita socialis à Religione vinculum sumat. Neque etiam Deus coli vult propter socialitatem; sed propter se ipsum. Et falsi sunt, qui obligationem hominis *ergà se ipsum*, intuitu Dei, ne quidem ad Jus Naturale pertinere volunt; indeque nec *Religionem naturalem.* Quasi Religio sit *præsuppositum*, cùm non habeat socialitatis rationem. Nam illi, dum ad socialitatem exigunt Jus Naturale, per hoc illud parte suâ præcipuâ imminuunt: cùm tamen, si vel maximè hominem ante societatem, eumque ratione obligationis, quam sibi debet, in officiis ergà Deum, respicerent: ex Jure tamen naturali, cùm ante & præter hoc nulla alia officiorum præcepta dari possint, ea pendere oporteret. (4) Obligatio hominis ergà seipsum naturaliter prior est obligatione ergà alterum; & sic amor sui prævalet. Quod si fiat, ille regulam præscribet societati; non hæc amori sui. (5) Custodia societatis etiam ad malam societatem se extendit, ùt apud Ephesios: Nemo nostrûm frugi esto. (6) Jus naturæ se porrigit quoque ad peregrinos, ultrà societatem; saltim civilem. (7) Αὐτοχειρία & similia delicta, quæ extrà societatem sunt & committuntur, non forent delicta & contrà Jus Naturæ; & tamen fuissent delicta, etiamsi unus solus homo in mundo degeret. Itaque homo *antecedenter ad societatem* & custodiam illius, principia habet, quæ Jus Naturale constituunt; quanquam positâ societate eadem efflorescant, & appetitui sociali dextram porrigant. Hinc licèt Lege Naturali prohibeantur illa, quæ vitam socialem tollunt: tamen id non utique fit primariò & per se, propter illam vitam socialem; sed ne *legi Dei* quid adversum fiat: in quâ & ipsâ fundamentum suum habent ea, quæ faciunt ad societatem dirigendam.

SUBJECTUM Juris Naturalis est *homo.* Qu. An *Deus* etiam obligetur Jure Naturali? *Resp.* Deus admittit quidem, de se judicari secundùm Legem Naturæ. (H. Grot. *I. I. 10.*) Sed illud tamen fit solùm conceptu humanô; ideòque eâ non obligatur ùt homo; verùm ipse est sibi Lex. Idem Grot. *II. XI. 4.* Feldenus quidem ad *h. l.* Grotii, libertati Dei repugnare opinatur, quando ille promissis suis *teneri* dicitur. Sed verò nihil propterea libertati Divinæ decedere, verius est; fidesque Deo non vulgariter sed *eminenter* competit, & cum defæcatione imperfectionum: ad quas pertinet alienatio particulæ cujusdam nostræ libertatis.

OBJECTUM CIRCA QUOD sunt agenda & omittenda. Quoad objectum *in quo*, Lex Naturæ est in *Intellectu* nostro *objectivè*, quat. per modum objecti cognoscitur; simul & *subjectivè*, quat. in eo radiat, non tantùm per modum dictaminis actualis, quia hoc est motus transiens; sed, cùm Lex nobis sit impressa, *per modum habitûs.* Neque etiam *dictamina* illa rationis sunt *Leges:* quia practicè quidem dirigunt, ceu judicia facultatis purè cognoscentis; *legaliter* verò & per modum Imperii non præcipiunt. Non minùs etiam in *Voluntate* conspicitur, quæ ut ordinatè velit; hâc regulâ indiget. Itaque ipsa non est Lex, cœca quippe, utcunque primum in homine movens sit.

FORMA Juris Naturalis *constituti* est convenientia cum Lege æternâ. *Constituendi* verò & *promulgandi* est *insitio* in Corde humano. Qualis insitio quænam sit? multa est contentio. *Zeisoldus*, *Aristotelem* in hoc etiam secutus, (qui intellectum se ut potentiam solùm initiò nativitatis exserere, & *notitias* adeò ipsas innatas non habitûs esse, sed *nudas potentias*, tradidit; indeque *tabulæ nudæ* intellectum comparavit, qui per *receptionem* specierum à sensibus ei impressarum cognosceret,) *inscriptam* quidem Legem naturalem, ait,

ait, sed non eò modò, quò Dissentiens velit *Sperlingius*, cum *Scholasticis*. Non esse alium *Paulo* scopum *Rom. II. 15.* quàm ostendere, apud Deum non esse discrimen Judæorum & Gentilium: quorum hi promulgatione externâ Legis quidem caruerint, sed Legem tamen habuerint *in natura*: nec tamen illam ibi *innatam* dici. Equidem *Scholastici* docent, menti statim *congenita* esse *principia* generalia & *propositiones actuales*, per *modum habitus*: quæ cum usu sermonis generalia præcepta suppeditent, & invito etiam, ac minùs rectè ratiocinanti, se objiciant. Sed cùm *Sperlingius* hanc sententiam juvare vellet, ex hoc, quòd *fides* tribuatur infantibus: fides verò notitiam supponat, eamque *actualem*: Responderunt dissentientes, fidem dari *præternaturaliter*. *Pufendorffius II. d. J. N. G. c. 3. §. 13.* negat, dari principia naturalia congenita: habere autem intellectum humanum *facultatem*, ut *ex conditione* generis humani *liquidò perspicere* facienda & fugienda possit. (Nam ille, quod *supra* diximus, fontem J. N. in *conditione humana* quærit.) Quô verò periculô Jus ipsum naturale hæc doctrina involvat; & quò tendat ille: inde cognoscitur, quòd notitiam J. N. non cadere in hominem, nisi *prævia informatione*, & *adsuetudine* laudum & pœnarum; indeque judicium de honesto & turpi *non nisi ab informatione* & *exemplis* oriri, tradit. Neque etiam locum *Rom. II. v. 15* evitare potest; ceu nec dixerit aliquis *Luc. II.* in Christo sapientiam tunc non fuisse; sed non exercuit Ille eam, nisi sec. mensuram ætatis. Meliùs aliquantum *H. Grotius II. c. 3. §. 15.* tum & *Calixtus*, *Theol. Moral. p. 46.* ùt & *Hülsemannus*: *connasci* homini Jus Naturale, non per modum habitûs, sed per *potentiam* cognoscendi *propinquam*; eò citantes *Rom. I, 19. 20. & II, 4.* quæ quam primùm se ratio exserere possit, in *actum* se prodat. *Dicimus* autem: *Lumen* illud rationis seu naturæ non esse *speciem impressam* intellectui, quæ ante usum rationis per naturam ei inexistat; nec *habitum* propriè dictum. Sed nec *potentiam* cognoscendi *nudam*; verùm aliud quid *potentiæ* cognoscendi *superadditum*, eique *innatum*, *Perfectionem* sc. aliquam, quæ intellectum *in potentiâ propinquâ* ad actûs cognoscendi eliciendos *constituat*. Ea verò licèt non sit habitus propriè dictus; est tamen quid *habitui analogum*.

Illud Qu. *An Demonstratio Juris Naturæ*, ad arguendum vel ostendendum illud, *detur?* Videtur quòd non. Nam Morales actûs contingentes sunt, ut proprium demonstrationum objectum non videantur posse constituere. Sed *Resp.* actûs *exerciti* sunt ejusmodi; non etiam actûs signati. Omnia autem eò redeunt: (1) *Dari* demonstrationes in moralibus: non quidem propriè dictas, ùt in rigore *Aristoteles* eas in scientiis exigit. Dantur tamen Demonstrationes sumptæ pro evidentiâ conclusionum, cui necessariò assentire debeamus; quat. necessitas datur inter subjectum & prædicatum. (2) Non esse Demonstrationes in Moralibus, ratione *finis* scientifici: cùm ultimatò non doceant nos scire; sed agere. Interim conclusiones illæ practicæ non minori *certitudine*, quàm scientificæ, nituntur; nisi cùm longiùs à fonte ductæ fuerint. Unde *non obst.* quòd *Gentes* circà Moralia sæpè dissentiant. Nam hoc non impedit certitudinem rei *in se*; neque etiam veritas moralis *sensibus* apprehendi potest, sicut Mathematica. Equidem frustraneam putat esse litem *Pufendorffius Lib. I. c. 2. §. 2.* siquidem per subjectum demonstrationis *Aristoteles* intelligat integram *propositionem*: ut adeò v. c. non sit subjectum demonstrationis: furtum; sed hæc propositio: *furtum est vitandum*: quod sanè subjectum, ait ille, vel maximè est scientificum. Et tamen in *§. 4.* ipse ait, Disciplinam tantùm *Moralem* seu Ethicam scientificam esse; non etiam *Politicam* seu Civilem. Verùm vix est, ut his immoremur, & ipse in *§. 8. 9. & 10.* sibi non constat. Quòd si verò de *modo demonstrandi* moralitatem *a priori* quæratur? Ratio *Moralitatis* consistit in *valore* quodam, qui ex concursu certarum conditionum & circumstantiarum resultat, examinatarum ad rectitudinem divinam. *A posteriori* autem demonstratur *ex consensu Gentium* humanarum; earumque cumprimis humaniorum, quæ spectantur cum interno animi stimulo, ab objecti honestate petitô, singulos ad tale quid obligante: quem quidem valdè urget *Scharrokius*. Sed *Hobbesius* hanc etiam à posteriori demonstrationem negat, nec ex Gentium consensu Jus Naturæ argui posse putat. *c. 2. d. Cive. §. 1.* Et sanè Gentes quasdam ea, quæ Juris Naturæ sunt, negligere, ex *Scharrokii* recensione *p. 143. seqq. p. 157. 166. & 170.* & jam ante eum, ex *Georgii Calixti* industriâ, in

Epit. Theol. Moral. p. 49. seqq. & *Seldeni Lib. 1. d. J. N. ad discipl. Hebræor. c. 6. p. 79. seqq.* evidens est. At verò uti ipse *Scharrokius* ista non obstare docet, quò minus à judicio rationis Jus Naturale petatur: ita *Resp.* potest *Hobbesio.* (1) Non sequitur, si ex ratione demonstrari jus naturæ posset, non peccare Gentes: nam & jus Civile civibus innotescit, & tamen contrà hoc etiam peccatur. (2) Non ex ratione simpliciter æstimatur; sed ex ratione rectâ. (3) Gentes non in principiis peccant, sed in Conclusionibus: siquidem & *Athei* in actu primo principia, & imò plus quàm in actu primô, habent. Proinde *ex consensu Gentium* non quidem (1) evidenter & infallibiliter demonstratur, quid esse Juris naturæ: quia non potest probari, omnes in universum Gentes actu in eadem dictata consentire: cùm potius contrarium per exempla constet: nec (2) ex consensu *Gentium solùm moratiorum*, (1) quia nondum certò constat, quænam sint moratiores. (2) non omnes Gentes nobis adeò notæ sunt. (3) si vel maximè de moratioribus Gentibus constaret: non tamen irrefragabile foret illud ex intrinsecâ ratione; sed vel ex naturâ loci & genio procedere posset. (4) Idem sæpè ex jure speciali potiùs & Civili recipiunt Gentes, quàm ex jure communi: ut proinde apodicticè jus Naturæ ex consensu Gentium probari nequeat. Dicendum potiùs est, consensum Gentium *probabilitatem* facere: ita ut tunc demum, si concurrat ille cum aliis rationibus, inducat demonstrationem *à posteriori*; puta si conveniat (1) naturæ sociali. (2) naturæ rationali. (3) præceptis Decalogi & communi Divino Juri.

Finis Juris Naturalis est exercitium honesti & Gloria Dei. *Scharrokius* in eô finem proximum collocat, ut homo tranquillus & sinè stimulis seu morsu vitam degat. Sed *adjunctum* quærere non debebat præ subjecto; nec tam *consequens* respicere, quàm antecedens.

De Effectu Juris Naturalis si quæratur? Distinguere licet, inter Jus Naturæ positivum & concessivum, sive, ùt communiter dicitur, *permissivum*; saltim ut hæc appellatio ipsam in effectu *actionem*: ista *juris actum* formalem & vim magis innuat. Est enim *Jus Concessivum*, quod tribuit facultatem: Positivum verò nomine Legis *præcipientis* vel *probibentis* venit, & effective ad actionem respicit; ut tamen in *permissivis* etiam *probibitio* fit ad tertium, ne hunc qui concessione utitur, impediat. Sint etiam Jura illa, vel Facultates, quas *Concessivi Juris* appellant, & ipsa *præceptis* variis & *interdictis* circumscripta. Indeque *Officia* ex *utroque jurium genere* seu formâ constant. Exemplum Facultatis ex Jure Naturali *concessivô* est, in *J. personarum*, Jus Patriæ potestatis; in *J. rerum*, sunt infinita. *Præceptivum* habet peccata commissionis vel omissionis. Sed an *in statu* etiam *integritatis* præcepta Natur. *probibitiva* obtinuerint? *Qu.* Multi dubitant. *Affirmativa* tamen ex *Gen. c. II. v. 7.* probari potest: ne de arbore vetitâ comederent: *non obstante*, quòd hæc ipsa Lex *positiva* fuerit, nec naturalis. Siquidem homo non erat is, qui non posset peccare, sed qui posset *non peccare*. Habebat vires ad implendum Legem, sed exercitium tamen virium in *libertate* erat positum; ut labi potuerit. Indeque non fuit status integritatis destitutus præceptis *probibitivis*, quorum quidem disertè mentionem fieri, in *Historia sacra*, necessarium non fuerat. Imò Nostrates statuunt, in *Decalogo* maximam partem *Jus Naturæ* per præcepta *negativa repetitum* esse: (*Pufendorffius*, pleraque Decalogi præcepta ad Jus quidem Naturale, sed non nisi *materialiter*, pertinere ait:) Porrò etiam Prohibitio *Polygamiæ* & *Divortii* ad LL. *positivas primævas* referenda est.

Effectus itaque *Positivi Juris Naturalis* propior est seu *primus*, illuminare intellectum. *Ortus*, obligatio in *Conscientia*: vel ad *obsequium* vel ad *pœnam*: quæ fluit ex cognitione discriminis inter rectum & iniquum. Videlicet humanæ actiones à relatione ad Legem *morales* dicuntur; atque *normam* earundem ac principium primum, (*esse bona facienda* & *mala fugienda*,) ceu radicem omnium conclusionum, exhibet *Synteresis*: eamque, in applicatione & formatione Legum *particularium*, sequitur *Conscientia*. Hæc quidem in genere, est *Judicium intellectus*, circà actiones illas, Lege imbuti: & tum (1) *antecedens* est; iterumque vel *rectè* judicans, vel *erroneè*. (Hinc *dubia* Conscientia, quia non judicat, cùm potiùs suspensio fit Judicii; huic affinis *scrupulosa*, cum formidine scil. oppositi, quòd malum sit hoc, quod bonum putamus, & viceversâ: ne quidem Conscientiæ *species* propriè sunt:) *Recta* verò iterum, vel *certa* est, ex principiis indubiis; vel *probabilis*, ex to-

ex topicis. Conscientia *consequens* est; quæ probat bene & damnat secùs admissa: estque vel tranquilla vel inquieta. Et Conscientia illa sequens afflicta, in *pœna* vicem cedit, in *statu* naturali. Proinde quando in Statu Civili pecco contrà Magistratum: non modo quatenus contrà Legislatorem pecco; sed & quatenus custodem utriusque tabulæ. Licèt itaque *civiliter* quis puniatur à Magistratu; obligatus tamen & *Deo* manet.

Est autem *Forum internum* unum conscientiæ, in quôlibet homine: quando Jus naturale coram tribunali *conscientiæ* à nobis rectitudinem actionum nostrarum exigit. *Externa* duo, alterum (1) *Divinum*, & hoc respicit *Theologia Moralis*; quippe quæ docet, in illô Forô, quomodo actiones nostræ respectum habeant ad Deum, ejusque voluntatem *revelatam*; & quæ sint remedia propitiando Deo *ad expiandas* à Lege *aberrationes*: alterum (2) *Humanum*. *Differt* itaque *Theologia Moralis* à Disciplinâ *Juris Naturalis*, quòd *ista* debeat ipsas theses suas verbo revelato: *hæc* hypotheses solùm nonnullas inde mutuetur. *Ista* ob hoc sit pars Theologiæ revelatæ. *Hæc* verò, quà Christiana est, sit pars Philosophiæ sublimioris Christianæ. Effectus verò *irritationis*, à Jure Naturali, ut actus contra Jus Naturæ susceptus sit irritus, *specialis* est; & pertinet ad actûs tantùm aliquos juris prohibitivi, ùt (1) quandò actus prohibitus est, ob defectum potestatis, v. g. ob defectum consensus; (2) ob materiæ incapacitatem, v. g. in matrimonio matris & filii.

De Effectibus *Juris naturalis*, *quod Concessivum* appellant, videamus. Sunt illi, tum *Libertas* ad agendum in nobis, tum *Dominium* in creaturas. Equidem Hugo Grotius *Lib. 1. c. 1. §. 5.* tradit: LIBERTATEM esse *potestatem in se ipsum*. Hinc arguit, quòd populus, quandò Regem eligit, omnem potestatem suam in Regem transferat. Quamvis autem Libertas non sit potestas in se ipsum *positive*: quia nemo sibi simul imperat & subjicitur; sed potiùs privativè seu *negativè*, quatenus à potestate superiori in exercitio actionum suarum impeditur. Tamen quatenus illa in ordinem *fundandæ Civitatis* veniat, suô locô videbimus. Cæterùm Libertas illa pariter ac Dominium, utut *Concessivo* Juri adscribantur, tamen *positivis* & ipsæ subjacent: junctis adeò Juris facultatibus.

Et cùm *Homo absolutè* spectari possit, quoad hæc, quæ *sibi* debet; & relatè ad *Deum* vel *proximum*. Hinc *Libertatis* nomen retineri potest, in his quæ sibi debet homo: in cæteris *Officiorum* doctrinâ res omnis comprehendi potest. Ubi quidem ergà *se ipsum* homo si spectetur: & Corpus & Animam attendere debet; tum & *Externa* bona, *Honores* & *Divitias*. Quoad CORPUS (1) illud debet *conservare*. Itaque *Autocheiria* Naturali Juri adversa est: sive suâ manu, sive alienô ministeriô, mortem sibi quis acceleret; velut tædiô molestiarum, aut indignatione malorum communium, vel metu dolorum, quibus fortiter toleratis exemplo etiam suo prodesse poterat. Neque licita est illa, si quis (1) conjiciat, se deinceps *victurum* esse *in probrum Dei*: (ùt *H. Grot. II. 19. 5.*) nec enim ea Dei voluntas præsumi debet. Nec *Simsonis* factum in Sacris probatur; quanquam id pœnitentia subsecuta esse potest. vid. *Hebr. XI, 32.* (2) Si videat *certitudine* moraliter infallibili, *mortem* sibi *paulò post* ab hoste, aut summo Principe, cum cruciatu intolerabili, *adferendum*. Quid verò de exemplis *Devotionum?* Liv. *VIII. c. 9. 10. 28.* Autocheiriæ & ipsæ sunt: nec enim de Rep. desperandum fuerat; ceu nec aliter se devovere licet, quàm *cum spe evadendi*, & ut quis præter destinationem occumbat. Hinc etiam illi devoventes ad *auspicia divina* recurrerunt; quasi id ex monitu Deorum fecerint. Flor. *I. 14.* Justin. II. *6.* *Abbreviare* tamen *vitam* suam homo potest, quibusdam casibus; & imò debet. Neque enim dubium est, posse hominem eligere vitæ genus, quô probabiliter vitæ terminum, aliorum bono, citius sed cum gloriâ promoveat; quin & probabili vitæ periculo aut vix evitabili se exponere potest; modò spes evadendi subsit: ùt si jussus quis pro patriâ in periculum se conferat, è quo vix evasurus sit. An verò *Pufendorffius* in *Disput. d. Oblig. adv. Patr. §. 22.* rectè statuit, quòd navim & se unà pulvere pyriô perdere quis possit, ne in potestatem hostium deveniat? *Schokius c. 26. d. Imperio maritimo*, injungi id non posse putat à Magistratu; posse tamen id sponte fieri. Sed *N.* hoc; & rectiùs in contrarium *Hornius* disserit *Lib. 2. Polit. Archit. c. 2. n. 16.* Adde *Disp. Schalleri de h. Argum. anno 1671. Argentor. habitam.* An autem homo cooperari saltim *ad propriam mortem* poterit? Et hoc *Neg.* quia nihil interest, utrum totum perfi-

C 3 ciat

ciat opus mortis seu occisionis, an ad hoc cooperetur. Quàpropter *in se* ipsum *pœnam mortis exequi* non licet: non ideò, ùt *Dominicus à Soto* dicit, quoniam unus & idem simul & semel agens & patiens esse nequit: (neque enim hic de naturalibus, sed de moralibus, sermo est.) Nec facit pro *dissentientibus*, quòd minus malum eligendum sit præ majore. *Resp.* nunquam minus malum morale eligendum esse, præ majori malo pœnali: cùm peccare nullô prætextu liceat. Et quamvis hic de pœnâ quæratur; tamen quando quis ipse sibi eam infert, eadem cum culpa jungitur: quam ne quidem judex præcipere, & ut quis se ipsum enecet, injungere potest. (2) Vitam homo *prolongare* debet Abstinentiâ, Quiete, Medicinâ.

Defendere quoque *vitam suam* homo obstrictus est. Nec rectè dicitur tutelam sui *plerumque* Juris Naturalis permissivi esse. Imò vix unquam permissivi tantùm est. An verò defendere quis se possit cum internecione alterius, etiamsi alter ille *de salute sua æterna* periclitetur? *N.* Ziegl. *ad* Grotium *Lib. 1. c. 3. §. 3.* & ipse Grotius *L. 2. c. 1. §. 3. 8.* Item *c. 25. §. 7.* & Pufend. *II. 5. §. 2.* Malè omninò, cùm quilibet non nisi vitæ suæ curator sit, eamque precariò à Deo habeat. *Non Obst.* quòd caducæ & temporalis vitæ amissionem æternæ alterius damnationi postponi, tanquam minus malum, conveniat. *Resp.* ex duobus malis tristibus tunc demum est eligendum minus, quando electio per se est necessaria, ad majoris mali evitationem; hic autem evadere potest invasor malum sinè occisione mei. Et imò ipsi hoc malum imminet, non mihi; & sic non ponuntur termini habiles. Sed de hoc *aliàs*. Nunc quidem per transitum, de *electione ex duobus malis* concurrentibus, *seqq.* notandæ sunt *Regulæ*. I. Inter duo mala *moralia*, cùm certum est, ambo esse mala, neutrum est eligendum. Sed inter duo mala moralia, dum non prorsus certum est, ambo esse mala; sed alterum in dubio versatur: id quod tutius est, eligi debet. II. Inter duo mala *naturalia*, quæ dolorem inferunt, semper eligendum est minus. III. Inter duo mala *pœnalia* minus est eligendum si electurus sit nocens; neutrum, si innocens. v. g. Princeps Condæus Carolo Regi Galliæ, qui ipsi pœnæ loco, ut, nisi Missam audire vellet, aut mortem obiret aut carcerem ingrederetur, proposuerat: respondit: *Primum per Dei gratiam non faciam. Reliqua duo non sunt in potestate meâ: eligat Rex, utrum horum ipse per Conscientiam in me statui posse putaverit.* Utique eô ipsô, quòd malum pœnæ innocens eligit, nocentem se confitebitur.

ANIMÆ Partes seu facultates duæ sunt. (1) *Intellectus*, qui ratione judicii & memoriæ informandus acuendusve; & (2) *Voluntas*, quæ ratione affectûs concupiscibilis & irascibilis moderanda & ad Dei voluntatem dirigenda est.

Et hæc quidem quoad Bona interna. *Externa* (1) *Honores* sic curet homo, ut mundanos non avidè expetat: *1. Jo. II, 15. 16.* neque luxum sectetur. *1. Thess. IV, 4.* Superbiam, in speciebus variis, quò & Jactantia & elatio animi petinet, fugiat. (2) *Divitias:* ut qualicunque sorte suâ & necessariis vitæ aut statui suo contentus sit; etiam in calamitatibus. *1. Cor. X, 13.* Congerere tam opes licet curâ debitâ, eâque moderatâ; nec cum diffidentiâ.

Consectaria sunt ex præcedentibus: Homo *Corpus* suum alat cibo & potu. Ubi Qu. An *carnibus* homines ante diluvium usi fuerint? Multi esum carnium Adamo interdictum esse statuunt: quasi usus creaturarum non tantùm naturalis, sed & spiritualis, fuerit: Gen.*IX. v. 3.* neque *morbis homo fuerit* obnoxius in statu integro. Deinde conservari etiam herbis ipsum aliosque homines, potuisse; secùs atque post diluvium, frugibus sc. acrimoniâ aquæ inquinatis. Inter eos est Seldenus, *Lib. 1. c. 7.* cui accedere videtur *Pufendorffius*. Sed contrarium verius est. (1) ex sacrificio Abelis: Sacrificii autem partem sacrificantes communiter comederunt. (2) ex dominio & usu animalium omnium. Nec enim verisimile est, Deum hominis Dominio animalia subdidisse, ut tantùm ea adspiceret, atque pro pennis & squamis venaretur. (3) ex fine & effectu carnium: cùm constet, carnes melioris, quàm herbas, esse concoctionis. (4) etiam venationes & aucupia ante diluvium obtinuêre. Non *Obst.* Gen. *IX. v. 3. Resp.* non probat locus ille, quòd denuò post lapsum esus carnium cœperit; sed quòd Deo is placuerit: vid. locum parallelum Gen. *VI. v. ult.* Sed an in casu extremæ necessitatis alterum, quô *vitam meam carnibus ejus sustentem*, interficere possim? *Qu.* Scharrokius *c. 12. de Offic. sec. jus nat. p. 476.* rectè *negat*. In contrarium movet, quòd liceat alterum interficere in sui defensionem: quidni & in sui sustenten-

ſtentationem. *Reſp.* pro illo natura militat; pro hoc poſteriori non item: nam *ἀνθρωποφαγία* naturæ humanæ adverſatur; nec in contrarium, quòd mumiis & ſanguine itemque adipe humanô in medicinâ utamur, quicquam juvat. An v. *bruta affligi aut interfici* poſſint ſinè neceſſitate; Q. *Neg.* Nam crudelitatis ea ſunt indicia, & truculentiæ, ùt ſi vivo arieti quis pellem detrahat; quæ idcircò in populo ſuo Deus ferenda non eſſe conſtituit: & in contumeliam creatoris tendere videntur. Poſſunt tamen interfici *ſinè peccato*, non quòd nobis ſtatus ſit belli cum brutis, quà nobis adverſa ſunt; neque etiam bellum dat jus in infinitum: eſtque ſtatus extraordinarius, ex injuriâ ortus. Sed quòd dominium quoque aliàs in ea liberum homini competit.

Ad *propagationem* ſpeciei humanæ pertinet *Matrimonium*. *Tenetur* autem homo etiam propter ſe, ut propagationem eam decenter curet; in ſolatium vitæ brevioris. Sed an Matrimonium Juris ſimpliciter *præceptivi* ſit? *Qu.* Diſtinguunt inter ſtatum Mundi initialem, ubi præceptivi juris fuerit: v. Poncius *Lib. 1. d. Matrimonio c. 3. §. 5. & c. 4. §. 8.* Selden. *Lib. 1. c. 3. p. 165.* & inter ſtatum provectiorem, quô non ſemper de præceptis eſſe dici poſſit. Dannhauer. *Part. 2. Theol. Symbuleutica, Dial. 3. ſect. 3. q. 2. add.* Scharrok. *c. 7.* ubi an *Philoſopho* conveniat uxorem ducere. Utique *ex. in 1. Cor. VII.* præceptum infert; ùt ex *Græco* patet. Malè Grotius *L. III. c. 4. §. 2.* ſimpliciter, quòd cœlibem vivere, ſecundis item Nuptiis abſtinere, laudabilius ſit.

OFFICIA ſequuntur. Et ſunt primò locô Officia ergà DEUM? quæ *pietatis* nomine veniunt: cui opponitur *Impietas* & *Superſtitio*. Hæc eſt fucatus & ineptus cultus, extrà manifeſtam idololatriam: ex utrâque mixta eſt *Magia* & *Divinatio*. Iſta, *Impietas* ſc., eſt Atheiſmus aut Idololatria. *Atheiſmus* vel (1) *theoreticus* eſt, eorum qui nullum eſſe Deum vel talem dicunt, qui nullam rerum humanarum curam gerat. Et hi vivunt quaſi Deus non ſit: quos *craſſos* appellamus. Sicut *ſubtiles* ſunt, qui dicunt, Deum non eſſe; vivunt tamen ac ſi Deus ſit. (Poſſunt verò *dari* Athei tales ad tempus, *non per naturam*, ſed per occæcationem malitioſam: ut h. m. notitia Dei *connata* per juſtam Dei deſertionem & Diaboli potentiam eludatur.) vel (2) *Practicus* eorum, qui non dicunt non eſſe Deum; vivunt tamen quaſi non ſit. Hos *profanos* etiam appellamus. Et hi quidem non ſunt *hoſtes* Dei; (ut *Hobbeſius* ait:) ſed *rebelles*, cùm ſubditi Dei ſint. *Idololatria* eſt eorum, qui Deo cultum præſtant, ſed non ſoli; eſque vel *ſubtilis* & interna. *Phil. III, 19. Act. XII, 22.* vel *craſſior* & externa: eaque tum *explicita* quorundam Gentilium; tum *implicita*. *Col. II, 28. Matth. IV, 10.*

Ergà *Proximum*, quæ Officia nobis J. N. incumbant, ad Capita ſpecialia exhibetur.

Explicitâ Libertate, ad DOMINIUM procedendum eſt in Creaturas. Et quidem tum *Rationales*; quod *Imperium* dicimus: velut in *Familiari* & *Civili* Poteſtate: (quibus quidem & *Officiorum* tractatio miſcetur.) tum *Inferiores*, animatas & inanimatas. Et quidem quod Dominium *hoc* poſterioris ſpeciei attinet: illud quidem non fuit cauſa occupationis, ùt *Strauchius* voluit, quaſi Deus potentionale Dominium primo homini in omnia dederit; ſed occupatio fuit modus acquirendi Dominium: cujus acquirendi titulum ac poteſtatem Deus homini dedit. Malè etiam dicitur, Dominium ex naturali *Jure negativo* procedere, ut homini vetitum non ſit acquirere dominium; cùm potiùs facultatem tribuat & *titulum*, rem nec dum occupatam ſuam faciendi: utut de cætero homini liberum ſit, an illâ facultate, rem quæ nullius eſt, occupandi, uti velit, nec ne. Falſus etiam eſt H. Grot. *L. II. c. 2. §. 2.* qui *communionem* aſſerit in ſtatu primævo. Nam, præterquam quòd traditio hæc nec *ſacris litteris* congruat, nec *rerum* ipſarum *conditioni*: quarum pleræque *communionem* talem non admittunt: inſuper (1) hâc ratione multæ virtutes, Liberalitas, Juſtitia, Gratitudo, demptâ proprietate, exerceri non potuiſſent. (2) Ordo familiarum fuiſſet quodammodò perturbatus. vid. Selden. *L. 1. c. 4. d. Mari clauſo*, qui cum aliis eam communionem pluribus improbat: & quæ deinceps *ſuô locô* dicemus.

De *Conceſſivo* Jure Naturali aut *Permiſſivo* hactenùs. Et quidem Permiſſio illa, ùt *juris* eſt, & hujus loci, à permiſſione facti vel maximè diſcerni debet. Neque enim permiſſio *facti* actus Legis eſt, aut permiſſionem juris arguit; v. c. Venari promiſcuè non fuerat juris permiſſio, ſed facti: uſque dum jure poſitivô civili quid de eô reſtringendô introduceretur; ubi in objectum Legis prohibitivæ

hibitivæ civilis transiit. Cæterùm distinctio Permissionum *juris*, in *plenas* vel *minùs plenas*; *ap.* H. Grot. *Lib. I. c. 1. §. 17.* huc non pertinent. Est nempe Permissio *plena*, quæ liberat à peccato, h. e. dat facultatem ad licitè quid agendum. *Minùs plena* à pœna solùm impunitatem conciliant: qualis est v. g. *Lupanarium* permissio & similes. Nam illud discrimen non nisi Legum civilium seu Civitatum est.

(*b*) Vix opus fuerat imperio civitatis. Et tamen, quoniam & *vita socialis* fuerat, & *Societates minores* seu simplices, in statu Innocentiæ: non apparet, cur *familias segreges* esse oportuerit, & non potiùs in Civitates coituræ fuissent. Sicut verò Vita socialis non est finè *Ordine*, nec ordo finè directione. *Directio* verò imperium infert, quale in Viro fuerat, *1. Cor. II, 3. seqq. 1. Tim. II, 12.* in Parentibus, in Dominis, ratione famulitii, & vel eorum, qui liberorum educationi admovendi erant. Ita etiam in Civitatibus futurum erat Imperium. Negatô enim *modô*, non est neganda res ipsa. Non sequitur: tunc non fuerat obsequium invitum, non metus, non etiam dominium in personas, non indigentia, non incommoda alia, non lites, non delicta, ut judiciis opus fuerit. E. nullum fuerat Imperium; sed solùm non *tale* fuerat, qualia nunc sunt: non *Majestas* & *Magistratûs*, quales & in quem finem nunc sunt. Videlicet nunc quidem voluntas *subest* imperanti cum renitentiâ, anxietate & solicitudine: (non aliter atque *parit* deinceps mulier cum conscientiâ doloris, *laborat* homo cum sudore, &c.) quippe quòd in *modô* operum consisteret *maledictio*, qui iisdem impositus est. Satis fuerat *perfectionis moralis* in statu innocentiæ habuisse; & dabatur sanè imperfectio *naturalis* in eo, quòd bonum non esse habebatur, hominem solum esse: Quod verò non bonum erat, *emendationem* poterat recipere. Et in civitatibus etiam potuisset homo *accipere* quid ab alio: (nam & *dominia* & rerum *jura* alia futura fuissent,) quamvis non in subsidium indigentiæ; tamen in abundantiæ incrementum ulterius. *Judicia* non in eum finem adhibenda fuissent, ut nunc veniunt. Ubi verò justitia *actionum* est, ibi Judicia; nec præcisè singulorum, sed & in *collegio*. Imò non protinùs ubi Judicia nulla, ibi *Magistratus* nullus, h. e. *Primores* in populô. Nec potest dici Imperium nullum dari, quod *solùm directivum* sit. Denique diversa est ratio *Statûs naturalis* & Statûs *Innocentiæ*. In Statu naturali sicut Respublica nulla est, ita nec Majestas, ullumque Jus Majestatis obtinere possunt: quippe quæ ad societatem perfectam seu *Civitates* respiciunt.

II. Post editum rebellionis specimen non sensim homo adsuetudine facinorum, sed incontinenti à creatore suo est alienatus. * Idque brevissimo tempore post creationem accidisse scriptura & ratio credere jubet. ** Imminuta tamen non extincta, fuit imago Numinis sive lux infusa mentibus, quâ turpia & honesta discernerentur. *** Quæ propagato genere humano auctisque usu promiscuo judicii illius objectis magis magisque semet exeruit.

III. Lumen illud, nihil est aliud, quam jus Naturale, quod totum rectè imaginis divinæ (*c*) dici videtur. Quatenus est conscientia (*d*) & sculptura voluntatis divinæ. Etsi Imaginem Dei alio exquisitiore sensu per excellentiam sumere nihil vetat.

* *Genes. 3. ad Rom. 5. v. 12. c. 6. v. 17.*

** *d. cap. 3. in pr. juncto fine cap. 2. adde his rationem; generatio confestim procedere debuit, per v. 28. c. 1. at in statu integritatis nulla fuit generatio, arguente labe originali.*

*** *Rom. 1. v. 18. & seqq. c. 2. v. 14. seqq.*

(*c*) Totum

(c) TOTUM RECTE IMAGINIS DIVINÆ. Sed non tota in eô Imago Divina. Deinde licèt Gentiles non eam perfectionem habere possint Juris Naturalis, qualem Regeniti. Tamen quà fieri potest, ad *Statum Integritatis*, & quoad ea, quæ Imagini Divinæ essentialia sunt, Jus illud exigendum est: quippe quòd perfectioni ejus, ob lapsum hominis & amissionem Luminis spiritualis, quantumcunque in eô reparandô laboremus, detrahi quid non oporteat. Ex quo simul patet imperfectio Doctrinæ Juris Naturalis ap. hos, qui *Verbum Dei Revelatum*, ex quô tamen unô Imaginis illius naturam & simul perfectionem Constitutionis Juris Naturalis, haurire licet, seponendum existimant. Videlicet, non propterea Perfectio Juris Naturalis omittenda est, quia eam Gentiles seu Irregeniti *assequi* non possunt: ceu nec constitutio illius ideò in conceptu simpliciter naturali propinari debet, quòd aliam nisi hanc *communionem* cum Irregenitis non habeamus, & ea quæ spiritualia sunt, actionibus nostris assequi non liceat: quòdque illa, quæ ex Imagine Divinâ educuntur Juris Naturalis principia, irregenitis non ùt *Spiritualia* & secundùm Spiritum, sed ùt *Naturalia*, & secundùm Naturam, indeque imperfectè seu sub aliâ ratione, cognita sint: suasque illi actiones secundùm ea, juxta notiones Naturales, instituant.

(d) CONSCIENTIA. ùt indicat simul & inculcat, *velle* Deum, ut quæ per se honesta sunt, agamus, quæ per se turpia, evitemus.

IV. Definitur autem, auctore Tullio, Jus Naturæ, Ratio summa insita à Naturâ, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. * *Summa* dicitur ratio, quoniam est prima, perpetua & supra omnia, omnesque regit actiones humanas. (e) *Insita à Naturâ*, consequenter ab auctore Naturæ Deo. Plato ** divinus, legem non scriptam (*f*); Alius meliori jure Divinus, *** legem in cordibus scriptam appellat, pari uterque sensu. *Jubet facienda, prohibetque contraria.* Hoc est, dictat ex ipsâ naturali ratione (*g*) cuivis actui inesse necessitatem aut turpitudinem moralem, ideòque eundem esse vetitum vel præceptum.

* *Cicero 1. de legib.*

** *in lib. 8. de legibus.*

*** *Paulus ad Rom. 2. v. 15. adde Grot. l. 1. c. 1. §. 10. quem vide ibidem ad exegesin definitionis Juris Natur.*

(e) ACTIONES HUMANAS. Nam hæc ratio seu regula actiones *liberas* regit; sicut regula eadem, quà Jus naturale (seu primævum JCtis Romanis,) actûs *sociales*, seu qui in homine, ad conservationem sui & speciei, faciunt, docere *omnia animalia* dicitur: bruta quoque regit. eô modô, quô ad Jus Civile Rom. explicavimus.

(f) LEGEM NON SCRIPTAM. ùt scripta pro positivâ sumitur. Nam aliàs, cùm distinctio Juris in scriptum & non scriptum Jus positivum civile omne & tota contineat: Jus naturale eô sensu nec scriptum nec *non scriptum* dici potest.

(g) EX IPSA NATVRALI RATIONE. Prout hæc scil. informata est.

V. Eaque necessitas immutabilis est, ne divinâ quidem, ut videtur, exceptâ potestate. (*h*)* Quod enim est imaginis ac sculpturæ divinæ, nihilo magis quam Deus ipse mutatur. Nec obstant furta &

 homi-

homicidia à DEO permiſſa, nec primæva cum ſororibus connubia aut id genus alia. Neque enim jus in illis exemplis, ſed res, de quibus jus conſtitutum eſt, recepiſſe mutationem, (*i*) facile explicabimus. Si tu dicas, immutabile eſſe Jus Naturæ, quod ad homines, liberum ex voluntate & diſpenſatione Dei, (*k*) nihil proferes, quò magis naturæ jus immutabile ſit, quam ſunt leges poſitivæ divinæ. (*l*) **

* *Vid. tamen hac de re D. Voetium p. 1. Diſp. de juſt. & jure Dei. Hoornbeck. Inſtitut. Theol. c. 8. §. 6.*
** *Vid. D. Eſſen. tract. de ſubject. Chriſti ad legem Dei. c. 2. §. 18. & ſeq.*

(*h*) Ne divina quidem excepta potestate. Nam in his, quæ *divinam naturam* afficiunt; ùt eſt amor & juſtitia cultûs Dei, fuga perjurii, & ſimilia, ne quidem diſpenſare Deus poteſt; ſecùs in his, quæ *naturam humanam* reſpiciunt; ùt eſt adulterium, homicidium, furtum. In quibus mutare quid poteſt *in individuô*; ſed tamen non *in ſpecie humana*. h. e. ut homicidia in univerſum prohibita ampliùs eſſe non debeant: quippe quô Orbis ſubverteretur; quod ſapientiæ divinæ repugnaret. Quin & ex *ſecundâ tabulâ* quid eſt, quod Deus licitum facere non poſſit, quoniam eſſentiæ ejus repugnaret; verum v. e. dicere falſum & viceversâ. Cæterùm ſicuti *ſubordinatio* Jurium in illis mutationem nullam infert, neque derogationem; ùt quando inferior lex cedit ſuperiori, affirmativa negativæ, (v. c. fidem non debeo fallere, ut poſſim dare beneficium,) ſimplex duplici, generalis particulari. Ita nec adverſitas jurium eſt, quando *major ratio* minorem vincit, *hypotheſis* theſin non admittit: Jus Poſitivum *declarat* actum, ut alterius *naturæ* habeatur, v. c. pactum omne pro non deliberato.

(*i*) Recepisse mutationem. At verò nec jus naturale nec res mutata eſt, in conjugio ſororum. Semel enim naturaliter admiſſa adhuc admitti poſſent; niſi Deus *morali Lege* ea prohibuiſſet. Quocircà ab illis abſtinendum eſt, non quia naturaliter, ſed quia moraliter, prohibita ſunt.

(*k*) Ex voluntate Dei. Nam divina *poteſtas* cæteris divinis attributis ceu normæ convenit, ut non poſſit non perfectiſſimô modô agere; & ſic non quidem ex defectu potentiæ, ſed ex *naturæ perfectione*. Nec velle poteſt mutare Jus naturale, ceu non poteſt præcipere ut odio habeatur: cùm obſervare hoc præceptum amorem involvat, qui odio contradictorius eſt. Igitur impius eſt *de Rhada*, quando ſtatuit, ſaltim in ſecundâ tabulâ, poſſe Deum tollere Jus Naturale, variatâ ſolâ circumſtantiâ prohibiti & non prohibiti. Nam ex circumſtantiâ hâc ſolâ malitia & bonitas amoris v. c. (& ſic in aliis,) non provenit; verùm etiam à ratione *objecti*. In poſitivis longè aliter habet, quia in his moralitas *à præcepto* oritur, & ab hoc in præceptum ſe diffundit; ſed in Naturali Jure contrà. Non minùs vanus eſt *Rhetorfortis*, quando tradit, actum qui in homine peccatum eſt, poſſe in Deo eſſe non peccatum; & hinc *à voluntate tantum Dei* moralitatem pendere. Nam licèt Deus nullâ Lege ab extrà teneatur; tamen Sanctitas eſſentiæ ejus eſt immutabilis: ad quam æterno, ante hominem conditum, & voluntatem Dei in corde ejus promulgatam, bonitas & malitia actionum moralium exacta fuerat. Denique *Puſendorfſius L. II. c. 3. §. 4.* turpitudinem moralem *per ſe* non dari docet, reſpectu Dei; ſed reſpectu hominis: adeòque tantum *ex hypotheſi*, poſtquam Deus hominem rationale animal eſſe voluerit. Nam coitum v. c. eſſe rem per ſe indifferentem, (& in conjuge licitum,) motum linguæ non minùs; ſed adulterium, item blaſphemiam, (qualis ne quidem ſit, quando teſtis refert blaſphemiam,) tantùm mala eſſe ex hypotheſi, quòd coitus, quòd motus linguæ, ad animal rationale referantur & ad certum objectum. Sic etiam, qui doctrinam ejus ſequuntur, dicunt, poſſe quidem actiones Lege naturali determinatas dici *per ſe* honeſtas aut turpes eſſe, intuitu *immutabilitatis*; ſed *non antecedenter ad Legis ipſius determinationem*. Quòdque actûs ſint naturâ honeſti, non eſſe intelligendum abſtractivè à circumſtantiis, ùt actûs *morales* ſint. Ita verò non ſequi,

ſequi, quòd actio quædam *ſuâ naturâ* moralis ſit; ſed quòd quando fit cum circumſtantiis, ſit per ſe moralis, & ſic *per ſe præcepta* vel *prohibita.* At verò licèt coitus in genere acceptus ſit indifferens; tamen per applicationem mali, ut eſt coitus cum beſtiâ v. c., ſine vitio non poteſt fieri; adeò ut *ἀταξία* ab actu illo ne quidem divinitùs ſit ſeparabilis. Diſtinctio verò inter actum & ejus *ἀταξίαν*, juvat ſolùm ea peccata, in quibus materiale remotum diſtingui poteſt à formali; ſed non in his, in quibus materiale proximum, ſeu ipſa motûs applicatio, à formali *ἀταξίας* eſt inſeparabilis. Sic & motus linguæ *determinatus* indifferens dici non poteſt: nec actus quoque ille, quà Phyſicus ſeu naturalis, vel materialis eſt, ſpectatur; eò ipsò quòd de moralitate ejus quæritur, & actio materialiter ſpectata moralis non eſt. Cæterùm de eò hic quæritur, an actio per ſe, antecedenter ad Legem, turpis dicenda ſit, quæ Legi naturali adverſa eſt: non, an per ſe turpis dici poſſit, quæ per Legem prohibita eſt, aut quæ ob Legem immutabilis haberi poſſet. Neque etiam de actione quæritur, quæ non moralis eſt, h. e. circumſtantias non habet, ad quas Lex prohibitionem ſuam direxit: it nec an actio, quæ circumſtantias tales habet, per ſe moralis aut per ſe prohibita; ſed an per ſe turpis ſit, quam Lege prohiberi oportuerit. Quod verò ait, Puſendorffius, hominem etiam *potuiſſe aliter condi* à Deo, *quàm animal rationale*: id nequaquam concedendum eſt. Nam uti naturæ rerum ſunt æternæ; non ut ſint independenter à Deo: nec enim neceſſarium aliquod abſolutum datur independenter, præter Deum. Datur verò tale dependenter; quod quidem non à ſe, verùm ob perpetuam eamque neceſſariam connexionem requiſitorum eſſentialium, abſolutè eſt immutabile: cùm contradictionem implicet, eſſe hominem, & tamen eſſentiam hominis non habere. Ita etiam ut tu ſis homo & animal rationale, neceſſarium quidem eſt hactenus, neceſſitate hypotheticâ; ſi ſcilicet te hominem Deus condere decrevit, cùm brutum te condere potuiſſet. At quòd Tu, quà homo, animal rationale eſſes: id neceſſarium eſt neceſſitate ſimplici. Sic & præcisâ voluntate Dei, quoad actum eſſentiæ, homo per neceſſitatem abſolutam eſt animal rationale; quicquid ſit de actu exiſtentiæ ſeu entitativo: dum ſc. hunc in individuo hominem Deus condere volebat: nam ille ſe habet conſequenter ad divinam voluntatem, nec idcircò abſolutæ neceſſitatis eſt: uti eſſentia hominis quà vera eſt, æterna eſt; & cùm antecedenter ad divinam voluntatem ſe habeat, Deus ob voluntatis, quæ divinæ ſapientiæ ſemper eſt conformis, perfectionem, aliam eſſentiam homini dare non poteſt. Nec verò oportet *ſuppoſitum* admitti, quod naturam rerum deſtruat. Unde procedit hypotheſis: ſi homo volat, habet pennas. Non enim per hoc natura ejus tollitur. Sed nil poteſt in homine ſupponi, quod naturam ejus auferat: ſic enim prædicatum corrueret, ſubjectô ſublatô. Nec jus naturale foret, ſi non homini datum foret. Non poteſt autem eſſe homo, niſi ad imaginem Dei conditus. Hoc verò ſuppoſito neceſſariò conſtante, non poſſunt non eſſe turpia, quæ licita eſſe ex hypotheſi, (impoſſibili ſc. illâ,) volunt.

Denique *mutaſſe* Deum Jus Naturale, probari non poteſt exinde: quòd (I.) *Vaſa Ægyptiorum* Deus Iſraelitas *abalienare* juſſerit. *Reſp.* (1) Deus habet in res creatas quaslibet ſupremum dominium excellentiæ. (2) Non mutat Jus, ſed rem, ut non ampliùs aliena ſit: nec adeò (3) ùt Legiſlator hoc fecit; ſed ùt Dominus. Non (II.) quòd Deus Abrahamum *Interimere* filium juſſerit: *Reſp.* (1) Deus eſt Dominus vitæ. (2) Secunda Tabula cedit primæ. Et (3) præceptum iſtud ad exitum ne quidem perductum fuit. (III.) Quòd permiſerit *Conjugia* Fratrum & Sororum, ſive inter Liberos primorum parentum; ob quas tamen *Levit. XIIX.* Gentes Cananæas ejici voluit; quaſi Deus ſolùm pro tempore licitum id eſſe voluerit naturaliter; ex hypotheſi, quâ totum genus humanum *ex unô hominum pari* proceſſurum decreverat. *Act. XVII. Reſp.* Alii, (1) Deum quandoque poſſe eximere *actum quendam* vel objectum *ex imputatione* objecti peccati; vel ex ratione formali, ſub quâ *intrinſece* malum eſt. Sed quando id fieri poſſit, eſſe nobis incognitum; & de Reſervatis divinis. (2) Satis fuiſſe ad indignationem divinam, quòd Gentes Cananeæ exempla aliarum Gentium non ſequerentur. At verò neutrum congruit. Videlicet ex dictâ interminatione inferri non poteſt, quòd conjunctiones *in illo Cap. XIIX.* prohibitæ omnes *contra Jus Naturale* fuerint. Non etiam, quòd adverſæ omnes Juri Gentium; neque etiam quòd aliunde Gentibus illis de Lege Dei Morali, creſcente genere humano latâ, innotuerit. Nam utique Conjugium Fratrum

& Sororum naturâ turpe non fuisse, & nequidem Gentium juri adversari, rectiùs asseritur. De locô autem *Levit. XIIX.* & quò illa ejectio Cananæorum, quòdque ad species solùm aliquas ejus Capitis, pertineat, aliàs decernimus. Non (IV.) Deus jus Naturale mutâsse, ùt nec in eô dispensâsse, dici potest, quòd Patribus *Polygamiam* permiserit. De quô ut rectiùs constet, distinguunt nonnulli, inter Jus Naturale, quod consideratur in *Principiis*, & quod consideratur in principiatis seu *conclusionibus*. Alii hoc appellant *hypotheticum*, quòd pro certo rerum statu obtineat; ceu prius absolutum esse dicitur. Quoad prius, naturali instituto polygamia convenire non videbatur: quia Deus omnes homines ex uno sanguine nasci voluerat. *d. Act. XVII.* Hinc bonum speciei prævaluit bono individui. Nec tamen est, ut in polygamia hæc distinctio locum inveniat. Videamus, an altera illa rem conficiat, quâ Dictata Juris naturæ alia sunt fundata in ipsâ Dei naturâ: ita, ut quæ ab illis deviant, directè Divinæ essentiæ & naturæ adversentur; quædam tantùm mediatè ad Deum referri possunt, & in Naturâ hominis propiùs radicata sunt. Quæ posteriora respicit Monogamia, quatenus immediatè ad homines refertur, Naturæ hominis conveniens; indirectè verò Deum concernit, qui naturæ humanæ illam legem indidit; sed tamen rationem peccati ab objecto auferre potest. Intereà non minùs etiam ex Lege Dei æternâ ea, quæ secundi ordinis sunt, procedunt: atque adeò ex se simpliciter & absolutè loquendo; sub ratione suâ formali, intrinsecè mala sunt; ut remanente illarum ratione formali, (quam Deum in ordine illô matrimonii v. c. perpetuò abesse voluisse improbabile est,) non possint ullâ ratione fieri licita; quanquàm in singulari unâ vel alterâ specie, ob circumstantiam singularem, fieri possit, ut illa planè ex objecto juris Naturalis, ab autore juris Naturalis, Deo, extrahatur. v. g. innocentem (Isaacum,) occidito. At verò licèt hæc distinctio, non minùs ùt prior illa, in aliis admitti queat; non tamen est, ut quis per eam juvet permissionem illam continuam polygamiæ in V. T., nec singulari tantùm exemplô, aut magnô casu vel necessitate urgente, à Deo probatæ. Quid ergò quoad Polygamiam decernendum sit, inferius sequetur.

(*l*) QUAM SUNT LEGES POSITIVÆ DIVINÆ. Et sic nulla inter Leges Divinas positivas & naturales foret differentia. Equidem *Pufendorfius* Leges naturales, non nisi *ex hypothesi* humanæ naturæ, quam illæ respiciant, necessarias esse vult, Sed propicreà non desinunt esse necessariæ & immutabiles; ùt *superiùs* expositum est. Utique per hoc Deus non immutat Jus Naturale, quando ea, quæ istô jure vetita non sunt, Lege *morali* prohibet: cùm *arctiùs* nos obligare queat; ut tamen hæc *tolli* iterum possit, non possit prohibitiva naturalis. *Dispensatio* verò non tollit Legem; ùt modò diximus.

VI. Sed mutabilia sunt, quæ impropriè ad jus naturæ referuntur, uti quæ licent duntaxat neque repugnant rationi, nec tamen imperantur. * Ut est, tutela sui, procreatio sobolis, libertas, occupatio ejus, quod nullius est, aliæque naturales facultates: quæ *jura* quoque, (*m*) sed diverso sensu, dicuntur, uti mox videbimus. Denique, mutabilia sunt, ea quæ ratio suadet ut meliora, (*n*) non jubet præcisè, ùt hereditatem præ extraneis relinquere sanguini licet remotiori, quæque similia.

* *Vid. Grot. l. 1. c. 1. §. 10.*

(*m*) JURA QUOQUE. effectivè: & tamen quia ex concessione Legis naturalis nonnisi pendent: omninò ad Jus naturale propriè referuntur. Nec dici potest quòd duntaxat liceant, nec rationi repugnent, nullumve in illis sit Imperium. Videlicet non facultas ipsa, sed Lex, unde ista profluit, respicienda est. Et tamen quid præceptivi etiam illa permissiva Jura Naturalia, seu Leges & Dictamina,

mina, habere, ex suprà dictis evidens est. Quæ verò Juris naturalis *negativè* sunt: illa mutationem Juris ipsius positivè talis non inferunt. Talia sunt, de quibus Jus naturale nil statuit, quatenus vel (1) nil de iis Jure aliò inferiori definitum est; ùt fuerat Venatio: quippe quæ nec Juris Naturalis nec Gentium dici potuit; nisi quòd in thesi Jus naturale statuerit, rem quæ nullius est, occupanti cedere posse. Vel (2) definitum est tale quid, quod Juri naturali non adversatur; ùt sunt inventa Juris Civilis: Stipulatio, Acceptilatio, & sim.

(*n*) SUADET UT MELIORA. An ergò dantur *Consilia* Juris Naturalis? *Resp.* Dantur omninò; ita tamen ut obligent: saltim ad ea, quæ consiliis inferiora & minus laudabilia sunt, si ista assequi non detur. Pufendorffius *L. 1. c. 2. §. 8.* distinguit, quòd detur bonô melius, pro diverso necessitatis gradu: sed non detur quoad bonum, si consideremus illud pro eo, quod congruit cum Lege. Sic etiam, quoad *Juris* rationem, distinctio inter *necessitatem* moralem & *honestatem*, locum non invenit: cùm & hanc jura exigant, ut plenè satisfecisse officio videare. Ad hunc itaque effectum honestas etiam necessitatis est.

An autem distinctio admittenda sit, inter id, quod justitia exigit, & quod *charitas*? Qu. H. *Grotius* affirmat *L. II. c. 17. §. 9. c. 20. §. 22. L. III. c. 13. §. 4.* At verò (1) quod Regula Juris exigit, debet tranquillare conscientiam & interna animi; non tantùm impunitatem præbere externis actionibus. (2) Charitas per omnia præcepta secundæ Tab. se diffundit; nec aliud est, quàm Justitia Christiana, proximum æque respiciens; Quin & (3) eodem fundamentô nititur: suum cuique tribui debere. Unde & si vel maximè dicere velis, ea quæ Charitatis sunt, ad Justitiam naturalem pertinere, quæ exactionem non habeat. Non tamen hic de effectu actionis in foro agitur: & naturaliter etiam Justitiæ universalis atque Charitatis est necessitas.

Equidem *Charitas* est Virtus, quâ affectu benignô impulsi non tantùm proximi nostri incommoda, quantum in nobis est, præcavemus; sed & commoda ejus pro virili promovemus: eique ea, ad quæ forensi jure adigi non possumus, tribuimus. Quòd verò *Charitas* dicitur, non quærere illa *quæ sua sunt. 1. Cor. 13. v. 5.* per hoc non nisi æquilibrium innuitur amoris proximi & nostri. Cæterùm non impedit Charitas, quò minus *famam* meam tueri possim adv. calumnias, repellere *injuriam* defensione legitimâ, *res* meas repetere, urgere restitutionem *damnorum*, impensas & mala *vulneris* illati, imò *occidere* invasorem. Nec enim hoc prohibet *Matth. V, v. 39.* Debetur verò Charitas etiam *inimico*, qui ope & auxiliô nostrô indiget: *Gal. VI. v. 10. 2. Petr. II, v. 7.* nam & hic proximus noster est, quem consiliô, auxiliô & facultatibus nostris juvare tenemur: *1. Joh. III. v. 17. 18. Gal. V. 13.* juxta Regulam charitatis *Matth. VII. v. 12. & c. 22, v. 39.* Nec teneor alium *plus* diligere, *quam me ipsum* respectu æternæ felicitatis. v. c. ut peccem in gratiam proximi, respectu *affectûs*, quô felicitatem hanc opto aut promoveo. Videlicet non teneor majori cum affectu charitatem exhibere alii, quàm mihi ipsi. Sed ratione *effectûs* externi seu exercitii aliquando magis est diligendus nobis ipsis, ùt quando jubemur inimicum nostrum diligere: *Matth. V. v. 44. Rom. XII. v. 20.* animam seu vitam pro illo ponere. *1. Joh. III, 16.*

Dantur etiam, quæ ad Bene Esse (non morale) sed actionum moralium, pertinent, & quorum omissio seu contrarium per se quidem delictum non est; sed indignum tamen: & *Decori* nomine veniunt. Nec enim, quà fieri potest, committi quid debet, quod sensui aliorum & judicio adversum est. Eò pertinent signa externa, ceremoniæ: (quæ ab his, qui obedientiam nobis potiùs debent, quàm honorem, si exhiberi nobis velint, indecorum est:) huc vestitûs ratio, comæ item, referri potest. Et hæc quidem, ap. Gentes integras, pro morum diversitate, variant. Pertinet etiam huc, quod per se rectum, sed aliis fastidio esse potest. Ast prodiga donatio non indecora tantùm; sed in vitio est. *vid.* Velthuysen. *d. Princip. Justi & Decori.* At verò hæc talia speciem quandam singularem præcepti non constituunt; sed ad Virtutum homileticarum cultum respiciunt.

Denique An *æquitas Juris Naturalis* detur? Qu. *Resp.* Datur æquitas Naturalis; sed non juris Naturalis: quia jus Naturale, cùm scriptô non constet, nunquam auditur nisi *totum*, i. e. positis & cohærentibus simul omnibus circumstantiis; ut nihil ergò, quod in eô suppleri possit, reliquum sit. Et quanquam (2) ratio *proferendi* Juris Naturalis principia imperfecta esse possit; tamen hæc eidem accidentalis est. Verum autem Juris illius tribu-

 nal

nal perfectissimum est, nec usquam Legislator illi deficit. (3) Jus Naturale supplet ac corrigit jus Civile. Non potest ergò esse norma & normatum; nec potest simul & semel corrigere & corrigi.

VII. E contrario, sunt, quæ ratio naturalis deteriora esse judicat, non præcisè tamen prohibita, ut nuptiæ consobrinarum, item in tertio & forte secundo affinitatis gradu, &c. *

* *Dixi in digress. Justinian. l. 2. c. 15. & 22.*

CAPUT III.

Quo Jus Naturæ Hobbesianum evertitur.

ARGUMENTUM.

Non esse primum Juris Naturæ principium, ut quisque vitam & membra tueatur, differre τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν à jure Naturæ, cum illa & brutis competant. Sed rectè istud dici fundamentum juris, quod pro facultate habendi agendique sumitur: à quo regulæ actuum moralium toto genere differant. Utroque tamen jus sumptum sensu esse jungendum. Nihil esse juris ut pro facultate sumitur, nisi quod & juris illius est, quo nefas habetur societatem violare humanam. Igitur etsi inclinent homines ad invadendos subigendosque alios, tamen & citra pactum id turpe & illicitum esse, quin & prohibitum, conscientia Numinis, à quo illud dictamen. Refutantur, quæ pro jure primævo omnium in omnes & omnia, ab Hobbesio proferuntur. Etiam ante civitates fuisse meum & tuum. Falsum esse quod discretio boni & scelesti in civitate à lege in universum pendeat. Dictamen rationis etiam in statu naturali habere effectum coactionis & punitionis. Comparatio Hobbesianæ sententiæ cum dictis Brenni & Atheniensium ad Melios, denique cum Grotiana doctrina.

I.

PRoinde, si Juris Naturæ illud est demum, quod ratio necessaria præcipit aut prohibet: sequitur. Non rectè statui fundamentum Juris Naturæ primum (quod periculosæ autor philosophiæ (*a*) tradit) *ut quisque vitam & membra sua, quantum potest, tueatur.* * Hoc enim neque præcepti necessitatem, (*b*) neque omnino ratiocinationem, quatenus primum est, requirit.

* *Hobbes tract. de cive tit. 1. c. 1. §. 7. in fin.*

(*a*) PERICULOSÆ AUCTOR PHILOSOPHIÆ. *Hobbesius* ille, in *Statu Naturali* fuisse *jus* (*Facultatem* scil.) *omnium in omnia (c. 1. d. Cive. §. 10.)* adstruit. Et negat dari *Jus* Naturale, quoad pro *præcipiente* seu *Lege* vel Regulâ sumitur: (vid. *cap. 14. §. 3.*) cùm honestum non sit aut turpe ante Civitatem. *Jus* verò suum, seu *facultatem* suam, Ille ad omnem *hominem* adstringit.

git, ut eam *à se ipso* habeat, & non ad *superiorem* aliquem referat. Nisi quòd ratione Facultatis illius Jus *negativè* dici queat; uti Jus est illud Naturale, de quo *nil in Statu naturali* definitum est: ex sensu quidem *Hobbesii;* tum & *externò* sensu, quando extrà Imperium constituti faciunt *de facto* contrà fas Dei & hominum, quicquid *expedire* sibi opinantur. Quale Jus *potentium* est: ut quando in *statu naturali* nemo *Judex* esse potest alterius, quia invicem æquales sunt, juxta *Hobbesium: bello* agant, suôque *arbitriò* in infinitum, quoad *viribus* licet, utantur; neque ulli possit tunc dici fieri *injuria:* quippe quòd nulli in alium *jus*, nisi ex *abdicatione voluntatis* suæ competat. Hoc autem quia in statu naturæ *per pacta* fieri nequiverit, eò quòd ex *promissione nudâ* jus alteri quæri invitum, atque sic per facta *simplicia* à Jure omnium in omnia *recedi*, non potuerit. Hinc ex dictamine *rationis suadentis*, quia in ejusm. statû Genus humanum persistere nequiverit, pactò *multitudinis* ad LL., quas Ille *naturales* appellat, quæ deinceps etiam *conscientiam* stringant, *c. 3. d. Cive. n. 27. & 34.* opus fuisse per quòd *una voluntas* omnium fieret: & hanc *Civitati* ejusque Imperio *fundamentum* præbuisse; ex quô *Leges Civiles*, tanquam pactiones Civitatis, seu multitudinis, habendæ sint, quæ primam *Justo* & injusto *originem* dederint.

Dividit verò Librum suum de *Cive Hobbesius* (1) in *Libertatem;* ubi *Facultas* naturalis: quod ipsi *Jus naturale* audit. (2) *Civitatem:* tunc honesta & turpia distingui cœpisse, tradit; & ita Jus seu Justum naturale alterum ipsi *ex Pactis* constituitur. (3) *Religionem:* quæ poterat ipsi non minùs *Pactis* seu ab *Imperante* constitui; modò non unum hoc, quod putat extrà Imperium positum, fuisset: *JEsus est Christus Dei.* In *Hobbesii* sententiam incidit, cum *Epicurò* suô, P. *Gassendus*, in *Philosophia Epicuri p. 1544.* & malè *Robertus Sebarrokius* defendit *Epicurum*, quasi ille nec *providentiam* divinam negaverit, nec Summum Bonum in *voluptate corporis* collocaverit. vid. *Præf. Libr. de Officiis secundùm Jus Naturæ.* & *p. 38. c. 1. n. 8. item p. 605. 665. & 676.* Cæterùm *Hobbesius* petit suum Jus Naturæ ab hominum pravitate & *bello*, cùm adhuc dum *pactis* homines non constringerentur: Vel potiùs nullum jus obtinuisse docet, nisi quod super *pactis* deinceps fundatum fuerit. Unde Hypothesis ejus (1) est: *hominem non esse socialem:* (*Aristotelicæ* doctrinæ adversa.) Non ferri scilicet *spontè* hominem ad societatem; nec illius *desideriô* teneri; indeque *originem Civitatis* non esse à desiderio quodam naturali societatis; sed à *mutuô metu* ad evadendum mala, cum quibus homines aliàs conflictari oporteret; dum ob æmulationem inter pares & earundem rerum appetitum, cujusque Libidini & Potentiæ quisque pateat. Enim verò, quòd *metus* non causa principalis sit Societatis humanæ; sed inter causas solùm *moventes* & impulsivas reperiatur: ad *L. I. c. 5.* videbimus. Adeò ut dici ne quidem possit, Societatis amorem hominibus, *juxta metum, pariter* fuisse *causam* ineundæ societatis. Et perversè *Hobbesius naturam hominis* concipit: cùm homo potiùs judicet, non esse vim faciendam alii nil tale merenti, & quod quis occupat, ejus fieri & manere, quin & fidem datam servari debere; secùs si fiat, lumini *Intellectûs* hoc adversum & homini grave fore, nec lubidine eâ electâ *societatem* jam existentem *durare* posse.

Reprimere quidem hypothesin illam *Hobbesii* & ipse olim visus est *Pufendorffius*, *Lib. II. Elem. Jurisp. Univers. obs. 3.* Sed tamen desiderium Societatis, ex *necessitate* magis, procedere vult, quàm ut sponte in eam feratur homo; necessitate scilicet tali non adactus. Et nec ipse *Hobbesius* hoc desiderium negat: quin potiùs *Pacem* quærendam vult; *c. 2. §. 2. d. Cive.* per Legem, quam naturalem fundamentalem vocat, consensione scilicet & unione constantem: *c. 5. §. 6. d. Tr.* Imò *Pufendorffius* non inclinare hominem ad Societatem, tradit; sed solùm *aptum* esse ratione & oratione, qui Societatem, si in eam ipsum transire oporteat, colere possit. Hinc ille propiùs quoque ad *Hobbesium*, in *L. II. c. 3. J. N. & G.* accedit, nempe quòd *sociabilis* tantùm homo sit; non socialis: ceu nec *infans*, qui homo tamen & ipse est, ad societatem sit aptus. Et tamen propterea aptum ad Societatem protinùs *natum* esse hominem, negari nequit; quamvis ad hoc, ut *colere* eam possit, maturitas judicii requiratur. Imò non tam de *aptitudine* ad Societatem, quàm de *inclinatione* ad eam, quæritur. (2) Hypothesis *Hobbesiana* est, (*Libr. de Cive c. 1. §. 10. 12. c. 9. §. 3. c. 13. §. 7.* & in *Leviathan. c. XIII:*) quòd *Status naturalis hominis* habeat *indolem belli.*

Ad

Ad hanc *Pufendorffius*, *L. II. J. N. & G. c. 2.* Falsam quidem esse hanc doctrinam; sed tamen *tole abilem*, si per modum *hypotheseos* assumeretur. Nimirum positô; quòd homines, fuiè Lege & obligatione, è terrâ, ùt fungi, nati fuissent. Neque enim Gentiles *Imaginem divinam* in homine, aut promulgationem *Legis æternæ*, admissuros. Proinde necessitatem *Societatis* humanæ aliunde deducendam. Æquales inter se homines: & hinc unum adv. alterum ambitione & indulgentiâ moveri: quod cùm hominum conservationi, tanquam bellum continuum, (*v.* Hobbesium. *c. 9. d. Cive. §. 3.* & *c. 13. §. 7.*) adversum esse, omnes senserint: quærendam fuisse pacem mutuis *pactis*, è quibus *Legem fundamentalem naturæ* educat *Idem Hobbesius*: *Resp.* (1) Sinè ullâ hypothesi certum est, quòd *primo homini* statim ab initio *associata* arctissimô vinculô fuerit Conjux; sicque Status fuerit *pacificus*. Nec (2) potest exprimi, quare *inter dissitos bellum* esse debeat. (3) Si *æqualitas* est inter homines, potius impeditur bellum: ex æqualitate enim *pax* oritur & amicitia. (4) Cupido omnia habendi non est universalis. (5) Quod opponit: inter Gentes *piraticam* & prædatoriam diu obtinuisse (*c. 5. §. 5. d. Cive:*) *Resp.* hoc ex corruptione provenisse, & naturæ adversum fuisse; nisi quousque ex *retributione* adv. Gentem immorigeram & effrænem susciperetur. Vlterius, sequeretur Juris N. præcepta talia esse solùm *per accidens*; quæ tamen sunt talia *per se*: & quòd sint ea *secundum quid*, quæ talia sunt *absolutè*; *ex positione* scilicèt *naturæ* humanæ *exorbitantis*; quam tamen rectæ *rationi* debere *subjici* constat. (6) Homini bene faciendum potiùs dictitare rationem naturalem, quæ affectûs temperat. Quod verò dicitur, in *gratiam Gentilium*, ut contrà eos veritatem erueret, hæc talia *Hobbesium* supposuisse. Resp. Non esse supponendum in *Naturalibus* falsum, ut verum inde consequatur: nam ex *veris principiis* sequitur *verum*; non ex falsis, quia (1) per falsum non infertur verum; nisi quandoque per accidens. (2) *Hobbesius* potiùs *impura*, quàm vera, ex illis infert. (3) Idem *Auctor* illud non supponit ùt fictum, sed ùt *verum* & *actuale*, principium. *Christianus* autem nihil contra S. Scripturam asserere debet; nec in gratiam Gentilium, de perfectione Statûs hominis primævâ, quid dissimulare. (4) Etiam ipsi Gentiles ex *assimilatione* cum *Deo* deduxerunt sua principia. (5) non est contrà rationem, hominem fuisse *integrum*, & posteà desciviſse; hocque faciliùs credit Ethnicus, quàm quòd homo *impurus* fuerit. Quòd si dixisset *Hobbesius*: *facultatem sibi sumpsisse* hominem in omnia: excusandus foret. Enimverò (1) expressè dicit: *jus ei esse* in omnia. (2) Docet *Legalem* Statum *exinde deductum* esse. *Pufendorffius* equidem valdè fluctuat, & quoad licet, manûs *Hobbesio* porrigit; v. *L. II. c. 3. §. 3. & 4.* maximè quòd in *c. 2. Hobbesium*, ait, non asserere, quòd promiscuè & *sinè ratione* quis possit sibi jus sumere in omnia. Et tamen *Hobbesius* nullum jus, nisi quod *ex pactis* conficitur, agnoscit; & ipse *Pufend. §. 7.* fatetur, quòd seriò *Hobbesius*, illum statum naturalem *hostilem* esse, statuat: quam quidem doctrinam rejicit *ibid.* & in *L. VIII. c. 1. §. 4.* ipse *Pufendorffius*.

(*b*) Neque praecepti necessitatem. Ita etiam in *§. 6. C. præced.* quanquam, *quoad hominem*, minùs rectè. Aliàs utique *ratiocinationem* non requirit *defensio sui*, si eam *absolutè* spectas, prout & in *bruta* cadit; quod idem est hic *Auctori*, ac quando dicit, *quatenus primum est*. Ad *prima* scilicet *naturæ* ea pertinet. Quæ quatenùs à *Jure Naturali* differant, pluribus exponit *Auct. Cl. Libr. I. Digress. c. 11.* Et hactenùs, quod *Idem* monet contrà *Hobbesium*, non minùs valet: quòd scilicet Tutela ejusmodi *præcepti* necessitatem aut *ratiocinationem* non contineat; si quidem Præcepta aut *ratio* in bruta non cadunt; & tamen vitam suam tuentur. Cæterùm si hæc ipsa considerentur, quà *homini* Defensio sui *per rationem* præcipitur. Ita verò in quæstione *an*, seu *quòd* defendere se debeat homo, non minùs atque quoad *modum* defensionis, seu quoad *moderamen* inculpatæ *Tutelæ*, Defensio illa *ratiocinationem* requirit. Quapropter non habet ad hoc facultatem utendi *mediis omnibus*; quorum nec ipse *judex* est aliter, nisi prælucente Jure naturali, ne tuitio illa cum iniquitate conjuncta sit. *§. 4. 5. b.*

II. Etenim est primum hoc secundum eam Naturam, quæ communis etiam brutis, quibus æque insitum est. Tamen, si vis ita, dici

quo

quoque potest fundamentum Juris Naturæ illud ipsum; at sensu diverso. Nam præter quod jus significat Regulam actuum moralium, quâ obligamur ad id quod rectum est, ut initio cap. I. dictum. Magni quoque & crebri usus est altera significatio, quâ dicitur, *facultas aliquid habendi aut agendi*, ut est jus dominii, (*c*) jus herilis, jus patriæ potestatis. *

* *Grot. l. 1. c. 1. §. 4.*

(*c*) JVS DOMINII. Sed prout hæc facultas *jus concessivum* præsupponit, ùt sanè præsupponere debet: ita *Hobbesii* non est: cui nec datur *Jus* ante Civitatem. Et *facti* est igitur. Imò non poterat illa facultas esse Juris: cùm Jus tale statuisset *pugnantia*. v. c. non potest Titius habere Jus in omnia, si idem habet Cajus, si idem omnes habent, in res omnium. &c.

III. Hujus juris si tu primum quæras principium, nullum prius reperies, quam quod vitam & membra quemque sua tueri docet. Cui sane convenit, ut quisque jus habeat omnibus utendi mediis & agendi quidlibet, sine quo se conservare non potest. * Ejusque reï quisque etiam naturaliter judex esse videtur, ut ille postulat. **

* *Hobbes d. cap. 1. §. 8.*
** *vid. §. 9.*

IV. Inde tamen non sequitur, jure naturæ unicuique jus in omnia competere, ut idem vult Philosophus. * Aut in statu Naturæ, mensuram juris esse utilitatem, quod fere idem, Carneades (*d*) disputabat. ** Nisi quatenus vita aliter conservari potest. Aut alii iniqua conditio non infertur.

* *vid. §. 10.*
** *ibid. in fine. adde Grot. in præfat. operis de jure belli & pac.*

(*d*) CARNEADES. apud *Lactant. V. Instit. Divinar. c. 17.* ubi adstruit, 1(1) nihil esse justum, nisi ex *voluntatis arbitrio*: *Resp.* (1) hôc modô *Deus* blasphemiam, adulteria, præcipere posset. Quin potius sicut recta *ratio* (ex L. Dei) ita probabilis ex Lege humanâ civili necessaria est, ad regendum hominem, cœtûsque hominum. (2) Stultum esse ait, illum, qui utilitatem publicam suæ præferat. *Resp.* Virtus sui causâ expetenda est; licèt ærumnis non vacua: ob præmia immortalia. Satis utilitati suæ consulit, qui communi studet. Subvertit suam, qui publicam & communem negligit. (3) Jus Civile, *quà utile est*, obligare videri. *Resp.* non præcisè, quà utile; imò utilitas *universæ civitatis* ad æquitatem redigitur. Et ùt Legislator *utilitatem* aliter respicere non potest; nisi ex regulâ prudentiæ, & motivô quodam virtutis. Ita Utilitas, quæ *cum rectâ ratione* convenit, (non quæ ex *affectibus* æstimatur,) moribus Gentium promovetur; nec nulla est tam potens Civitas, quæ suam utilitatem, neglectâ salute *communi*, promovere possit. Quòd verò *instituta* ipsa Civitatis *varient*, illud ex Civili, non ex Gentium aut Naturali Jure, profluit.

V. Nam quod idem alter ſtatuit, * ea quæ quis fecerit in ſtatu merè naturali, injuria in hominem videri neminem, id verum non eſt. Quicquid enim contradicat ille, inſita eſt homini, ut primum ratione valet, cupiditas ſocietatis, odium ſolitudinis. ** At illam ſocietatem haberi non poſſe cum licentiâ ſe invicem lædendi aliosque vexandi eadem ratio dictat.

* *Hobb. l. 1. §. 14. in notis & cap. 3. §. 4.*
** *Vid. Grot. in d. præfat.*

VI. Ideò rectè dictum eſt. Naturam ante omnia pacta cognationem quandam ſtatuiſſe inter homines. * Quin & regulam cœleſtis oris; quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris, (e) in ſimpliciſſimo Statu Naturali obtinere oportet. Quod igitur contra hæc dictamina fit, id injurium eſſe manifeſtum eſt. Minimè verò deſinunt illa Juris Naturæ eſſe dictata, ex eo quod pravitas humani ingenii ad contraria auſa pleroſque impellat.

* *Florentin. in l. 3. ff. de juſt. & jur.*

(e) ALTERI NE FECERIS. *Scharrokius* quidem *c. 10. d. Offic. ſec. J. N. n. 11.* per inſtantiam hoc principium impetit: Num enim, ait, ſervo meo calceos purgare, coquo juſculum coquere, captumque delinquentem judex dimittere deberem: quia hoc mihi fieri velim? *Reſp.* Cæteris paribus *regula* illa procedit. Non enim quod mihi placeret *contra ordinem Status* & *conditionis*; ſed ad quod obſtrictum habere poſſem alium, & quod ille viciſſim, *ſalvô utriusque officiô*, exigere â me poſſit: illud verò attendendum eſt.

VII. Proinde perperam colligit idem auctor, quo conſilio homines congregentur, id ex iis cognoſci, quæ faciunt congregati.* Adeoque cauſam conſociationis inter homines, mutuum eſſe metum. Item ſtudium utilitatis honorisque præ aliis uſurpandi. Unde liqueat, nullum ſocietatis appetitum eſſe homini Naturalem.

* *Hobb. d. c. 1. §. 2.*

VIII Planè de metu negandum non eſt, eum ad conciliandas firmandasque ſocietates facere plurimum. Sed commodi honorisque ſtudium, verum eſt, uſu demum & comparatione ſociatorum maximè eſſe invectum. Imò certum eſt, etſi, nullâ malorum experientiâ, homines alii non timerent alios, tamen ſocietatem appetituros, ſolitudinem exoſuros. Multò certius eſt, ſi initio conſtaret, nihil quem-

que

que præ aliis commodi aut honoris consecuturum, minimè tamen appetitum societatis cessaturum.

IX. Cum igitur ista cupiditas immediatè hominibus insita sit, sequitur, illa sine quibus societas stare nequit, immediatè animis obversari. Ex quibus liquet, alterum lædere & facere quod sibi quis fieri nollet, id turpe esse à primo rationis dictamine, & originario jure naturæ prohiberi. Hinc falsa esse quæ ab illo ut hypotheses postulantur, cuilibet apparet. Scilicet, jure naturæ licere uni alium invadere.* Eodem jure, fortiorem posse debiliorem cogere ad præstandum cautionem futuræ obedientiæ.**

* *Hobb. c. 1. §. 12.*
** *d. cap. 1. §. 14.*

X. Neque enim potentia aut excellentia, Juris perfecti in alium causa esse potest.* Sed ratio tantum probabilis juris acquirendi, positis terminis habilibus. Argumentum à Divinâ potentiâ, unde jus in cuncta creata oriatur, ad homines, nequaquam admittimus. Quia non ut Deus cuncta per se proprietate complectitur, idem homini in hominem sine facto antecedente (*f*) tribui potest.

* *Secus ac ille vult d. §. 14. in fin.*

(*f*) SINE FACTO ANTECEDENTE. Imò *ex potentia*, ait *Hobbesius*. Itaque *respondendum* est, in eò discrimen esse, quòd Dei potentia non sit sine justitiâ, sapientiâ, benignitate. Quod si enim ex *potentiâ solâ* ageret Deus, æquè gravis foret ea hominibus: idem est si ex *Dominio* seu proprietate solâ ageret.

XI. Nec verum est, jure naturæ pacem quærendam, eò tantum, quòd bellum homines incommodum experti sint.* Concordiam enim citra experientiam bellorum esse naturalem patet inde, quia ad subsistentiam primævæ societatis, quam & sine bello appeteremus, est necessaria.

* *cap. 1. §. 17.*

XII. Falsa quoque hypothesis est, jus naturæ dictare, quod recedendum sit à jure omnium in omnia, quia paci hoc noceat.* Nullum enim ejusmodi jus existere dictum est, nisi vitæ causâ servandæ. (*g*) Eatenus autem dictat natura, non debere ab eo recedi.

* *Hobb. c. 2. §. 2.*

(g) VITÆ CAUSA SERVANDÆ. Posse scilicet nos largiri *Hobbesio*, quòd homo *jus* habeat *in omnia*, quando & quòusque *vitam* suam *aliter servare non possit*. Nam illum omnia vitæ suæ post habere. Et hanc adeò homini *Jure* ipsô naturali commendatam esse, ut facultate eam tuendi ne quidem *abdicare* se ullâ ratione, aut ab eâ *recedere*, possit. Ast *Jus* illud *Hobbesii* in omnia *illimitatum* esse, imò *nullum*, quod nec *Legem* ex quo ducatur, habeat aut habere possit. Quod igitur non est, ab eo etiam recedi ne quidem potest. Cæterùm de Jure *vitam suam tuendi*, & quòd ei *renunciari* non possit, ne pacto quidem eô, quô quis *imperio Civitatis* se submittit: *inferiùs* dicetur.

XIII. Verum quidem est, quod ante actum voluntatis humanæ omnia inter homines communia (*h*) fuerint. Et quod à communione recedendum esse ratio experientiâ edocta monstraverit. * Sed non ideo sequitur, in statu naturali omnia fuisse omnium semper: Siquidem status naturalis est, quatenus civitatem præcedit. ** Ita ut ante civitatem non possit intelligi *meum* & *tuum*, ut ille docet. *** Atqui initio generis humani, cum paucitas nec confusionem nec periculum mutuum crearet, non est statim constituta Civitas. Potestas enim Patrumfamiliarum per se naturalis fuit, non ex consensu neque bello. **** Enimverò familiæ latè diffusæ & in plures cohabitationes sparsæ uni tamen patri subjectæ Imperia non familiæ fuerunt. Quoniam familiâ est societas usus quotidiani causâ, civitas autem Societas domuum. ***** Atqui *meum* & *tuum* cum primâ hominum multitudine proditum est, & sic ante civitatem. Quod enim quisque ad victum, amictum, quietem aliosque usus incommunicabiles occupaverat, id ratio & regulæ suprà collocatæ confestim dictabant, esse nefas eripi. Proinde quod quisque de suo, volens, in alium transtulerat, id nec ab eodem nec ab alio jure poterat auferri. Potestas enim tradendi alii quod plene nostrum est, cum hoc animo ut is hoc perpetuum retineat, necessariò naturalis est. Nec tantum traditione (*i*) jus alteri in rem meam dare possum, sed & significatione quavis clarâ voluntatis. ****** Quam si alter acceptaverit, nihil excogitari potest, quare non jus, quod ego habebam, in alterum transiisse dicatur. Proinde quod alteri promisisti, quia hoc facto, jus rei promissæ (*k*) est penes alterum, salvâ ratione fieri nequit, ut tu hoc alteri rursum eripias, id est, implere neges.

* *dixi in digression. Justinian. l. 4. c. 10. & seqq.*

** *Status Naturalis sumitur aut cum respectu ad singulos homines aut ad familias, priore sensu quolibet pacto & facto desinit status natur. Posteriore durat usque dum civitas fundetur.*

*** *Hobb.*

*** *Hobb. c. 6. §. 15.*
**** *secus ac Hobbes c. 1. §. 10. in fin. not. c. 6. §. 15. in not.*
***** *Aristot. l. 1. polit. c. 1.*
****** *vid. digress. Justinian. l. 4. c. 8.*

(*b*) COMMVNIA. Nullam hanc *communionem primævam* fuisse, suô locô ostendimus.

(*i*) NEC TANTVM TRADITIONE. contrà Hobbes. *P. 1. c. 2. Corp. Pol. §. 5. & 7. & Leviath. P. 1. c. 14.* An ergò ad dominium transferendum necessaria non erit *traditio?* Non esse necessariam, *Grotius Lib. II. c. 6. §. 1. & 2.* idemque rectè *Molina Tom. 1. Tr. 2. de Just. & Jure. Disp. 3. §. 18.* statuunt: quamvis modus ille per *Traditionem* ad transferendum Dominium habeatur *naturalissimus*. Contrà *Feltmannus c. 13. d. J. in re & ad rem*, ubi *l. 3. pr. π. d. Oblig. & Action.* adducit. Sed *textus* hic nihil de traditione habet, neque *l. 64. ff. de Furto.* quicquam conficit. Non enim in morientibus est traditio; (& quidni morte finiatur Dominium.) sed tantùm patientia, res suas in alium transire permittens: ut adeò frustrà *Feltmannus*, in illis modis, quibus jure nostrô Civili citrà traditionem dominium transit, *traditionem* quampiam *latentem* quærat.

(*k*) JVS REI PROMISSÆ. Nullum hoc agnoscit *Hobbesius: P. 1. Corp. Polit. P. 1. c. 2. §. 5. & 7. & in Leviathan. P. 1. c. 14.* quem eô nomine refutavit *Scharrokius d. Offic. p. 307.*

XIV. Unde liquet, falsum esse, quod idem tradit, posse aliquem jure naturæ promissa ab altero accepta retractare, propter metum probabilem. * Neque enim mea formido (*l*) causa esse potest, qua rem aut jus alienum usurpare aut detrahere mihi liceat. Sed eum, qui justam metus causam alii præbet, posse prohiberi, aut cogi ad cautionem indemnitatis præstandam, non abhorret à jure naturæ.

* *Hobb. c. 2. §. 11.*

(*l*) MEA FORMIDO. Sic enim si quis vim mihi minitetur, eum occidere non possum. Quamvis enim habeat voluntatem *efficaciæ*; non tamen voluntatem *efficacem* habet. Et mora quandoque plura suppeditat remedia. *Cautione* tamen indemnitatis mihi consulendum est. Unde nec fas est occidere alterum, ne metuere habeam, ipsum me dormientem fortassis occisurum esse. vid. *Lud. Molin. Tr. 2. disp. 12. d. Just. commut.*

XV. Quin si maximè in statu naturali ante civitates nullum fuisset *meum* & *tuum*, tamen perperam juri naturæ talis retractatio adscriberetur. Quia certum est, jus naturale non minus pertinere ad ea, quæ actus humanæ voluntatis consequuntur, (*m*) quam quæ omnes hominum conventiones præcedunt. Quippe dictamen rectæ rationis omni mortalium statui ac ætati adæquatum est. Ideoque omnes humanæ actiones reguntur Jure Naturæ, quam diu durat societas humana, etiam utique in civitate.

(*m*) ACTVS HVMANÆ VOLVNTATIS CONSEQVVNTVR. *H. Grotius reductivè*, dicit, furtum contra Jus naturale esse: ut postquam occupatione vel placitô divisionis, res singulorum propriæ factæ sint, quæ antè ex hypothesi ejus (ut & *Auctoris hic*) in *communione* fuerant: jam quoque

que juri naturali adversum sit, rem quæ cujusque facta est, invito illi eripi. Sicut autem *communio* illa evanida est; & simpliciter *Romani* furtum *naturali jure*, quô dominia jam sunt, *probibitum* esse ajunt. Ita Jus Naturale etiam illa *initiò sui* comprehendere *superiùs* dictum est, quæ *ratione communi* nituntur; quamvis ea non nisi *objectis* posteà intrà *Civitates*, ac inter *Gentes*, productis *applicari* demum potuerint.

XVI. Quare & falsum est, quod idem docet: quid fas, quid nefas, bonum aut scelestum sit, hoc ex lege civili dijudicandum.(*n*)* Nam quæ necessitati morali adversantur, ea, certum est, nunquam turpia esse desinere, quicquid legibus sit cautum. Sed quæ ita ad jus naturæ referuntur, ut ei duntaxat non adversentur, aut quæ tantum suadentur, ea recipiunt mutationem. Quo discrimine probandum aut improbandum παράδοξον, quod idem scriptor tradit, *quid sit furtum, homicidium, adulterium & injuria, id ex legibus civilibus cognosci, nec aliter esse talia, quàm si per has declarentur.* (*o*) **

* *Hobb. c. 6. §. 16.*
** *Hobb. ibidem.*

(*n*) Ex lege civili dijudicandum. Hinc idem *Hobbesius c. 14. §. 10. de Cive. Impossibile esse* docet, *ut Lex Civilis naturali repugnet*, quia *Jus* naturale (quod nim. ille in Pacto Civitatis fundat,) velit: omni præcepto civili obtemperandum: cùm tamen potiùs præsupponant hi, qui Principem constituunt, Jus naturale in Civitate *cumprimis* exercendum esse. *Quòd* autem Ipse putat, ante L. civilem *crimen* non esse: in eo non faciunt pro illo (1) *Spartani*, olim & *alii*. *Resp.* Hi quidem scelera nonnulla, & præcipuè furta, permittebant; sed non jubebant illa aut honesta ducebant: quin & impunitati huic terminos statuerant; atque finis certus, aliter obtineri nescius, hanc permissionem exegerat. Non (2) quòd extrà Civitatem non sit *proprietas rerum*. Nam hoc *negatur*: num enim Rex Regi suum eripere potest, eò quòd ei cum altero non est Civitas; num quis suum Civi alterius Civitatis. Imò verò poterit hoc ex doctrinâ *Hobbesii*. Sed nos dominium primævum ejusque exortum *alibi* demonstramus. Non (3) *Duella*. per hoc quòd permittantur aliquando, non fiunt justa; sed tantum *impunita* in foro *humano*. Interim potest utique, ob rationem majorem, permittere quædam *Magistratus*, quæ juri Nat. (quoad *objectum*, inæquale scilicet,) non conveniunt; ùt est permissio *læsionis infrà dimidium*. Quanquam *dolum* nihilominùs Leges non ferant: qui si interveniat, licèt fortassis probari non possit, conscientiæ tamen decipientis relinquitur. Accedit, quòd non tam velit Magistratus malum ejusmodi, quàm *permissionem mali*; adeoque non malum, sed permissio mali, immediatum voluntatis Magistratûs objectum sit: de quô ad *Jus Civile* dicitur.

(*o*) Si per has declarentur. Et in *Leviath. P. 1. c. 13. & P. 2. c. 26.* ait: *Virtutes*, ùt Gratitudinem, Liberalitatem, Fortudinem, non nisi *animi qualitates* esse.

XVII. Porro ex his omnibus judicatur, an rectè ab eodem sit dictum, leges naturæ nullas esse in statu naturali.* Nam regulas, quibus in primo statu actiones hominum morales reguntur, suprà ostendimus. Easque leges esse, quales in illo statu dari queunt, nempe regulas obligantes, manifestum est. Obligationis voce non ex arte Romana,

mana, quæ nullam ſine facto novit, (*p*) ſed populariter acceptâ. Quatenus quicquid neceſſitate juris obſtringit, obligare dicitur.

* *idem c.* 5. §. 2.

(*p*) NVLLAM SINE FACTO NOVIT. At verò hæc non eſt obligatio, quâ *Legi* tenemur, ſed quâ *homini*, ex negotiô: tum & *naturali Legi*, quà *homines* obligamur; *Civili* tamen cùm obligemur *ùt Cives*: ideò hactenus etiam *factum* noſtrum ſupponunt, quô in Civitatem acceſſimus.

XVIII. Verum ſanctiones, id eſt, leges, quæ cogant aut puniant, non cadere in illum ſtatum, res ipſa loquitur. Noli tamen putare, jus in illo ſtatu fuiſſe tam inefficax, ut coactionis puniendique effectu deſtitutum fuerit. Nam quicquid juris cuique competebat, id, ſi aliter non poſſet, manu ac vi (*q*) ſibi rectè aſſerebat.

(*q*) MANV AC VI. Sed non eâ ad *puniendum* uti poterat, ſcelus nempe nil ad ipſum pertinens: quò quidem *§. ſeq.* dilabitur. Si verò necem ſibi intentatam amoliretur, ſicut *pœnæ* locum non habet: ita ſi manu ſibi *rem ſuam* aſſereret, *Magiſtratu deficiente*, hoc ipſum ad ſe & ſuarum *rerum defenſionem* pertinebat; Superioritatis jure omni excluſô. Sic & rerum jura ſi ſpectes, ante Civitates alteri *ſuum eripere*, & *promiſſi fidem* violare, nefas fuerat: perinde atque *etiamnum* inter populos duos, eidem poteſtati non ſubjectos, obtinet: quippe qui *ſtatu naturali* utuntur, *Lege* ſc. inſtructô; non illô *Hobbeſianô*. Cùm enim *ſingulis* hominibus, & ſic etiam *Univerſitatibus* hominum, à *communi Domino*, Jus naturale impreſſum ſit. Hinc ſinguli quoque jus habent *contra ſingulos*, etſi nullâ pactione conjunctos, ac ſi unius & ejusdem Reipublicæ cives forent. Atque ille eſt *Status vere Naturalis*: qui *Civili* contrà diſtinguitur: in ſe *pacificus*, *ſocialis*, *ordinatus*, *perpetuus*: quem ùt *Univerſitates* ſervare, ſic & *ſingulos* ſecundùm *Jus univerſale*, oportet. De cætero *Status* hominis aliis quoque modis *naturalis* dici poteſt; velut (1) *per eſſentiam*; quatenus per *rationem* brutis opponitur: (2) *per miſeriam*; ùt ſibi relictus ſinè ope humanâ ſpectatur, (præſcindendô à reſpectu juris, quem inde educunt *Hobbeſius* & *Puſendorffius*. *Hic*, ut ſuppetias quæreret ex ratione, *citrà pacta*, ſingulis jus illud ſociale ingerente. *Ille*, ut finem faceret ſtatui efferato, & juri ejus inſtabili; à quo *voluntate majoris partis* abire, & cùm ſinguli nullô vinculô internô conſtringantur, *pactis* inducere pacem oporteat.) Tum & naturalis dici poteſt Status hominis, ùt *accidentali* ejus opponitur: quâ ratione non eſt naturalis, quô homo nobilis eſt, doctus, formoſus. Sed hic reſpectus ab hâc tractatione eſt remotior. Cæterùm *Leges*, quæ cogant aut puniant, in *ſtatum naturalem* non poſſunt non cadere; ſaltim quòd *effectum* non niſi arguant & meritum, eòusque vacuæ *executione externâ*, donec *ſuperior* quis extiterit. vid. *Geneſ. IV.*

XIX. Hactenus quoque potentiam ad juris cauſam pertinere agnoſcimus, quod qui viribus prævalebat, (*r*) ille jus puniendi violatores humanæ ſocietatis rectè exerceret. * Non quod potentia ſuperiorem conſtitueret, ſed quia omnium intererat, nihil committi, quo minus homines conſiſtere poſſent. Quod autem cujusque intererat, id erât jus ejus, quod & exequi poterat, quatenus vires non deeſſent.

* *vid. Grot. l. 2. de Jure Bell. & Pac. c. 20. §. 30.*

(*r*) QVI

(*r*) QVI VIRIBVS PRÆVALEBAT. Nequaquam verò. Nam jus *puniendi capitaliter* solum *apud Deum* erat, qui in *familiis* primis *jus vitæ ac necis* exercuit. Nullus ibi violentiæ locus, nullus pœnæ. In cæteris duntaxat, quæ *supplicia* non exigebant, *domesticum imperium* corrigendæ iniquitati satis idoneum & efficax fuerat; donec *Civile*, & in eo cum *Majestate* Jus vitæ & necis, succederet. vid. plura *inferiùs* de *Pœnis*; ubi & H. *Grotius Lib. II. c. 20. §. 3. 7. 8. 9. 40.* Ipse sibi in *Libro* de *Satisfact. c. 2.* adversus, emendatur. Quicquid enim sit, quòd *naturaliter pœnam debeamus*: quod unde procedat, *Scharrokius*, ùt solet, ex fontibus quos cumulat, deducit: exactionem tamen pœnæ non debuit tribuere *H. Grotius* cuilibet alii, qui pœnam in *statu naturali* delinquenti infligere *valuisset*. Neque enim illud evincitur ex hoc, quòd (1) corrigere liceat alium. (2) verbis reprehendere. (3) judicare de eo, Magistratu deficiente. (4) emendare juniores ætate, vel imperitos. (5) innocens nocente sit superior; aut si superior non sit, intersit tamen omnium, ut qui societatem violet, extrà Civitatem positus, ab eô qui *potentiâ* valet, (nam hactenus *potentiam* ad *causam hujus juris* puniendi pertinere,) compescatur. *add.* Pufend. *VII. J. N. c. 3. §. 1. seqq.*

XX, Quem usum hæc Hobbesiana adstructa vel refutata (*s*) habeant, si quis roget, is cogitet, diversas civitates hodieque inter se versari in statu naturali, (*t*) quibus si illa postulata applicentur, videbimus faciem mirificam rerum humanarum. Est plane illud caput Hobbesianæ philosophiæ, idem quod Brennus olim: quem Plutarchus scribit, πρεσβύτατον τῶν νόμων ἐκ φύσεως, *vetustissimam legem naturæ esse*, πλέον ἔχειν τῷ κρείττονα τῶν ὑποδεεστέρων, *ut validior plus quam imbecillior habeat.** Vel quod idem apud Livium,** *Omnia esse virorum fortium.* Et apud Thucydidem *** Athenienses ad Melios, legem ὑπὸ φύσεως ἀναγκαίας, *ex necessitate Naturæ* ajunt esse, ὃ ἂν κρατῇ ἄρχειν, *imperare iis quibus possis.* Nunquam verius, *summum jus summa injuria*; sed nec juris illa, verum prætextus latronum (*u*) sunt. (hæc obiter.)

* *Plutarch. in vitâ Camilli.*
** *Liv. lib. 5.*
*** *Thucyd. lib. 5.*

(*s*) REFVTATA. Et tamen ad ea omnia, quæ *Hobbesio refellendo* allata sunt, facilè quis reponet *Hobbesius*. Jus seu facultatem se nullam aliam intelligere, nisi quæ in facto seu potentiâ consistat, & viribus majoribus; non illam, quæ ex Lege & per consequens ex pactô, quod Lex Civitatis insequitur, dependet. Bruta quoque ipsa sibi prospicere: & hæc esse prima naturæ, quæ bruta sequantur, impetu quidem; ùt homo judiciô: cùm is non tantùm quòd ea sibi, sed cur ea expediant, decernere possit. Expedire autem ea sibi, quæ ad exitum ipse, licèt cum pernicie alterius, valeat deducere. Nec enim illum ab hoc arcere posse, quòd alterius, cui insultat, interesse videri possit. Nam & huic liberum esse, ut à se insultantem amoliatur: Jus verò aliquod ipsi non competere, ex quô solo repellere insultantem possit; ceu nec alteri jus quoddam adv. ipsum quæsitum sit, quando ille similem vim alteri illaturus fuerit. Nil esse Juris quæsiti, sed quòd quisque obtinere actu possit; velut in Civitate per Imperium. Nil itaque injuriæ & iniquitatis esse in statu naturali. Non parcere quem velle socio, nisi sibi expediat: expedire verò, si aliter non expediat, quàm cum istius internecione: & sic ad omnes posse quem libidinem suam vertere, quòusque singuli illi & ipsô imbe-

imbecilliores sint. Non esse societatem ante Civitatem seu Imperium, sed esse conversationem; etiam in societatibus, quas nos appellamus, simplicibus. Nam & in his fortiorem posse internecioni dare omnem illum, quocum versatur; & daturum etiam, si expedire sibi videat; indeque matri in fœtum tribuit potestatem præ Patre *Hobbesius*, quòd mater proximam potestatem habeat partum enecandi. Nec ferri etiam hominem in societatem, nisi ex metu, quòd violentiæ aliorum resistere non possit: nec virium suarum fiduciam, nisi à sociis seu multitudine, habeant. Istam regulam, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, facilè elusurum illum, qui alterum non metuat. Pravitatem nullam esse ingenii, si quis aliud sentiat: cùm nulla sit pravitas ante Legem; nulla Lex nisi ex pacto antecedaneo. Planè ùt Reges nunc videmus pro lubitu aggredi alios, & Jus sibi in omnia usurpare: nec ullô vinculô se constrictos credere, ne pactô quidem cum Gentibus, nisi quòd ad hæc servanda cogi viribus possint. Hunc esse statum illum naturalem & exlegem. Obligationem nullam, ne quidem ex facto seu promissione, dari: quia potestatem habeat is qui promisit, retractandi promissum; maximè quòd & præstitum alteri vicissim ei eripere queat. Nil hic valere nisi potentiam, quam natura suggerat. Non potuisse esse *meum* & *tuum* ante Civitatem, quia hæc ex Jure argui oporteat; quale tunc nullum fuerit. Eripere me potuisse alii, quod penes ipsum fuerat, sive promissum illud mihi ab eô fuisset, sive secùs; non quidem bellô justificô, sed qualicunque. Prætextu etiamnum inter Gentes opus esse, non causâ; nisi ad invidiam avertendam & æmulationem Gentium cæterarum. Punitionem quoque ullam propriè dictam non fuisse, ceu nec hodiè sit inter Gentes: nam & hanc meritum supponere, quale nullum sit in Statu naturali. Denique si in infinitum præbeas potestatem homini, ut vitam suam servare possit, adversus omnes; suppositô etiam Jure naturali. Ita verò etiam cætera, quibus vitæ suæ prospicere queat, ejusdem arbitrii & potestatis esse oportere, postulat. Hæc talia inquam *Hobbesii* sectator aliquis regereret. Et sanè cùm omnia nostra Ille *petitioni ejus quod est in principio* pariter imputaturus sit: nihil est quod validius iis opponere liceat, quàm ea, quæ *initiò c. 2.* de *existentia* Juris Naturalis posuimus, & quòd Deus hominem exlegem condere non potuerit. Nisi namque *Imperium Dei internum* in homine per *insitionem* firmes, (Hobbesius enim *Imperio*, saltim in Civitate, locum facit, & Pacto multitudinis; ne quidem id *Spinosa*, qui *usque* omnia *vi* & *potentia niti* credidit:) nil quicquam est argumenti alterius, quod causam nostram evincere possit. Hinc videas, omnes aditûs ab illis sectatoribus præcludi velle, quæ ad *Deum* & curam divinam rerum humanarum, ùt & conformitatem nostri cum Deo, ducunt; quin potiùs illi hominem nudum, suæque societati relictum Juri suo impiè supponunt.

(*t*) In statu naturali. nisi quòd jam *pactis* etiam sibi invicem teneantur; ex sententiâ illorum, qui ex istis Jura Gentium consistere autumant.

(*u*) Prætextus latronum. Quid verò, quòd *Judæi* olim *omnes Gentiles* prædæ suæ expositos habuerint, *Tacitô* quoque memorante, *V. Hist. 5. 2.* Gentesque aliæ quædam, *in pace* etiam, *exteros* pro *hostibus* haberent: H. Grot. *II. 6. 14.* ut ne de *prædatoriâ* & *piraticâ* veterum dicamus; v. Eund. *II. 15. 5.* & quàm nunc etiam id genus Tartari & iisdem vicinæ Gentes, tum & Piratæ Africani, exerceant. Planè de *Romanis* in *l. 5. §. 2. d. Captiv. & postlim. reverf.* habetur, quòd *si quæ Gens cum illis nec amicitiam, nec hospitium nec fœdus habeat, obtinere cum eâ jus belli.* ut licèt à *Latronibus* capti nec servi, nec res nostræ ab illis captæ ipsorum, fierent; *l. 1. d. Leg. 3. l. 19. §. à privatis. d. captiv. & postl. rev. l. 13. qui test. fac. poss.* in his tamen, qui à *Latrunculis*, (*Gentibus* scilicet ejusmodi) caperentur, secùs obtineret; quas Gentes Romani *Barbaricas* appellabant v. *l. f. C. d. Postlim. rev. l. 5. §. 6. de re milit.* Sicut verò non unâ *ratione* constitit, quòd Romani etiam *suos, ab hostibus captos*, servos esse vellent. Ita quòd de *Latrunculis* idem statuerint, summâ ratione factum; nec de nihilo est, quòd Impp. *Christiani l. fin. C. d. postlim. reverf.* emptori eorum, qui à *Barbarica* Scytharum & Gothorum, *feritate* capti sunt, pretium refundendum voluerint. add. *l. 6. d. Capt. & postlim. rev. l. 12. §. 7. 15. eod. j. l. 2. d. t.* Proinde *Legis* illius *5. §. 2.* dispositio non est Juris Romanâ Rep. indigni.

XXI. Audio, qui Grotium optasse ferunt, visa ut sibi fuisset Hobbesiana doctrina, (*x*) antequam suum jus belli & pacis dedisset. Credo ut præmunire suum lectorem adversus pestifera dogmata potuisset. Neque enim fas est credi, pœnitentiâ pulcherrimi operis facturum fuisse, quod in negotio ὀρθοδοξίας admiserat miserrimè, dejectus infrà Crellium (*y*). *

* *ut liquet ex epist. ipsius ad Crellium subjecta libri Crellii de satisfactione.*

(*x*) Hobbesiana doctrina. Quid si visa *Grotio* fuissent plura alia *Portenta Juris Naturalis?* postquam aut ineptus unus alterve, nec instructus illis præsidiis, quibus oportuit, doctrinam ejus suscipere, aut ingeniô sive validus sive abreptus alius eam incestare ausus est. Et quid de illo Naturali Jure, quod Orbi propinavit *Bene sic dictus* Spinosa; totus ille, Spinas ferens arbor. Nam *Ille* in *Tract. Polit. Jus* omne *Naturale potentiâ* niti docet, nec interesse, an *ratione* homo agatur, an *affectu*: nam & affectibus hominem subjici necessariò, æquè ùt rationi: hanc verò ex caussis naturalibus earumque serie produci, nec *Imperium* habere posse, eò quòd ipsa in imperio naturæ constituta sit. Esse enim hominem particulam aliquam illius naturæ, & ex necessitate ordinis naturæ æterni agere; ut tamen quò magis *ratione* ducatur, eò magis *liber* habendus sit. Nullum alii *jus* esse *in rationem* seu mentem hominis, quisquis ille fuerit, nisi per *deceptionem*: in *corpus* autem non nisi per vim; utrôque cessante, penitùs cessare jus alterius. Hinc uti *extrà Rempublicam* facultas nulla, quæ juris locum teneat, saltim non stabilis detur: quia nulla ejus extrà Civitatem obtinendæ sit securitas; & per *vim propriam* quis illud non semper exequi possit. Ita à vi & *potentiâ*, cui cives *ejusdem Civitatis* subsint, *jure quôdam* seu *facultate* frui licere. Non etiam Jus seu *Legem* quandam esse *ex pactô*, quô in *Civitatem* coëatur. Cùm enim *Fides* per naturam *falli* possit, & *Imperium* à *viribus* alium cogendi pendeat, aut à *persuasione mentis*. Hinc cessantibus his in *Principe*, seu eorum neutrô superstite, Imperium quoque ejus cadere & cessare.

Si *Hobbesio Spinosam* compares: *ante Civitatem Hobbesius* Rationem præire vult affectibus, ut hi per illam improbentur. *Spinosa* Affectûs æque validos esse existimat, & paris æquitatis. Liberiùs tantùm agere illum, qui ratione utatur. *Hobbesius* igitur rationi dictamen tribuit. *Spinosa* nullum ei regimen, sed caussæ naturali adscribit: inde par quid affectibus. *Hobbesius* rationem suadere docet, ut à promiscua lubidine omnium in omnia recedatur. *Spinosa* tuituram se lubidinem, si posset, nec ab eâ sponte desisti; imò ne desisti quidem: nec ullum inde interitum communis vitæ metuit. *Hobbesius* hominem utilitatem suam sectari, & ad hanc se componere; *Spinosa* necessitatem naturæ eum sequi, quâ quisque agatur. *Hobbesius* rationi internum judicium & actiones humanas tribuit, non affectibus. *Spinosa* naturæ vim solam & potentiam agnoscit, quæ etiam per affectûs regat, parque sit in rebus naturalibus quoque, extrà hominem, cæteris: in quo etiam natura, non specie sed gradu, à bruto differat. *Post Civitatem* Gentesque conditas *Hobbesius* Pactis Multitudinis induci obligationem tradit. *Spinosa* nullum pacto vigorem, quem à se habere possit, adscribit: quin potiùs procedat ille vel à coactione corporis, saltim metuendâ; vel a deceptione mentis. Itaque eum qui cogit alium vel decipit, validiori jure niti. Sic *intra* Civitatem, sic & *extrà* illam obtinere. *Hobbesius* non ultrà potentiæ locum esse *in Civitate.* Imò esse *Spinosa* asserit. *Hobbesius* idem inter Gentes servari, quòd Pactis constringantur. *Spinosa* idem servat principium Coactionis vel Circumventionis. *Hobbesius*, non posse dissolvi Societatem contrà Pactum: posse *Spinosa*, si possit quôvis modô.

Uterque verò, *Hobbesius* & *Spinosa*, profana & famosa nomina, in hoc conveniunt, quòd uterque Deum seponat; dum *Hobbesius* hominem sibi, ut sui ratione, non per Imperium à Deo, regatur; *Spinosa* ordini naturæ, quam appellat, ipsum relin-

relinquit. *Uterque* vires naturales, *Hobbesius* ab ipsô homine specialiter dispositas, *Spinosa* compositas à communi naturæ impulsu, attendit, *Uterque* nullum Jus Fasque primævum agnoscit. *Hobbesius* effictum quoddam deinceps cum Civitate, & ex necessitate ejus, à voluntate humanâ profectum, admittit: *Spinosa* non nisi vim aut fraudes seu iniquitatem continuam, locum Juris & Imperii sustinere inculcat. Denique *Neuter* Eorum in ullô statu honestum quid aut turpe, quod per se tale sit, *neuter* conscientiam novit; ne quidem *Hobbesius*: cujus Conscientia ex Lege Civitatis educta, Deô sepositô, nulla est.

Nec minus hic *Impietatem* cæterorum, qui *Naturalismum*, variis itidem sectis, fovent, quos inter etiam *Herbertus* de *Cherbury*, in scripto de *Religione Gentilium*, *aliique*, locum fortitus est, detestari; hypothesin verò eorum, per tradita *Dieckmanni*, peculiari *Libellô*, discutere licet.

De viâ illâ, quam *Velthuysen* in Tr. *d. Principiis Justi & Decori*. incundam censet, paucis decernamus. *Ille* existimat, *Ordinem Mundi*, *sapienter à Deo constitutum*, *homini indicare debere & posse*, *quodnam cujusque sit in actionibus suis instituendis officium*. Et tamen (1) Ordo ille etiam *naturalis* est, adeoque principium non proprium homini, sed *commune*. (2) *exterius* tantùm, & non nisi *indicium*; atque hoc *Sapientiæ Divinæ*. (3) *remotum*, per *consequentias*, ad *hominis* actiones, difficulter nectendas; Imò (4) *vagum*, nec (5) nisi *objectivum*. (6) *Minùs plenum*, *nec adæquatum*: cùm *omnem Eminentiam* non referat: (7) *Contemplativum*, non Practicum: (8) ex quo nec *primus* homo, nec *singuli*, ratione *Civitatis*, officia sua dignoscere potuerint; & (9) omnium minimè ex *ordine rerum*, ratione, imò animâ & vitâ, carentium.

(*y*) INFRA CRELLIUM: qui alicubi ipse ait: *se nunquam satis vim atque evidentiam veritatis mirari potuisse, quæ & sibi adversus Clarissimum JCtum*, (H. Grotium,) *disputandi arma suppeditaverit, ad eum convincendum, & simul effecerit, ut hæc ad doctrinam Juris naturalis spectantia*, (sic enim Crellius, Socinianus, de *satisfactione Christi* ex ratione sibi disputandum esse censebat,) *ad quæ cùm accessisset*, *non fuerit nescius sibi cum eo rem esse*, *cujus ista facultas esset propria*, *quæ sibi aliena*, *non ampliùs habeantur pro invictis*.

CAPUT IV.

De Jure Gentium.

ARGUMENTUM.

Jus Gentium discrepare à Naturali, diverso tamen sensu quàm JCti volunt Romani. Hobbes, qui nullum Jus Gentium à legibus Naturæ agnoscit distinctum, refellitur & probatur, esse, quæ nec naturalia neque civilia sint, adeoque Gentium necessariò. Justitia & jus in externum internumque dividitur. Illud, quod in hypothesi quandoque rationi rectæ repugnet, secus ac internum.

I.

RETinemus igitur veterem certamque philosophiam, quod Jus Naturæ sit, quicquid ratio immediatè dictat, esse turpe aut honestum. Præter hoc, aliud commune jus generis humani (*a*) traditur, quod circa ea vertatur, quæ convenienter quidem rationi Naturali, non tamen immediatè (*b*) ex ejus dictamine, sed per modum arbitramenti, usu ita exigente & humanis necessitatibus, inde deducta sunt.

Cujus generis sunt pleraque jura belli, Imperia, dominia, servitutes, contractus aliaque plura. Atque hoc Jus Gentium definimus, Quod voluntate omnium aut sane cultiorum gentium vim obligandi accepit. Cujus à jure naturæ discrepantia est, ea, quam definitiones indicant. Nempe quod hoc sit innatum homini ac insculptum, illud repertum & excogitatum.

(a) ALIVD COMMVNE IVS GENERIS HVMANI. *Dari* Jus quoddam Gentium, à Jure Civili pariter ac naturali distinctum, inter JCtos *Romanos* comprobatum, & à *Philosophis* receptum est. Sed *ambiguum* illud variis modis reddidêre (1) *ipsi JCti Romani*, dum ad istud exempla nonnulla retulerunt, quæ non pertinere ad omnes Gentes; neque eas etiam, quæ illis juribus utuntur, ex *ratione necessitante*, sed ex *compacto* quôdam, obligare, satis constat; ùt sunt jura *servitutum* personarum: alia verò, quæ & ipsi non minùs juris Gentium esse dicunt, ad *Jus Naturale* rectiùs referuntur; ùt sunt *Dominia* & *contractûs*: quanquàm quod posteriora illa exempla attinet, JCtos Romanos ambiguè locutos esse videamus: cùm & ipsi Jus Gentium (*primævum* scilicet,) appellandô, sæpiùs *Jus Naturale*, *humanum* scilicet nostrum, (ùt dicere liceat,) seu Jus Naturale *Secundarium*, in oppositione ad hoc, quod illi Jus Naturale cum brutis commune esse docent, (id quod *primævum* dicere posses,) intelligant; ita ut quod unô loco Jure Naturali introductum esse ajunt: id alibi Juris Gentium esse eloquuntur. Quare *Auctor* quidem opinatur, appellatione Juris *Naturalis* & *Gentium* nos contentos esse posse, cum §. 11. *Inst. d. R. D. l. 1. d. A. R. D.* ut tamen à veteri illâ doctrinâ, quâ jus in *N. G. & C.* distinguitur, recedendum non sit. Et tamen ipsi quoque *JCti* nostri, per appellationem *Juris naturalis* non aliud intelligunt *dd. ll.* quàm *Gentium* illud, quod *ratione naturali* dicunt constare, & inde *naturale* appellari posse; quòd sanè accuratissimum est. Cæterum omninò Jus Gentium illud *ante Civitates* fuit, *distributivum* scilicet; de quô ibi agitur: Idque *cum genere humanô* proditum est. (2) Jus Gentium dubium reddidit, & nullum dari à Jure Civili distinctum, asseruit *Hobbesius*: cui nullum jus est ante Civitates, nisi *pacta* quædam, quæ Juris Naturalis Ille fundamenta, quibus Civitates continean-tur, constituere docet. Unde *c. 14. §. 4. de Cive.* idem esse putat Jus Naturale & Gentium, & solùm *denominatione extrinsecâ* differre. Videlicet, præcepta quæ ille ait Juris *Naturalis* (v. §. 4. ap. *Auctorem h.*) quoad *singulos* homines, si deinde applicentur integris Civitatibus, Juris *Gentium* dici, perhibet. (3) Quamvis hactenus ab Hobbesio discedat *Pufendorffius*, quòd *Jus Naturale* quoddam distinctum à Jure *Civili*, atque idem *aliunde* deductum, quàm ex fonte *Hobbesiano*, agnoscit. Tamen quoad *Jus Gentium*, in *L. II. c. 3. §. 22.* (conf. *Elem. ejusd. L. I. defin. 13. §. 20.*) Hobbesium, si rem ipsam spectes, non deserit: atque Ipse non minùs docet, Jus Gentium *voluntarium* seu positivum nullum dari; quod Gentes, ùt *Lex* quædam, seu tanquam *à superiori*, obliget. Nimirum, quæ à *Romanis* ad jus Gentium referantur: ea vel ad Jus Naturale pertinere, vel esse Jus Civile singularum Gentium; in quod per accidens conspirent. Imò Romanos Juris Gentium aliqua *Civilia* appellâsse, ad quæ etiam aliarum Civitatum Cives in Republ. Romanâ admitti possent: ùt in *l. 8. ff. de acceptil.* Esse quidem *Consuetudines* aliquas, maximè in *Bello*, in quibus gloriam quærant Gentes, & speciem magnanimitatis. Sed si quis ea negligat; modò ea faciat, quæ non sint contrà Jus Naturale: eum non injustum, sed solùm *rudem* vocari posse; qui artem Belli non calleat. Jus quoque *Legationum* ex Jure Nat. procedere. Beneficia autem nonnulla Legatorum ex indulgentiâ cujusque pendere, si & suos ita haberi velit. Denique Jus *Sepulturæ* ad Officia humanitatis pertinere. Et de *Consuetudinibus aliis* Gentium (quales vid. *ap.* Bœclerum ad H. Grotium *L. II. c. 4. §. 5.*) idem censendum esse.

Enimverò, licèt *Romani JCti* ambiguè, nec tamen malè, loquantur, multòque minùs perperam sentiant; exempla etiam, vel ab ipsis, vel ab aliis quoque, ad Jus Gentium relata (dum ipsos qui-

quidem maxime *Romanos* ambiguè Jus Gentium sumsisse constat,) non *unius generis* sint: rem tamen ipsam hoc nihilominùs subvertere non debet; quin potiùs rectè asseritur, *dari* quoddam *jus commune*, quod homini non per rationem *absolutam*, sed *hypotheticam*, i. e. ex suppositione necessitatis & malitiæ humanæ inculcatur; indeque in *Statu integritatis* applicari non potuit. Ita quidem, ut quamvis *æquitas* illorum negotiorum ad Jus naturale saltim negativè duci posse debeat. Tamen quoad *Substantiam*, illa Juri Gentium accenseri oporteat, quòd ea per rationem *discursivam* suggerantur: quapropter licèt Jus naturale *per se* & simpliciter *immutabile* & absolutæ necessitatis sit; tamen Jura illa Gentium *immutabilia* solùm sunt *ex hypothesi*: adeoque *impossibile* tantùm est *moraliter*, ut mutentur; ceu quidem *Bella* cessare atque Jura ipsorum tolli, non possunt; quousque malitia humana non cessat. Et sic in cæteris, quæ necessitatem inevitabilem hominum & terrarum respiciunt.

Utique *jus Naturale Divinum* est directò & à *Lege æternâ* proximè deductum. Sed jus Gentium indirectè & remotiùs; indeque jam *humanum* ferè audit: (nec tamen nisi *impropriè*; sanè non eô sensu, quô *rationi* ceu *constituenti* imputari vellet, aut *positivis* accenseri Juribus:) atque post depravatam rationem introductum, ut nimirum vel *singulorum*, aut *Gentium* tanquam singulorum, usui & necessitati prospiceretur, vel *conventus Gentium*, quà in *societate* illâ *universali* & *complexu* spectantur, unanimis & tranquillus sustineri posset. Unde Jus naturale *primò rectitudini mentis* & probitati *actionum* inservit; sed *Jus Gentium* circà *pacem* & *commoditatem Societatis* versatur. Similiter *illud* ad justa hominem *absolutè* ducit, & ad *innocentiam* componit; sed *Jus Gentium* efficit, ut homo jure *Societatis* commodiùs fruatur, atque indigentiam magis sublevet, nec non ab injuriis tutus sit.

Ut verò exactiùs, quòd *distinctum à Jure Naturali* detur *Jus Gentium*, & *quodnam* illud sit, constituamus: Dimovendus est (I.) HOBBESIVS. Nam uti ille *Jus naturale nullum* agnoscit, nisi id quod *factô* antecedaneô constituitur; nec adeò *à superiori*, ante Civitates: quod quidem jam *suprà* refutavimus. Ita, dum Jus ille, quod *naturale* haberi vult, nomen suum retinere cupit, quando est *hominum*, & quatenùs ad pacem humani generis facit, dum in *Civitates* seu *Imperia* illi coeunt; *Jus* verò *Gentium* posse illud *idem*, atque *iisdem præceptis* comprehensum, appellari permittit, quando *totis invicem Civitatibus* applicetur: eô ipsô nil aliud agit *Hobbesius*, quàm ut Jus omne *à Pactis* suspendat Gentesque invicem ùt *singulas* spectet; in *magnâ* quâdam *societate*, non nisi *pactis* constrictas. Hac verò ratione, cùm *intrà Civitatem* pactô illô *superior* aliquis constitutus sit, qui *vim Imperii Civilis*, juxta pactum, & voluntatem *omnium coëuntium*, sustineat; non tamen *inter Gentes* tale quid, quod vicem *superioris* teneat, per Ipsum *Hobbesium*, reperietur: quin potiùs, diversum quid re ipsâ non conficietur, ab eô, quod Ipse in statu *ante Civitates* obtinere dixerat; *Jus* nempe *omnium in omnia*: quippe quòd pacta ad Gentes invicem relata, deficiente superiori seu Imperio, impunè violare liceat. Proinde *Hobbesius* quidem *Jus Civile* quoddam asserit; quò & dominia ille & contractûs refert. Sed Jus tamen aliquod *ùt naturale* Ipsi nullum, & nec ita *Jus* Ei aliquod *Gentium* datur.

Non etiam (II.) habuit PVFENDORFFIVS, quòd *exemplis promiscuè à Doctoribus* ad Jus quoddam *Gentium* relatis, confunderetur; postquam viderat Ille *II. J. N. G. c. 3. §. 22.* aliqua eorum ad *Jus Naturale* referri debere, aliqua merè *Civilia* esse: cætera verò non nisi ad *mores* quosdam Gentium *cultiorum* pertinere, quibus aliæ non obligentur; quod tamen, ut omnes eò teneantur, fieri debeat in eô Jure, quod quis *Gentium* esse diceret. Nam & hæc ipsa largimur *Pufendorffio*: neque etiam *exemplis illis* Jus Gentium constare existimandum est. Quòd verò Ille, quoad *rem ipsam*, putat: ideò nullum Jus tale dari posse, quoniam præter *Deum* & *Rectores Civitatis* nullus sit *superior*, qualem tam *Jus quodlibet* requirat: in eô iterum rectè Idem sentit; sed fallitur, quando in Jure illô Gentium ideò superiorem deficere opinatur: quoniam diversæ Gentes Superiorem nòn habeant. Etenim quoad Jus illud, quod nobis Gentium est, non tantùm Gentes *collectivè* seu *integræ inter se*, sed & *singuli* homines in Gentibus, sive *diversarum* sive *ejusdem Civitatis* fuerint, Superiorem omninò habent; ùt deinceps demonstrabitur.

Neque enim (III.) admittenda inposterum erit *communis Schola*: quæ cùm deprehenderet, naturam dictaminum illius Juris, quod nos *Gentium* dici-

dicimus, eorum etiam quæ sincera habenda sunt, ita comparatam esse, ut sub definitione Juris *Naturalis* comprehendi non possint: eò, præfractò etiam consensu, ductore inter primos HUGONE GROTIO, devenit, ut Jus Gentium *Pactis tacitis* introductum esse, statueret: quam & doctrinam *Cl. Auctor* sequitur. Videlicet Jus etiam *à Paribus* constitui posse, nec ad constitutionem Juris requiri *qualitatem superioris*, existimant: Tantùm obligationem in his, quæ suprà *conventionem* sunt, vel eam præcedunt, esse *unicè* volunt à Superiore, qui *Deus* sit; indeque suô modô etiam *Civilia* Jura *à paribus* procedere. Hinc quoque Jus Gentium posse *voluntarium* suâ ratione & *positivum* dici. Intereà secùs in eo, atque in Civili Jure, obtinere, cùm nihilominus, utcunque *voluntati* paciscentium Jus illud *commune* seu *Gentium* debeatur, ac *decreto* illorum: *necessitatem* tamen habeat moraliter immutabilem. *Vimque obligandi*, quam ab his, qui Pactis illis Jus Gentium superstruunt, desideret *Pufendorffius*, satis validam esse posse, è *consensu* populorum rectè utentium analogiâ Juris naturalis: quin & *executionem* ipsam à facultate *puniendi* proficisci; quæ etiam in Jure Naturali *à pari* procedere possit. *Jo. Frid. Hornius* autem necessitatem obligationis *ex re ipsâ* procedere, inque eâ fundari, putat; quippe quòd & sanctimonia Majestatum & nexus ac contextus Gentium talia postulet: (quô ipsô Ille solùm rationem habet Juris Gentium illius *collectivi*, alterâ ejusdem speciei penitus sepositâ.) Ad quæ *Alii* non minùs expendunt, quòd Juris quoque *naturalis* obligatio *ex rei ipsius naturâ* & vel ipso actionis *objectô* profluat; indeque in *Jure Gentium* simile admitti oporteat. Et tamen in his non desunt, qui adeò insistunt *pactis* suis *tacitis*, ut his adscribi unicè posse velint, si quid in *Jure Gentium* reperiatur, quod *Juri Naturali adversum* sit; qualia nonnulla ipsi putant se adducere posse.

Contrà ex *pactis tacitis* Jus Gentium utique derivari non potest. Nam (1) non ita ùt *pactis* constituitur *Civitas*, quò deinde *à superiori* Lex Civilis procedat; (quanquam & sic *à Majestate* veniat: nec tam *suô* pacto, per quod ad Imperium *constituendum* quis concurrit, quàm per Majestatem *constitutam*, quæ in fieri *multitudinis* fuerat, constringitur:) ita etiam Majestas aliqua ex pactis *Gentium*, de quibus nec constat, extruitur; quæ singulis superior sit. (2) In *arbitrariis* rem ad *Majestatem* duci oportet. In Jure Gentium *necessaria* habentur: quæ ut voluntariò principiô niterentur, hæc ipsa nec desiderant, nec admittunt. Imò illi (3) *Superioritatem* quandam ex ipsis pactis tacitis ne quidem ædificari, per hoc ipsum largiuntur; ùt quidem in *Civili* potestate fit: quando vim obligandi in Jure Gentium *ex objecto* oriri tradunt: perinde ùt *H. Grotius* in J. *Naturali*, vim obligationis ex *rei ipsius naturâ* deduci posse, ait; etiamsi daretur, *Deum* vel *superiorem* nullum esse. At verò *nullum Jus*, quodcunque fuerit, *absque superiore est*; quanquam ex objecto Juris Naturalis, ùt & Gentium, *necessitas*, quâ constitui talia oportuerit, satis eluceat. Unde quidem præcepta naturalia per se honesta: nec tamen præcipi præcepta, seu honesta illa, aut *Leges* esse, potuerunt; nisi *voluntate* Divinâ, hominum cordibus inscriptâ. Imò adeò ad Superiorem oportet in effectu Juris respicere, ut plerique *Majestatem* quoque *Civilem* immediatè *à Dei* constitutione pendere doceant; de quo tamen *inferiùs*. Equidem ex pactis (4) *Jus* oritur, ùt Jus *facultas* est, seu attributum personæ. Verùm ita, quoad *originem*, principium est *voluntarium* naturâ suâ; qualem originem omninò Juri *naturali*, vel quod ei proximum est, *Gentium*, adscribere non licet. Imò ut pactum hoc obliget, *Lege aliâ* opus est, quæ paciscentem ex pactô constringat. Et tamen non ideò tenentur Gentes, quia pactô semet obligaverint. Sic enim ante pacta ad illa quæ Gentium sunt, non tenerentur: imò pactis mutuis abinde recedere possent. Quòd si verò tenentur illis, etiam ante & citrà pacta: ad quid figmentô illô pactorum inutilium opus est. Pacti autem taciti eadem ratio est, quæ expressi; & hoc, antequam perficiatur, neminem ad objectum, quod continebit, obligat. (5) Non posset Jus Gentium *renitentes* & *barbaras* Gentes obstringere; quippe quæ pactæ fuisse dici non possunt: haberi autem quem pro eo, qui pactus sit, cùm pactus non fuerit, veritati repugnat. Quòdsi *verò* pacisci debuerat ille, jam ipsius pacto opus non est, qui necessitate aliquâ ante pactum seu ad pactum tenetur: quidni enim ad illam necessitatem potiùs, quàm ad pactum illius, respiciendum foret. Planè (6) si quæ obligatio pactorum, quâ talium, ex J. N. est: adeoque non datur Jus Gentium; dantur verò pacta Gentium, ad quæ

quæ sibi servanda Jure Nat. tenerentur. Ita verò constituens quoddam habebunt ea, quæ tamen illi *Juris* esse dicunt, non nisi arbitrarium, aut voluntarium saltim: ex se autem vim illa habent, quà ex pactis pendent, planè nullam. (7) Quùm fieri non possit, ut Jus quoddam seu *Lex à pari* cuiquam feratur: *superiùs* evictum est. Nam Pactum utique seu Conventio Lex non est. Malè autem Jus Gentium quis *positivum*, & imò malè *humanum*, diceret: cùm nil detur humanæ Legis, accuratè dictæ, nisi quæ *Civilis* est. *Punitionem* verò posse fieri inter homines *à pari*, falsum est pariter. Nec ulla punitio est *externa*; uti non in *Jure Naturali*, ita nec in *J. Gentium*. Omnis autem punitio à potestate *Civili* in *subjectos* est: quippe *Jurisdictionis* illa & *Judicii* est; non Juris per se, vel *Legis* alicui incumbentis. (8) Ex *nexu* atque *sanctimoniâ* Gentium inter se, colligi quidem potest: necessarium quid esse, ad illa adstruenda & conservanda. Sed necessitas illa *ex se* non habet vim *præcipiendi*. Et imò si necessitas est ex re ipsâ: jam non est *ex pactis*. Movet solùm scopus, non *præcipit*: & quæ ipsum scopum promovent, non præcipiunt; imò *præcipienda* sunt. Non etiam *utilitas* vim Legis habet, aut principium juris illius constituit; utut quod Gentium nexui prodest, illud *justum* sit; *per consequens*. Itaque oportet esse *principium rationale*, quod ea in genere *morum* præcipiat, quæ necessaria sunt: nam nec necessaria ipsius Juris Naturalis ex se *vim* habent *Legalem*, nisi *voluntas* Dei ea homini præcepisset; quæ quidem aliter illa in naturalibus velle non potuit. Videlicet non ea *formalem* rationem *Legis* obtinent, sed *objectivam* & rationem *Justi*; quanquam ne hoc quidem, nisi per *reflexionem* ad *superiorem*, qui eorum *Vindex* sit. Nec est Lex aliqua, nisi ubi *executor* est: cum Lex quælibet Jus dicentem seu *Jurisdictionem* & *Judicium*, ejusque executionem, postulet. Tandem (9) inepti sunt penitùs, qui putant Jure Gentium aliqua contineri, quæ *Juris naturalis* rationi *adversa* sint. Nam nec ea *pactis* validè promitti possent, cùm Jus Naturale pacta talia non modò invalida habeat; sed & prohibeat. Imò spuriè ista, quæ illi adferunt, Juris Gentium dici, ex sequentibus patebit.

Est igitur vera, opinor, sententia, quâ IVS GENTIVM repetendum censeo non minùs ex *L. æternâ Dei*, quà illa *hypothetica* est, & ad hominem *lapsurum* respicit; quò ejùs *indigentiæ* magis subveniri & *malitia* eorum, qui immorigeri futuri erant, quamvis *Gentium integrarum*, per homines etiam ipsos, eorumque industriam & operam, reprimi posset. Hæc igitur cùm non minùs homini per *rationem discursivam* constent; atque *ratio* illa, per *reflexionem* ad regulam *ipsi rationi præcipientem*, vim obligandi repræsentet. Ideò non minùs omnibus pariter hominibus præcepta illa Juris Gentium, per *Legislatorem* istum *supremum*, Deum, promulgata esse in cordibus, asserendum est.

Et quidem illa Juris *Gentium* præcepta, *à præceptis Juris Naturalis*, evidenter *discerni* possunt. Nempe (1) hæc, quæ Juris *Gentium* sunt, non ita ad hominem omnem, in *quocunque statu* fuerit, ùt *Jus Naturale*, pertinent. Et fuit Jus Naturale, cùm nec dum esset, saltim *applicari* non posset, *Jus Gentium*. (2) Jus id Gentium non *absolutè* homini, quà tali, quamvis etiam in *societate* posito, congruit, (nec enim solum Jus Gentium & unicè societati, ne quidem Gentium integrarum, prospicit; quippe quas & invicem Jus Naturale stringit:) sed Jus Gentium homini convenit, quà in statu indigentiæ & malitiæ humanæ positus est, quippe quòd Jus Gentium non ex *naturâ* ipsius *rei* seu *actûs*, sed ex *suppositione* illius *statûs* & *conditionis*, qui homini *non naturalis* aut *primævus* est, oritur. Indeque (3) præcepta Juris Gentium per *modum conclusionum*, quæ nec per se singulis nec semper, necessariæ sunt, educuntur: quæque nec evidenti ratione constant, ùt illa quæ Juris naturalis seu Gentium primævi sunt. Adeò ut etiam humanô discursu & *agnitione* conclusorum (nec tamen *constitutione* eorundem,) indigere videri queant: non quidem, ut Gentes talia *arbitrariè* determinent; sed ut ea *discursu necessariô* adversus instantias, quas videri poterat ipsa *ratio simplex* suggerere, & incerta conjecturæ, ex dictamine & suggestione *rationis* compositæ *irrefragabilis*, eliciant: *suppetias* quoque in hoc *Gentibus* & hominibus *Christianis*, & quicunque eò ducuntur, *Verbo Dei revelatô* præbente. Cæterùm non *constitutivum* est Jus illud Gentium; sed *ostensivum*: licèt non eô *evidentiæ gradu*, quô *Jus* radiat *Naturale*.

Itaque JVS GENTIVM *est* Lex, *quam Deus indidit omnium mortalium cordibus, ad discernendum*

dum ea, quæ indigentiæ & malitiæ hominum emendandæ congruunt; præcipiens illa, & prohibens contraria. Videmus equidem mores complures hominibus agentibus, etiam inter se, in certis actionibus, perpetuò & similiter servatos; tanquam congruentes voluntati Superioris, & hominibus, maximè in societate Gentium aut Civili viventibus, salutares. Ad quos in universum omnes, cùm necessitate qualicunque, aut institutô peculiari, nitantur, discernendos omninò attendere oportet: num ratione aliquâ necessariâ, & quânam illâ; vel an solùm arbitrariâ, quoad principium constent: (nam & quæ in Civitate vel extrà eam probabile etiam initium habent, ad effectum quendam necessitatis suô modô deduci possunt.)

Videlicet quæ *rationis sunt naturalis absolutæ & puræ:* illa *Juri Naturali* relinquere oportet; quamvis & hæc Juris *Gentium*, (eò quòd Gentes omnes, & singuli in Gentibus, illis *utantur:*) dici soleant; ùt est *Religio* erga Deum, obedientia ergà *Parentes; l. 2. ff. d. Just. & Jure*, & *Inviolabilitas* hominum, è cognatione communi. *l. 3. eod.* Quò etiam, sicut *Dominium*, ejusque acquisitionem & amissionem, *l. 4. d. t.* ùt & *Pacta* fidemque eorum, *d. l. 4.* referri oportet. Ita etiam qui *pacem* rumpit, aut *fœdera* solvit, is adv. Jus Naturale peccat; quanquam *Pax ipsa*, *Induciæ* item, ùt & *Fœdera*, ad *Jus Gentium* pertineant, quà *talia* sunt; nec enim omne, quod naturalem *finem* habet, v. g. tranquillitatem, & ne quidem quod rationem seu æquitatem habet naturalem: illud statim *in se* Juris naturalis est. Nam & pleræque Leges *Civiles* rationi naturali insistunt. Unde & *Mediationes* & *Arbitria* Bellorum Juris *Gentium* sunt. *Legationes* quòque *in se*, ùt nunciorum sunt, ad *Jus Naturale;* sed ùt ad compositionem dissidentium pertinent, ad Jus *Gentium* referri debent. *Inviolabilitas* tamen illorum *in se*, communi etiam ratione *naturali* nititur, vid. *l. fin. d. Legat. Transitus* quoque per Terras alienas Juris *naturalis* est: quem quidem variis casibus justè etiam denegare licet. *Pœna* meritum *Juris naturalis* est. Sed *executio* ex *vi illius Juris* ad *Deum* respicit: quà ad *Hominem* spectat, *merè Civilis*, & ne quidem *Gentium* est. *Libertas Commerciorum* Juri *naturali* debetur: quà *indigentiam* sublevat, ad *Gentium* Jura pertinet; quò & modi ejus respiciunt.

Nam illa, quæ non absolutâ, sed *hypotheticâ*, nituntur *necessitate*, & ùt talia per *rationem* humanam agnoscuntur, *Jus Gentium* referunt: Et falsum est penitùs, quòd actûs Juris Gentium non necessarii, sed *indifferentes*, sint: quippe quòd *ex hypothesi* ipsis necessitas concilietur. Falsum quoque, actûs solùm in eô *civiles* esse. Nam & *morales* habet *Jus Gentium;* ùt & *Civiles Jus Naturale.* Quamvis autem *Defensio* ipsa, & vim vi repellere, *l. 3. π. d. Just. & Jur.* etiam cum internecione aggressoris, sit *Juris naturalis:* tamen ipsa defensio, quà *formam Belli* habet, seu potiùs *Bellum*, quô ad *defensionem* nostram, multòque magis, quô ad persecutionem juris nostri utimur, seu *aggressorium;* eò quòd nullum extrà Civitates in humano genere sit Judicium, quô Jus suum asserere & tueri liceat, Juri Gentium debetur: (isque modus *Divinæ* quoque voluntati probatus est:) Videlicet quæ Bello fiunt, non fiunt ex simplici potentiâ fortioris, ùt *Hobbesiana* illa; sed ex facultate legitimâ seu morali. Hinc etiam *Captivitates* & Jura *postliminiorum* in se, ùt & *Pax* ipsa, *Induciæ*, & quæcunque *Belli* sunt consectaria, pendent. Huc *Fœdera* quoque, *Legationes*, & quæcunque eorum ad Gentes integras pertinent; tum & *Transitum* exercitûs innoxium, referri oportet. Nec tamen ea solùm, sed & quæ ad *singulos* in Gentibus, ex eôdem *fonte*, promanant. Unde & varii *modi* acquisitionum Dominii, ùt & *Jura in re* alia, Servitutum & similium, tum & *Possessionum:* (quæ, ùt cætera *singulorum*, non minùs ad Gentes integras æquè pertinent:) nam *Præscriptionum* Jura non nisi *Civilia* sunt; nec minùs quòd *læsiones infrà dimidium* admittamus; ùt & *vis judicati.* *Modi* deinde Conventionum & *Contractuum* varii: quibus invicem singulos Gentium, & ipsas inter se Gentes, uti necesse est: nam cæteri *civiles* sunt; utut à Gentibus, seu placitis singulorum Legislatorum, deinde sensim quoque assumpti: ùt vel ipsa est per *nummum* introducta Emptio Venditio. Sic enim *Testamenta* etiam reperti *Civilis* sunt; sic & *Feuda.* *Repressaliæ* verò & *Pignorationes* compendium quoddam Belli referunt; indeque ad *Jus Gentium* meritò referuntur. Sed *Retorsiones Jurium*, ad vim *statutorum*, quæ aliarum Civitatum Statutis opponimus, ut earum quoque Cives similibus ap. nos subjiciantur, respiciunt; & quamvis *ratione naturali* talionis nitantur, non tamen ipsa *in se* nisi Civilia Jura sunt. Denique *punire sontes*

tes ad requisitionem alterius, aut *dedere*, Jure Gentium Potestas Civilis non adstringitur.

Succedant jam *Instituta* illa, quæ *probabili* tantùm ratione, sive honestatis, sive utilitatis communis, nituntur; indeque ea Officiorum illorum nomine continere licet, quæ Gentes tantùm *moratiores* observant: & vel ea sibi invicem præstant, (cùm quidem ea, quæ propriè & verè Juris Gentium sunt, etiam *barbaras* obstringant atque renitentes:) indeque non sunt illa Juris eximiè dicti, & magis ex *compactô*, non etiam ex *Imperiô*, profluunt. Videlicet Officia illa in *nuda* quidem *imitatione facti* non consistunt; quippe quæ pacti vim non infert: sed quandam *obligationem* habent, ex consiliô omnibus moratioribus probatô, quod *harmoniam* illam universalem inter Gentes *cultiores* facit & *perpetuam*. Proinde *Origo* istorum *Officiorum* in se est *arbitraria*; id quod ex objectis & qualitate eorum patet, dum *materia* ipsorum *indifferens* est; ut tamen ratio communis, ejusque evidentis, salutis *suadeat*, ne officia illa intermittantur: perinde ùt in *Theoreticis*, de naturalibus aliisque rebus, *sapientes* in unum tacitè consentiunt, illudque probant. Verùm hæc quidem Legem *formaliter* non efficiunt; sed solùm *effectivè*, ut Jus seu *Facultas* Gentis in aliam ex compactis illis educatur: eòusque constitura, donec aliis idem præstare voluerimus. Quanquam & *regulam* quandam rectius agendi dicere posses. Nec enim omnis regula Lex est. Eò pertinent, quæ Gentes in *Commerciis*, in Jure *Legatorum*, & in ipsis quoque *Bellis*, velut v. c. in denunciationibus illorum, totôque Jure *Feciali*, nec non in *Fœderibus*, quoad *Solennia*, servant; & quæ circà illa *observantiæ* seu *consuetudini* (quæ tamen in rigore non nisi à *Potestate* superiori *Civili* est,) imputari solent: item quòd *corpora hostium* concedantur sepulturæ, quòd capti *servi* non occidantur, (nam *venditio* illorum, ùt & *occisio impunis*, non nisi *Civilis* est:) quòd *sacris* rebus hostium parcamus, ne cultus religiosus in suspicionem adducatur: quòd *usus veneni* in Bellô illicitus habeatur. Nec minùs omnia huc respiciunt, quæ *correspondentiâ* nituntur Gentium *mutuâ*. v. c. quòd *judicatis* hujus Civitatis alia quoque locum relinquat: quòd *actum* secundùm *solennitatem* istius gestum & ipsa probet: quòd *statutis* istius in multis valorem concedat: quòd *Legitimatos* istius Civitatis seu Reipublicæ ap. se etiam pro talibus agnoscat; & quæ similia sunt. Nempe non quia ad hoc teneretur inevitabiliter, sed ut etiam vicissim eadem quoad se & suos obtineat: nec ob rationem aliam, nisi *utilitatis promiscuæ*. Id quod demum *compacto reciproco* tribui potest: ad rationem verò *Legis* referri nullatenùs oportet.

Quòd verò *Dominium* ad Jus Gentium referri soleat, inde est: quia frequens sententia accepta fuit, *communionem* rerum *juris naturalis* esse; à quâ per *divisionem* vel *occupationem* Gentes ex placitô communi recesserint: Cùm tamen non modò *ad Gentes* etiam plura Juris *Naturalis* respiciant: quippe quòd non hoc solùm *singulorum* curam habeat; verùm etiam *Dominium* rectiùs ad *Jus Naturale* referatur: *negotia* etiam plura, quæ præcisè ad indigentiam sublevandam reperta non sunt, eò pertineant: & in cæteris *æquitas* non minùs ex Jure Naturali adfectatur. Quâ ratione etiam Jura *Legatorum*, *Fœderum*, *Pacis*, ad Jus Naturale spectare diximus.

Planè quod *Jura Servitutum Personarum* attinet; ut capti potiùs *serventur* quàm occidantur, *Juri Gentium* adscribi debet: ut verò ad *perpetuas* operas addicantur; quæ demum *servitus* illa est: id verò *abusivè* Juris Gentium dicitur; cum tantùm ex compacto Gentium illarum, quibuscum *Romanis* Bellum intercessit, Jura illa servitutum, nullâ ratione necessariâ, sed solùm *probabili* quâdam & *arbitrariâ*, obtinuerint: Jus autem *vitæ & necis* cum cæteris, ad Civiles LL. cujusque Civitatis per se referri oporteat. Nunc quidem Servitutes illæ inter Gentes non nisi *Barbaras*, & ne quidem per omnia eô modô, quô inter Romanos, cum indignatione Gentium moratiorum, conspiciuntur.

Jura autem *Acceptilationum* in *l. 8. ff. de Acceptil.* aliô, nec minùs abusivô sensu, Juris Gentium dicuntur: quia acceptilatione, licèt inventum *Civile* sit, etiam aliis in Republicâ Romanâ, quàm Civibus Romanis, uti permissum fuerat.

Denique illa tantùm *subjectivè* & sic impropriè, non item *efficienter*, Juris Gentium dicuntur, quæ *inventione Civilia* sunt; sed ab aliis etiam, eò quòd eadem expedire suæ Civitati viderent, assumpta fuêre: quem in sensum non solùm *particularia* quædam, sed & *integra Jura*, qualia *Feudorum* sunt, Juris Gentium esse dicimus. Sic etiam *Gradûs* quidam *propinquitatis*, in *Nuptiis* prohibiti, non ex ratione necessariâ Gentium pendent; sed ex

ex *institutis Civitatum* procedunt, quas & aliæ, quæ in his majorem laudem agnoscebant, secutæ sunt; ut cùm idem Civitates seu Gentes pleræque susciperent: inde Juris Gentium *speciem*, & *nomen* etiam, acceperint. Atque talis quoque prohibitio conjugii inter *fratrem & sororem* est: talis quoque ea, quæ inter hos versatur, qui sibi *Parentum* & *Liberorum* loco sunt. (De Jure enim *Divinô positivô* jam non quæritur.)

Ipsum verò *Jus Gentium* propriè dictum, ùt superius descriptum est, rectè DISTINGVITVR in id, quod tale est inter Gentes *distributivè*; & quod est tale inter eas *collectivè* sumptas. *Illud* inter ejusdem quoque Civitatis Cives locum habere potest, adeoque etiam in primis *familiis*, cùm nondum *Gens* daretur, obtinuit. Et valdè imperiti sunt, qui Jus Gentium per hoc à Naturali discernere volunt; quòd hoc ad *singulos*, illud ad *Civitates* & *Gentes* integras spectet; cùm tamen & Jus *Naturale* Gentem genti obstringat. *Jus* etiam quoddam imò *maxima* pars *Juris Gentium*, ad *singulos* homines & Gentes *ut singulas* pertineat. *Collectivum* verò Jus Gentium non nisi inter diversas Gentes servatur; uti sunt Bellorum, Legationum, Commerciorum, Fœderum & similia jura. Num verò etiam Jus Gentium in id quod *Pacis*, & quod *Belli* est, distingui potest? Utique non ita posset *Jus Naturale*. Hugo *Grotius* etiam Jus suum *Pacis* non aliter, quàm ut Bello finem imponit, nuncupat: cùm *Bellorum* Jura cumprimis executurus esset. Sed adæquata erit definitio, si dixerimus, à *negotiis* eorumque discrimine: (sumptâ *Pace*, pro quocunque statu, qui Belli non est; terminô infinitô:) quòd *Jura* alia *Gentium* pertineant ad ea, quæ *Belli* sunt, alia ad *reliqua* omnia; non modò *in statu Pacifico*, sed & *in Bellico*, quæ in hoc *Bellica* non sunt: *togata* dicimus, seu ad togam; ùt ista ad *sagum* pertinentia. Porrò Jus Gentium aliud *Publicum*, aliud *Privatum* est; quod posterius qui negant, parte suâ meliori Jus Gentium mutilant. Est quoque Jus illud aliud *Sacrum* aliud *Profanum*; sed non est aliud *Commune* aliud *Particulare*; quasi hoc sit *moratiorum*: ùt abstinere in bellis à venenô. Nam hoc Juris Gentium non esse, modò diximus: & omne igitur Jus Gentium commune, nullum *tantùm moratiorum* est. Non etiam in *Antiquum* & *Recens* rectè distinguitur: nam illa non est distinctio nisi Juris *positivi*, non etiam Juris communis; quale est Jus Gentium. Imò *Legatio assidua*, item *lytri* acceptio pro captivis, non sunt Juris Gentium, nec ratione necessariâ nituntur; sed *ex compacto* procedunt. Denique non aliter Jus Gentium *Permissivum* datur, quàm de Jure Nat. diximus. Estque & illud Gentium permissivum *immutabile*. Quæ verò *negativè* illius sunt, i. e. de quibus nil statuitur eô Jure, sed quæ *Legislatoribus* singulis relinquuntur: ea nec Juris Gentium dici possunt.

Vim ipsam Juris Gentium si expendamus, *directiva* tantùm illa est, quam vocant, *inter homines*; *coërcitiva* seu *Judiciaria externa* non item. Nulla talis in jure *Naturali* extrà Civitates, seu *in statu naturali*: nulla etiam in *statu Gentium*; multò minùs ut *pœnam* Gens una sumere possit de aliâ, quasi violante Leges Gentium. Nam *coërcitio* qualiscunque non habet protinùs formalem rationem *pœnæ*; quippe quòd hæc *superioritatem* inferat; nullus verò præter *Deum*, ùt in Naturali, sic & in Gentium Jure, sit superior. Et ne quidem *omnes Gentes* si conjunxeris, illæ superioris vicem habere possunt; secùs atque in *Democratiâ Civicâ*, ubi singuli superioritatem universorum seu Multitudinis sibi imposuerunt; quale quid singulæ Gentes in universis ne cognoscere quidem possunt, aut usui hæc agnitio futura esset. Quòdsi verò *communi* omnium *sensu* aliquem Juris Gentium reum damnari posse dicas: nil aliud inde conficies, nisi *applicationem* Juris Gentium, *executionem* non item; neque exequendi potestatem: quæ non *rationis* est, sed *Dei* unicè; qui non *universale* mundi, sed *Civitatum Imperia* tantùm, dedit hominibus. Equidem *Bellorum exitus* vim *judicati* inter Gentes obtinet hactenùs, quòd *finem contentionis* esse oporteat; sed judicatum tamen *per se* non est: ùt nec Bellum est *Judicium*, aut *Gladius* superioris vicem gerere eâ quâ decet, rectitudine potest; nisi quòd *Dei* directionem in exitu Bellorum agnoscere oporteat, qui victoriam tribuit vincenti, non ubique ob justitiam causæ bellô actæ, sed quòd justum fuerit, ipso bellô hôc, etiam ex injustâ causâ susceptô, alterum vinci.

(*b*) IMMEDIATE. Simpliciter, vult *Auctor*, nam & cætera jura, tam Gentium quàm Civilia à ratione *immediatè* procedunt; tantùm quòd in his non absoluta, sed *composita* & *hypothetica* sit. Quatenus verò *arbitramentum* contineat, seu *voluntatis*

luntat: Gentium nitatur, Jus *Gentium*, ex modò dictis constat: ex quibus etiam de *exemplis*, quæ promiscuè *h. l. Auctor* Juri illi attribuit, judicare licet.

II. Diversum docent, principiis tamen singuli diversis, & conditores Juris Romani & Hobbesius ille Britannus. JCti Naturale Jus appellant τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, prima naturalia, (*c*) quæ brutis quoque animalibus insunt. * Id autem quod generi humano proprium simul & commune est, hoc omne, Jus Gentium vocant, tam quod cum hominibus ipsis proditum (*d*), quam quod ab illis introductum est. Hinc ad Jus Gentium referunt, Religionem in Deum, pietatem erga patriam & parentes, cognationem inter homines naturalem, denique servitutes, manumissiones, bella, regna, dominia, contractus. ** Quæ jura, cum facile appareat, diversæ esse constitutionis, Interpretes Artis, duas Juris Gentium species, primævum & secundarium, distinxerunt. Qua partitione factum est, ut verbis quam re sententia Juris Romani à philosophiâ, quam Grotius sequitur, differre videatur.

* *Dixi in digression. l. 1. c. 21.*
** *vid. l. 1. in fin. cum ll. seqq. de Just. & Jur.*

(*c*) PRIMA NATVRALIA. Sunt *prima* naturæ, quæ nobis ùt *animalibus* insunt, per modum *instinctus; Secunda*, quæ ùt *hominibus*, per modum *reflexum rationis*. Et tamen ex *primis naturalibus* H. Grotius *L. I. c. 2. §. 2.* Jus naturale deducendum esse, putat. Hinc etiam in *Prolegom.* curam fœtûs v. c. in brutis tribuit *intelligenti cuidam extrinseco*. Quod quidem posterius uti falsum omninò est, neque intelligens quoddam hactenus desideratur in brutis & ipsorum operationibus; quippe ad quas nudus instinctus naturalis, & *vis æstimativa* quædam *interna*, sufficit. Ita à *primis* illis naturæ, *quoad hominem*, Jus Naturale derivari non potest: Nam (1) illa non sunt electionis & rationis, sicut esse debent actiones Juri subjectæ: siquidem inclinatio solùm competit animali, quà tale est. (2) Competunt illa prima homini, quoad *appetitum sensitivum*, qui tamen ùt rationi subest, ità cum eâ sæpè pugnat: Et prius est igitur, ut audiatur ratio à Lege æternâ informata. (3) Quia motûs illi ob temperamentum hominum & rationum varii sunt; Lex verò naturalis apud omnes est eadem. (4) *In primo homine* non potuerunt fuisse illa prima inordinata. (5) Homo ùt animal concipi & considerari debet; sed ùt homo utitur *Jure Naturæ*, & non minus homini etiam *quà homini* inest v. c. studium se conservandi, ad quod utique *ratione* instructus est. Neque enim potest habere rationem *proprii Juris naturalis*, quod *æquè* brutis competit, quodque à secundis naturæ determinatur & *indifferens* est, atque ad excessum æquè propendet.

(*d*) CVM HOMINIBVS PRODITVM. Naturale scil. humanum, seu secundarium, quod dicunt, aut Jus Gentium primævum; ùt nunc sequitur. conf. *§. 6. h.*

III. Hobbesius * discrimen statuit, inter Jus Naturæ & Leges Naturales, quemadmodum ex superioribus intelligi potuit. Jus Na-

turæ videtur ſumere pro facultate iſtâ aliquid habendi aut agendi. Hoc adæquatum vult cum Statu Naturali, idque ſolâ potentiâ docet æſtimari, ut quisque jus habeat, quantum viribus valeat. Sed Leges Naturæ vocat illa dictata, quæ docent à Statu Naturali & jure illo validiorum in imbecilliores eſſe recedendum. Expertis hominibus, eô jure vigente, nihil eſſe in mundo quàm bella omnium adverſus omnes.

IV. Leges igitur Naturæ has eſſe; (e) ** *Pactis ſtandum, gratiam referendam, non eſſe incommodum alteri, non contumelioſum, eſſe miſericordem, modeſtum, non præferre ſemet aliis, nec alios aliis. Item habenda communiter, quæ dividi nequeunt, aut ſorte dividenda, quod quisque primus occupaverit, id ipſius fieri. Controverſias non manu ſed per arbitros exequi. Neminem eſſe arbitrum, aut teſtem in propriâ causâ.* Poſtremam eſſe Legem, *non inebriari.* Harum Legum nulli locum eſſe in Statu Naturali, *** ſed tum ſolummodo, cum ſecure id fieri poſſit. ****

* *Hobb. c. 1. §. 7.*
** *Idem cap. 3.*
*** *cap. 5. §. 2.*
**** *c. 3. §. 27.*

(e) LEGES NATURÆ HAS ESSE. *Viginti* recenſet *Hobbeſius*, quas ſtrictim hic complexus eſt *Cl. Auctor.* Vigeſimam *de non inebriando* ſeu vitandâ *crapulâ*, hôc niti, ait, quia Leges naturæ is obſervare non poſſit, qui ſciens volens id faciat, quô *facultas rationalis* labefactetur: indeque perinde eſſe, utrum præter officium faciat quis; an id faciat, quò minus Officium implere poſſit. *Scharrokius* Officia, quæ vocat ſecundùm *Jus Naturæ*, his Capitibus includit. (1) *Innocentiæ.* Nemini innocenti damnum inferendum. (2) *Fidei.* Hanc ſervandam. (3) *Graditudinis.* Paria bene merentibus retribuenda eſſe. (4) *Philautiæ.* Salutem ſui procurandam. (5) *Studii prolis.* Sobolem gignendam. (6) *Amoris Cognatorum.* Benefaciendum conſanguineis. (7) *Humanitatis.* Hominibus reliquis prodeſſe oportere.

V. Porro Leges Juris Gentium diverſas à naturalibus nullas agnoſcit. Sed aut naturales eſſe, quatenus faciunt ad pacem humani generis cuſtodiendam, ut ſunt diſcretiones Gentium, conſtitutiones imperiorum. Aut civiles, (f) quæ jam Imperii ordinem & unionem præſupponunt, ut diſtinctiones dominiorum, commercia, contractus, & id genus alia.

(f) AUT CIVILES. Nec tamen aliter naturales iſtas ab his civilibus, niſi *denominatione extrinſecâ*, differre docet; ut *ſuprà* dictum eſt.

VI. Primam illarum opinionum, quæ eſt Juris Romani, termi-

norum

norum abusu, duntaxat à doctrinâ, quam nostram fecimus, differre diximus. JCti enim Jus Gentium vocant id, quod homini innatum. Quoniam principia illa, quorum imitamenta brutis inesse videntur, (g) juris naturæ appellatione perperam nec tamen sine exemplo dignantur. *

* *Dix. in digression. Justinian. l. 1. c. 11.*

(g) IMITAMENTA BRUTIS INESSE VIDENTUR. Nam *rationem* licèt inesse *Brutis* nonnulli asseruerint, & *Hieron. Rorarius*, *Exlegatus Pontificis*, peculiari *Libello*, quòd *bruta ratione melius utantur*, *quàm homo*, conatus fuerit ostendere; *Franciscus* quoque *Bonæ Spei*, bruta *ratiocinari*: non quidem ad actûs liberos & in ordine ad electionem, sed *ad actûs necessarios*: cùm discernere & cognoscere bonitatem *consequentis*, sit *ratiocinari*. Imò *Jannettus*, ùt & *Salmasius* in *Animadv.* ad *Epictetum. pag. 136.* in brutis *gradum* rationis dari tradiderint. Adde quoque *de la Chambre* Traité *de la Connoissance des Animaux*, *du Raisonnement des Bestes. Paris. 1662. 4.* Tamen *imitamenta* potiùs rationis, seu *vim* quandam *æstimativam* in brutis reperiri, quàm rationem aut gradum rationis, (quippe quòd gradûs illa non admittat,) verius est. Ejusm. vim æstimativam, quâ *intentiones etiam non sensatas* perciperent, adeoque ultrà apprehensionem formarum in sensûs incurrentium: (siquidem, ut bruta solùm moverentur, ob convenientia vel disconvenientia sensui, non sufficiebat:) *formicæ*, v. c. item *avi nidificanti*, &c. natura indidit: ita ut impulsus & cognitio quædam congenita sit in brutis; quæ quidem à rationali totô genere differt. (1) Quia opera sua perficiunt bruta, non cùm facultate cognoscendi rem *in naturâ suâ*; quod est *rationis*: sed solùm sub ratione *boni privati sui*, idque ex simplici impulsu, & absque præcurrente experientiâ. (2) Consimiliter, sinè variatione, nec modô differente. (3) Cognitio brutorum non est *reflexa*; ùt est ratio. Nam quando naturam rerum apprehendimus per rationem: naturam quoque *ipsius cognitionis* apprehendimus, eòque ipsò in cognitionem *nostram* reflectimus. Sed brutum non cognoscit *se brutum esse*, nec habet facultatem *suprà actûs suos reflectendi*; quòd *tales* sint; v. c. dum brutum se defendit, non cognoscit, *quòd* & *cur* se defendat. Oculus etiam in homine videt, nec tamen videt se videre. (4) Non cum prænotione finis alicujus. *Finis* enim cognoscitur (α) *formaliter*, cum habitudine ejus ad media. (β) *materialiter*, sub respectu convenientiæ cujusdam; præcisâ proportione cum mediis: quæ posterior æstimatiò solùm in bruta cadit; quamvis & ipsa imperfectè: siquidem cognitio non simpliciter est tam agentis bruti, quàm acti à naturâ; atque illa ex principiis impressis, naturali potiùs necessitate, quàm obedientiâ, Divinæ ordinationi obtemperant, & in fines præordinatos feruntur. Proinde nullum est periculum, si cognitionem dictô modô brutis tribuamus, ut illis *gradum rationis* largiri oporteat; quod *Cartesius* & qui eum sequuntur, meritò se vereri, opinantur. Ita enim est, quòd Bruta quidem cognoscant *objectum* suum, & illud excitet *Spiritûs animales*: siquidem factâ objecti externi in animâ bestiarum impressione, ad varias cerebri partes impelluntur Spiritûs: qui si inveniunt speciem speciei delatæ similem, in *memoria* animantis hærentem, excitatam illam *Phantasiæ*, *unà* cum speciebus connexis, objiciunt. Unde fit, ut ex memoriâ illorum, quæ aliquando sensit brutum, & specierum receptarum, jam excitatarum, conjunctione & concursu, eadem colligat, quæ olim sensu percepit. Nec tamen per hoc illa ratione aut gradu ejus aliquô valere inferri potest; quippe quod satis removent ea, quæ ante diximus. Videlicet *sensu interno* illa non carent, nec *cognitio* quælibet seu perceptio, *rationis* est: estque falsa *Cartesii* doctrina, quòd actûs brutorum *determinato motui* interno spirituum animalium tribui debeant; dum illa moveantur, ùt *machinæ*: brutumque nihil aliud sit, quàm *corpus vivum motu præditum*. Falsum etiam; quòd *ratio* hominis nihil aliud sit, quàm *cogitatio*: quòdque si brutis *sensum communem*, *phanthasiam* & *memoriam* tribuimus, inter hæc & rationem hominis non nisi gradûs

gradûs ſit differentia. Intereà cognitione licèt prædita ſint, ſenſuque illô etiam internô, indeque *animâ ſenſitivâ tota;* non tamen Juris *naturalis* illius *propriè dicti* capacia haberi poſſunt; neque enim *juſtè* agere dici poteſt, quod *naturaliter* ſolùm agit, non moraliter ſeu cum electione. Accedit, (1) quòd Jus naturale etiam in ſtatu lapsûs *imaginem divinam* reſpiciat: cùm adhuc ſuperſtes ſit in ſenſu Eccleſiaſtico lumen veri & ſenſus boni. (2) conſcientia. *Rom. II. & γνωςὸν τῦ θεῦ. Rom. I. v. 20.* illi juri tribuatur. (3) In Brutum non cadat habitus; cui quid analogum jus Naturale habendum eſt. (4) Non ſint capacia illa præmiorum & pœnarum; niſi harum ſolùm materialiter. Vel potiùs non in pœnæ vicem, ſed aliis de cauſis aliquando tollantur è medio: quas benè exponit Pufendorff. *L. II. c. 3. §. 3.* (5) Quando natura quid præcipit in ordine ad conſervandam naturam ſenſitivam, ſemper involvat modum rationalem. Nec ſufficit, ùt *Strauchius* arbitratur, ſi *in præcipiente tantùm ratio* ſit: puta in Deo: nec quòd *actûs* quidam *communes* ſint in brutis, ratione eſſentiæ ſeu *phyſicè*: cur enim non ſimul cum plantis jus commune fingitur (Neque etiam *Grotius* recipiendus eſt, qui in *Prolegom.* Brutorum actûs ab *externô principiô* dirigi exiſtimat: cùm tamen nec forma aſſiſtens, nec angelus, nec anima mundi, id conficere poſſit, nec ad Deum iſtud referri propriè debeat; verùm ad *internum* principium, & vim æſtimativam, de quâ *antè* diximus.

His omnibus *non obſtat:* Quicunque participat de *Lege Dei æterna*, ille capax eſt Juris naturalis. Atqui Bruta. E. *Reſp.* utique Bruta participant de Lege Dei æternâ; quatenus hæc ſumitur pro judicio intellectûs divini practico, ſecundùm quod *res creatæ qualibet*, ſecundùm naturam ſibi convenientem, regerentur. At verò hoc modo etiam res *inanimata* de illâ Lege participant. Quà verò *Lex æterna inadæquatè* ſumitur pro Regulâ *morali* creaturam *rationalem* obligante ad id, quod in ſe & ſuâ naturâ rectum eſt: ita Bruta de ejuſmodi Lege Dei æternâ participare non poſſunt. *Prior* acceptio Legis æternæ præciſa eſt; *poſterior* hujus loci, & ad hominem ipſumque *Jus Natur.* definita. Et tamen ad priorem ſenſum aliqua brutis inſunt, non niſi *materialiter*, ſecundùm quæ ſcilicet agunt neceſſariò, ad juſſum, non ad Jus: (nam & rebus inanimatis ex illâ Lege Dei ineſt inclinatio; ùt igni ad aſcenſum &c.) ſed non etiam formaliter, prout hæc ipſa in homine reperiuntur; cognoſcente convenientiam & diſconvenientiam actuum ſuorum, cum illâ Lege Dei æternâ.

VII. Hobbeſii jus naturæ à legibus diverſum, ita ut ab illo explicatur, præcedenti capite refutavimus. Sed leges ipſius pro Jure Naturæ admittimus; ſic tamen, ut facile plures addi poſſent. Etiam ut in Statu Naturali, quatenus termini habiles ſingulis conveniunt, obtinere debeant, quod ſimiliter probavimus.

VIII. Porro manifeſta res eſt, quod multa in rebus humanis inſtituta plerisque populis communia vigeant, quæ ſine actu voluntatis humanæ vim habere non potuerunt. Quæ proinde naturalia, id eſt, nata cum hominibus, videri non poſſunt. Cum autem nullius certi populi autoritate introducta vel excogitata ſint, clarum eſt neque civilia dici poſſe. (*b*) Unde tertium genus dari neceſſarium evadit, quod Jus Gentium appellamus. Scilicet, poſitiones talium inſtitutorum non eſſe naturales, contendimus. Quibus tamen ſuppoſitis concluſiones ex illis immediatè naturales omninò producuntur. * Sic dominium eſt juris poſitivi (*c*) actuque voluntatis humanæ ſtabilitum. Sed,

rece-

recepto eo, tunc & ipsum Naturæ jus indicat esse nefas alteri eripere quod ejus est proprium.

* *vid. Grot. cap. 1. §. 10.*

(*h*) Neque civilia dici posse. Et tamen propterea non desinit *Jus* quoddam *Civile* esse, quod plures recepêre Respublicæ; quamvis de *certâ* quâdam *Gente* non constet, à quânam illud primitùs introductum sit. Imò sunt quædam *Instituta* pluribus usurpata, quæ tamen ne quidem propterea *naturam* & *vim juris* habent.

(*i*) Dominium est Juris positivi. imò juris naturalis. Est enim commentum illa, quam *Cl. Auctor* cum *H. Grotiô* statuit, *primæva communio*. Et non posset aliter juris naturalis esse illa conclusio; (quæ quidem, ùt propior, instar principii habet; saltim non Gentium aut Civ. est:) *ab alienô abstinendum*. Utut enim modum quendam Jus G. aut Civ. introducere posint, quô alicujus res fiat; tamen *ipsum in se dominium* Juris naturalis est.

IX. Præterea, quanquam Jus Gentium rationi Naturali convenire debeat, tamen Juris Gentium in hypothesi esse potest, quod repugnat rationi. (*k*) Propterea, quod universale jus ob varietatem circumstantiarum mutari nequeat. Cùm ob judicii de illis incertitudinem, tùm, quia prætextu singularium jus universum infringeretur. Hinc jus domini in servos, patris in liberos, mariti in uxorem, magistratuum in cives durat, etsi iniquè exerceatur. Quemadmodum & in iis, quæ sunt juris civilis, haud rarò obtinet; ut præscriptione longissimâ per malam fidem. Unde haud inutilis distinctio inter ea, quæ justitiæ intrinsecus & quæ extrinsecus (*l*) conveniunt, ut in loco nobis occurret.

(*k*) Quod repugnat rationi. *absoluta*, non omni; quamvis nec ista rectè dicatur *repugnantia*. Nam *præscriptio* ratione *naturali* quoque nititur, quæ vult litium in Republicâ finem esse: & possessionum justas acquisitiones, certis requisitis, etiam contrà veros olim Dominos, defendi, rationi non adversatur. *Jus* verò *Domini* in servos *iniquè* exercitum *Jus* non est, seu *Facultas* Juri aut *Legibus* probata; ne quidem ùt jus est *iniqua sententia:* nam hanc, si in rem judicatam transeat, publica salus defendi jubet; & læsus illâ sibi imputare debet, quòd eam sententiam in rem judicatam transire passus sit. At verò si jus suum Dominus, si Pater, iniquè exerceat, ne *externâ* quidem ratione tale quid juris nomen obtinere potest. In cæteris verò *institutis Civilibus*, ùt *Vellejano*, *Macedoniano*, *læsione infrà dimidium*, nequaquàm *ratio naturalis* abest; sed *fortior ratio* inter concurrentes respectûs prædominatur. Cæterùm non tam videtur *Auctor* statuere, quòd detur Jus quoddam Gentium, quod rationi adversetur: nam hoc in *pr. §. 9.* Ipse negat; verùm quòd facultate eâ, quæ ex jure suô competit, quis quandoque *abuti* queat: id quod Jus vocat in *hypothesi*. Nam ita licèt jus verum non exerceat; tamen in Civitate, ùt & inter Gentes, illud *effectum juris* habere. At verò hæc acceptio hypothetica ad rationem *juris*, quà pro *Lege* accipitur, non pertinet. Quodque hìc eô significatu de Jure Gentium traditur, istud ei ne quidem proprium est; verùm etiam in *Jure naturali* occurrit. *Impunitas* verò neutri, sed solùm Juri *Civili*, adscribi potest.

(*l*) Extrinsecus. Quoad *Fori humani* ratio-

rationem; quod propriè non nisi *in Civitate* obtinet. Nam *inter Gentes impunitas* & tolerantia non tam positiva quàm *negativa* est; eò quòd executio pœnarum, & emendatio iniquitatis exacta, ibi nulla dari possit. Neque igitur, si quæ impunè fiunt *inter Gentes*, illud ipsi *Juri Gentium* ejusque naturæ attribui debet; quasi *Jure* scilicet *Gentium* illa impunè fiant, & non ita in Jure *Naturali* se habeat; uti sint stupra, incendia, cædes, è solâ libidine, infantium sc. puerorum, senum, fœminarum, sine usu belli: atque hæc *Juris Gentium externi* haberi oporteat. Quò & referunt *Alii* perfidiæ incitationem alienæ, velut subditi Regis hostilis, in Ipsum Regem; item quòd promissorum in bello solenni fides ex metu rescindi non possit. Imò non aliunde fortiùs *discrimen* Juris *Naturalis* à Jure *Gentium* se ostendere posse credunt. Enimverò (1) Impunitas illa nil ad *Jus ipsum* Gentium: in *civilibus* aliter habet; quod ipsum tamen solùm *effectum facultatis* ejusmodi factis permittit, ut *Juri* tamen ipsa *formaliter* non congruant: quin potiùs talia Jus ipsum *improbat*. (2) Debet Jus omne tranquillum reddere in *conscientiâ*; quale quid non est *in effectu* Impunitatis. (3) Etiam *adv. Jus Naturale* inter Gentes *impunè* peccari potest: nec tamen ea *Juris Nat. externi* quis rectè diceret. (4) Non approbat ullatenùs Jus Gentium *stupra* & reliqua, quæ *omitti possunt*: imò ne quidem *mala* Belli *inevitabilia*; dum *ipsa Bella* probat: unde si in obsidione infantes globis injectis perimantur, illud non nisi Belli malum & infortunium est, & ad *factum Belli* ejusque naturam pertinet, *Jus* verò *Belli* non attingit. (5) Incitatio subditi *ad perfidiam* nulli *Juri* Gentium probatur. *Metus* verò, quia *privatus* non est, qui bellò infertur, ideò nec *solus* ille, nec *cum læsione*, respici potest, ut causa *ex integro* cognoscenda sit; ne *bellum ex bello* recrudescat. Imò belli *alia* & *incommoda*, quæ *modum* scilicet non habent, admittere non possunt, ut *de læsione* ex metu disceptetur. Intereà Jus Gentium *Bella iniqua* non probat; nec ut *vindicentur*, impedit. Quod tamen ne fiat, *prudentiæ* potiùs, ad evitandum majus malum, quàm *Juris prohibentis* est.

X. Cæterum ex dictis apparet, tam Jus Naturæ in Statu Civitatum, quam Jus Gentium in statu naturali, (non tam illo primævo, (*m*) quam qui nunc est inter populos diversos,) obtinere.

(*m*) NON TAM ILLO PRIMÆVO. imò & ante conditas Civitates Gentesque *Jura Gentium*, quæ *distributivè* talia sunt, obtinuêre. Neque enim Jus Gentium illud *subjectivè*, quasi Gentes ad sui exercitium requireret, verùm *efficienter* dicitur; quòd eadem ratiocinatio idem dictitet Gentibus integris, quod singulis hominibus, ut v. c. indigentiam suam contractibus & aliis modis sublevent, ingesserat.

CAPUT. V.

De Jure Divino.

ARGUMENTUM.

Jus Naturæ & Gentium omnemque rationis usum subesse regimini Juris Divini. Hoc duplex statuitur Mosaicum & Christianum. Illud ad Hebræos solos, hoc ad omnes populos latum. Mosaicum rursus duplex, cerimoniale aut morale, hoc aut necessaria aut probabili ratione niti: necessariâ, ut in plerisque Decalogi: quâ proinde omnes non modo vi tacitâ naturæ, sed & expressâ præcepti Divini homines obligari: probabiles rationes in præcepto de Sabbatho esse & in Politicis, easque aut solis Hebræis aut æquè reliquis convenire; solis Judæis, ut in lege de asylis; æque aliis, ut in præcepto de habitu

bitu

bitu ſexuum, pœnis delictorum. quæ prioris ſunt generis, eas cum Judaico populo ceſſare, non ita reliquas, ſed quatenus in iis honeſtas moralis etſi non neceſſaria vertitur, ita hodieque eſſe obligatorias, mutabiles tamen, quatenus in iis aliquod cerimoniale aut judaicè peculiare conſiſtit. Applicatur hoc quæſtioni de Sabbatho; in quo ſit ratio moralis; non tamen neceſſaria, ſed cujus probabilitas nobis æque ac Judæis conveniat, ut ſeptima dies pro cultu ſolenni excipiatur: Unde hac parte nos quoque teneat: quæ autem ex hebdomade feria eligenda ſit, hoc peculiare & mutabile videri. Quod de obligatione legiſlatoria in hoc capite dicitur, id non cum relatione ordinis civilis capiendum, quo ſenſu nulla lex Hebræis lata ad nos ſpectet, ne decalogus quidem, ſed de conſcientiâ voluntatis divinæ aliis ita manifeſtata, ut nos eadem voluntatis declaratione obſtringi non ſit dubium, eoque ſenſu decalogo nos teneri & legibus moraliter probabilibus, quæ & nobis congruant eâdem analogiâ. Denique non videri in N. T. ſeveriorem morum diſciplinam ac in V. T. tradi.

I.

DIctamina rationum, unde Jus Naturæ & Gentium, ſunt principia philoſophiæ, quibus, ſi ſola ſint, homines facile abutuntur (*a*) καὶ ματαιῶνται. Ita ut ſtudium ſapientiæ κενὴ fiat ἀπάτη *inanis argutia*, & deflectens à τῆ γνώσῳ τῦ Θεῦ totum evadat παράδοσις τῶν ἀνθρώπων, hominum traditio. Per ſe tamen illa minimè improbanda eſſe indubitatum eſt. Quando è ſculpturâ numinis impreſsâ cordibus (*b*) originem habent. Quæ, ut ante dictum, obſcurior facta non ſuffocata eſt.

(*a*) FACILE ABVTVNTVR. Hinc ſuppetias ex Theologiâ ſumere oportet, ne quid Juri Divino adverſum ſtatuatur: tum & ut Diſciplina hæc, ſaltim quà his *univerſalis* eſt, qui Verbô DEI revelatô cenſentur, *complementum* ſuum habeat. Equidem *Theologia* eſt tum *Fidei* tum *Morum*, (in *Syſtemate* ſcil. ſeu *Partibus* ejus; non enim hæc diſtinctiò *ſpecierum* eſt:) Illa in *Locis* Theologicis ſpectatur, & *Credenda* per Poſitiones continet, (*Thetica* ſeu *Poſitiva*,) quò in Controverſiis *Polemicam* redigunt. Hæc in *Agendis*, unde & nomen *Moralis* obtinet: ad quam *Caſuiſticam*, in Diſceptationibus ſpecierum Moralium, referunt. Nonnulli verò Partes illius Theologiæ Moralis etiam in *Locis* de Lege, de Bonis Operibus, de Conjugio, de Magiſtratu Politicô, explicant. Eſtque de cætero Moralis illa Theologia vel *communis* vel *propria*: hæc quæ ad certum vitæ genus vel ordinem refertur. Sed Theologia *Fidei* huc non pertinet: aliàs propiùs huc *Theologia* faceret *naturalis*: niſi quòd *adminicula* diſciplinæ noſtræ præbere hæc etiam pars Theologiæ poſſit. Cæterùm *Partes* Theologiæ *Moralis Officia* ergà *Deum*, ſeu Cultum & Obedientiam, *Tit. II, 11.* & ergà *Homines* continent, per prædicationem verbi, *1 Tim. I., 5.* ad fructum *Spiritûs* & *Juſtitiæ* æternæ. *Rom. VII., 4. Epheſ. I., 3.*

(*b*) E SCVLPTVRA NVMINIS IMPRESSA CORDIBVS. Diſtinguit *Hugo Grotius* Jus omne in *Naturale* & *Voluntarium*. Hoc in *Humanum* & *Divinum*. Quocircà licèt Jus *Naturale* ſuô modô etiam *Divinum* ſit; tamen quà *voluntas* Dei *exteriùs* prodita eſt, Jus *Divinum* hactenus erit Voluntarium ſeu *Poſitivum*; quamvis etiam *Morale* fuerit: nam *Forenſe* atque *Ceremoniale* poſitiva eſſe dubium non eſt. Hinc vel ex eo ſolo diſcrimen inter Legem *moralem* & *naturalem* conſtituunt multi, quòd moralis Lex à voluntate & ſanctione Dei *expreſsâ* obliget; naturalis autem ex concreatâ vi quâdam, citrà revelationem peculiarem. Ex quô ſequitur, Jus morale *mutabile* eſſe, nec *internum*, & juſtum quia Deus *voluit*; indeque *conſe-*

H quen-

quenter ad voluntatem DEI. Enimverò, quòd illi in *Statu integritatis*, ubi *voluntatem* DEI ab homine ex lumine naturæ satis cognosci potuisse volunt, Legem Naturalem à *Morali* non fuisse distinctam opinantur, vix admitti potest: cùm & in illô statu Leges *positivæ* DEI, ùt de arbore vetitâ, extiterint; nec Legem Moralem, quà talis est, Deique in eâ *voluntatem*, natura unquam dictaverit; quippe quòd in illâ Lege talia, quæ *per se* honesta ac turpia sunt, non veniant. Quare post lapsum multò magis opus fuit Lege illâ Morali seu positione expressâ, quâ voluntas DEI, ulterior ista in genere morum, inter homines *custodiretur*, atque *vera* insuper *ratio* Juris Naturalis, (quam obscuratô lumine, quà Spiritualis fuerat, cognoscere homo ampliùs non poterat,) unà *reduceretur*. Est quoque Lex Naturalis, ut nunc homini innotescit, carnalis; sed moralis, ùt illi in subsidium venit, est spiritualis, *Rom. VII.* Lex Moralis est supernaturalis & ex revelatione, & qui eam implet, non manet sub irâ DEI; secùs qui tantùm implet naturalem. Nam Lex moralis *necessariam* rationem & ipsa continet: Intereà quod Naturale est, illud quidem morale multò magis haberi debet; nec tamen quod Morale est, idipsum quà tale est, ullatenus Naturale haberi potest. Cæterùm non est Jus triplex *voluntarium* Divinum, eô sensu, quô *H. Grotius* voluit, *I. 1. 15.* Scilicet (1) *arboris vetitæ*. *Resp.* illud nos non obligat; sed in Adamo obligavit. (2) in reparatione *humani generis post diluvium*. *Resp.* non omnia, quæ ante Decalogum obtinuêre, ad Jus *morale* pertinent. v. c. Sacrificia Abelis, item circumcisio. (3) in sublimiori *reparatione per Christum*. *Resp.* Illud Jus Socinianum est. Neque etiam Lex aliqua *Oralis* datur, quam à DEO Mosen accepisse *Maimonides* & Rabbini tradunt. vid. *Osiandr.* ad *H. Grot.* *pag. 245.*

II. Integer homo si maneret, fieri non posset, quin id quod clare & distinctè perciperet, verum esse sciret. Nec quidem nunc id dictum minus est necessariæ veritatis. Sed opinio talis perceptionis fallit hodie, ut pro Junone nubem. Igitur in ordinem redigenda Ratio ad præscriptum divinæ voluntatis expressæ. Quam habemus aut per Mosen populo Hebræo aut per Christum (*c*) & Apostolos toti humano generi significatam.

(*c*) AUT PER MOSEN AUT PER CHRISTUM. Quid verò de *Præceptis*, quæ *Hugo Grotius L. I. c. 1. §. 15. seq.* statim post hominem conditum humano generi data, & in reparatione humani generis post diluvium repetita esse, tradit; quæ *Noachidarum* Præcepta & Jus mundi appellant, *Seldeno* recensita, in *Lib. I. de J. N. & G. c. 10.* numerô *septenariô*; ut *sex* priora *Adamo* imperata fuerint: nempe (1) de Cultu extraneo. (2) de Maledictione Numinis. (3) de Homicidio. (4) de Incestu, seu non revelandâ turpitudine. (5) de Furto. (6) de Judiciis seu Regimine Civili. *Septimum* verò de Membro animalis viventis non comedendô, posteà accesserit: quod, cùm tempore *antediluvianô*, ubi *carnis ejus* illicitus fuerit, (nam ita statuunt,) supervacuum fuisset, post diluvium fuerit conditum; *capitis* de cætero *pœna* in violatorem unius ex præceptis illis statutâ. vid. *Seldenum L. VII. c. 5. 6. 10.* satis in hæc præcepta pronum. Quibus septem illustribus alia *Minora* seu obscuriora, tanquam *appendices*, addunt, *XXIII.* Idem *Selden. L. VII. c. 3.* Quorum quidem nonnulla ex prioribus, tanquàm *principiata*, sequuntur; alia verò ab illis planè *differunt*, ùt: ne diversi generis animalia commisceantur, ne animal quodvis aut homo castretur: &c. quæ quidem Hebræi à *Proselytis* domicilii non exigebant; nec omninò puniebantur in ea peccantes *Noachidæ*, qui in ditione Israeliticâ continebantur: vid. Eund. *L. VII. c. 2. & 5.* Nonnulli etiam addunt Noachidarum illis præceptis, *unum* de *usu sanguinis:* quanquam alii solùm per extensionem præcepti *septimi;* & potiùs Præceptum de *Sabbatho septem* illis adjiciunt. Sed præcipui tamen Judæorum Magistri non nisi *Septem illa*, quæ anteà recensuimus, agnoscunt: *add.* Selden. *d. L. VII. c. 1.* & *L. III. c. 12.* Itaque Præ-

Præcepta illa putant naturæ simplici in *Adamô* & *posteris* ejus, ab intellectu quodam agente, per specialem illuminationem, & per Deum vel Angelum, Ministrum ejus, superaddita esse; cùm quidem *natura sola*, absque auctoritate & indicatione superioris, ad boni malique dictamen non suffecerit. Placet *Joh. Hornbekii* Judicium *de convincendis & convertendis Judæis. Lib. VII. d. Lege c. 1. p. 448.* qui putat, Præcepta illa ex *Lege Mosis* sumpta, & temerè à Quibusdam sub *Adami* nomine, tanquam ab ipsô Deô immediatè universo humano generi præcepta fuerint, commendata esse: quam sententiam juvat, quòd Præceptum de *honorandis Parentibus* inter ea omissum fuerit; fortassis, quòd Auctor commenti illius respexerit ad promissionem *temporalem*, illi in *Decalogô* annexam: quæ terram promissionis *Judaico populo*, nec adeò toti humano generi propriam, continebat; nec non Præceptum *Sabbathi*, quod non minùs *Judaicum populum*, (non etiam cæteras gentes,) concernere autumarit. Igitur quamobrem *Seldenus* tantoperè in exponendis illis Præceptis & *Thalmudistarum* traditis (*Thalmud* autem consistit in *91. Rabbinis*, Habet *VI. Partes* & *LX. Libros.*) desudaverit, mirandum est. Nam & (1) de illis Præceptis nil *Philo* aut *Josephus.* (2) *Ben Maimon* ipse in eâ sententiâ fuit, Præcepta illa non fuisse tradita Adamo, vivâ voce, aut per ministerium exterius; sed in ipsâ *naturâ* insita fuisse, & hinc esse merè naturalia. (3) Apparet multa Juris Nat. præcepta in illis omissa, & præcipuè illud de *Honorandis parentibus*, quod alibi primum est *Hugoni Grotio*, *II. c. 20. §. 30.* Siquidem (4) etiam *Proselyti portæ* non solis illis, sed longè *pluribus* tenebantur; ùt & ipse *Adamus* cum posteris. (5) Præceptum septimum *Ceremoniale* est, quod sacrificium *Christi* & *Sanguinem* ejus respicit; nec *Sabbathum* quoque ad Jus *Naturale* adeò pertinet; Imò Ipse *Seldenus L. I. c. 2. p. 33.* fatetur, *Thalmudistas* quàm plurima ad Leges illas nugare, quæ Jus Naturale minimè referant: & magnoperè à toto *L. II. usque VII.* quanquam inani conatu, fatigatur, ut indè jus Naturale exsculpat. (6) Non etiam *Juris Moralis* haberi Illa debent; ob præceptum *septimum* & *assumenta* alia. Denique (7) nil quicquàm pro Illis in *Gen. IX.* & *Gen. II. v. 16.* præsidii.

III. Jus Hebræis datum (*d*) est duplex, Cerimoniale aut Morale. (*e*) Ceremoniæ post Christum, quem adumbrabant, evanuerunt, affixæ omnes cruci salutiferæ. *

* *Coloss. 2. v. 14.*

(*d*) JUS HEBRÆIS DATUM. Quod *Cl.* Auctor *hic* & *§. præced.* ibi: *per Mosen populo Hebræo. Grotio*, *L. I. c. 1. v. 16.* non simpliciter adstipuletur, ex *§. 8. h. in fin.* & *§. 5. h.* (ubi legi debet: *nisi Legislatio cum respectu:*) evidens est. Malè scilicet *Grotius* docet, nullâ parte *Legis Hebrææ*, quà *Lex* est, nos teneri: cùm tamen *ministerium* tantùm *Mosis* ad *Israëlitas* solùm pertinuerit; *Lex* verò ipsa *Decalogi omnes homines* respexerit: non solùm quatenùs *præcisè naturalia* continet; sed & quat. ab ipso *Deo* solenniter omnibus promulgata est. Facit (1) *Rom. III. v. 19.* ibi: *totus mundus.* (2) *Exod. 20.* ibi: Ego sum *Dominus* seu *essentiator* tuus. (3) aliàs *Gentes concupiscentiâ*, quæ nunc quidem ex naturali lumine agnosci pro peccato satis non potest, non peccarent. (4) *Matth. V., 18. Rom. III., 3.* & quòd Apostoli semper nos ad *Legislationem illam* ducant. *Rom. IV., 9. Eph. VI. Jac. II., 8.* Quòcircà *Israëlitas* obstrinxit etiam ratione promulgationis solennis *immediatè.* Intentio autem Dei spectavit ad inducendam obligationem omnibus Gentibus, ad veram fidem *convertendis* & *conversis*; quas ideò *Lex Moralis* in totâ latitudine, si salvæ esse vellent, obligabat. Adeò ut non minùs *Ceremoniales* ad eas respexerint, quippe quæ *Evangelium* continebant: *Hebr. X., 1.* quô sinè *Legem implere* non poterant. *Actor. XV.* Spectat scilicet Lex illa nos etiamnum, citrà *fœderis* cujusdam *specialis* superinducti rationem; atque data nobis est, licèt non per circumstantias *personalis objecti* & *allocutionis* (nam aliàs nec *posteri Israëlitarum* eâ fuissent obligati:) neque etiam per adjunctam *promissionem*, ùt in *IV. Præcepto* de terrâ *Canaan:* prout etiam non *à Lege*, sed à

ſed à *morſu ejus* & à *Lege peccati*, ſcilicet ne concupiſcentia prava in nobis dominetur, *liberi* ſumus. Et ſic ergò *Lex Moralis* non ſolùm apud *poſteros Adami*, *ante Moſen:* verùm etiam poſteà ap. *Proſelytas* (Advenas) *omnis generis* obtinuit. Erant enim *Proſelyti* ſeu Peregrini apud *Hebræos*, triplices: *Juſtitiæ*, (qui in *Judaiſmum* erant transgreſſi,) *Domicilii* ſeu Portæ, (item *Peregrini in Portis*, qui ſuſceptâ in ſe *VII. Noachicorum Præceptorum*, & univerſæ *Humanitatis*, (non Judaiſmi,) obſervatione, ad *Domicilium* admittebantur;) & *Mercenarii. Exod. XII. v. 12. ſeq.* Juſtitiæ etiam jus *ſacrorum* commune habebant (*Num. XVI.*, 15.) & alia. Sed tamen contemptui habebantur, nec in Synedrium magnum membra recipiebantur. (*contrà* Grot. *d. l.*)

(*e*) CEREMONIALE AUT MORALE. Præmittit Morali Jus *Ceremoniale;* quippe quod per diſpoſitionem contrariam deindè *abrogatum* eſſe, juxta *Jer. XXXI. v.31. ſeqq. Actor. XV. v. 28.* rectiùs dicitur; quàm cum H. *Grotio I. c. 1. §. 16.* cum *templô ceſsaſſe.* Nam licèt ſuperfuiſſent, tamen cum *typo apparente* ſublatæ eſſe debebant: quàpropter etiam *Iô evanuerunt* ap. Auctorem *h.* non aliter accipiendum eſt. Et ſunt ergò LL. *Ceremoniales*, *æternæ*, *Gen. XVII. v. 13. Exod. XII. v. 24.* quoad æternitatem non abſolutam, ſed *periodicam.* Cæterùm *Sacramenta V. T.*, licèt conſiderata, reſpectu rituum externorum, in ſenſûs incurrentium, ad *Ceremonias* referri poſſint, atque ſic etiam ipſa interierint; tamen reſpectu *officii*, quat. erant commonefactiones Dei de peccatis, & typi beneficiorum Chriſti, non poſſunt referri ad LL. Ceremoniales: cùm ex naturâ & inſtitutione ſuâ fuerint promiſſiones *Evangelicæ*, & Beneficiorum *Chriſti* organa. *Rom. IV. v. 11.* Cæterùm *Circumciſionis* obligatio ad ſolos *Iſraëlitas* reſtricta fuerat; non verò ad omnes *Abrahami* poſteros pertinuit; contrà quàm *H. Grotius.* Quid verò de *Eſu Sanguinis* vetitô: num non etiam iſta prohibitio (quæ ratione illâ nitebatur, quòd *ſanguinem hoſtiarum* oporteret ad altare affundi ad expiationem,) *poſt Chriſtum* ceſſavit? Omninò, quoad neceſſitatem; *Gal. II. v. 3. ſeq.* ſed tamen libertate uſi ſunt Apoſtoli, ut prohibitionem illam ad tempus, & per neceſſitatem *expedientiæ*, ſervarent; quò Synagogam Judaicam cum honeſtate ſepelirent: *Act. XIII. v. 3. 1. Cor. IX. v. 20.* & ne infirmi Judæi ſcandalizarentur. *1. Cor. IIX. v. 9.* Quò pertinet *Actor. XV. v. 28. 29.* Quanquam apud *Chriſtianos veteres* adh. prohibitionem illam obſervatam oſtendat *H. Grotius*, in *Flor. Sparſ. ad Jus Juſtin. p. 340.* & non modò *Nov. Leonis 58.* (Philoſophi ſcilicet, & qui *emendandos* ſibi *Anteceſſores* præſumſerat,) eò pertineat, (*Canones* verò *Apoſtolici* ſuppoſititii ſunt; ùt *alibi* oſtenſum eſt:) ſed & *Stephanus Curcellæus* peculiari *Diatribâ* de *Eſu ſanguinis*, *inter Chriſtianos*, *cap. XIII.* oſtendat, eam prohibitionem adhuc dum *Græcos*, *Moſcos*, *Habeſſinos* & *Maronitas* ſervare: cùm tamen *ceſſante causâ* meritò & ipſa ceſſare debuerit prohibitio: & charitas quidem ſemper liget, ſed tamen non hæc vel illa *ſpecies charitatis;* ùt fuerat illa abſtinentia à ſuffocato. Unde meritò damnavit *Canonem LVII.* in *Conciliô* Græco *Conſtantinop. Cardinalis Baronius;* qui priùs damnare debuerat ſimilem *Can. LVII. Concil. Wormat.* vid. Dannhauer. *P. II. Theol. Symbul. Dial. VII. §. 5.* (ubi & *Auguſtini* locus elegans:) junctô eôdem *P. I. Sect. II. Art. II. §. 8. p. 387. ſeqq.* ubi & Txx. ad *Gal. II. v. 12.* & *Act. XVI.*, *3.* item *c. XXI. v. 16.* egregiè explicat. Et cùm *Hugo Grotius* ad *Actor. XV.* multa improbatæ doctrinæ prodiderit; ceu quidem *ibi* non minùs hanc de prohibito Sanguine & Suffocatô Legem, *Noachidis* datam eſſe, eamque omnes Adami ac Nohæ poſteros obligare, docet: Ideò *eundem* ſolidè refutavit, integrâ *Diſſert.* poſthumâ, *Roſtochii 1669.* editâ, *Dorſcheus:* ubi ſimul etiam *§. 5.* de *Novelli Leonis;* quam in eum finem latam eſſe tradit, ut tantò lubentiùs *Judæi* ad conſuetudinem cum Chriſtianis traſirent, (ceu videre liceat inter alia ex ejusd. *Leonis Nov. LV.*) tum & de *Can. Apoſt. LXII.* agit, & ad ſingula, quæ *Hugo Grotius* magnô ſtudiô cumulaverat, exactè reſpondet. Sanè *Maimonides* Ipſe, Sanguinis prohibitionem *non Jure naturæ*, ſed aliis de cauſis, factam eſſe, credidit: quas habet in *More Nevochim. P. III. c. 46. p. 484.* *Scortatio* verò ideò juncta eſt huic prohibitioni, *Act. XV. v. 20.* quia *Gentiles* habebant ſcortationem ſimplicem pro re *indifferenti:* per *ἀλισγήματα* autem *τῶν εἰδώλων*, (die Unſauberkeit der Abgötter; ut Lutherus,) non Idololatria, ſed *eſus idolothytorum* intelligitur, vid. *verſ. 28. ſeqq.* & *Act. XXI. v. 25.* & *I. ad Cor. IIX. Neceſſitatem* quod attinet *v. 28.* *Reſp.* in fonte reperiri *πλὴν* τῶν

τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων, i. e. *prater hac ad necessitatem præsentem quasi* pertinentia: undè necessitas *simplex* à necessitate *expedientiæ* distinguenda est.

IV. Morale jus est, quod ad regimen morum spectat. Nititurque aut necessaria aut probabili ratione. Illa immutabilis, (*f*) hæc mutabilis est. Necessitas apparet in decem dictis Domini, (*g*) excepto quarto. Probabilis ratio moralis est in Politicis Judæorum, nec non in præcepto de Sabbatho. (*h*) Quanquam & fundamentum, unde præcepta illa positiva petita sunt, æque est necessarium. Sed ὡς κεῖται, poterant aliter se habere leges civiles Judaicæ. Et septimam diem præcisè colendam esse necessitas nulla rationis inculcat.

(*f*) Illa immutabilis. quà *simul ex naturâ* educitur: nam quà morale atque *positivum* in specie est, *à Deo* utique *mutari* potest; ùt in *Polygamiâ* vel solâ apparet. Quanquàm verò communiter probata sit distinctio Legum Divinarum in *Morales*, *Ceremoniales* & *Forenses*. Tamen *Auctor. h. Forenses* seu Politicas non minùs sub Moralibus comprehendit; tanquam *moralis disciplinæ partem*: quod quidem quoad *Remp. Hebr.* nil adeò habet incommodi. Sed nunc tamen, cessante *Judæorum Politiâ*, cui illud *proprium* fuerat; quoniam Legibus Forensibus Divinis, etiam quatenus ratio eadem in Respublicas nostras congruit, nullâ *necessitate* utimur: Ideò ut sub complexu Legum Moralium, eas ulteriùs contineamus, quod & fit *§. 5. in fin. & §. 6. h.* consultum non est: eùm & *ratio formalis* Legem Forensem à Morali distinguat; nosque Forensium *obligationem* eam versùs nos (eò quòd ad *morum nostrorum Regimen* non spectent:) quam *Auctor* agnoscit, non admittamus.

(*g*) In decem dictis Domini. *Moralia* hæc esse omnia, etiam *quartum*, (nobis *tertium*,) de *Sabbatho*, (tantùm quòd hoc ipsum non necessariam *rationem*, licèt fundamentum necessarium, sed *probabilem* & mutabilem habeat,) *Auctor* hic docet. Ac de *Sabbatho* quidem deinceps. Illud verò protinùs notandum est, quòd uti Præcepta *Decalogi*, vel ex solâ Sabbathi Lege, non omnia esse *Juris naturæ*, constat: ita nec *formaliter*, nec *totum*, Jus naturæ *Decalogus* referat: cùm neque prima Juris naturalis, aut inde primò deducta; sed conclusiones, & ne quidem omnes, contineat: utcunque Dictata Decalogi penè omnia in Lege naturæ *fundamentum* sortiantur, & vel ipsa *Concupiscentia* Lege Naturali in vitio sit: de quo tamen nunc quidem post lapsum, nisi ex L. Decalogi seu præcepto Divino, (*conf.* Gerhardum, *Tom. III. Locor. Theol. de Lege §. 16. seqq.* ubi vestigia Decalogi ante Mosen exhibet:) quòd peccatum illa sit, constare non poterat. Quem in sensum accipi oportet, quando Nonnulli Legem Concupiscentiæ nunc non naturalem, sed moralem tantùm, habendam esse volunt. (add. quæ ad hæc *superius* dicta sunt.) Nec minùs hîc notandus est *Hobbesius*, quando in *c. XIV. d. Cive §. 9.* Decalogum Leges *tantùm Civiles* esse, docet: quoniam (ex solenni illô principiô,) *ante LL. civiles* nil injustum sit: cui ex hactenus dictis meliùs respondebis, quàm à *Puffendorffio* factum est, *L. IIX. c. 1. §. 4.* ubi crudè tantùm, quòd Decalogus ad Jus Naturale *materialiter* pertineat; *formaliter* verò Lex Civilis sit. Addi etiam debet cautela, ne in *Decalogô* & expositione Legis Mosaicæ per *Proximum* intelligamus tantùm *Israelitam*: uti *Grotius I. 2, 6. II. 15, 8. seqq.* & *II. 20, 10.* innuat; contrà usum vocis *Exod. XI., 2. Judic. XIV., 20.* & *Tx.* in *Exod. XXIII., v. 4. 5. Prov. XXV., 21. & XX. 29. Matth. XXII., 40. & V., 46. Luc. X., v. 33. 38.* & quòd *Officia* in *Naturæ* humanitate, non in *Gratiâ*, fundentur: cùm ne quidem Israelitæ *septem* illos *Populos* odiô habere, sed tantùm non amicitiam cum illis colere debuerint. *Deut. VII., 1. Exod. XXXIV. v. 11.* Atque *Levit. XIX. v. 16. seqq.* frequentem tantùm occasionem respiciat; exclusionem verò non ingerat.

(*h*) In præcepto de Sabbatho. quod quidem plures ex recentioribus *Judæis* Juris *naturalis* esse, tradiderunt. vid. *Seldenum L. III. c. 13.* Jaco-

Jacobum *Gothofredum* in notis ad *Tertullian. ad Nationes. L. I. c. 13.* & *Heraldum* ad *c. XVI. Apologet. Tertull.* Notæ etiam ſunt de hoc argumento curæ *Th. Brodæi* Angli; item *Joh. Cocceji*, ſingularem ſententiam foventis, & *Andr, Eſſeni;* qui præceptum illud non quid Naturale, ſed *Morale*, & Juris divini *poſitivi* eſſe tuetur: cui ſententiæ *Auctor* accedere videtur; dum quidem *fundamentum* Sabbathi neceſſarium eſſe tradit, ſed tamen rationem inſtituti *probabilem* & hactenùs poſitivam, quæque ex Lege Naturæ nil referat; indeque mutari poſſit, *v. §. 7. h.* Et juvat Doctrinam hanc, quòd *Nonnulli* Moralem Legem rurſus in naturalem quam vocant, & poſitivam diſtinguant: ut poſterior mutationem à Deo patiatur; prior non item. Quæ quidem diſtinctio, in difficili hâc de Sabbatho diſceptatione uſum ſuum, ſi rectè intelligatur, omninò exſerit. Utique *mixtum quid* ſeu compoſitum in Sabbatho agnoſcendum eſt; ut conſtet (1) ex præcepto *morali*, ampliter ſic dictô, indeque tum *naturali*, & ſic *neceſſariò*, quantum ad cujusdam *temporis* divino cultui neceſſariam *deputationem;* atque ratione cultûs *externi* & *vacationis* à labore, ſacra impediente; tùm à *poſitivo*, quoad *ſeptimum* diem *indefinitè* in quâlibet hebdomadâ. (Nam & *Turcæ* ac Mahometani cæteri diem Veneris, *Habeſſini* Sabbathi cum Judæis, & Solis diem cum Chriſtianis, ſacrum habent; omnes verò dies *Anabaptiſtæ* & *Sociniani*, ac nuper *Schurmannia. v. ἐυκλησίαν* ejus.) (2) ex Præcepto *Ceremoniali*, quantum ad diei ſeptimæ *Judaica* determinationem: quæ adeò ſtante adh. *Politia Judaica*, & ſic *ex hypotheſi*, *immutabilis* fuit; donec auctoritate *Apoſtolica*, vid. *Act. XX. v. 7. Marc. XVI. v. 2. & 9. Apoc. I. v. 10.* (nam quòd *Chriſtus ipſe* illud inſtituerit, oſtendi non poteſt: vid. *Luc. IV. v. 16.*) mutatio in diem, quæ ab *objecto Dominica* dicitur, in memoriam ſcilicet *Reſurrectionis* Dominicæ, ſeu *novæ creationis* per Chriſtum, facta eſt. conf. *Gal. IV., 10. Col. II., 16.* vid. *Auctor. §. 7. in f. h.* Quocircà non repugnat, diem hunc *conſenſu totius Eccleſiæ* denuò mutari poſſe. (3) Ex *Forenſi*, quantum ad quietis præſcriptionem, in operis ſervorum & negotiationibus,

Nil itaque facit pro *merâ Moralitate* (1) quòd nil in *Decalogo* ceremoniale ſit. Nam Decalogus integrum Fœdus Dei cum populo Iſraël continet: eſtque *Tabula prima* radix Legum *Ceremonialium*, uti *Secunda* radix *Politicarum.* (2) quòd jam à creatione Mundi Sabbathum obtinuerit: (Nam malè utique *Franc. Gomarus*, poſt *egreſſum ex Egypto* illud inſtitutum eſſe, aſſeruit. vid. *Gen. II. v. 3. Exod. XVI. c, 20. v. 11. Hebr. IV. v. 1. 3. 4. 5.*) *Reſp.* etiam *fructûs vetiti* præceptum anteà obtinuit; nec tamen *intrinſecam* in ſe bonitatem habuit. (3) quòd ante lapſum Adami Lex *ceremonialis* exiſtere non potuerit; cùm ea Chriſtum reſpexerit. Nam *Reſp. Gentes* quidem ad illam *Septimam* diem *Judaicam* adſtrictas fuiſſe, probari non poteſt; & hactenus, quod ſolùm *Judæos* concernit, dies Sabbathi penes ipſos quid *ceremoniale* habuit. Vel potiùs, ſimpliciter dici poteſt: Leges à Deo *ante lapſum* latas non eſſe *typos ſpeciales*, ſeu qui Chriſtum reſpiciant exhibendum, ad redimendum genus humanum: licèt potuerint eſſe *generales*, qui pertineant ad *omnem Statum hominis;* quò etiam Sabbathum reſpicit: nam etiam integro homini *æternam quietem* poterat ſignificare. *Hebr. IV.* Ubi meritò redarguit *Oſiander* H. *Grotium*, quando *II, 20. 45.* tradit, rationem violati Sabbathi fuiſſe abnegationem creati à Deo mundi. Eſt etiam vanus *Hugo Grotius*, quando *I. 1, 17.* obligationem de *Decimis* acconſet obligationi de Sabbatho. Neque verò, Decimarum exhibitionem eſſe *neceſſariam* aut *juſtam* Clericorum mercedem, de *J. Naturali*, aut in genere *morum*, probari poteſt: ceu nec *Juris divini perpetui* ſunt; licèt, ob deſtinationem, Juris Divini eſſe in *J. Canon.* dicantur. Potiùs ad Jus *Ceremoniale* ſpectant. *Num. XVIII. v. 26.* & quodammodò ad *Forenſe;* quoad *quanti* determinationem. Hactenus tamen, quatenus Clericis pro labore merces exhibenda eſt, adeòque *materialiter*, Juris *naturalis* ſunt. *Matth, X. v, 10. I. Cor. VII. v. 7. ſeqq.* Unde cùm non ſint Juris *Moralis poſitivi*, humanitùs utique *immutari* potuerunt, ut ſolùm Clero tribuerentur *neceſſaria;* prout etiam in Eccleſia veteri ex oblationibus vixerunt. vid. Buſch. *d. N. & J. Bon. Eccleſ.* & Carpzov, *Lib. I. Conſiſt. T. 8. def. 125.*

V. Leges quæ nituntur neceſſitate morali, omne genus hominum in perpetuum obligant. Non tantum vi tacitâ Naturæ, ſed & expreſ-

expreſsâ Legislationis: vel, ſi malis, præcepti, ſi legislatio cum reſpectû ad certum populum intelligatur: nam hoc ſenſu legislationem Judaicam ad alios populos non pertinere certa res eſt. Sed voluntas Dei revelata aliis, cujus rationem palam eſt nobis exactè convenire, non poteſt non neceſſariò nos obligare. Hinc decalogus, quæ eſt æque ad Hebræos ſpecialiter lata, quàm reliquæ politicæ, nos tamen obligat, non modò ut dictata naturæ, ſed etiam ut præceptiones Dei: Ideò & leges illæ, quarum probabilis eſt ratio honeſtatis, ſimiliter omnes in perpetuum obligant. Quatenus certum eſt, differentiam rerum hominumque nullam ſubeſſe; qualis eſt Lex, de uſu veſtium (*i*) pro ſexu diſcernendo.

(*i*) DE VSV VESTIVM v. *Deut, XXII.*, 5. & *l. 23. §. 2. ff. d. aur. & arg. leg.* ibi: *muliebria veſtimenta, quibus vir non facilè uti poteſt ſinè vituperatione:* & *Seneca, Epiſt.* 122. ibi: *contrà naturam vivere, qui commutant cum fœminis veſtem,* Eruditè per omnia *Petrus* Faber *Lib. I. Semeſtrium c. 15.* ubi etiam de veſtimentis *communibus:* & multi hinc *Comœdias* ſeu Ludos ſcenicos averſantur. Sanè ſi non ulla Lex talis in *Politiâ Judaicâ* extitiſſet. Tamen oporteret rem illam non aliter in *Republicâ qualibet* conſtitui. Quapropter, dum hoc idem nunc ſervamus, *neceſſitas* illa ex Republ. Hebræorum, aut *Lege Forenſi* eorum, non pendet.

VI. Sic conſtitutiones Moſaicæ (*k*) hodieque tenent, modo non habeant reſpectum peculiarem ad Rempubl. Judæorum. Qua ratione aliquæ ad nos planè non pertinent, ut conſtitutiones aſylorum. (*l*) Quædam adhuc nos ſpectant, ſed cum aliquo diſcrimine, quantum diverſitas morum & inſtituta Reipubl. ferre queant. Sic pœnas delictorum à Deo ſtatutas ſervare debemus, ut eadem proportio delictorum ad delicta, pœnarumque ad pœnas, cuſtodiatur. Sed modis generibusque pœnarum ſine dubio non adſtringimur aliæ gentes. Gradus etiam aliquantum variare licet, quatenus mores temporum & ingenia populorum pœnas remitti aut intendi requirunt. Non tamen adeò, ut capitalia in non capitalia, & vice verſâ, convertere liceat, jure quidem ordinario. Sed hoc ſemper eſt verum, Chriſtianis non minora pietatis caritatisque officia (*m*) incumbere quam olim Judæis injuncta fuerint.

(*k*) CONSTITVTIONES MOSAICAE. *Forenſes* ſeu Politicas intelligit, quibus adhuc dum nos teneri, cùm *Reformatis* (Leges *Ethnicorum* hactenùs averſantibus:) *Auctor* putat; ſi reſpectum peculiarem ad Remp. Judæorum non habeant: nam & LL. de anno *Jubilæo*, de *Repudiis*, de *ſuperinducendâ fratris uxore*, abrogatas eſſe, *Ipſi* largiuntur: eò quòd circumſtantiæ, quoad haſce

ad hasce LL. forenses, planè cessent: aliàs verò quantum fieri potest, secundùm eas etiam nostrarum Rerumpubl. LL. formandas; indeque *Fœnus*, quanquam cum aliquô *discrimine*, quantum ferat morum diversitas, ad nos adhuc spectare; pœnas autem, v. c. non capitales, ùt in furibus, *Exod. XXII. v. 3.* & viceversâ, ùt in pseudoprophetis, *Deut. XIII. v. 5.* immutandas non esse. At verò Leges Forenses cum *Republ. Judaïcâ* penitùs sublatas; indeque non aliter quàm *doctrinæ*, non etiam Legis causâ, ap. nos attendi, verius est: ut scilicet, quamvis peculiarem respectum ad Rempublicam Judæorum non habeant, libertatis tamen sit nihilominùs, si quid exindè recipiamus, & consultum illud censeamus; saltim quia eô modô certi sumus, contrà *voluntatem Dei*, quam in suo etiam populô tenuit, nos non impingere. Nec enim sequitur: illæ Leges Forenses sunt sapientes & justæ. Ergò etiamnum durant. *Resp.* (1) etiam speciales illæ, Jubilæi, Repudii. &c. tales sunt. (2) Fuêre tales, ratione *certi Populi*, *temporis* & *loci*; ùt terræ Canaan, ubi Sacerdotium Leviticum, Tribûs, &c. Imò ne quidem *Proselyti* domicilii seu portæ, sed tantùm justitiæ, illis tenebantur: nec *Jobus* adeò, Jethro, Ninivitæ, illis Legibus vixêre; quia non obligabant *hominem*, quà *talem*, sed quà *civem* Reipubl. *Judaicæ*. (3) Licèt fundamentum habeant in *J. Naturæ*, tamen id remotius est: & nonnè sic etiam Legibus omnium Civitatum aliarum tenebimur? quarum tamen aliquas si recipimus, tantùm *materialiter* tales erunt, non ampliùs formaliter. Quin & *Ceremoniales Tabulæ primæ* insistebant; & tamen sublatæ sunt. (4) venit *Messias*, & *novum populum* condidit. *Gen. XLIX. v. 10. Dan. IX. v. 16.* Ad *Fœdus Legale* V. T. per N. T. antiquatum illæ pertinuerunt: *Hebr. IV. v. 15.* & ipse Deus Politiam illam destruxit; cùm *ablatio quoque* Sceptri signum adventus Messiæ esse debuerit. (vid. de Reliquiis quarundam LL. inter *Judæos*, Osiandr. *ad Lib. III. c. 15. Grotii. §. 9.*) Denique ad *parietem* illum *intergerinum* referri debent, qui per Christum dirutus est: *Ephes. II. v. 14.* Non *Obst.* ita imperfectam fore Legislationem Veteris Testamenti, quòd ei aliquid nunc quidem addi possit. Nam sufficit, *perfectionem in Moralibus* subsistere: aliàs ne quidem Jus *Naturale* in suô genere perfectum foret, cui indies Magistratûs quid in Civilibus superaddunt. Igitùr Forensis illa Legislatio etiam *positivâ abrogatione* cessat *Matth. XXII. v. 21. Rom. XIII. v. 1. 2. & 1. Pet. II. v. 13. 14. Matth. XIX. v. 7. seq. Act. XV. v. 10.* & *XXII. v. 15.* (ubi *Paulus* ad *Romanor. LL.* provocat:) Adeò ut in quibusdam eam retinere velle, peccaminosum sit; v. c. cum *urbe refugii*, usque ad mortem Sacerdotis Summi. &c. Nil *officiente*, *Deut. XXXIII. v. 3. 4.* ubi aut Sancti V. T. intelliguntur, aut si Novi Testamenti, præcipua capita de Messiâ & officio ejus accipienda sunt. Nil etiam *Matth. XV. v. 4.* Nam ibi Christus disputat cum Pharisæis, *ex hypothesi* ipsorum, nec tum temporis planè cessaverat *Politia Judaica.* Itaque *genus*, & quod in Legibus illis *morale* est, v. c. furtum esse puniendum, retinemus; *Speciem* abrogatam, & in libertate cujusque Magistratûs imitationem ejus positam esse, asserimus. Exponere Leges Judæorum forenses annisi sunt *Wilhelm* Velvod *Scotus*, in *Parallelis Juris Judæor. & Romanorum*, Molinæus, Pithœus, Constantinus L'Empereur, Justus Calvinus, & *alii*.

(*l*) Asylorum. Quoad rem ipsam, nil vetat, *Asyla* hodienùm constitui: de modo & effectu Veteris Testamenti, quem exponit *Osiander*, ad *Lib. II. c. 21. H. Grotii §. 5.* secùs est. Etenim Asyla, in *Veteri* quoque *Testamentô*, locum non habuêre in dolosis & voluntariis homicidis, aliisque facinorosis: *Deut. XIX. v. 5.* junct. *Num. XXXV. v. 16. seqq.* Et quamvis in N. T. Christiani videri possent *Gentiles* imitati esse, qui *Templis Deorum* & *Statuis Principum* Asyli jura indiderant. Tamen ex genere *licitorum* Asyla esse inde patet, quia unquam Ipse *Deus* ea constituit; nectam constitutio eorum, quàm *dilatatio* in Gentibus culpari poterat. Non *obstat*, quòd *vindex sanguinis* V. T. in N. T. cesset. Nam hæc non sola erat *causa* Asyli, nec aliàs omne periculum hodiè cessat. Tantum *Canonistarum* extensionem cum *Osiandro* *d. l. p. 1195.* & *Brandmyllero*, in *Manud. ad Jus Civile & Can.* Theorem: *Asyla.* improbamus.

(*m*) Christianis non minora officia. Sed an *Consilia* etiam dantur *Evangelica*, in Jure Divino? Ita *Hugo* Grotius. *p. 10. Proleg. & I. 2. 9.* quæ superiora sint præceptis, seu consilia *Perfectionis*. Pontificium hoc est, & negari debet: nam omnia ex voluntate Dei agenda sunt; at verò hæc est *Imperii*. Legem implere est *ad Summa* contendisse; nec *dilectione* Lege præceptâ est quid

quid superius. Quæ Deus *consulit*, *præcipit*. Si verò consilia dicerentur ea, quæ *indifferentia* sunt, & arbitrio cujusque permissa; ùt vini modici, quod Paulus Timotheo suasit: ita admitti possunt. Sed inde nulla *merces*, ùt *Grotius* loquitur. Non *Obst.* abstinentia *à Conjugio*. Nam ea præcepti est, in capacibus. vid. *1. Cor. VII. v. 20.* & Paulus *v. 33. 34.* non dehortatur à Matrimoniô tanquam *à malô*, sed tanquam *ab onere*. Quanquam *cælibes* curarum quidem minus, sed tamen etiam periculi plus & incommodi habent. Non etiam, quòd à secundis Nuptiis dicantur aliqui in Vet. Ecclesiâ abstinuisse. Nam hoc non est laudabile consilium. *Rom. VII. v. 2. 1. Cor. VII. v. 29.* Non quòd Christiani Judicio abstinuerint; adv. sua rapientes. Nam id fecerunt in casu scandali, sub hypothesi gloriæ divinæ. Non quòd à Juramentis: ne scil. per idola jurare cogerentur; nec tamen prorsus non jurarunt. Est etiam hic tangenda doctrina ejusdem *Grotii Lib. I. c. 1. §. 17.* ab *Osiandro ibidem* improbata, quando *promissiones salutis æternæ* in *Vet. Test.* minùs apertas, & hinc fideles V. T. non tam *rigide* LL. *obstrictos* fuisse, tradit.

VII. Liceatne hæc etiam Sabbatho applicare, Theologis censendum relinquam, si res ita ponatur, (ludunt enim in his & juris rationes.) Quietem Sabbathi mandatam fuisse non modo in typum quietis Christianæ & symbolum novæ creationis juxta memoriam primæ, sed & ob sanctificationem actualem cultumque Dei excellenter obeundum; quod facile opinor esse probatu. Ita fundamentum Sabbathi primum erit, debere aliquod tempus excipi & pro cultu numinis eximio consecrari, quod tamen non est morale necessarium. Quare dicendum, pro Lege, ut loquitur de septimâ die, rationem tantum probabilem & positivam esse voluntatis divinæ, petitam à memoriâ primæ creationis. Adeò ut præceptum de cultu septimæ diei rationem habeat moralem, non tamen necessariam, ac insuper ceremonialem. Quatenus verò est morale ac positivum, visio est, num qua ratio possit reddi, cur Christianis minus temporis Deo excellenter colendo destinare fas sit, quam Judæis injunctum fuerit. Si hoc non modo non liqueat, sed contrarium constet, colligendum ex suprà dictis, obligari nos vi legis promulgatæ ad Hebræos, ne minus septimâ parte temporis pro cultu solenni eximamus. Neque plus, quo religio animis inferatur, deficiente mandato, vitandæque ἐθελοθρησκείας. Sed ut eadem præcisè dies celebretur, non est perpetua obligatio. Quia Christianis ratio & auctoritas mutandi hactenus constat in memoriam novæ creationis per Christum factæ. Adeo ut is, qui diem antiquam coleret, nullâ ratione id velle videretur, quam quod typicam Judæorum intentionem missam facere nollet, umbram quodammodo corpori præferens, & spei vetustæ imitamento nova ac vera gaudia corrumpens.

VIII. Si quis dicat, relationem obligandi duntaxat inter Legislatorem & eos quibus lata lex est, versari; vim obligationis, ut juris ratio dictat, esse personalem, quæ ad tertium non pertineat; nec ideò ad nos Legem, cujus vis & vox est hæc, *audi Israël:* Idque argumento Regis illustretur, à quo Leges uni è provinciis suis datæ non teneant reliquos cives, licet eadem ratio his perfectè conveniat. Respondebo, melius convenire exemplum Regis, qui, cum angustiùs imperaret Legem præsenti populo dederit, quæ tamen cives postea adjectos eodemque imperio unitos æquè obligabit. Cujus comparationis termini & argumentum à populo Judaico ad Christianos, qui sunt insiti illorum trunco, rectè duci videntur. Repetimus igitur, etiam concesso, Decalogum solis Judæis fuisse præscriptam, nihil tamen obstare, quo minus eadem nos hodieque vi Legislatoriâ obstringat.

IX. Porro quicquid per Christum ejusque legatos præceptum est, id sine dubio omnes indistinctè ligat. Nec tamen putandum, quod alii & ipse Grotius * statuunt, severiorem morum disciplinam in novo fœdere, (*n*) quam in antiquo fuerit, esse introductam. Sanctitas enim quam Lex postulat, ejusmodi esse debet, cui nihil desit & cui præmium vitæ æternæ conveniat; qua major esse non potest.

* Grotius *lib. 1. c. 2. §. 6.*

(*n*) SEVERIOREM DISCIPLINAM IN NOVO FOEDERE. Propugnat hanc doctrinam *H. Grotius* in *I. 1., 15. 16. 17. I. 2., 5. 6. 7. 8. I. 4., 4. & 13. II. 15., 10. II. 20., 10. 11. & 26.* cum *Socinianis*. Nam hi, cùm doceant hominem per opera propria justificari in N. Testamentô; non per Christi satisfactionem: inde justificationem Legalem V. T. hunc in modum opponunt Justificationi Evangelicæ Novi Testamenti; quæ per implementum novæ Legis fieri debeat. Pertinere verò ad novam illam Christi Legislationem non modò *perfectiones & complementa* Legis *Mosaicæ*, ùt v. c. de vitando omni juramento, de diligendis inimicis, omittendâ quâlibet vindictâ, de Monogamiâ, item Divortiô, extrà casum adulterii; verum etiam *Præcepta Christi* propria, de abnegatione sui, toleratione crucis, insigni patientiâ & sequelâ atque imitatione Christi: nec minùs etiam præceptum de Oratione Dominicâ, & imò Ceremonialem quoque Legem de S. Cœna. vid. *Joh.* Hoornbekium, *Tom. II. Refut. Socinianismi*, *Lib. II. c. 2.* Sed hæc quidem fundamentis fidei nostræ adversantur, & in *Christi satisfactionem* injuria sunt. Etenim (1) Christus & Moses sibi opponuntur: *Joh. I. v. 17.* (2) Lex Mosaica perfecta est, quoad sinceritatem, extensionem & intensionem. vid. *Marc. XII. v. 31.* (3) Christus missus est ad evangelizandum & erigendum miseros. *Matth. XI. v. 5. Luc. IV. v. 17. seqq.* qui finis fuit principalis officii illius Prophetici; minùs principalis, ut legem doceret. Inde Auctor exponendus, *§. 4. in fin. significatam.* (4) Deus ipse additionem & detractionem Legis prohibuit: *Deut. IV, v. 12.* estque lex uniformis, nec rigidius esse præceptum potest, quam dilectionis ex omnibus; nec pœna magis intensa, quàm *Deut. XVII.* &c. (5) Quæ Christum de novo tulisse ferunt, in Decalogô omnia jam continentur; quippe qui perfectissimum comprehen-

hendit exemplar Sanctitatis, & Justitiæ divinæ: ita ut qui ea fecerit, victurus sit; *Lev. XIIX. v. 5. Ezech. XX. v. 11. 13. Rom. X., 5. Gal. III. v. 11. 12.* etiam *æternùm*; quia vita absolutè ponitur: & juvat arguimentum à contrario, *Gen. II. v. 17.* conf. etiam *Matth. XIX. v. 16. & XXII. v. 37. 39.* Quin & Christus ipse toties eò remittit, *Luc. X. v. 18.* quippe qui antiquam Legislationem à corruptelis solùm vindicavit, *Matth V. v. 20. 21.* ubi: *veteribus*, idem est ac: *à veteribus*, qui in cathedrâ scilicet Mosis sedebant. Quæ verò Christus circà *Cultum* & *Sacramenta* instituit, ut omnibus incumbant hominibus: inde non est Legislator. Nisi etiam introduxit ad *Officia* hominum inter se: quod & Patris Sapientiæ adversum foret. Facit (6) *Actor. XV. v. 10. seq.* (7) Ne quidem fideles V. T. implere potuerunt Legem Veteris Testamenti. (8) Non minus divortia, ùt & polygamia, in Decalogo vetita sunt; sed cùm obliquitatem quandam habeant, divinitùs *dispensationem* in V. T. admiserunt: quin & Legem repudii *Deut. XXIV.* plures ad Forenses Leges referunt. (9) Accidentibus igitur solùm, & gradu Charitatis, V. & N. T. discrepant. Nec *Grotium* ac *Socinianos* juvat *Jes. XXX. v. 22. Resp.* vox *legis* ibi doctrinam significat: & in *Matth. XXIII. v. 3.* Minister non Legislatorem, sed Doctorem notat; ut aliquando Lex Doctrinam. (2) *Joh. XIII. v. 31. Resp.* non esse præceptam Legem novam; *Lev. XIX. v. 18.* sed novam dici certô respectu, sive in relatione, quod debeat esse nota discipulatûs *v. 35.* (3) *Matth. V. v. 21. Resp.* non esse promulgationem Legis; sed vindicationem à corruptelâ Pharisæorum. (4) *Matth. XI. v. ult. Resp. crucem* quæ Evangelium comitatur, ibi dici jugum Christi; idque leve esse, quoniam à placatô Deô proficiscitur; cùm aliàs jugum Legis omninò grave sit. (5) *Hebr. VII.. Resp.* de Lege Ceremon. loquitur; ùt & *Gal. III.* (6) *Hebr. VIII.* quòd nemo Lege illâ (veteri,) salvari queat. *Resp.* culpâ nostrâ; non imperfectione sui (7) *Rom. X. Resp.* Christus est finis Legis: quia per eum justificamur: *1. Cor. I. v. 30.* (8) *Hebr. VIII. v. 2. 3. & III. v. 5. 6. Resp.* Lex & Evangelium quidem inibi opponuntur, sed non *Moses* & *Christus*; saltem non ùt duo Legislatores, sed ùt servus & Dominus. Itaque hæc *Grotii* doctrina cavenda est, de *Lege* illâ, ùt loquitur. *I. 1., 16. Evangelii:* Siquidem *Lege* consummatè observatâ cessat Evangelium; nec *Evangelium* demum cœpit cum Novô Testamentô, vid. *Actor. XV. v. 10.*

CAPUT VI.

De Jure Civili, obiter, & de Justitiâ.

ARGUMENTUM.

Ex triplici illo jure nasci omne jus civile. Romani notitiam ad hanc quoque artem esse perutilem. Justitia quid & quotuplex. Universalem vix aut parum à virtute in genere, differre. Particularem proprie esse distinctam virtutis speciem. πλεονεξίαν *non cohiberi cunctis virtutibus. Universalis sensu scholastico justitia refellitur. Justitia particularis divisio vetus cum Grotianâ conciliatur.*

I.

EX hoc triplici fonte Juris Naturalis, Gentium & Divini, leges cujusque populi (*a*) tàm privatæ quàm publicæ sunt derivandæ, Demptis, additis, mutatis illis, quæ status civitatum, ingenia populorum, ratio temporum aliter atque aliter constitui volunt. Quatenus,

nus, scilicet, Naturalia & divina recipere mutationem ex regulis suprà collocatis intelligi potuit.

(a) LEGES CUJUSQUE POPULI. Civiles, quæ saltim negativè *Juris communis* esse possunt; quat. ei non adversantur. Nam quà Civiles sunt, ita nil trahunt *directè* ex Jure Naturali vel Gentium. Unde obligatio Juris naturalis dicitur oriri *à natura objecti* & se diffundere in præceptum; sed obligatio juris positivi civilis, oriri à præcepto & se diffundere in objectum: quia videlicet necessitatem objecti à voluntate præcipientis habet, cùm *indifferentia* contineat, quæ à bono vel malo intrinsecè tali præscindunt. Nam hic intelligimus Jus *Civile*, quod tale est ratione *originis*. Nempe ratione *auctoritatis* etiam *Lex naturalis* est Civilis, v. e. ut plenam vim in Civitate habeat: cùm vel in delictis disponat Lex Civilis, quænam illorum punienda, quænam vindictæ Divinæ committenda sint. vid. Pufend. *Lib. IIX. d. J. N. G. c. 1. §. 1.* Et quidem optimæ notæ sunt illæ LL. Civiles, quæ *Jus Nat.* ad exitum deducunt: mediæ, quæ *indifferentia* definiunt: inferiores autem, quæ sub certis circumstantiis speciem honestatis aut effectum inducunt illis, quæ in se illicita & iniqua sunt. Quæ ipsæ tamen iterum differunt à Legibus Reip. *corruptæ*, quippe quæ manifestæ sunt iniquitatis & turpitudinis. Ubi quidem notandus occurrit *Hobbesius*, quando in *Tr. d. Libert. & Necessit. c. 12. §. 1. nullam Legem Civilem* esse *injustam*, scribit, eò quòd in Principem subditi voluntatem suam transtulerint; volenti autem injuriam fieri non posse: & in *Tr. d. Cive. c. 12. §. 1.* esse iniquum dicterium, Regibus non esse obtemperandum, nisi justa præceperint: non enim esse *justum* nisi *post Imperia*: omnemque actionem naturâ suâ esse adiaphoram. Nam quod posterius attinet, quasi justum ante Civitates non detur, ei *suprà* responsum est. Et quamvis Princeps ad exitum rectiùs possit ducere Leges naturales in Civitate, per media externa & humana; tamen defendi illud non potest, *Principem*, aut omnem eum, qui suprà vel extrà Civitatem positus est, *nullo jure teneri*: quia nec *pactis* Civitas, ex *Hobbesii* sententiâ, constitui posset, si pacta servanda esse non præciperet jus quoddam ante Civitatem. Metu quoque frustrà populum unicè quis continere præsumeret. Quinimò Princeps ne quidem audet contrà jura naturalia in Rep. quid præcipere. Illud solùm verum est, de *Utili Civili* & quid Reip. expediat, atque adeò de LL. merè Civilibus, si *disquisitio*, num justæ num injustæ sint, *à populo* suscipi velit: istud utique seditiosum esse. Falsum verò, non licere de *ratione* Legum ac mente ad hoc, ut *num in conscientiâ obligent*, si fortè à naturali jure planè abluderent, decerni possit, inquirere: quod negat *Hobbes. c. 10. & c. 12. §. 1. d. Cive.* Prius deinde quod concernit, quamvis & *l. 1. ff. d. LL.* Lex definiatur sponsio Reipublicæ: ubi quidem videtur *præconsultatio* solùm populi, vel saltim eorum qui populum repræsentant, Ordinum vel Statuum, in quâlibet Lege condendâ, intelligi; (nisi quòd etiam Resp. dum Principi deferret potestatem, spopondisse censetur in ea, quæ Princeps Legibus constituturus sit; atque sic *Pactum* & *Lex* differant: quæ & ipse Hobbes. *c. 14. d. Cive.* discernit: cùm obligatio, quæ pactum sequitur, non obstringat ex ipsô jam pacti *consensu*, sed ex *voluntate superioris*, qui pactô constitutus est:) Tamen objectum *sponsionis* ejusmodi, sive *antecedaneam* illam & generalem, in delatione Regni, sive quamlibet *interpretativam*, in quâvis Lege ferendâ, respicias, non sunt ea, quæ juri communi adversantur; quippe in quæ Princeps adeò non habet Imperium, ut ipse potiùs illis juribus subjiciatur. Hoc tantùm *Hobbesio* concedendum est, postquam populus Principi potestatem Reip. detulit: jam non ampliùs consensum ejus, quoad vim & potestatem *Imperii* delati, intercedere posse; sed eundem abdicativum & irretractabilem esse. Unde patet, quid de *H. Grotii* doctrina in *Prolegom. d. J. B. & P.* sentiendum sit, quando ille Jus Civile *ex consensu* esse tradit.

Quod etiam docent nonnulli, Jus quoddam *positivum* dari posse in esse *Juris*, quod *injustum* sit: (cùm quidem *Jus Naturæ* nunquam injustum quà tale reperiatur,) illud non minus largiendum est; sive Leges publicas, velut in statu *corrupto*, sive privatas, unam vel alteram, spectes; quanquam subsit sæpè *ratio*, quæ deprehendi non possit: *l. 20. ff. d. LL.* & imò ratio sæpè in ejusm. Legibus, quæ maximè Civiles sunt, nulla alia sit,

quam

quàm arbitrium & voluntas Legislatoris. Igitur justa satis est Lex, quæ si non positivè talis sit, est tamen talis *negativè*; h. e. ut non fuerit hoc quod imperatur injustum *ante Legem*. Nam *post illam* nunc saltim *civiliter* est *justum positivè*; quamvis tale maneat *præcise* & extrà *necessitatem* Legis, (quæ & ipsa *necessitas* Jure *naturali* injungitur,) *negativè*. Videlicet *ratio* quæ deprehendi posset, non est de *necessitate*, sed de *bonitate* Legis. Quod si tamen Lex *rationem* habeat, cui insistit: tunc *cessante ratione* cessat obligatio, quoties ad *actum ipsum præceptum* respicitur, v. c. ad emendationem fratris, dum præcepta est ejusd. correctio: nam si spes non sit emendari posse fratrem, obligatio Legis cessat. Secùs est, si non actum solùm, sed *&* *medium ipsum*, Lex prohibeat. Nam ita v. c. peccat is, qui arma gerit, quamvis cum illis aliquem nec offenderit, nec offendere voluerit. Sunt etiam Leges quædam *injustæ* solùm *comparativè*, quod junior esse circà idem objectum posset; item *respectivè* seu in relatione ad LL. quæ jam latæ sunt, alias justiores. Sed illæ injustæ non sunt, quæ Leges priores Civiles *tollunt*: siquidem hæ adversantur quidem rationi illarum Legum priorum, quæ mutari potuit; sed non rationi simpliciter. Quin etiam Legi quæ aperte rationi adversatur, ne quidem parendum est.

Nam quod obligationem Legum Civilium *in conscientia* concernit, illæ, quæ materiam habent Juris naturalis, vi ipsâ materiæ præceptæ & concurrentis directè in conscientiâ obligant: non aliter ac Lex nuda naturalis; (prout & *divinæ positivæ* quippe quæ immediatè Deum auctorem habent, ut illa mediatè per vim connatam.) Quæ verò Leges Civiles medium habent objectum seu *indifferens*, illæ intuitu Majestatis, quæ vices Dei sustinet, indirectum *in Conscientias* imperium exercent; nullum verò, quæ à Divinis seu naturalibus præceptis ita abscedunt, ut etiam illis adversæ haberi possint. Nimirùm, quando injusta est Lex quædam, ut *per obedientiam* ei præstitam quis *delictum* committeret. Nam si justa sit hactenus, ut ratione *materiæ* ejus de ictum quis committurus non sit: omninò etiam *injustæ* Legi *parendum* est. v. c. Iniquum onus ferre debet subditus, quia hoc non est peccatum *a parte ferentis*. Econtrà ut delicto coóperetur subditus, non licet: nam ita se non haberet tantum *passivè*. Quod verò dicimus de obligatione *in Conscientiâ* h. e. ut Lex *in foro Dei* obliget *ad reatum*: illud accipiendum est de Lege Civili, quæ ad *moralitatem* actûs cujusdam indifferentis pertinet. Nam Lex, quæ actui cuidam *Civili* modum aut *solennitatem* præscribit, juxta quam si suscipi velit, peragi debeat: illa non stringit hunc, qui actum ejusmodi suscipit; sed si eum non secundùm Legis præscriptum obeat, *actus* solùm *nullus* est: nec insuper ille peccat, quia *actus ipse* ei *præceptus non est*. Vasqu. *1. contr. 29.* Franzk. *2. Ref. 5. n. 47. 49.*

Denique ad expositionem *L. 6. ff. de J. & J.* & quònam hoc pertineat, quòd Jus Civ. *addere quid* aut *detrahere Juri Nat.* dicitur: illud exactiùs ex *Commentar. ad ff.* peti potest: ex quo apparet, mutationem illam non nisi ad *subordinationem* ipsorum inter se naturalium Jurium spectare. Plura etiam, quæ ad constitutionem Juris Civ. tam *scripti* seu Legis, quàm *non scripti* seu Consuetudinis; tum & ad ejus sublationem & immutationem, spectant, *ibid.* tradita sunt.

Sicut autem summa est *Legum Civilium necessitas*, neque permittendum sive *Principi* sive *Judici* rerum judicandarum *arbitrium*. vid. Aristot. *III. Polit. 11. & 12.* Civitas etiam Romana initiò ne quidem fuit omnimodò sine Legibus; cùm & *Romulus* LL. tulerit. Liv. *I. c. 8. l. 2. §. 2. d. O. j.* posthàc verò *Legislatio Romana*, eò quòd præ aliis & *casus innumeros* deciderit, simul ac *præcepta* & *disciplinam Legum*, tam *ferendarum* quàm *latarum*, exactissimè tradat, cæteris omnibus *aliarum Gentium* etiamnum longè præcurrat. Ita illa omnia, quæ in *statu naturali indefinita* erant, Potestate *Civili* circumscribi possunt. Selden. *Lib. I. d. Mari claus. c. 3.* Ipsa verò *naturalis ratio*, quæ *suadet* solùm, & sæpè *cum probabilitate oppositi*, (cùm quidem *Jus* ipsum *naturale* præcipiat,) per *Jus Civile* plurima, in *necessitatem*, ne fluctuent regulæ actionum in vitâ Civili, deduxit. Et quamvis *actiones* hominum *internæ* propter se non subjaceant *Imperio humano*; sed solùm propter *externas*, & *secundariò*. Tamen Legislator *interne* quoque *bonos* efficere *studet*: atque hinc ex *intentione* ejus, actiones illæ, quatenùs in externis se exserunt, *punibiles* sunt. Imò *cogitatio* quoque *actionis*, ut *faciendæ*, adv. *Legem Civilem*, est illicita: (quamvis talis non sit, quæ *merè speculativa* est.) Dannhauer. *II. Theol. Symbuleut. Dial. 5. p. 252.* Veruntamen, ad cogitationes illas

 coer-

coërcitio pænalis nulla dirigitur: quoniam illæ tranquillitati Civili *per se* non officiunt. Nam & alia plura sunt *illicita moralia*, in quibus *admonitionibus* Legislator potiùs utitur, ut illa intermittantur; sed *Legibus pænalibus* non item: adeò ut si quis admonitionibus illis non pareat, saltim *immorigeri dedecus* subeat, & *censuram hominum proborum* experiatur. Talia sunt *vitia frequentia nimis*, ut avaritia, ambitio, inhumanitas, ingratus animus, gula, hypocrisis, ira, invidia, detrahendi studium, superbia, discordia, & sim. In quibus coërcendis Leges punitivæ *inanes* forent. Imò etiam Legibus *Civilibus* quandoque disertè *permissio malorum* cavetur. Quarum quidem Legum *actus unus* est *nudus*, qui pro objecto *voluntatis* Legislatoriæ habet *immediatè permissionem* mali; sed non *malum* ipsum: quippe quod immediatum est *objectum permissionis*. Adeo ut *Lex* non velit malum, sed *permissionem* mali, & *hoc in medio* relinquat. *Alter actus* illarum Legum est *positivus*, *circumscriptio* scilicet seu determinatio *mali*; quô & *pæna excedentis* constituitur. Et tamen, etiam *intrà modum*, permissa illa, *tantùm in foro soli* seu humano, *impunia* sunt. *l. 144. d. R. J.* Non etiam quicquam *permittere* Princeps seu Potestas Civilis debet, quod providentiam & Majestatem *DEI immediatè* lædit aut sollicitat; qualis est *v. c.* probâ Sagarum per aquæ innatationem (vid. Dedekenn. *P. II. Consil. Eccles. fol. 444. 446.*) cum similibus.

Cæterùm *Civilem Legem*, si vel maximè *dura* sit, *Magistratus*, itemque *JCtus*, sequi debet; *l. 12. qui & à quib. manum.* Vinn. *Lib. I. qu. 2.* nec unquam suô ausu quid suscipere, quoties vel *initiò extrinsecum* est Legi *temperamentum*; ut tale quid *virtute* suâ & *sententia* vel *ratione* non contineat: vel eùm *temporis progressu* Lex aliqua non ampliùs *æquabilis* est. Nam utrôque casu ad *Principem*, ut is immutet Legem, vel subveniat, *unicè* pertinet. Quanquam sæpè Leges duriores *Censoribus* videantur, quàm debeat. Quis enim temerè, si non *H. Grotius*, (qui subinde *prudentiam Romanam*, ut scilicet Juri *suo* pretium inde pararet, inconsultò vellicat,) *Silanianum* carperet *SCtum*, quando hoc *familiam* Domini occisi, *servum* quippe non modò *vilissimum*, sed & *suspectum* odii in herum suum, & injuriæ seu neglectûs in eundem jam satis *reum*, vel sceleri facilè per *conspirationem* cum familiâ reliquâ *implexum*, torqueri posse *in necem Domini* voluit; maximè quòd & servos, in aliis, ad dicendam veritatem, pro testimonio *torquendos*, rationi solidæ adversum non sit; de quo vid. Taborem *in Diss. I. d. Quæstion. & Tortur.* Diversum verò penitùs est *Jus strictum*, quod appellamus, à *duro* illo. Nam *hoc* quidem locum nullum Interpreti relinquit; & rigidum *apertumque* est. Sed *strictum* dicimus, quatenus, prout jacet, applicari vult speciei cuilibet, quæ sub eô contineatur; ut tamen incurrens *circumstantia* Interpretem ad *mentem* Legislatoris ducat, quam ipsius verba, vel *angusta* vel *laxa*, non satis exprimunt; adeò ut illa vel *extensione* vel *restrictione* indigeant. Quin & JCti in LL. *nostris* strictum Jus aliquando in unô locô *exhibent*, quod & *regulam* dicimus; iidemque alibi abinde abscedendum, vel *temperandam* esse regulam, eamve vel ampliandam vel restringendam, aut excipiendum inde volunt ipsi casum, si *circumstantiæ* id requirant: vid. *§. 23. Inst. d. R. D.* junct. *l. 7. §. 5. d. A. R. D.* tum & *l. 38. eod.* item *l. 31. §. 1. Depos.* In quibus locis *apertè* profitentur JCti, quòd *regula* in quibusdam sit cui si insisti in *omni casu* velit, *summam* illud fore *injuriam*. Aliàs imperiti omninò jurium sunt, & segnes nimium, qui protinus, quando *Leges* duas *in speciem diffidentes* vident, ut ex discrimine eluctentur, earum unam de *jure stricto*, alteram de *benigno*, accipiendam esse volunt; cùm potiùs *casus diversos*, utrobique *speciales*, nec ulla earum *regulam* tantùm, seu *jus strictum* & *indefinitum*, contineant. Ubicunque verò strictum jus esse constat Judici vel JCto: ibi *æquitatem* adhibere, nec adeò circumstantiam negligere debet; quam Jus illud *indefinitum* seu *generale* vel non habet, vel circumstantia nunc occurrens, ei quam Jus habet, non per omnia similis est; idque per tramites *veræ prudentiæ* facere instituet, ac per *analogiam* Jurium: neque enim *cerebrina* æquitas digna est Justitiâ, eôve qui justum se aut peritum juris profitetur. *Vult* nempe hoc *Majestas ipsa*, quod Judex aut JC. æquitatis implicitæ reperit; eaque si ex *ratione naturali* est, *naturalis* æquitas, si *ex civili*, *civilis* dicitur. Nec semper in *lenitate* consistit. *l. 1. §. 1. si is qui test. lib. esse juss. est. l. 1. de eo per quem factum est.* Siquidem non *rigori* opponitur Æquitas, sed *stricta* verborum *expositioni*: atque hinc diversa penitus est à *Clementia*, quæ non est nisi Principis,

Monen-

Monendum quoque est, *Canones Ecclesiasticos*, seu Constitutiones in *Rebus Ecclesiæ*, quæ quidem olim per modum *conventionis*, non etiam *ex imperio*, obtinuêre, *Civilibus Legibus* pares haberi posse. Illi verò non *promulgatione* nudâ, sed *agnitione* à populo Christiano, valebant. Deinceps verò *Principes* ad Christianismum perducti, majori auctoritate, ùt *Principes* quoque aut *Primi in Ecclesiâ*, constitutionem hanc susceperunt, *Præsides* scilicet, nec tamen nisi *cum Consiliis*, si quid *noviter* definiendum fuerit: quod quidem *Cæsari* assertum cuperent *Protestantes*, si per Fidei discrimina liceret. Intereà *Pontifex Romanus* adeò sibi *potestatem* ferendi *LL.* in *rebus Ecclesiasticis*, per totam quoque *Christianitatem*, asserit, ut ne quidem necessarium esse *Bellarminus*, *promulgationem* Decreti Papalis ubique locorum fieri, quò minùs illud omnes teneat, quibus duntaxat *innotuit*. Sed diversum sentit *P. d. Marca L. II. C. S. & I. c. 15. n. 2. seq.* ubi *n. 10.* textum *c. 1. X. d. Postul. prælator.* de *singulis* tantùm hominibus agere monet, ut illis publicari talia necesse non sit; secùs esse de Provinciis integris. Et supponi adeò in *d. textu*, quòd Decretum communiter jam publicatum sit; maximè quòd Roma non ampliùs tantò confluxu petatur. Utique *Galli* Pontificis Decretis Bullisque locum non faciunt, nisi *Regis* assensu præviô. *Hoornbek. ad Bull. Pap. Innoc. p. 285. Nostrates* ea spernunt penitùs: & quòusque *Jus Canonicum* admiserint, ad *Bæcleri Not. Imperii*, tum & per singula Capita, in *Praxi Jur. Canon.*, à nobis expositum est.

II. Sed pluribus de jure civili agere non est hujus instituti. Quanquam notitia Juris Romani in hac quoque universali disciplinâ non quidem ad intellectum necessaria, sed perquam utilis est ad illustrandum, & fortè necessaria ad docendum. Quia satis constat, nihil solidius & sapientius ad interpretationem Juris Naturæ & Gentium quam à Romanis prudentibus extare relictum. Etsi contemptum, ignorantiæ manifestus, Romanæ prudentiæ præ se ferat ille sui ingenii Hobbesius.

III. Jam qui præcepta omnigeni juris vitæ suæ tenore servat, is justus, & hic à justitiâ dicitur. Quæ nihil est aliud quam habitus, per quem homines justa volunt & agunt ut Aristoteles * finivit.

* *V. ad Nicomach. c. 1*

IV. Justitia, quæ omni juri cunctisque virtutibus adæquata est, universalis dicitur. Neque aliud est, quam virtus in genere; (*b*) tantùm quod Justitia relationem ad alios usumque in societate civili contineat. Unde liquet, eam non esse distinctam virtutis speciem, sed omnium complexionem.

(*b*) VIRTUS IN GENERE. At verò ita non posset *omni Juri* adæquata esse: eò quòd *Justitia Universalis* non modò virtutes *morales* dirigat, præter Justitiam particularem; quippe quæ per se virtus *specialis* est: verùm etiam actionibus civium omnibus, nec tantùm privatis, sed & publicis, præsit. Hinc omninò Justitiam universalem, ratione *objecti* sui, ulteriùs porrigi oportet, quàm plerumque rem alii definiunt. Equidem A. ne quidem justitiam illam, quam Aristoteles ad complexum virtutum dirigit, in *§. seq.* agnoscit; quin potiùs omnem justitiæ rationem ad efficaciam *juris in fo-*

in foro deducit; adeò ut tantùm justitia *particularis* Ipsi *justitia* propriè *dicta* habeatur; imò quando ex virtutum aliquarum exercitio commodi quid in rempublicam redundat, Ille hoc non justitiæ esse putet: quoniam satis prodant se virtutes illæ; quamvis utilitatis exinde, sive publicæ sive privatæ, nil quicquam se exserat. Ita verò, si vel maximè dicatur, nil prodesse Reipubl. virtutes illas, nisi cuique facultates seu bona quæcunque sua custodiantur; tamen hoc, quòd suum cuique bonorum ejusmodi tribuatur, non proficisci ex justitiâ universali; neque de naturâ hujus dici posse, ut cuique suum tribuatur. Enimverò sicuti jura non eò tantùm respiciunt, ut de *bonis externis* suum cuique tribuatur; verùm etiam oportet, ut virtutum, quæ ad exercitium sui bona externa non desiderant, *actûs*, vel interni, ad alios dirigantur: iisque per eos tribuatur, quod debetur ipsis; quamvis ex *imperfectô jure*: eum sanè liberalitas, beneficentia, & similes virtutes, non modò perficere debeant ipsum eum, qui illas exercet; verùm etiam *in societate* dirigi ad alios. Hinc nulla poterit esse *virtutum* in Republicâ, nisi quæ ad alios dirigatur; siquidem virtus tantùm dicitur, quâ ipsum quem virtuosum efficit, sed justitia quatenus ad alium refertur.

Cæterùm *particularis Justitia*, sicuti ad *externa bona* unicè respicit, & jus perfectum confert aliis: ita omninò in forô & communi vitâ magis urgetur; nec tamen sola finem Juris aut Jurisprudentiæ, siue Romanæ sive alterius, absolvere potest. Quippe quòd Jura etiam inculcent ea, quorum persecutio in foro non datur: sive illa debeantur singulis, sive Reipublicæ; imò Deo etiam. Quod verò diximus, *Justitiam Universalem* niti *imperfectô jure*: illud solùm ad *privatos* referendum est. Nam Deo quoque & Reipublicæ, ad exercitium eorum, quæ universaliter justa sunt, plenè sive perfectè tenemur. Utique *JCti Romani* hoc *suum cuique tribuere* non aliter intellexerunt: nec potuit Auctor *§. 5.* illud exponere tantùm per actum, eumque negativum, Justitiæ particularis, alterum non lædere: cùm nequidem tota justitiæ ratio absolvatur per actum positivum, qui speciali sensu, per *suum cuique tribuere*, inter præcepta juris, exprimitur. Generale autem præceptum juris, quod ad universalem spectat, penitùs Auctor præterit. Quod de *Charitate Idem* dicit: largiri possumus facilè, ut illa complementum justitiæ inter Christianos indicare possit; quin & *Pietas*, si latô sensu capiatur: cùm aliàs pietas ad Deum magis respiciat; uti charitas ad proximum. Quamvis enim in Republicâ cives adigi possint, ut suum cuique tribuant; licèt charitate destituti: tamen hoc solùm ad finem externum pertinet, quô intendimus etiam *internè bonos* efficere; estque de naturâ finis ejusmodi, ut eum *intendamus* quidem, etsi eundem sæpè obtinere non possimus.

Igitur *Particularem Justitiam* non putat Auctor Cl., idem genus Virtutis ejusdem subire cum *Universali*: quoniam particularis cohibeat vel repellat τὸ πλέον, *plus suo capere*; quale quid non agat quam dicunt Justitia universalis, in complexu reliquarum Virtutum. *Alibi* verò, & recentiùs quidem, ait, *Suum* illud, cujus coërceatur cupiditas, sumi vel pro iis, quæ nos faciant *locupletiores*; & partem adeò *patrimonii* conficiant. Ita coërceri per justitiam nimium pecuniæ studium, quam *particularem* unicè dicat *Aristoteles*; eamque Justitiæ *universali* opponat. Vel suum dici, omne id, quod *qualibet ratione* ad nos pertineat. Ita docere *Justitiam*, ait, cohibere *omnem malam cupiditatem*, quâ quis alium in quâlibet re *quovis modô lædit*: quæ quidem *universalis* est *Philosophis*; (sive dicas illam esse universalem eam, quæ particulari *opponitur*: sive quòd *Justitia* in *universa* latitudine sumpta curet hæc *posteriora*, & curet etiam *priora*; indeque ob complexum integrum *universalis* dicatur: cui idcircò non opponatur Justitia particularis, sed illi universali, tanquam *pars* quædam, *insit*: adeòque hic sit *pars totius*; ibi sit *consspecies* sub unô genere, *absolutè definitô*.) Quando autem sensu illô, quô Justitia dicitur regere, quod *qualibet ratione* ad nos pertinet, *unum genus* nos habere posse *Justitiæ* & ipse *Auctor* largitur; quæ doceat scilicet neminem lædere in bonis, corpore, honore suo suorumque: ceu Justitia à *Cicerone* & *JCtis* definiatur: non potuit tamen *taliter constitutam* dividere, in *distributivam* seu attributricem: cujus debita non possint necessariò exigi, cùm scilicet perfectè non debeantur, (quò ille omnia refert, quæ Justitiæ *universalis* sunt:) & *commutativam*. Etenim hæc distinctio adh. non nisi est *partis* Justitiæ illius, in complexu sumptæ, quam nos *particularem* dicimus. Et quamvis distributiva *non perfectè tribuat*, (in *effectu*

ctu ſcilicet, quod civi v. c. rat. *præmiorum* debetur: ſæpè enim Civitas *ſolvendo non eſt;* indeque ſaltim Civi tribuitur, quod pro *facultatibus* & *modò* Civitatis poteſt:) tamen *in causâ ſuâ*, ipſâque obligatione ſeu debito inde procedente, Juſtitia quoque *Diſtributiva*, (ut tota particularis,) *Jus perfectum* confert: cùm quidem Juſtitia *univerſalis*, etiam quoad *cauſam* debiti, eâ rat. imperfecta ſit, quòd *exigi* debita illius non poſſint, v. c. gratitudinis, miſericordiæ. Quæ quidem cum *Auctore* ad diſtributivam nullatenus referri debent.

V. Proprie autem dicta juſtitia eſt ea, quæ docet plus ſuo non capere aut cupere, cujus oppoſitum vitium illud frequens eſt, πλεονεξία. Quæ cum ab aliâ virtute non coërceatur, fieri nec poteſt, quin hæc ſit peculiaris & ab aliis diſcreta virtus. Nam quod aliqui dicunt, juſtitiam univerſalem, adeoque omnes virtutes cohibere πλεονεξίαν, ſive concupiſcentiam alieni, hoc cavillatorium eſt. Cum multas dari virtutes, in quibus nihil tale vertitur, ſit manifeſtum. Definitur juſtitia à M. Tullio, * virtus, quæ cuique jus ſuum & dignitatem tribuit. Quæ verba cuilibet virtuti non convenire palàm eſt. Neque enim temperantia, patientia, fortitudo, modeſtia, ſimileſque virtutes in hoc conſiſtunt, ut ſuum cuique tribuant. Nec erit, qui liquido explicabit, quomodo illæ virtutes πλεονεξίαν refutent, quod aliqua virtutum facere debet, nec ab alia tamen fit, quam quæ per *ſuum cuique tribuere* definitur. Imò clarum eſt, quod exactè ſuum cuique tribuere, id eſt, *alterum non lædere* poſſit, qui & timidus & helluo & impatiens eſt. ** Proinde alienum dictu eſt, definitione virtutis, quæ ſuum dat cuivis, nullam non contineri virtutem, eamque eſſe univerſalem. Niſi tu univerſalem dicere velis, non quæ cunctas virtutes continet, ut Ariſtoteles, ſed quæ reliquarum virtutum actus ad ſuum finem bonumque commune refert, ut ſchola Thomæ. Atqui ita particularis juſtitia quam nos dicimus, erit univerſalis, quatenus reliquæ virtutes nihil proſunt Reipubl. niſi facultates cuique ſuæ cuſtodiantur. Dicis, vix aliunde poſſe colligi alicujus temperantiam, modeſtiam, patientiam, niſi ad omnium vel ſingulorum utilitatem illæ virtutes exerceantur. Imò temperantia, modeſtia, patientia, pietas, verecundia, magnificentia, facillimè poſſunt colligi, ultròque ſe produnt, etſi de effectu publicæ privatæque aliorum utilitatis nihil dum conſtet. An, ſi natura illarum ſine officio tribuendi quicquam alii, plene conſtet, tamen hoc, ſine quo eſſe poteſt quæque virtus, de naturâ ipſius eſſe contendes?

K

des? Quomodo ita non charitatem ſumemus pro virtute univerſali, omnesque ſub eâ virtutes complectemur, ad quam omnium officia virtutum dirigit Apoſtolus? Plane, qui non abutitur judicio, non poteſt negare, quin evidentiſſimum ſit, eam virtutem, quæ docet alterum non lædere, id eſt, ſuum cuique tribuere, non eſſe quamvis virtutem, ſed ex pluribus aliquam.

* *2. de invent. & 3. ad Herenn. pr.*
** *Thom. 2. 2. qu. 58. artic. 2.*

VI. Porrò jus & dignitas in definitione Tullianâ ita fere opponuntur, ut apud veteres τὸ ἴσον καθ' ἀριθμὸν & τὸ κατ' ἀξίαν. Illud, quod omnibus ex æquo ſine diſcrimine tribuendum, qualia, quæ plenè & perfectè ad quemque pertinent, uti quæ in dominio aut in credito habentur. Ad dignitatem referebant ea, quæ probabili ratione non tamen neceſſariò cuique debentur, neque exigi poſſunt, (c) ut præmia bene meritis.

(c) NEQUE EXIGI POSSUNT. Quoniam Juſtitia *univerſalis* nobis illa dicitur, quæ non modo virtutes cæteras, præter juſtitiam particularem, verùm etiam *omnes actiones civium*, complectitur, quatenus diriguntur ad alium, eique jus ſuum, idque imperfectum, ad quod ſcilicet actionem ille non habet, tribuitur. Ideò à particulari eam faciliùs diſtinguimus, quòd hæc reſpiciat bona externa, quatenus ex his alii quid, ex jure hujus perfectô, tribuendum eſt. Igitur Juſtitia reverà non niſi una eſt, quæ ſuum cuique tribuit: ſpecies tantùm, ſive digreſſiones potiùs, duas inde conficimus; quòd juſtitia circa bona illa interna & externa diverſimodè ſe exſerat. Ex quo ſimul patet, Juſtitiam *particularem ſub univerſali*, tanquam ſpeciem ſub genere, *non rectè* collocari: cùm potiùs *Juſtitia una* ſit, illa quæ in univerſalem & particularem diſtinguitur Auctor verò, ſicuti *particularem* unicè amplectitur: ita quando *aptitudinem* in §. 7. *b.* ad Juſtitiam Diſtributivam, *facultatem* verò ad Commutativam refert; in quo *Grotium* ſequitur: non rectè aptitudinem per hoc expreſſit, quaſi non poſſint *exigi* vel non perfectè debeantur, quæ diſtributiva Juſtitia civibus attribuit; cùm tamen non modò ad præmia, ſed etiam ad *onera* communia, ſpecies illa Juſtitiæ particularis porrigatur: quin & præmia perfectè debeantur bene meritis, quaſi jure quodam actionis; licèt non ſemper *adæquata* meritis, ob Reipublic. indigentiam, conferri poſſint. Nam ita non negatur debitum; ſed ſolùm defectus in executione eſt: ut immeritò *aptitudinem* dicamus, & non etiam plenam facultatem, *quicquid* Juſtitia diſtributiva præcipit. Quid quòd etiam poſſit plena haberi *retributio*, quæ pro ſtatu Reipubl. congrua eſt. Quapropter recipi non poteſt, quod dicitur, Juſtitiam illam probabili tantùm ratione niti; non etiam neceſſaria. Illud planè huc non pertinet, quod in §. 7. de operariis ex Evangelio adducit: cùm ſatis conſtet, quoad vitam æternam de meritis, ſeu retributione aut proportione eorundem, fruſtrà quæri. Facilè autem accedi poteſt *Auctori*, quando *beneficium* quodlibet ad Juſtitiam *diſtributivam* non pertinere, tradit. Imò potiùs nullum eò pertinet; quoniam actus ille eſt *Juſtitiæ univerſalis*, quando teſtator *legatò* quem honorat; adeò ut *Grotius* malè omninò ad Juſtitiam diſtributivam hoc retulerit. Legati verò *executio*, quæ hæredi incumbit, ad quaſi contractus, & ſic ad commutativam juſtitiam, referenda eſt. In eô non minùs *Grotium* notari oportet, quando Is nullum *proportioni* locum facit, in juſtitiâ diſtributivâ, ſi

unus

mus tantùm muneri sit idoneus. Quidni enim possêt unus ille idoneus ad alios minùs idoneos referri? quid quòd præmium ejus ad meritum comparari debeat; & vel hinc proportio educatur. Quid etiam quòd munus illud, ad munera reliqua, licèt non ejusdem, sed diversi generis, comparari queat. Itaque nihil penè sani in *L. I. c. 1. §. 8.* habet *H. Grotius;* ubi simul etiam studium *virtutum* ad justitiam attributricem, h. e. *distributivam,* refert; (in quam & sententiam *Auctorem* pertraxit:) Nam hoc quidem ad Jus *imperfectum* respicit; & vel ob id necessum fuerat, ut *Grotius* istud Justitiæ universali relinqueret.

Illud verum est, quod *Idem Grotius* perhibet, distributivam & commutativam justitiam *non distingui proportionibus.* Quamvis enim *distributiva* semper attendat proportionem *Geometricam:* quippe quòd ea pro *objecto* habeat illa, quæ *civibus, quâ talibus,* debentur: sive *commoda,* & sic plus quàm *præmia;* sive *onera,* & sic aliud & diversum quid à *pœnis.* Tamen quoniam in his etiam, quæ debentur privatis, citrà respectum publicæ societatis, occurrere potest sæpiùs, ut ratio diversorum respectuum haberi debeat; uti fit, v. c. inter socios, coheredes, concurrentes creditores, &c. Ideò in alterâ quoque justitiæ specie, commutativâ scilicet, tunc quidem proportionem *Geometricam,* ùt in cæteris arithmeticam, observari oportet.

Equidem *Zieglerus Lib. II. d. Jurib. Majestat. c. 3. §. 24. seqq.* opinatur, in *Immunitatibus* & *Privilegiis,* æquè ùt in præmiis, *Geometricam* quidem proportionem observari. Postquam verò illa priùs constituta sint, & dehinc ad *onera* imponenda procedatur: illam fieri impositionem per *Justitiam commutativam;* indeque per proportionem *Arithmeticam.* Nempe falsum esse, quòd in *Societate* proportio *Geometrica* observetur, cùm tamen in eâ non respiciatur *dignitas vel meritum personæ:* Sic & in *collectis* imponendis, ubi itidem nullum ampliùs *personæ meritum* consideretur; sed solùm proportio inter *bona & tributum* servanda sit. Proportionem verò, quæ in *Societate* servatur, videri tantùm *Geometricam;* reverà tamen non nisi *Arithmeticam* esse: nam & *emptorem* unum, qui ulnam v. c. unam panni pro thalero emit, cum altero qui duas pro duobus emit, proportionem Arithmeticam servare; quod omnes fateantur: parem autem in *Sociis* quoque rationem esse; quorum unus, qui 100. contulit, ex lucro 30. thalerorum, decem; alter ex 200. collatis, viginti lucretur. Sed in his falsa non una sunt. (1) Quòd existimet *Zieglerus,* Justitiam Distributivam & Commutativam *Proportionibus* distingui: cùm tamen ratio attributionis in *objectis Commutativæ* Justitiæ illud non ferat, ut in omnibus istis *Arithmetica* servetur, aut servari queat. (2) Quòd putaverit Ille, oportere collectas ideò imponi *civibus* non exemtis per proportionem *Arithmeticam:* quoniam aliter *æquitatis* ratio haberi non possit. (3) nullam esse *Geometricam* proportionem, nisi ubi *respectus personarum,* in *dignitate* earum & *meritis,* habetur: quâ rat. etiam *pœnas* oporteat Geometricè imponi duobus, in eâdem specie delicti; quod tamen æquè falsum est. (4) in *Societate arithmeticam* servari. Scilicet quia Societas ad *Distributivam* non pertineat. (5) nullum quoque inter *Societatem* & *Emptionem* discrimen esse. Enimverò sicut *collecta,* quæ rat. agri unius penditur, non æquivalet *agro* illi, ùt *pretium* rei *emptæ;* sed æquitas istius ex *proportione ejus* cognoscitur, quod alii rat. agrorum suorum pendent: idemque in *Societate* occurrit; ubi 10. lucri non conveniunt numericè cum 100. in societatem collatis, tanquam *objecto* suo; proportionem tamen habent cum illis: quia 20. recipiuntur ab altero sociorum, respectu 200. Ita è contrario in *pœna* pauperis & divitis, *exteriùs* solùm differunt 10, & 20. aurei: *interiùs* verò, quoniam *objectum* seu delictum *idem* est, (non ùt ibi agrorum, item collatorum in societatem, est diversitas;) Ideò oportet etiam attributum *Arithmeticè,* rat. ejusd. *doloris* seu *mali passionis,* quod formale est pœnæ, idem esse.

Tandem, Justitia illa commutativa, (quam *Grotius* expletricem appellat, alii *Correctoriam,*) non tantùm ad conventiones, verùm etiam ad jura *Realia,* imò ad jura *personarum* suô modô, ùt alibi diximus, pertinet; indeque referuntur eò non minùs *pœnæ,* prout *ex delictis privatis* debentur; *publicæ* autem justitiæ *universali* relinquendæ sunt: quæ non minùs *proportiones* habet, æque ac per illas particularis dirigitur. Estque verior sententia, in *pœnarum* inflictione proportionem *arithmeticam* attendi oportere.

VII. Jus proprie dictum Grotius * *Facultatem*, quod eſt dignitatis, *Aptitudinem* appellat. Juſtitiam, quæ circa illam vertitur, *Expletricem*, quæ circa hanc, *Adtributricem* vocat. Terminis ſcholaſticâ induſtriâ ad doctrinam, quæ eſt veterum, adtemperatis. Non eſt tamen ita, quod omnis aptitudo & quodvis beneficium ſit objectum Juſtitiæ Adtributricis. Non utique ubi teſtator amicos honorat Legatis, quo Grotius ** utitur exemplo Neque ſimpliciter, in diſtribuendis eleemoſynis aliisve liberalitatibus. Neque enim, qui plus uni tribuit præ altero, æque aut melius merito, propterea injuſtus eſt, ut docet Chriſtus, hiſtoriola de operariis. Liberalitatis enim nemo rationem reddere cogitur. Saltem ut minus acceperit nemo, quam ratione ſatis probabili prægnantique ſibi deberi, fidem facere poſſit.

* Grot. *l. 1. c. 1.* §. *5.*
** *Idem d. l. 1. c. 1.* §. *8.*

VIII. Plane ita videmus, Juſtitiæ nomen vel à jure, quod eſt Regula boni & æqui, eſſe deſumptum. Vel à jure, quod eſt qualitas moralis ad habendum aliquid vel agendum. In priore ſenſu dicitur Univerſalis, in poſteriore particularis. (*d*) Verum ut illa jura non ſunt Species oppoſitæ, ſed diverſæ ejusdem vocabuli ſignificationes. Ita nec Juſtitiæ illa propriè ſumpta diviſio eſt, cum una ſpecies alteram contineat. Sed revera quæ particularis dicitur, ea ſola pro virtute habenda eſt. Altera non eſt habitus certi objecti, proinde nec virtus dici poteſt. (*e*) Quid igitur? eſt translatio vocabuli, quæ univerſæ moralis diſciplinæ exercitium, παντοίης ἀρετῆς ἄσκησιν ſecundum omnia divina humanaque jura ſignificat.

(*d*) IN POSTERIORI PARTICULARIS. At verò non apparet, quâ ratione *particularis* non æquè à *Jure* pro *Regula* ſumtô, & viciſſim *univerſalis* non à jure, quod eſt *qualitas moralis*, procedere, tam quoad nomen, quàm rem ipſam, dicenda ſit.

(*e*) NEC VIRTUS DICI POTEST. Quòd ſi verò in eô *virtutis* cujusdam *ratio* conſiſtit, juſtitiæ puta particularis, quòd *ſuum cuique tribuat:* non poterit ex numero virtutum ejici juſtitia quoque *univerſalis;* quippe cui in eô cum particulari convenit. Nec enim quicquam impedit: Juſtitiam univerſalem verſari circà virtutum aliarum moralium objecta; ut ſi eundem modum ſervat, qui ſervandus eſt in earum quâlibet ſpecie: tunc non tam virtutis ſimplicis nomen habitura ſit, quàm *virtutis politicæ*, ſive ad alios relatæ. Nam in eo ſaltim nobilior eſt hæc virtus, quòd non ſibi tantùm commodet; ſed vel maximè *bonum alterius* & *publicum* quærat: in quo uno dum objecta quælibet ad alios, idque *intrà modum* ex æquitate diſpoſitum, refert: rationem *virtutis* hucusque *peculiaris* abſolvere omninò poteſt. Quin imò *juſtitia univerſalis ultra* quoque *virtutes mo-*

tes morales extenditur: ad ea scilicet, quæ non modò virum bonum attinent, verùm etiam quæ *civem* decent, ac ad munera seu officia publica respiciunt.

Priusquam hinc abeamus, expediendum est: quâ ratione *Princeps Legibus solutus* dici possit? eis scilicet, quæ vel ad actus *merè civiles*, eorumque requisita & solennia, pertinent; ùt testamentariæ & similes: vel quæ *indifferens* quoddam in honestate morum continent; sive hoc tale fuerit *absolutè*, sive ex parte & *secundùm quid*: ut nempe quid *necessitatis moralis*, extrà definitionem civilis potestatis, habeant; quales sunt v. c. *Leges pœnales* in delictis, *divini* licèt vel *universali jure* prohibitis. Equidem *Scholastici* obstringunt Principem Legibus ipsius, per vim *directivam*, sive in modum regulæ; non etiam per *coactivam*. At verò cùm Princeps imperium intrà civitatem nullum agnoscat extrà se; ita ut principium agendi in ipsum penitùs deficiat: hinc *ne quidem* quoad *vim directivam* Legibus suis tenetur. Imò sic etiam *coactivam* in ipsum asseri oporteret: eò quòd is qui culpæ reus sit, à pœnâ immunis esse nequeat; quicquid sit quòd *executioni* ea non detur. Et sanè *reatus* infert respectum ad *superiorem*, quô tamen *in civilibus* Princeps destituitur. Accedit, quòd nec obligari possit legibus illis *ex voluntate suâ;* quia hanc pro lubitu mutare posset: neque ratione *materiæ;* quæ cùm sit indifferens, quà civilis est, ex se non obligat, sed ex præcepto superioris: quem tamen non habet Princeps. Quòd si *scandalum* obvertas, ad quod præcavendum Princeps obstrictus sit: dicendum est: *hanc obligationem* perfectam non esse; saltim *non* esse *legalem*, ut ex ipsâ vi legis, quam dedit Princeps, pendeat; nec specificam, sed *universalem* & *indirectam*, quæ ex universali virtute Principem movere possit. Ad *actus* verò *ipsos* si respiciamus: aut *communes* illi sunt Principi *cum subditis;* aut ad *hos* unicè pertinent. *Horum* nulla hic habetur ratio. *Illi*, vel civiles sunt, vel morales. Quoad *civiles*, Princeps legibus, quæ circà eos disponunt, nullatenùs tenetur: indeque testamentum, donationem, solennibus civilibus neglectis, efficaciter condit. vid. *l. 1. §. f. d. Off. Proc. Cæs.* junct. *l. 90. d. A. O. H. l. 26. C. d. Donat. int. V. & U.* junct. *t. t. ff. & C. eod.* add. *l. 56. d. Legat. 2. l. 34. C. d. Donat. Nov. 25. c. 2.* Actûs verò *aliorum*, quamvis ad Ejus commodum, si forent validi, pertinere possent; non tamen potest nulliter celebratos pro validis, contrà legem suam, cujus illi actûs proprium objectum sunt, pronunciare. Nec enim actum eundem simul invalidum & validum esse possibile est. *Morales* quod attinet: illi vel *simpliciter tales* sunt; & tunc legibus, quibus circà eos quid dispositum est, ne quidem tenetur Princeps, quà talibus; sed quatenus sunt *regula rectæ rationis*, quibus ostenditur, quid *publicæ utilitati* conveniat; quippe quam Princeps pro *Officio suo* negligere non debet, tanquam pars Communitatis potior: tum & quà Leges istæ civiles *Jus supernum* proferunt: quale quid non modò occurrit in *criminibus*, sive illicitis; verùm etiam in *contractibus*, & negotiis licitis aliis. Proinde Princeps non tenetur ex ejusmodi legibus; sed potiùs *ànte eas*, quà *naturale* quid continent: ùt est pretium v. c. justum, in denen Tax-Ordnungen; atque Principem obligant, non quia ipse sic ea definivit; sed quia aliter definiri non poterant: saltim quòd probabilitas naturalis, uti fuerat ante definitionem ejus, necessitas quædam fuisse, post declarationem ejus, appareat. Sic & *crimina*, quæ communi jure sunt vetita, non minùs Principem afficiunt; licèt eum non feriat *pœna* illa, quam Ipse propter ea civibus imposuit: nam hæc est *forensis;* utut *pœnæ effectum*, quem jus ipsum *commune* delinquenti interminat, *à Deo*, cui hactenùs unicè Princeps subjicitur, expectandum habeat. Quod enim Grotius *L. II. c. 20. de J. B. & P.* opinatur, posse *Principem puniri* à *Paribus* etiam, sive Principibus aliis, inter Gentes: id *inferiùs* discutiemus. Cæterùm quod de *Summo Principe* dictum est: idem non minùs in *Statibus & Pricipibus Imperii* nostri & similibus, Potestate Leges ferendi *subalterna* gaudentibus; quoad Statuta provincialia, obtinet.

CAPUT. VII.

De Origine Civitatis ex consensu & vi.

ARGUMENTUM.

Causam Civitatis præter desiderium societatis odiumque confusionis, fuisse malitiam hominum. Contra quam boni se tueri non poterant, nisi conjunctione multorum, & quidem tali, per quam omnium voluntas una fieret. Plures tamen populos vi in civitatem & sub imperium quà jure quà injuriâ fuisse redactos. Facultatem quâ potentior imbecilliorem cogit ad obsequium, impropriè diei Jus. Divisio Imperiorum in voluntaria & involuntaria. Graswinckelii sententia, Imperium à populo ne quidem per modum causæ secundæ derivari statuentis, refellitur.

I.

ILlam sanctitatem justitiamque universam si homines integre perstitissent, exacte implere potuissent. Sed ubi desciverunt, ambitio, avaritia, libido invasere. Adhuc quidem leges naturæ, id est, dictamina rationis satis æquum ab iniquo separabant. Ineratque animis cupiditas societatis, (*a*) judiciumque de rebus ad eam necessariis. Sed quia sine ordine certo non poterat confusio evitari. Nec commoda universorum invicem communicabantur. Maxime, cum ob pravitatem feritatemque hominum dictata rationis negligerentur, tantumque omnes valere vellent, quantum viribus possent: palam est, opus fuisse ad bella evitanda conjunctione multorum.

(*a*) CUPIDITAS SOCIETATIS. Hanc esse causam *impulsivam* civitatum, & *internam* quidem, probata est *Antiquis* sententia: ita ut fundet illa societates *simplices*, nec felicissimi etiam felices se esse putent nisi in societate aliorum versentur. Senec. *IV. d. Benef. 8.* Ideò hinc etiam deinceps causam societatis *perfectæ*, i. e. Civitatis, Theologi quoque petiêre; adeò ut *Dannhauerus p. 2. Theol. Consc. p. 699. seq.* non posse quem *vitam solitariam* eligere, statuat: Quamvis illum, qui *negativè* est solitarius, ùt si quis casu aut fortunâ in vitam ejusmodi inciderit, meritò inculpatum habeat. Idem appetitus societatis efficit, ut in *Statu* quoque *innocentiæ* (quem & *indigentiâ* omni vacâsse dici non potest: nam & Adamus indigebat sociâ, *Gen. II., 18.* & tenelli infantes auxiliô parentum indiguissent, &c.) cœtûs ordinatos exstituros fuisse, asseri debeat; licèt eos *Rempublicam Majestaticam* appellari non potuisse satis constet: quia majestas, ad continendum refractarios, *Jure vitæ & necis* potissimùm instructa est; nec minus ea valet Jure *bellum decernendi*, & his quæ eidem *annexa* sunt: qualia non possunt cadere in Statum integritatis. Neque tamen eò minùs *Rempubl.* quis appellaverit, quæ familiarum ordinem habet *hominum perfectorum*, in quos scilicet pœna nulla sive coërcitio valet. Noviter alii, hominem non esse socialem tradidêre; sed tantùm *sociabilem*, h. e. aptum ad hoc, ut societatem colere possit, ob *loquelam* & *rationem* ei inditam; idcircò nec societates esse *secundùm naturam*, sed tantùm *non contrà eam*. Scilicet à naturæ instituto eas non procedere;

cedere; sed ob *metum* extrinsecè potentium, & ob mala quoque *interna*, quæ naturalem Statum comitentur, nec aliter quàm coitione in civitatem evitari vel tolli possint, suasisse tantùm naturam, ut plures in Cœtum majorem coirent: Ita *Hobbes c. 11. de Cive. Pufendorff. L. VII. J. N. c. 1.* & ipse *Conringius* de *Prudentia Civili, cap. VI.* cumprimis quòd probabile non sit, homines *libertatis* maximè amantes jacturam ejus spontè facturos, & Imperio alterius, nullâ adigente necessitate, subjecturos se fuisse. Enimverò, ùt causæ illæ, ad *impellentes externas*, referendæ sunt, quas Græci *procatarcticas* vocant: ita adhuc *communis sententia*, quæ *appetitum societatis* præfert, & primum movens sive *internum* constituit, potior est. Et *bruta* quidem hinc facilè abigimus; quippe in quibus nulla est *societas*, nec ullum, quod vanè plures effutiunt, *Imperium:* quin potiùs *signa* tantùm excitant *gregalia* quædam, velut aves, ad uniuscujusque bonum privatum. Neque *Apum* est regulus, sed mas unus totius cœtûs; ùt *ex* Plinio *XI. H. N. c. 16.* & Aldrovando *Lib. I. d. Insect. c. I. p. 45. seqq.* ostenditur. *Humana* verò Imperia quod attinet, exortum eorum disponere voluisse, ex Antiquis, *Hermogenianus l. 5. d. Just. & Jur.* non videtur. Nam ille solùm instituta *qualibet* hominum *communia* recensere voluit. Inter quæ orditur ab his, quæ majoris sunt moliminis & *publici*, *integrarum gentium;* tunc verò ab istis ad *singulas* earum, & *singulos* in gente quâlibet, progreditur: nec idcircò ille *bellis* originem Imperiorum tribuit.

Nobis ita *naturalis* causarum series, ad Imperium formandum, disponitur. Firmatâ ex principiô suô genuinô hominum *societate*, post illas societates *speciales*, ordinatas, *simplices*, conjugalem, paternam & dominicam; in quibus, ab humani generis lapsu, *Jure vitæ & necis* ipse *Deus* fungebatur: posteà inter hominum excrescentium *familias pactum* processisse saltim naturaliter videri potest, quô familiæ plures in *mutua auxilia* coirent; idque *citra imperium publicum*, promiscuâ libertate. Subsequitur dehinc, ipsâ etiam naturali serie *pactum alterum*, quod ordinem indicat *paritionis*, ergà hos, quibus obtemperare cæteros debere convenit. Sed hunc cœtum *Magistraticum* dicere licet; quippe qui nec *omnimodam potestatem* iis, qui communitati præerant, neque *stabilem* aut *perpetuam*, conferat. Donec *tertium* (nisi duo priora, tanquàm rudia magis, in *gradûs* tantum *distinctos* unius *speciei*, abire velis,) accedat, quô omnibus & singulis *Majestatem* Civitati ejusmodi inducere, & hinc *pluribus* vel *uni*, imò quod Auctor inferiùs, ceu primordium Civitatis, constituit, ipsis *universis* Democraticè Jus vitæ & necis, tanquam omnium maximum, sive *Jus in vitas & fortunas civium*, competere debere, placeat; idque cum *abdicatione voluntatis omnimoda*, quousque *saltim universorum* vita & salus sub eo regimine tuta esse possit. Etenim qui *pacto priori* subsunt, eos *Pufendorff. L. VII. c. 2. §. 8. & c. 3. §. 1.* solô *jure Naturæ* contineri tradit; qui verò *posteriori*, eos vel ipso contineri *imperio*. Vicissim imperantes *status Magistratici* Jure Naturæ valere, ipsôque *pactô* cum cæteris inito; Principes verò, aut qui *Majestate* polleant, non posse nisi per *vim externam cogi*. Quod quidem probari non potest, cùm & Princeps, ut Imperium rectè exerceat, ipsô *jure Nat.* obstringatur; nec officiat, quòd *executio* obligationis illius in ipsum à civibus nulla locum inveniat. Quocircà etiam *religione jurisjurandi*, & *interiori* adeò *conscientia* vinculo, Principes adstringi solent. Planè quem nos modò posuimus *ordinem causarum*, in educendâ *Majestate*, non laborat illis incommodis, in quæ incidere necesse est illos, qui hoc sequenti modô procedunt. Nimirum *Voluntatem* coëuntium dicunt esse *Imperium Civitatis*. Voluntatis illius seu conventionis *tres* quasi *gradûs* videri: *primum*, ne alii aliis noceant; *secundum*, ut omnium voluntas una fiat; *tertium*, ut modus istius Unionis constituatur. *Primus* gradus, ajunt, dat pacem, *alter* Rempublicam, *tertius* formam Reipublicæ. Econtrariô (1) Voluntatem coëuntium Imperium Civitatis esse, neque vera est simpliciter neque tuta sententia: & qui pacto quid confert, is non duntaxat suam voluntatem alii submittit: nec etiam superest voluntas, utut majoris partis, postquam hâc Regi potestas delata est. &c. (2) Pactum primum simpliciter *Hobbesii* hypothesin probat; & tamen insuper in illo jam una est voluntas omnium: quam pactô secundô illi induci volebant. (3) Pactum illis protinùs inducit Majestatem; cùm tamen detur Status Magistraticus, qui istum naturâ antecedit. (4) Idem pactum penes ipsos Majestatem secernit à modô Majestatem habendi: quem quidem

dem in tertium, idque distinctum pactum, illi differunt: cùm tamen modus ille non nisi accidentalem formam Majestatis constituat, & sub pacto habendi Majestatem in Republicâ contineatur; maximè quòd Populus, qui Majestaticum statum sibi expetit, hôc ipsô formam simul etiam definiat. Quin itaque rectiùs dicamus. In *primô* pactô auxilia esse & studia mutua, ad incommoda vitæ quotidianæ levanda, per *Civitatem;* quale esse potest inter familias plures. In *altero* jam *Imperium*, & sic *Rempublicam;* sed quod a constituentibus etiam in facto esse dependet. In *tertio Majestatem:* quippe quæ nec dici potest esse in constituentibus ex se Magistratum, in *pactô medio;* cùm diversa sint, *posse* Majestatem & *velle* eam constituere.. Nec ubi *potentia* est, ibi Majestas est, nec in *secundo* nec in *tertio* pacto, ex parte *constituentium.*

II. Nec tamen consensio in fœdus, se invicem non lædendi, ad tollendam confusionem sufficiebat. Necessaria fuit ejusmodi ratio & modus, per quem omnium voluntas una fieret. Neque enim aliter communium actionum exitus ad concordiam obtineri poterat.

III. Hæc est unio illa, quam vocamus Rempublicam. Et multitudo hoc modo unita Civitas dicitur. Voluntas autem una ista nihil aliud est quàm Imperium Civitatis. Consensu tali priscos populos à dissipatione generis humani, saltem aliquos, in unum coaluisse, dubium non est.

IV. Complures tamen vi bellicâ sub Imperium aliorum redactos sacræ literæ & experientia rerum humanarum docent. Et poterat hæc origo Civitatis, quanquam violenta, tamen esse non injusta. (*b*) Nam qui alios hac gratiâ invaserant, si vincerentur, summo merito in servitutem agebantur. Imò occidi poterant, si qui alios prius occidissent, aut morte quicquam dignum admisissent. Proinde & rebus suis omnique jure privari poterant. Quia quos honestum est occidere, eos spoliare non potest esse inhonestum.* Proinde, quantum vellet, tantum juris victori in eos exercere licebat. Etsi plerumque fiat, ut ejusmodi Imperia pactionibus deinceps alium modum accipiant, adeoque voluntaria vel saltem mixti generis evadant.

* *Cic. lib. 3. offic.*

(*b*) ESSE NON INJUSTA. Loquitur hic *Auctor Cl.* de populo, qui bellô *se defendendo* adversus invasionem aliorum, hosce *subigit:* De quo dubium non est, quòd Imperium in subactum populum justè fundet. In §. autem *seq.* de *aggrediente* populo agit; & quidem si hoc fiat *sine causa.* Uti Bellum habet instar persecutionis judiciariæ inter Gentes; ita aggressor quoque populus, qui *jus suum* adversus iniquum populum alterum bellô asserit, si aliter hoc reparare non possit, etiam subigendo populum hunc, vel partem ejus, fundare Majestatem potest. *Sola* verò *subactio bellica* potest quidem *modum* conficere; sed qui titulô destituatur. Unde non poterit ejusmodi subactione Majestas constitui; nisi populus subactus *titulum* ei sive justitiam acquisitionis, voluntate suâ,

ſuâ, utcunque *coacta* ſit, addiderit. *vid.* Horn. *L. II. Polit. Architect. cap. 9.* & Scharrok. *de Off. ſecundum Jus Nat. p. 273.* ubi & de *tacitô* & præſumptô populi *conſenſu.* de quo & Bœcler. *L. II. ad Grot. c. V. n. 27.* Quoad *Democratiam*, an hæc etiam *per vim bellicam* introduci poſſit? vid. Pufendorff. *Lib. VII. c. 7. J. N. §. 11.* cujus tamen ſententia de Statu Democratico *corruptô*, non item de bene conſtituto, procedit.

V. Sed ut potentior imbecilliores nulla aliâ causâ ad obſequium cogeret, id naturale facti, non juris habendum. Secùs ac Hobbes voluit. Non eſt etiam Juris Naturæ, ut, qui ad uſum libertatis inepti ſunt, hi per vim ad ſerviendum adigantur. Si non alia ſit ratio, quam quod nati ad ſerviendum parere nolint, πεφυκότες ἄρχεσθαι μὴ θέλωσι, ut magnus vult philoſophus. * Neque enim ab aptitudine ad Facultatem, à ratione probabili ad jus perfectum, licet argumentari. Non magis quam id, quod ab alio occupatum eſt, eripere licet, eò quod nobis potius convenire videatur. (*c*) ** Quomodo tamen Imperia vi injuſtâ fundata, fiant legitima, alio loco dicendum.

* *Ariſtoteles 1. polit. c. 3. 4. & ult. Dix. lib. 2. Digreſſ. c. 2.*
** *Xenoph. Cyrop. lib. 1. à pr.*

(*c*) Convenire videatur. Hôc argumentô utitur *H. Grotius Lib. II. c. 22. §. 12.* Quod tamen minùs huc pertinet: qua non petitur ratio illius ſervitutis *ab utili*, quòdque ſubigenti expedire poſſet; ſed ex *conditione* ejus, de quô ſubigendô quæritur. Equidem ſunt, qui ſervitutem hanc naturâ *Philoſophum*, in gratiam *Alexandri*, ſubigendis populis quâcunque ratione intenti, prodidiſſe, ſcribunt. Verùm deſerendus eſt *Ariſtoteles*, niſi de *hypotheticâ* Juſtitiâ intelligi velit, ſuppoſitô ſcilicet, populum quendam ſubigi, ut tunc juſtior fuerit ſubactio in eo, qui ſe ipſum regere non valet. Sed de hoc *inferiùs.* Audivimus autem his quoque temporibus inter Chriſtianos *Le Droit de Bien ſeance.* · *Die Convenienz.*

VI. Summa igitur Imperiorum differentia eſt, quod voluntaria ſint aut involuntaria. Hæc aut invitis imponuntur bello, aut volentibus quidem ſed neceſſitate aliquâ majore ſubactis, cujusmodi actiones philoſophi mixtas appellant. Sic olim Campani à Samnitibus ad extrema redacti, ſe, urbem, agros, divina humanàque omnia in S. P. Q. R. ditionem tradiderunt. * Nec alia fuit Ægyptiorum cauſa tempore Joſephi.

VII. Hæc igitur Imperia ex conſenſu multitudinis (*d*) originem habuere. Naſci enim illa immediatè à Deo, ut in rebus humanis nihil ſit, quod vel ſecundæ cauſæ ferre queat nomen, quomodo poſt & ante alios Graswinkelius ** operosè diſputat, incondita ſententia

eſt.

eſt. (*e*) Nam ratio nimis manifeſta in contrarium eſt, ut ex ſuprà dictis intelligi potuit. Etiam inde, ſi non quemque res ipſa convincit; quod populus, ſi velit, imperii facultatem ipſe retineat, nec in unum vel paucos conferre cogatur. Quæ autem è ſacris literis ab illo proferuntur, ea vel allegoricè detorta, vel à ſpeciali Theocratiâ (*f*) populi Hebræi petita, vel nihil aliud quam ipſi Gentiles loquuntur, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. *Ab Jove ſunt Reges.*

* *Liv. lib. 7. cap. 33.*

** *in tract. de Jure Majeſt. cap. 1. & 2. nec non vernaculo tract. de ſummâ poteſtate Ordd. Holland.*

(*d*) Ex consensu multitudinis. Hæc plerorumque *Recentiorum* eſt ſententia: cui obloquuntur *Theologi*, maximè *Noſtrates*, & plures etiam ex *JCtis* & *Politicis*: qui *Deum* eſſe *immediatam* cauſam & ſolam *Majeſtatis* aſſerunt; eamque ſententiam ex *Scriptura*, ùt & *Auguſtanâ Confeſſione*, *art. XVI.* quin & ipsô *Jure Naturali* firmari poſſe, opinantur. Equidem quod *ſacra* attinet, *1. Sam. 12. v. 13.* cum *ſimil.* (*Prov. VIII., 15. Dan. II., 37. & V., 18. Sap. VI., 4. Rom. XIII.*) poſſunt commodè loca illa exponi, alia de *cauſa efficiente primâ* ſeu *univerſali*, alia referri ad Reges non conſtituendos, ſed *conſtitutos*: ita ut quidem *in fieri* à populo ſeu hominibus procedant Reges, & ſic quoad conſtitutionem; *in facto eſſe* & ratione Statûs, ejusque *tuitionis* & *ſanctimoniæ*, à Deo pendeant. Hinc in Epiſtolâ *Petri I. c. II. v. 10. 13. Humana* dicitur *Ordinatio.* Neque hoc ad *ſubjectum* referri poteſt: cùm in *v. 14.* idem de Magiſtratu *ſubalternô* enuncietur; qui tamen haud dubiè non modò ſubjectivè humanus eſt, ſed etiam *conſtitutivè* ab hominibus proficiſcitur. Equidem *Regibus* obedire debemus *ob conſcientiam. Rom. XIII. v. 7.* Sed hæc referenda ſunt ad æternam Legem Providentiæ, & dictamen juris Naturalis: tàm *ſpecificum*, quoad *Regimen ipſum*, quod in Naturâ & Legibus ejus fundatur; (ut Poteſtas ipſa Civilis *in potentiâ* ſit à Deo immediatè, qui ordinem eſſe imperandi & parendi *voluit ab æterno:*) quàm *genericum*, quoad obligationem *pacti*, quô populus Majeſtatem Principi *irrevocabiliter* contulit. Ut enim *actu* exiſteret Imperium & Majeſtas, *conſilii factique humani* eſt: ita tamen ut hæc ſub *directione DEI* & ipſa poſita ſint. Inde Reges *per gratiam Dei* regnant nihilominùs. Intereà *ſubalternus Magiſtratus*, quanquam & ipſe *vices Dei* gerere dicatur, *Prov. VIII., 15. ſeq.* tamen *à Deo* in facto eſſe non dependet *immediatè*; quippe quod *ſoli Regi*, ceu *Vicario* proximo *Dei*, proprium eſt. Eſt enim *Status* Majeſtatis à Deo *peculiariter*, quòd ille nemini *hominum* ſubſit, & Rex civilem ordinem tuendo *ſacrum Deo* gerat *officium.* De *Theocratiâ*, quò ſpectat *Deuter. c. XV. v. 1. I. Reg. 7. & 12. Judic. XXIIX. v. 22. ſeq.* fruſtrà hic disquiritur: cùm ſatis conſtet, *extraordinarium* hoc imperium, quô *Deus* ipſe ſe Regem geſſit, non niſi Magiſtratûs & miniſterium populo permiſiſſe; ùt *paulò inferiùs* dicetur. *Auguſtana Confeſſio*, quando legitimas *Ordinationes Civiles* bona opera Dei & licita appellat, *Fanaticis* oppoſita eſt, ùt ſunt *Anabaptiſtæ*, qui *Magiſtratum omnem*, quaſi illicitum, rejiciunt; nam ex hâc ſectâ *Proteſtantes* quid traxiſſe tunc temporis arguebantur. Itaque in *abſtractô* & quoad *inſtitutionem Majeſtatis*, *Deus* utique cauſa *ſola* rectè dicitur; non in ratione *compoſitionis* illius poteſtatis *cum ſubjectô* in *individuô.* Idem obvertere licet *Auctoribus* hujus ſententiæ, quando ad *Poteſtatem Eccleſiaſticam* provocant, quæ & ipſa *immediatè* à Deo ſit, nec *radicaliter* in populo poteſtas docendi & ſacramenta adminiſtrandi, ſed tantùm *habitualiter* & *fundamentaliter*, reperiatur. Nam poteſtas quidem Sacrorum ad *Imperii*, ejusque arbitrarii, rationem ita non pertinet, *totique Eccleſiæ* ſeu univerſæ in *ſingula* membra concredita eſt; indeque Miniſtri delegata poteſtate funguntur. Verior itaque eſt ſententia, quæ vult *Majeſtatem*

statem pactô populi cum Rege initô constitui; quod *superius* pactum *alterum*, & certô respectu *tertium* diximus.

Huic opponi præ cæteris solet, quòd per Majestatis delationem Regi tribuatur non modò *rerum* omnium *Dominium eminens*, ad quod facilè res deduci potest, per resignationem dominii à quôlibet factam rerum suarum, ad *commune bonum*; verùm etiam *Jus vitæ & necis* in personam, corpus & vitam singulorum. At verò neminem posse concedere alteri *jus in vitam suam*: cùm hujus non sit Dominus. Sed tamen, cùm Deus civitates *constitui debere homini* ingesserit, simul etiam *promissionem obsequii* prohibuisse non potuit. *Libertas* quoque juris Nat. præceptivi non est, sed solùm *negativi*; unde quis *in servitutem* alteri se addicere potest. *H. Grotius L. II. c. 3. d. J. B. & P. §. 8.* Sic *marito* uxor, *domino* servus se submittit: & quamvis hoc imperium, quod in subjectum obediens maritus & dominus obtinent, *à Deo* esse velit *Jo. Frider. Hornius*, atque hinc ex societatis simplicis imperio, imperium alterum *in Universitatem* Civitatis educat. Tamen inde nil sequitur aliud, quàm in primis familiis *Jus vitæ & necis* non competiisse capitibus Societatum simplicium. Interim quòd quis *se possit subjicere* alii, etiam *naturaliter*, exinde non evertitur: Et Jus vitæ ac necis ut exerceatur in familiis, ne quidem *naturale* est; sicut necessitas *continendæ civitatis* illud exigit. Nam *singulorum* vita in societate Civili non potest diu servari citrà subjectionem illam, quâ vita singulorum *universis*, sive *Principi universitatis*, submittitur. Et cùm *jus occidendi* detur *singulis*, ex Jure Naturæ, in homicidam *aggressorem*: non repugnat, quò minùs universitati istud conferri possit, tam in *homicidas*, (vid. *Gen. IX. v. 6.*) quàm in *aliorum* quoque *criminum* reos; maximè quòd Respublica per *Judicia* exactiùs servare possit & vindicare vitam necemque singulorum; idemque *Deus* approbet. vid. *Josua c. I., v. 16. seq.* & *Deuter. V. v. 33.* Qui v. Jus habet in vitam hominum: etiam *media permisisse* putandus est, ad *securitatem vitæ* cujusque, in Vicario suo, procurandam. Quid quòd quis *animam* possit *ponere* pro fratribus; *Job. XV. v. 13.* & *Epist. I. Joh. v. 16.* (*add. L. 1. §. 28. ad SC. Silan.*) nec minùs in *Bellô* vitam suam exponere liceat pro universis. Quamvis etiam per omnia procedere non videatur argumentum à *pactô*, quô quis libertatem, quam habet *in bona sua*, obstringere potest ad pactum *in corpus* seu *vitam* suam; tamen hactenus par est ratio, quoad submissionem *libertatis in se*, & quòd quis eâ se abdicare possit. Tum & quòd sicuti *dominium non* confert Regi Universitas *simpliciter*; sed secundùm Jura Imperii, ut quà fieri potest, *salva* cuique *sua* maneant: ita non minùs cum *vitâ* se res habet. Hæc verò submissio nisi fiat *ab universis*: nullius ex *singulis* vita salva ac tuta esse potest. Igitur facilè ex his refelluntur ea, quæ *Jo. Frid. Hornius* objicit; cumprimis: Non habere *singulos* majestatem; ergò eam non posse illos dare alteri. Habet enim *singulus cum multitudine*, & *in hâc singuli* habent cum cæteris, *Imperium virtualiter*; quin & ipsimet sibi possunt *pacisci* Majestatem *Democraticam*: ùt hic *Auctor*, *§. 7.* Licèt eam non habeant *formaliter*, (& ne realem quidem; ùt alii volunt;) nec ea detur formaliter in Republicâ, priusquàm *pactô* cum Rege, electô v. c., *conficiatur*. Sic enim se res habet cum entibus *moralibus*, ut etiam ante sui collationem sæpè non *existant*; cujus exemplum est *in usufructu*, à parte constituentis, & similibus. Non etiam est potestas illa *singulorum in se*; est verò aliqua *ex voluntate universorum* in *singulos*; æquè ùt *colores* simplices non faciunt imaginem, sed benè *juncti*: nec *voces singulæ* symphoniam conficiunt, nec *miles unus* hostem fundit. Itaque postquàm singuli universis, vel uni, locô universorum, semet subjecêre: *hujus tantùm voluntas activa manet*, quoad hæc quæ *Imperii* sunt: quâ tamen ratione illa *efficax* esse non posset, sinè jure *in vitam & bona singulorum*.

Cæterùm cavendum est, ne dum populo constitutionem Regum adscribimus, in sententias eorum incidamus, qui nimium *Populo* tribuerunt: ùt sunt *Miltonus*, *Buchananus*, *Althusius*, & ex Jesuitis *Suarezius*, *Mariana* & *alii*; quos tamen facilè evitamus, per hoc quod diximus: Reges tantùm *constituendos*, (vid. *I. Sam. IIX.*) sed non etiam *constitutos* à populo pendere. Nec enim concessio illa potestatis *cumulativa* est, sed cum *abdicatione* voluntatis enascitur; dum *suprà se* Regem populus constituit. vid. *1. Sam. XX. v. 13.* Non etiam *Lex Commissi* cum Majestate compatibilis est: quâ scilicet, si Princeps non per omnia *modum* delatæ Majestatis servet, excidere illâ debeat.

beat. Qualem, qui *tacitam* in omni Regno supponi tradunt: illi utique in omnia Imperia, & naturam ipsius Majestatis, injurii sunt. Longè etiam sententia Eorum à nostra abest, qui docent, in Populo Majestatem esse *radicaliter*, superstite quoque Rege; in Ipsô tantùm *formaliter*, sive actu. Item: Eorum, qui Majestatem *realem* in populo, *personalem* in Rege, esse tradunt: quæ distinctio præterea non exactè nisi in Statum *Monarchicum* congruere potest. Falsa tamen est; nisi eum in modum accipiatur, ut *eadem Majestas*, quam Rex habet, *denominet* Ipsum *personaliter;* ut tamen re quoque illam nemo extra eum teneat: Rempubl. verò denominet *realiter* & *inadæquatè:* ut nempe *Status* ille pro *Magistratico* haberi non possit; sed pro Regno & Republicâ, cui Majestas inest. Hinc falsum quoque est, moriente Rege, in populo *reviviscere*, (ùt modestiùs alii,) Majestatem. Cùm enim populus, priusquàm Regi Majestatem deferret, eandem non habuerit. Ideò desinente illô, nullam quoque *recipere* potest; atque hoc rationi *entium moralium* optimè congruit. Quin potiùs nulla in *Interregno* Majestas, sed solùm Imperium *Magistraticum* datur, ex *pactis* Regni, sive *Legibus fundamentalibus*. Faciliùs multò rejicitur sententia eorum, qui Majestatem apud populum *formaliter* esse volunt, ut Rex tantùm ejus *executor* sit. Quòd si enim tale quid reperiatur in Republica quâdam; non hæc ad *Regna* pertinebit: de quibus hic quæritur. Quamvis de cætero Majestas etiam in Statu *Polyarchicô*, tàm Aristocratiæ quàm Democratiæ, non minùs *à Populo* pendeat; & postquam delata est *Optimatibus*, vel decreta universo *Populo*, non ampliùs quicquam Majestatis resideat in his, qui eam detulêre; ùt in Democratia sunt singuli.

Denique licèt *Auctor* hactenùs probatæ sententiæ accedat, dum populi voluntatem respicit; tamen non debuit in *cap. IX. & duobus seqq.* asserere, quod ex pacto singulorum protinus *Democratia* conficiatur. Nam *Primum Pactum* singulorum ut priùs ineatur, necesse est, quod multitudinem quâcunque ratione compingat, in *tutelam mutuam*, citrà *Magistratum*. Deinde inducitur *Secundum*, quando à Magistratu ad *Majestatem* procedere placet; neque protinùs Democratiam inde confici oportet: eò quòd Monarchia vel etiam Aristocratia, multitudini placere possit; quod quidem posterius ut ex Statu Magistratico fiat, perquam facile est. Imò sæpè tacita etiam voluntas Populi, increscente in Republicâ arbitrio Optimatum, hisce Majestatem conciliat. Ipse quoque *Auctor alibi* nullum pactum iniri docet inter subditos & Imperantes, in *Regnô* & *Oligarchiâ;* sed *fœdus* inter Cives singulos: ita verò ex pacto singulorum non fit Democratia. Deinde in *cap. XIIX. &* *XXIII.* populum, etiam constitutâ Majestate, non esse multitudinem dissolutam tradit. Ergo non etiam dissoluta erit multitudo ante Democratiam; & sic datur Status ante Democratiam alius: quod *suprà* firmavimus.

Succedat *Hobbesius*, qui *pactum* quidem etiam agnoscit; sed *unum* solum, in erectione civitatum, nempe *singulorum cum singulis:* & huic includit renunciationem voluntatis propriæ. Quia verò frustranea foret illa renunciatio, si non *acceptaretur* ab alio, Imperium recepturô in renunciantes. Ideò facilè adparet, *Hobbesium* locô acceptationis supponere *jus omnium in omnia*, quô cùm singuli semet abdicent, solus id retineat, quem in Regem designarunt. Et sic *Houtuynus* putat *§. 17. Politicæ Generalis*, *n. 2.* junct. *§. 36. n. 1.* resolvi posse dubium, quod à *nostrâ sententiâ* plures absterret; quasi non possit per submissionem singulorum Jus vitæ & necis, in designatô in Regem, induci; æquè ùt *privatio* in unô non inducit *habitum* in altero: & abdicatio nostræ voluntatis non videtur parere posse Imperium in altero, quô in renunciantes utatur. Jam enim, ait *Ille*, non est necesse ut Imperaturo quid conferatur; quippe qui *jam habet Jus in omnes*, quà ipsi restituti non sunt. Enimverò (1) Jus illud omnium in omnia nec dum evictum est. (2) *Pactum* illud unum *Hobbesii* posset solùm obligare renunciantes, ad perseverandum *inter se*. Quousque autem ipsi non hunc designant *unum*, cujus in se *jus* seu *Imperium* agnoscere velint: utique nullum Ipsi *jus quæsitum* est, ut non ei *universi* resistere possint. Imò (3) si *quæsitum* est, *ex voluntate* ipsorum: jam non erit *pactum*, quà singulorum cum singulis; sed potiùs *omnium cum ipso*. Quid quòd (4) etiam renunciatio illa propriæ voluntatis, sensu *Hobbesianô*, non aliò possit dirigi, quàm *ad non resistendum:* quod pactum *negativum* est; sed non etiam *ad obediendum*, quod vel primam seu potissimam partem *subjectionis* conficit. Sanè *Hobbesius* ipse negat

cap.

cap. II. de Cive §. 4. & cap. XIV. Leviath. (ubi vel maximè docet, quòd nemo se accusare, vel per confessionem prodere se ipsum teneatur:) *jus semet tuendi pactô* posse *abdicari*: id verò pugnaret cum pactô illô, quô non resistere velle cives sibi invicem promittunt: nam inde Jus nullum Regi quæsitum foret; imò hæc doctrina pactum illud destruit. Utique *Houtuynus d. §. 17. n. 1. & §. 14. n. 3.* adeò aversatur *pactum* subditorum cum evehendo in Regem, ad tramites *Hobbesii*; ut velit, Imperantem *sub pactô & in pactô*, (si quod cum eô ineatur,) *non esse Imperantem*: eò quòd *Jus* aliquod, sive *libertatem voluntatis omnimodæ*, in Rege *amitti*, (quod alii velint *pactô* fieri posse, sive legibus fundamentalibus,) repugnare omninò videatur naturæ Imperantis. Cùm verò pactô fiat *maritus*, fiat *dominus*, *Patronus*, & post pactum talis *maneat*, etiam *eô respectu*, quô ex pactô *constrictus* tenetur; maximè quòd *vicissim* uxor, servus, Cliens, ipsi teneantur *ex pacto*, nec possit esse *nexus* nisi *reciprocus*. Ideò non apparet, cur libertatem sive *licentiam immensam* Imperaturo tribuisse debeat censeri populus; quin potiùs ipse Rex non possit, si vel maximè potens aut habilis esset, jus in omnia exercere, postquam in *Regem* designatus est, cum internecione & injuriis populi Regnum ei deferentis: quippe quòd hoc ipsum adversetur *intentioni* semet subjicientium; quâ sepositâ ipsum *pactum annullari* necesse est.

(c) INCONDITA SENTENTIA EST. Quòd scilicet *prorsus excludat* populum; adeò ut ne quidem hunc ad *causam instrumentalem* referat, per quam Majestas, à Deo quasi condita, per modum translationis physicæ, ùt voluit *Hornius*, Regi deferatur; nec ùt *causam sine quâ non*, ùt alii, quatenus *modum subjectionis* à Populo procedere docent; & simul hinc hypothesin suam tuentur, quòd ille *modus* ad *virtutem activam* referri non debeat: vel eò quòd modus ille procedat *ex potentia passivâ* subjecti regibilis; id quod recipiat potentiam activam à Deo, & eam quidem, quam ab illo exoraverit. Sic enim eram se habere ad recipiendum formam per impressionem, aurum per liquefactionem; indeque varias esse formas Rerumpublicarum, pro *variis dispositionibus* civium, seu subjecti sub imperium redigendi. Idem dicunt, in *Democratia* occurrere. Et sanè multùm distat *Interregni* Status (quem ne quidem rectè *custodem Majestatis* realis dicunt alii,) à Statu *Democraticô*; quem *perpetuum*, & cum *Juribus Majestatis propriis* alibi populus sibi constituit. Iterumque Democraticus ille Status à *Magistraticô* per hoc discernitur: quòd Magistratûs non minùs vulgare istud habeant *Jus vitæ & necis*; sed non habeant *eximium* alterum, quô Majestatem innuimus; scilicet in vitam quoque *præter meritum*, in bona *citrà causam* aliam, quàm commodum universitatis; ut adeò potestas illa, quamvis *summa*, si *exercitium* respicias, secùs si *virtutem*, (sic enim summitas *penes constituentes* Magistratum *remanet*,) non tamen *extraordinarium* quid habeat; sicut in Majestate *eminens Imperium* ac *dominium* reperitur; nec *perpetuum*, seu nunquam abrogandum.

Equidem sententia illa, quòd *Majestas à Deo immediatè* sit, à plerisque recepta, & à *Bœclero Lib. II. Inst. Pol.* non minùs operosè defensa, per hæc non satis dimovetur, quæ *Pufendorffius Lib. VII. J. N. & G. cap. 3. §. 4.* attulit; quippe quòd tradita ejus *illustrare* potiùs, quàm firmare per omnia, hypothesin nostram possint. Quod enim dicit, per *vocem unam* harmoniam induci non posse; posse per plures: ex eo simpliciter & apodicticè, quod intendit, non infertur: nam in voce quid reperitur, quod *sonum* producat & sic conficere harmoniam possit; sed *in cive nullô* reperitur *aliquid imperii* in vitam suam: unde nec abdicatio libertatis imperium in Rege producere posse videtur. Deinde, quod dicit, majestatem si *accidens* foret, non esse absque subjectô; si *substantia*, non videri, quòd de novo à Deo *creetur*: itidem ad rem nil facit. Præterquam enim, quòd recepta sit à pluribus sententia, quorumlibet hominum animas rationales à Deô immediatè produci, & Majestas illis, quibuscum *Bœclerus* statuit, dicatur *in manu Dei* esse; saltim *eminenter*: ad hoc argumentum modò adductum *Pufendorffius*, ex *Hornii* hypothesi, dilabitur, qui Majestatem adinstar *nummi* ab alio percussi, & per alium rursus tertio traditi atque sic instar corporis naturalis, expendit; cùm tamen satis constet, *moralia* tunc demum, quando conficiuntur, subjectum suum quærere, cui insit, aut in quod ferantur. Ulterius ait *Pufendorffius*, etiam *bellô* fundari Imperia. Sed & in his Majestatem à Deo procedere, & vel maximè divinam esse, dicunt *dissentientes*; quippe quòd hîc non agatur de Justitiâ Imperii seu legitimitate, sed de *sub-*

de *substantiâ* ejus, sive potestate ipsâ. Progreditur *Pufendorffius*, quòd *Paterfamiliâs* etiam in Regem possit ascendere. At verò sic etiam eò ascendens, *Majestatem* à Deo consequi, videri potest. Sicut *Hornium* videmus, ex Imperio *familiarum*, quod immediatè à Deo patribusfam. conferri scribit, Imperium quoque *civile* educere. Non etiam urget *dissentientes*, quòd populus jura sua in alium transferre queat, postquam *hactenùs Democratiâ* usus est. *Respondent* illi, desinere h. c. majestatem Democraticam & *novam* infundi *supernè* à Deo *Regi*, quem populus sibi talem adsciverit; prout nec populus suam Majestatem à semetipso, sed in coronidem *Decreti* sui de Majestate *gerenda*, à Deo obtinuerit. Quin igitur fulcris, quæ *superiùs* ostendimus, sententiam nostram potiùs superstruamus. Ex quibus etiam, de Majestate in Statu *Polyarchico*, decerni potest. Utcunque enim in eò Majestatem *personalem* alii non rectè dici, sed tantùm realem, doceant. Illud tamen locum habet, si *personalem* accipias pro Dignitate, quæ omnis in personam unicam, ùt in *Monarchiâ* tantùm occurrit, terminetur. Etenim *vera* quoque Majestas, *eademque* in his etiam formis Polyarchicis, quæ in Monarchiâ seu Rege, datur; licèt singuli Optimatum non ea sibi possint asserere, quæ in Regem competunt, sive dignitatis sive impunitatis, & similia: quippe quòd nec imperent ùt singuli, aut divisim, sed *universim*, & non nisi conjunctim cum aliis.

Enimverò *Jo. Frid. Hornius* in *Lib. III. c. xn.*, quod etiam inscripsit *de Republicâ Liberâ*, Majestatem in Rebuspublicis Polyarchicis nullam planè agnoscit. Non etiam posse Majestatem *in plures cadere*, opinatur: quia id quod *summum* est, non possit pluribus deberi. Et sicut in *Aristocratiâ* subinde fieri possit, ut, diffidentibus sententiis, istud exitum reperire nequeat, de quo decernendô agitur: Ita singulos Optimates & puniri & removeri posse; sublatis verò singulis universos omninò subverti. Non etiam *dividi* posse ipsa jura Majestatis, quorum tantùm usurpatio sit penes Optimates, ex pacto. Et hæc in *Democratiâ* multo màgis occurrere. Verùm hæc facilè refelluntur, quæ nec aliâ de causâ *Hornius* commentus est; nisi ut productionem suam Majestatis & infusionem *à Deo* in Regem, eò facilius assereret. Aliàs in *Polyarchia* quoque non sunt plura summa, sed *una* tantùm *summa potestas*, quæ per plura subjecta exseritur. *Libertas* etiam, quam vocat *Hornius*, utut *independentiam* ipsi notet, non tamen *potestatem* infert in alios; quæ quidem Remptublicam Polyarchicam animat. Nil enim officit, quòd *subjecta* in Republicâ Polyarchicâ non videantur esse stabilia, sicut est Persona Regis. Neque enim ùt singula respicienda unquam sunt: *universa* verò per successionem continuam (quæ & natura aliarum *universitatum* est,) perdurant, ut nunquam universi desiisse censeantur. *Puniuntur* itaque non universi, sed singuli; nec tamen facilè: eò quòd Majestatem in Republicâ sustineant. De quâ etiam in *Aristocratiâ* dici potest, illam vel *absolutam* esse alicubi, vel *limitatam*; Quale quid in *Democratiam* cadere non posse *Pufendorffio* videtur, *L. VII. c. 6. §. 8.* nisi quòd *vis* Democratiæ in selectis è populo, sive Magistratibus, re ipsâ consistere censeatur; utut *radix* potestatis, actusque primus ejusdem, omninò etiam in singulis, quatenus ex his universitas conficitur, resideat; qui tamen singuli ad habenas Reipublicæ nunquam adhibentur. Hinc fieri potest, ut aliquando *majus* sit *arbitrium* Magistratuum, aliquando *minus*; ùt ex periodis *Reipublicæ Romanæ* constat. At verò ille respectus ad *executionem* potestatis seu Imperii magis, quàm ad *Imperium ipsum*, pertinet: ut adeò hoc ad *Discrimina* inter *Democratiam* & *Aristocratiam* referri oporteat; eò quòd nemo vivat in Democratiâ, qui non simul pareat & imperet.

(*f*) Theocratia. Sic *Josepho* dicitur Regimen illud, quod Deus humanum in modum tenuit, in Populo suo. *1. Reg. VIII.*, 7. *Judic. XXVIII.*, *22. seq.* vid. Bosium *in* Introd. *in Notit. Rerump. c. XXX. §. 51. seq.* (& *Dæmonem* tale quid aliquando molitum quoque fuisse, est *ap.* Conring. *in Animadv. ad* Machiavelli *Principem. c. VI.*) Constitutionem verò *Theocratiæ*, per speciem quandam *fœderis*, habes *Exod. XIX. XX.* Legislationem *XXI. seqq.* Religionis ordinationem; *XXIV. seqq.* Magistratuum: *Num. XI.* ut tamen *casûs dubii* ad Deum referrentur, *Lev. XXIV. Num. XXVII.* Poenas quoque sumsit Deus, Bella gessit. &c. *Pro-Rex* fuerat Moses, *Exod. XIX.*, *9. Deut. XXXIII.*, *5.* tum Josua, *Num. XXVII.*, *18.* dehinc *Judices* imperare jubebantur, non à populo; sed mittebantur à Deo inspirati. *Terminus* illius Imperii Theocratici est in *1. Sam. 8.* Tunc enim Populus Hebræorum *Regem*

gem petiit: quod Deus ita interpretatus est, ut Imperiô ejusmodi Divinô *immediatô*, & per *Magistratus Vicarios*, regi ampliùs nollent. Sed *Rege*, qui *ipse* Majestatis *vim* & *splendorem* coràm teneret, uti. Quod quidem reprobat Deus simpliciter; quanquam *Deut. XVII.*, *14. 15.* jam antè præscripserat, si quem sibi Regem aliquando electurus foret populus, qualisnam is esse deberet. Quod verò *modum constituendi* Regem illum attinet: hic etiam *extraodinarii quid* in Regibus *Hebræorum* occurrit; quoties nimirum illi *per Prophetas* ritu *unctionis* legebantur. Neque tamen Rex talis per unctionem illam & designationem *jus in re* & ipsum Imperium accipiebat; sed *jus ad rem*, *Deut. XV.*, *1.* cùm haud unquam, ab introducto Statu Regiô, absque *populi constitutione* & *investiturâ*, Rex aliquis extiterit. vid. de Saule. *Sam. X.* de Davide. *1. Sam. XVI.* & *1. Sam. XXIII.*, *21. 2. Sam. I.*, *14. 16. II.*, *5. V.*, *4.* de Hazaële *1. Reg. XIX.*, *15. 2. Reg. VIII.*, *13.*

CAPVT VIII.

Quid sit Civitas, quid Respubl.

ARGVMENTVM.

Definitio Civitatis ejusque exegesis. Etiam in Despoticis Imperiis rectè statui civitatem. Juris quoque & Imperii mentionem rectè in finiendâ civitate fieri. Definitio Reipubl. Ex quâ judicandum, sitne una civitas aut Respubl. vel plures, quod exemplo illustratur.

I.

CIvitas, de cujus jure quærimus, definiatur; Cœtus perfectus familiarum juris fruendi vitæque sibi sufficientis gratiâ, sub eodem summo imperio sociatus. (*a*) *

* *Dixi in digression. Justinian. l. 1. c. 13.*

(*a*) SVMMO IMPERIO SOCIATVS. Intelligit *Auctor* Imperium, quod in *Majestatem* jam invaluit, & *pacti extremi*. Nobis autem Civitas est, absolutô (non eximiô seu specificô) conceptu, licèt adhuc Majestate vacua sit: imò quando *pagi* coeunt, ut numerô & facultatibus validi sint, ad defensionem & communem utilitatem; ut *hic* in §. *2.* *cœtum* describit *Auctor*. Et sic etiam rudis esse potest: adeò ut ne quidem præcisè *Magistratum* requirat; sed communi tantùm dictamine *juris Nat.* teneatur: quòusque *pactum illud alterum* non accesserit, quô Status *Magistraticus* inducatur: quâ ratione *Civitatem* appellare licet, non modò, uti coetum priorem; sed jam etiam *Rempublicam*, saltim *Magistraticam*: ut tamen subsit ei ceu materia, Civitas perfectior. Inde apparet, *juris* quidem *fruitionem* in Civitate quoque simplici & absolutâ ab omni imperiô reperiri; *nullum* verò hoc ipsô *Imperium*, nec summum, & multò minùs Majestaticum. Equidem nos, dum hôc in locô *initia* Societatis *civilis* collocamus, quæ omninò *gradus* suos habet, usque dum ad *Civitatem Majestaticam*, quam *perfectissimam* dicere licet, excrescat: (nam & *primum*, quod suprà constituimus *pactum*, *Civitatis* jam est:) non respicimus ad *Societatem* illam *universalem*, inter homines; *l. 3. d. Just. & Jur.* quippe quæ & *dispersorum* hominum est; quàmvis ipsa *Jure tantùm naturali* regatur. Videlicet non *hoc* solùm; sed & *facto* hominum seu sociatorum, constat *rudis* illa *Civitas*, quæ fœtus *primi pacti* est, nimi. *conventione*; indeque jam sua etiam *jura peculiaria* seu *facultates* socio *quà tali* competentes ha-

habet: nec minùs etiam *Politicæ* objectum est. Non etiam dicemus, *Civitatem* esse posse *sinè familiis*, ùt *Roma prima*, priusquam matrimoniis potiretur, fuerat: tum etiam *Coloniæ* esse possunt, in quibus generatio, non submissis subjectis habilibus, deficit; imò *Resp*. illa ingens *Clerici Pontificialis*. Nam species *priores* insolitæ sunt, *tertia* Rempublicam planè irregularem conficit. Interim, quòd *Bodinus* tot solùm homines ad Civitatem requirit, quot ad *tres familias* desiderantur: non abludit ab eâ Civitate, quæ *primi pacti* est: quô sensu & *vicus* & *pagus Civitatis nomen* sustinere possunt; nisi verò tot familias etiam *Primo pacto* subjicias, ut, si velint illæ, in *tertium* quoque pactum se conferre possint: quod tamen necessarium non est, cùm sufficiat *capacem pacti primi cœtum* supponi; eamque societatem *civilem* appellari. Imò cùm differentia illa hominum non nisi *numeri* seu quantitatis sit; saltim *gradûs* hujus etiam Civitatis *primi pacti* constitui posse sufficit: ut *infimus* vici, *medius* pagi nomen *in specie* sustineat. Sicut verò hominum proposita, extra usum quotidianum, infinita esse possunt, ob quæ non modò *conversationem*, sed *societatem* specialem aliorum, affectent; unde collegia etiam, corpora, sodalitia, systemata quoque ad communicandum operas, jura, consilia, procedunt: eaque faciliùs nec dum Civitate imperativâ constitutâ, sed *intrà eam* non nisi auctoritate Magistratûs, tolerantur. Ita coitio familiarum ad pactum primum non solùm ingeritur illis ad *defensionem* mutuam, & ut *pax* quæratur illa, quam *consensione* & *unione* constare tradit *c. II. §. 2. & c. V. §. 6. Hobbesius*, adeòque non solius *securitatis* causâ; verùm etiam ob communicationem & participationem *bonorum* omnium, quæ *vita Civilis*, pro diversitate *graduum* perfectionis suæ, præbere potest. Neque ullô *Imperiô* simpliciter coëuntes illi indigent: imò *major pars* quoque valere apud ipsos potest, citrà aliquod, etiam *Magistraticum*, Imperium; quod ipsum tum demum, quando ad *secundum pactum* progredi animus est, vel per *conventionem*, vel *citrà illam*, à *majori parte*, si minor eam spontè sequatur, induci potest. Quòd si verò non valeat in actibus publicis *major pars*: ad *extrinsecam prudentiam* & *potestatem*, *mediô*, vel tandem majestaticam, *extremô* pactô, transitur. Proinde nulla Civitatum illarum *informis*, & quælibet universitás, item Societas; ac cœtus *ordinatus* est, qui *communionem* quoque Jurium *specialium*, quà *talis* est, ex pacto habet.

II. *Cœtum* dicimus *perfectum*, non cui nihil desit, sed qui numero & facultatibus satis sit validus ad defensionem communemque utilitatem. *Familiarum*, quoniam ex his proximè componitur Civitas, ut Aristoteles * civitatem vocat, κοινωνίαν ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσι. *Juris fruendi*, hic enim finis præcipuus est eorum, qui civitatem constituunt, ut bona vitamque suam beneficio tutelaque Juris, quod alioqui bellis injuriisque turbatur, frui possint. *Vitæque sibi sufficientis gratiâ.* Id rursus ex Aristotele ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐταρκοῦς, qualis extra civitatem in solitudine, si bella maxime abessent, haberi nequit.

III. Beatitudo illa civilis est duplex, quam Cicero ** utramque describit, ut *civitas opibus firma*, *copiis locuples*, *gloria ampla*, denique *virtute honesta sit*. Ex eadem αὐταρκείᾳ colligit Aristoteles, servos ad communionem civitatis non pertinere, (*b*) quia τὸ δοῦλον οὐκ αὔταρκες, servilis conditio minime beata, sed omnino pœnitendæ conditionis est. Quod tamen non impedit, quo minus despotica imperia, in quibus herili potestati homines subjiciuntur, rectè Civitas dicatur. *** Separanda enim

enim illa servitus publica videtur à privatâ, quæ singulos homines actionesque singulares constringit. Publica & universalis illa tam graviter singulis non incumbit, ut αὐτάρκειαν penitus excludat, civiliterque miseros faciat. Potius, ubicunque multitudo est, juris fruendi causâ sub eodem imperio sociata, ibi civitas omninò statuenda est.

* *Aristot. 3. polit. c. 6.*
** *lib. 8. ad Att. epist. 11.*
*** *ùt disputavimus contrà Grotium digress. Justinian. l. 1. c. 15.*

(*b*) SERVOS AD COMMVNIONEM CIVITATIS NON PERTINERE. Et imò Civitatis vocem minùs propriè *herili* competere H. *Grotius*, *III.*, *8. 2.* ùt & *Conringius d. Civ. prudent. c. 2. p. 10. & c. 5. p. 67. 68.* opinantur. (Aliter planè *Hobbesius*, *c. 10. d. Cive*, *§. 5.*) Sed nec *servos singulos* poterat *Auctor Cl.* ex communione Civitatis per hoc excludere, quòd *conditio* ipsorum minimè *beata* sit. Nec enim beatitudo civilis in singulis *individuis* quæritur, sed in *Universitate*. Quocircà minùs rectè habet, quod ille respondet ad *objectionem*, quæ *Grotii* sententiam fulcire videbatur, quòd in *Statu herili* omnes subditi servire, & sic tota parentium conditio in illo Satu minùs beata haberi, indeque in Republicâ Despoticâ *civitas* non esse credi possit. Rectiùs enim dicitur, pro Statu civitatum *gradûs* quoque dari *Beatitudinis*. Quin & Beatitudo *finis externus* est: nec eò minùs in ipsâ *Tyrannide*, aliôque Statu *corruptô*, reperitur Civitas, & imò *Respublica*; licèt in eô beatitudo ad incitas ferè redacta esse possit. Cæterùm si conditionem servorum, ùt *in familiâ* primò respicitur, attendamus: (ex Familiis enim Civitas enascitur;) tunc servi utique non sunt *cives*, quia non fruuntur, ùt patresfamiliâs, & liberi in Republicâ homines alii, *Juribus Civilibus*. Sic & publicô respectu ne quidem *uxor* & *liberi* perfectè cives sunt: cùm nec subsint Imperio, si quod habet Civitas, nisi *media* privatâ familiæ potestate. Confer, quæ de Civibus *Lib. II.* tradentur.

IV. Sunt qui juris & imperii mentionem in Civitate finiendâ fieri nolunt.* Quoniam illis verbis respectus ad Rempubl. contineatur, à qua civitas abstrahenda sit. Differre equidem à Civitate Rempubl. ut animam à corpore (*c*) fatemur.** Sed in corpore vivi hominis describendo, quid vetat dici animatum id esse? Tantundem est dictu, civitatem sub certô imperio agere, sine quo civitas nulla esse potest.*** Denique, est in definitione, *summo imperio.* Quale si non sit, nec civitas per se, sed alterius civitatis pars (*d*) constituitur, etsi conformationem distinctam habere videatur.

* *Arnis. 1. Polit. c. 6.*
** *Seneca 1. de clem. 4. Isocrat. in panathen.*
*** *plur. vid. in d. lib. 1. digress. c. 15.*

(*c*) UT ANIMA A CORPORE. Jung. *§. seq.* At verò nec opus est, ut in Corpore definiendo *anima* fiat mentio; nec fieri debet, aut potest etiam. In *corpore animato* secùs est. Quando igitur Civitas ita à Republicâ, ùt *corpus* ab *anima*, distinguitur: utique ut *Imperii* mentio fiat in definitio-

finitione *Civitatis*, eô modô *abstractè* sumtâ, admitti non potest. *Civitas* autem *concretivè* accepta similis est *homini*. Ita verò anima ab homine non discernitur, ùt à corpore; sed ùt *pars à toto*. Et quidem supponendum est, *Auctorem* ubique *Civitatem* cum Imperio Majestatico accipere, qui & perfectissimus Civitatis significatus est. (Aliàs ne quidem necesse fuerit, ut Civitatem *sub Imperio*, quanquam sub communione *jurium*, agere dicamus; quò tamen *Arnisaus*, quippe qui Civitatem *Majestati* suppositam respicit, non intendit.) Vicissim *Respublica concretive* accepta sine Civitate nulla esse potest. Et sic constituit pactitia consociatio *formale Objecti* Reipublicæ, h. e *Civitatis*; ùt ipsa *Respublica forma* est Consociationis, quæ *Ordinem* Imperantium habet. Et ipsius *Reipublicæ formam* facultas imperandi & obligatio parendi conficit. Forma autem *essentialis Reipublicæ* in specie *Majestatica*, non est *Majestas*: nam hæc solùm in Republicâ tali reperitur ex parte *Imperantium*; sed *ordo Majestaticus*, cum relatione scilicet ad subjectum; seu parentem *Populum*. Ipsa verò in hâc Republicâ *Forma Monarchica*, *Aristocrat.* &c. dici potest esse *partialis*, vel potiùs *forma* solùm *Majestatis*, eaque *existentiæ* & *accidentalis*, pro diversâ *sede* Majestatis. Græci quidem nomine πόλεως intellexêre non nisi Civitatem *Imperiô* sociatam: πολιτεία verò illis est *forma* potiùs *Reipublicæ*, quàm ipsa Respublica, & quidem frequentiùs Democratia; ùt *Ciceroni* Respublica *Popularem* seu Libertatis *statum* sæpè notat. Firmat ea ex parte, quæ de *primâ Civitate* seu rudi illâ dicta sunt, *H. Grotius Lib. III. d. J. B. & P. c. 3. n. 2.* ubi sistit societatem, in quam *piratæ* per fœdus coiere, eamque ex hoc discernit à populo, Legibus (quamvis *injustis*,) & Magistratu sociatô. Nec enim necesse est, illos, qui per *fœdus* coëunt, nullis Legibus positivis aut Magistratu inductô, piratas esse; quin potiùs ab injuriis in alios æquè ac versùs se invicem abstinere, (qui *civitatis* finis est,) & vitam honestam degere justamque possunt: quamvis omninò in eâ conditione, cumprimis excrescente multitudine, diutiùs versari malitia humanæ naturæ non patitur; indeque societas quælibet civilis naturâ per gradûs ad *perfectionem* sui, quæ in *Majestate* Imperii consistit, enitatur.

(*d*) SED ALTERIUS CIVITATIS PARS. Ex *hypothesi* suâ & in sensu eximiô AUCTOR loquitur, cum Civitas ei non sit, nisi quæ Majestatem habet. Aliàs enim & *summô imperiô* quæ destituitur, Civitas est. Equidem maxima *beatitudo* in Statu illô perfectô obtinetur. Cæterùm finis *ille*, beatitudinis, cuilibet Civitati *communis* est; licèt ea, in ipsâ etiam Civitate perfectâ, variè quæratur, indeque fines etiam *proprii* habeantur; v. c. rat. *sitûs*, Civitatis *maritimæ*; (de quâ totâ *Dissert. Bœclerus*:) rat. *formæ*, Reip. *Monarchicæ*, &c. quò variæ cujusque *Statûs rationes* tendunt; nec non distinctio inter *finem* & *scopum* Reipubl. ubique observanda venit: ceu quidem aliqua Respublica pro *scopo* habet *potentiæ dilatationem*; ùt *Hispani*, seculô superiori, cum *classe* suâ *invincibili*, quam jactabant; dehinc *Galli* hôc ipsô seculô: olim *Romani*. Quod quidem studium ampliandorum finium non est Imperii *Polycratici*, vid. *Hert. P. 1. Polit. Sect. XI. §. 2.* Utique *Conringius*, quando *Belgas* pro scopo *divitias* habere, tradit, non eam reprehensionem, quam à *Mariniô* de *Scopo Reipublicæ Polonicæ*, cui luxum pro scopo *Idem* accensuit, expertus est.

V. Porrò Respublica definitur τάξις πόλεως ordo civitatis, consistens in regimine summæ potestatis & subjectione reliquorum, per medios Magistratus. * Unde liquet, Rempubl. differre à Civitate, vel ut concentum à chordis, vel ut animam à corpore. ** Ubicunque igitur talis est ordo, ibi civitas existit, æque ac corpus, ubicunque anima est. Ubi plures ejusmodi ordines, (*e*) ibi & plures civitates ac Respublicæ intelliguntur. Proinde Helvetiorum atque Belgarum, per me licet addas, Germanorum Imperia, non singulas sed plures constitu-

unt

unt civitates. Cujusmodi fœderati, ſi quod habeant commune legatorum concilium, ut ſunt apud Belgas Ordines, dicti Generales, id non eſt unum omnium caput, ſed plura capita repræſentat. Nec verè cunctis civitatibus imperat, ſed imperata ſingularum communiter exequitur. Unde tamen argui non poteſt, generales ejusmodi conſeſſus dignitatis æſtimatione ſingulis civitatibus non præferri, ut præcipua Belgicarum nationum contendit. Nam quia Legati ſuas quique civitates repræſentant, omniumque repræſentatio præ ſingulis excellit, omnium conſeſſus dignitate ſingulis præferendus videtur; dignitas inquam, poteſtate ſalvâ & exceptâ.

* *Ariſtot. 3. Polit. c. 6.*

** *Plutarch. de trib. form. Reip. Seneca & Iſocr. à loco, ubi* ὥσπερ ἐν σώματι φρόνησις *ut in corpore prudentia.*

(c) PLVRES EJVSMODI ORDINES. Itaque *diſtincta Jura Majeſtatis* Rempublicam diverſam non efficiunt: cùm nihilominus Majeſtas una maneat. Non etiam, quando *diviſim* conſiſtunt Jura Majeſtatis penes eos, qui Imperium tenent; ùt in Statu, quem *mixtum* appellant. Sic enim *actus eſſentiæ* ſive Majeſtatis unus adhuc manet; *exiſtentiæ* tantùm, quatenùs in ſubjectis, & quidem diviſim, exiſtit, (nam in Ariſtocratiâ & Democratiâ ſubjectorum Imperantium *indiviſo* obtinet:) diſtinctus eſt: id quod ad Reipublicæ formam *accidentariam* pertinet. Quare licèt forma iſta Reipublicæ mutata fuerit; prout variè in *Romana* contigit: nihilominùs eadem quoad eſſentiam perdurare putanda eſt. Non etiam efficit diſtinctas Respublicas, ſi *membris ſubalternis*, puta nobilioribus, ùt ſunt *Statûs* in Imperiô Romanô, *adminiſtratio certorum jurium*, quamvis *irrevocabiliter*, conferatur. Hoc enim non ad *ſupremum*, in reſpectu ad Caput Majeſtaticum in Republicâ, referri debet. Quin potiùs adhuc ſubordinatio eſt, ſicut de *Communicatione Jurium Majeſtatis* inferiùs exponemus. Denique non ſunt diſtinctæ Respublicæ, quando *potiori*, ſive victrici, accedit alia: licèt eô modô non utique amittantur Jura accedentis; ſed vel invicem communicentur, aut modus ſolùm in acceſſoriâ, velut provinciâ, conſtituatur. *vid.* Grot. *Lib. I. c. 3. §. 7. & II. c. 9. §. 9.*

Quoties autem ita accedit Respublica una alteri, ut non hujus fiat acceſſio, ſed per omnia *ſuis Legibus* impoſterum quoque regi, & ſolùm *idem* cum alterâ *Caput* agnoſcere velit: atque hoc quidem ſive tantùm reſpiciat *Domum unam regnatricem*, quod in Carolo M. & ejusdem Poſteris factum erat à Regno *Francorum*, ipſove *Germaniæ* & *Italicô*, ùt & reliquiis Imperii Romani ceteris; (niſi verò nexum illum Regnorum Germaniæ, Galliæ & Italiæ, ſub unô, non tam *Poteſtatis* diſtinctæ, quàm *Dignitatis*, ex potentiâ Conjunctorum Regnorum reſultantis, *Imperii* ſcilicet *nomine*, contineri rectiùs quis dixerit:) in eum modum, ut exſtinctâ Domô Regnatrice, quilibet Populus liberum arbitrium alii deferendi Majeſtatem recepturus ſit: (vid. H. Grot. *d. Lib. I. c. 3. §. 7.*) ſive etiam populus unus alteri ſic uniatur in perpetuum, ut quem *hic* ſibi *Regem* elegerit, eidem quoque ſuam Majeſtatem delatam velit: ſicut ab *Ottonis M.* tempore Regnum *Italiæ* eundem, qui *Germaniæ* unquàm præfuturus eſſet, ſuum quoque Regem fore conſtituit. Ita verò *plures* omninò erunt *Respublicæ*: quarum quælibet ſuâ Majeſtate, ſuisque Legibus fundamentalibus utatur, atque nulla earum alterius Imperio ſubſit. *add.* de Diviſionibus Imperii Carolini, Conring. *Lib. I. de Finib. Imp. cap. IV. ſeqq.* Exemplum ſimile in *Poloniæ* & *Lithuaniæ* Regnis deprehenditur; nec minùs aliô reſpectu in Imperio Romano *Germanico* & *Hunga-*

riæ Regno; (cui *Bohemicum* minùs rectè accenſent alii: quia iſtud non modò *Feudi*, ſed & *ſubjectionis* lege, Imperio Romano ſubeſt.) Rectiùs fortaſſe ſuperioribus annumerabimus Regna Magnæ *Britanniæ*; ſed non etiam cum *Auctore*, §. 6. Regna *Hiſpaniarum*: quippe quòd hæc ipſa adinſtar *Provinciarum* habeant, quæ non tam per acceſſionem, ſalvis Juribus ſuis, quàm per neceſſitatem potiùs atque vim armorum, ſub idem Imperium redactæ ſunt. Nec enim, ùt *Auctor. Cl.* §. 8. ipſe tradit, inſtituta ſingula cujuslibet populi ſingulas etiam Majeſtates conficiunt.

Porrò ab hâc ratione, diverſas Reſpublicas uniendi, diſcernenda eſt illa, quâ plures Reſpublicæ *in fœdus* coeunt; ſive *æquale* iſtud fuerit, ſive etiam uni earum in quibusdam, vel etiam in omnibus rebus, ad fœdus, quà tale eſt, pertinentibus, *directionem* permittant: quod genus *Symmachiam* Rerumpublicarum, ſive *ſyſtema* earundem, appellant. *vid.* Grot. *Lib. I. c. 3. §. 7.* & explicatè magis Puſendorff. *Lib. VII. de J. N. & G. c. 18.* Tale corpus Fœderatum, (licèt *Fœderum vulgarium* terminos in quàm plurimis hæc Conſtitutio excedat, eamque ex *civili ſocietate* multum trahere videamus:) occurrit in communi *Helvetiæ*, *Rhætiæ*, & Inferioris Germaniæ, ſive *Belgii*, *Fœderatorum*, Regimine: in quorum Membrô quôlibet peculiaria, eaque integra, Jura in *vim Majeſtatis* evecta reperiuntur; quamvis ad ſecuritatem totius Fœderis arctiùs compoſita. Num verò illis accenſendum quoque veniat *Imperium Romano-Germanicum*, prout nunc ſe habet, ſive potiùs Regnum Germaniæ, in quô Status Imperii nonnullis videntur quisque ſi non Majeſtate; (nam hæc quidem, cum terrarum tractum ingentem, & potentiam eô ſplendore dignam, requirat, in plerisque Statibus non reperitur,) ſaltim *independente* poteſtate, ſive omnimodò liberâ, gaudere: illud variè noſtrô ævô diſputatum eſt. Nec enim primus id *Monzambano*, de *Statu Reipublicæ Romano-Germanicæ*, verùm ante illum *Hippolithus* à *Lapide* & omnes hi aſſeruêre, qui hypotheſin eandem Superioritatis liberæ in formâ *Ariſtocratiæ* effingere allaborarunt, & vel ipſe *Roſenfeld*, quando cuilibet Statuum Imperii *Majeſtatem* competere tradidit. Licèt verò Imperium Romanum in *Fœdus* ejusmodi non coiiſſe, ſicut tale quid in *Libertatem* atque *Poteſtatem* terrarum *patrimonialem*, tum & *Potentatum*, ſenſim invaluêre: unde non minùs faciem *Monarchiæ* Imperialis, inter membra hæc junctim ſpectata, *ſingularem*, quæ ex vero vix aliqua trahat, deducunt; ſicut viciſſim, ratione *Capitis*, Monarchiam *Papalem* eo virium *adſcendiſſe* tradunt, ut Catholicis Regnis & Rebuspublicis, non tam volentibus & ex fœdere, quàm adhibitis artibus & obſervatâ rerum opportunitate, Papa ſuperincreverit. Tamen quàm illa doctrina de Majeſtate Imperatoriâ, Legibus Imperii, & ipſi uſui earundem, adverſa ſit, in *Diſſert.* de *Formâ J. R. G. ad Notit. Imp. Bœclerianam*, (ubi etiam argumenta pro *unâ* Republicâ in Imperio reperiuntur,) ſummatim oſtenſum eſt. Ex quo ſimul *Auctorem*, quando in §. 5. (utut cum moderamine quôdam,) in ſententiam illam adverſam inclinat, illuſtrare licet. Cæterùm, quando ad Fœdus *Achaicum*, (de quo nonnulla Micrælius, *Lib. I. Hiſt. Profan. Sect. VII. n. 11. p. 106. ſeqq.* accuratiùs verò, in quibusdam ſpeciminibus, hanc in rem editis, *Praſchius*,) cum *Jac. Gothofredo* reſpicere cœperunt *Nonnulli*: (quanquam *Gothofredus* non niſi ad Imperii *Vulnera* Panegyricos ſuos, & quidem *Ulpianum*, tanquam Auctorem *L. XXXI. d. LL.*, quòd Imperator, *Ferdinandus* II. ſcilicet, Imperii modum egrederetur: *Julianum*, quòd in *ſacris* violentia Proteſtantibus intentari vellet; & *Achaicam*, quòd quisque Statuum peculiarem ſibi in Imperiô Rempublicam fingeret, direxerit:) in adverſum *Alii*, quibus natura fœderis illius perſpecta ex antiquitate fuit, plurima circà aſſimilationem illam deſiderârunt. Et ſanè Panegyricô *Jac. Gothofredi* ſervire poterat quadantenùs Fœderis illius diſpoſitio: quæ tamen ob hoc ad ipſam Rempublicam ſeu Imperii noſtri *Conſtitutionem* deduci non potuit; ſicut ad Notit. Bœcleri *Lib. I. c. 5.* oſtenſum eſt.

Aliàs in iſtâ Reſpublicas plures *ſub unô capite* compingendi ratione Diſcrimen hoc etiam intercedit, quòd vel (1) nihil commune Regna duo vel plura habeant præter *Caput*, ſive perſonam Imperantem; qualis Unio erat inter Imperium Romanum & Regnum Hiſpaniæ, in *Carolo V.*; & nunc etiam inter iſtud & Regnum Hungariæ, ſub *Leopoldo*: vel ut (2) habeant *Jura* quædam *communia*; & ſub unô capite ſit ſocietas quædam, communis ſecuritatis gratiâ: indeque in Pace Belloque pariter Reſpublicæ illæ involvantur. Aliquibus verò ſolum

solùm *Jus Protectionis* commune est; aliquando etiam *Census*, it. *Provocationis*, & alia. Sic enim *Carolus M.* Regnum Francorum, Germanorum, Lombardorum & Dominium Urbis Romæ, ipsumque Exarchatum, initiò quodlibet illorum distinctò Regiò Jure tenuerat. Deinde verò *Imperatoriò* axiomate omnibus superimpositò, juribus communibus Belli & Pacis Regna & Dominia illa continuit; ut tamen *plus fœderis* in Statu publico, defensivò & offensivò, intereà reperiretur, quàm communis Regiminis. Unde & ipse *Carolus* posteà, præmissò tantùm Imperii Romani titulò, *distinctos* gessit *titulos* Regni Francorum, Lombardorum &c. Quanquàm à *titulis* non utique argumentari liceat; quia ipse Dominationem quoque *Carolus* in Frisios & Saxones, distinctim à Regno Francorum, exprimebat, cujus tamen istæ accessiones fuerant.

Utique variè hæc servantur, & non nisi *summis generibus* discerni possunt. Sic enim in *veteri* jam *Imperio Romano* Regna *socia* plura cum Romanis coibant, juribus tamen suis relicta: *provinciæ* autem aliquæ non eòdem modò; utut quibusdam Legibus suis relinquerentur. Atque sic *species* cujuslibet Reipublicæ ex unitis distinctè expendi & haberi debent. Nam & hodiè, licet *Italia & Germania* sub *Imperiò Romanò*, nexu perpetuò, constituantur; tamen *Italia* non utitur iisdem cum Germaniâ Comitiis: neque Contributionibus, nisi eò casu, oneratur, quò & ipsa securitas ejus peti posse videtur; aut ut in causâ communi populi Christiani, velut adversus Turcas, in partem trahatur. Non etiam utitur Judiciò Cameræ Imperialis cum Germanis; Aulicò verò non nisi eò respectu, quò Cæsar Rex Italiæ est, & in causis utriusque Regni, Italici & Germanici, unò fungitur Aulæ Imperialis Judiciò. Denique de eò conferri potest *Jacobus* Gothofredus, *P. I. de Præcedentia, c. I. §. 5. & c. III. §. 24.* quòd si duo vel plura Regna uniantur, Jus quidem *Præcedentiæ* exhinc nulli Ipsorum ademptum censeri debeat; de quo non minùs, circà unionem *Episcopatuum* quorundam, sub Regimine Electoris Brandenburgici, disquirit integrò consiliò *Mevius*. Porrò *Majestatis*, non quà Potestatem, sed quà *Dignitatem* continet, imminutionem efficit, quoties alteri Reipublicæ accedit aliqua per fidem *Clientelarem*: (de quo *Magerus* de *Advocatiâ armatâ*, *Bœkelius* & alii de *Protectionibus*.) aut *Feudalem*, vid. *H.* Grotius *Lib. I. c. 3. §. 23.* quâ operas ei, sic & *Vectigalem*, quâ tributa vel pensitationes, debeat; & vel pacem ab eâ aut tutelam, quæ tamen non semper Clientelam præcisè dictam infert, redimit.

VI. Porro neque una est Civitas, ubi unum quidem caput sed non unum corpus, penes unum quidem est summa potestas, sed non eadem subordinatio potestatum inferiorum. Hinc Hispaniarum & Magnæ Britanniæ Imperia non una sed multiplicia habenda sunt. Quare ejusmodi Reges & Tyranni & simul Principes justi esse queunt, quod Belgæ Philippo II. (*f*) accidisse interpretantur.

(*f*) PHILIPPO II. At verò non ille præerat inferioris Belgii Provinciis, tanquam distinctæ Reipublicæ; quin potiùs illæ jure *accessiones* vel partis in toto habebantur: quale quid in Regno quoque *Galliæ*, & aliis, quæ Provincias unò Imperiò, in perpetuum, licèt per instituta distincta, complectuntur, asserendum est.

VII. Potest idem quoque Princeps liber ac summus alioque respectu alteri esse subjectus (*g*), ut crebrò accidit.

(*g*) ALTERI ESSE SUBJECTUS. Hoc quidem, si cum *nonnullis* subjectionem accipias, ut *subjectus* sit, cujus terræ tantùm alii subjacent; subditum verò qui & ratione personæ alii subest, intelligas, faciliùs admitti potest: ut inde Principi ejusmodi nil quicquam subjectio illa officiat. Interim

terim adhuc verius est, manere Principem etiam illum, utcunque respectu Regionis alicujus in modum subditi à Principe sive Rege aliô habeatur, *summum* nihilominùs & liberum respectu *Regni*, in quo Majestatem ille tenet: cujus rei species luculentæ sunt, in Rege *Hispaniæ*, quoad Burgundiæ Ducatum, Regibus it. *Succiæ*, quoad Ducatum Bremensem & Verdensem, ac Pomeraniam &c. nec non *Daniæ*, quantum ad Holsatiæ Ducatum attinet. Confer omninò, quæ hanc in rem *L. II. de Gravam. Extraj. c. IX. §. 55.* expendimus. Quid quòd *sibi* etiam *Ipse* quis *subesse*, in ditionibus *hereditariis*, Imperio vel Regno *electitio* subjectis, & imperare sibi queat.

VIII. At divisio unius corporis in diversa membra seu cœtus diversos, non facit civitates sed jurisdictiones diversas, ut pleraque regna in provincias, sive singulæ ordines populi & instituta juris habeant distincta, ut in Galliâ, sive secus, ut in Angliâ, distribuuntur.

CAPVT. IX.

De

Fundamento & Efficaciâ Imperii, quæ primum è Natura status Democratici indagatur.

ARGVMENTVM.

Difficultas quæstionis de jure summi Imperii. Pro fundamento positum, in Imperiis voluntariis Imperantes habere tantum juris, quantum cives in eos transferre voluerunt. Huic contrariam esse Hobbesii ὑπόθεσιν, tantum habere juris Imperantes, quantum cives in eos transferre potuerunt, nihilque ab iis posse reservari, quia post unionem voluntatis omnium, subjecti non sint unum quid neque personæ instar. Judicium hujus rei indagatur è Natura status Democratici, ut qui proxime ad statum naturalem accedat. Formam ejus esse, fœdus, in hoc, ut majoris partis voluntas sit omnium voluntas, quod locum habeat in omnibus rebus. Etiam quæ adversus singulos dura vel iniqua sint. Duæ exceptiones ponuntur. Si pars major, coitione factâ, reliquos vitâ bonisque pro lubitu exuere instituant; altera, si quis per vim injuriamque manifestam rapiatur ad mortem.

I.

EX definitione Reipublicæ liquet, ordinem Civitatis, adeoque totam Juris Publici disciplinam consistere in jure imperantium atque eorum qui subjecti sunt. Quæ cujusmodi sint & quomodo pariter consistere debeant, plena semper difficultatis visa fuit & est disquisitio. Dum alii potestatem imperantium in infinitum extendentes, genus huma-

manum libidini paucorum ut mancipia, imò ut bruta animalia, (neque enim ſecus loqvuntur) tanquam jure ſubjiciunt. * Alii Imperantes nihil fere aliud quam miniſtros populorum (*a*) (ſic etiam loqvuntur) reputantes, in hoc ſunt, ut leviſſimo momento ſtatus civitatum ordinesque inter ſe periculosè committant. ** Paucis curæ, ita rationes inire, ut inter abruptam civium contumaciam & effrenem dominandi licentiam, medium iter periculis utrinque vacuum aut minus infeſtum reperiatur. Arduum ſane & anceps hujus propoſiti eſſe judicium, poſt multam ac attentam meditationem, & inducta ſexies quæ collocaveram, etiamnum fateor: nec aliud quam indagandi partes pollicebimur.

* *Hobbes cap. 12. in pr. & paſſ.*
** *Junius Brutus, Althuſ. & alii.*

(*a*) MINISTROS POPULORUM. Qui verò *miniſterium* Regiminis Principibus tantùm relinquunt, Illi ſequuntur hypotheſin *Georgii Buchanani*, (in *Diaſcepſi* de *Jure Regni*; quam tamen deinceps ipſe fertur deteſtatus fuiſſe,) *Joh. Althuſii*, Syndici Embdani, & quem Anteſignanum hic nominat *Junium Brutum*, in *Vindiciis contra Tyrannos*. Hic tempore *Caroli IX. R. Gall.* ſcripſit, & quamvis *H. Grotius* in *Apologeticô* contrà *Rivetum*, & *Gisb. Voëtius*, de *Atheiſmo*, auctorem Vindiciarum iſtarum putent eſſe *Philippum Mornæum*; Rectius tamen Idem *Voetius* in *Bibliothec. Stud. Theol.* & *Rivetus tom. 3. Op. p. 1163.* ſub eo nomine *Hubertum Languettum* latere tradunt; cujus & Manuſcriptum adhuc *Lauſannæ* ſervatur. Sicut verò in eô paralogiſmi quàm plurimi, & potiſſimos eorum *H. Grotius* diſcuſſit: *Lib. I. c. 4. §. 3. ſeqq.* Ita apparatu majori hypotheſin hanc refutandam ſibi ſumſit *Salmaſius*; nec tamen accuratè ſatis in eô argumentô eſt verſatus: unde *Miltono*, *Philippo*, & *aliis* in prædam ceſſit. Sunt quoque ſociandi *Bruto*, Marius *Salomonius*, Fr. *Hotomannus*, David *Pareus*, & Joh. *Mariana* in *Lib.* de *Rege & Inſtitutione Regis*: in quô ſubditos vim inferre poſſe Regibus docuit: quem librum Parlam. *A. C. 1610. Pariſiis* igne cremari fecit.

II. Diximus antea, Civitatis conſtitutionem nihil eſſe aliud quam receſſum à Statu Naturali. Neque aliam ejus cauſam eſſe poſt Deum, quam voluntatem ſingulorum omniumque conventionem, quod utcunque multi hodiè (*b*) ſecùs trahant, pro certiſſimo habendum. Unde liquere videtur, in cujusque populi poteſtate fuiſſe (loquimur de imperiis non violentis) modum ſtatuere, quatenus à Naturalibus recedere vellent. Tantumque juris in imperantes fuiſſe translatum, quantum populus in eos transferre voluit.

(*b*) MULTI HODIE. Equidem quòd *Deo* unicè & immediatè, in conſtituendo, ſeu conferendo, *Majeſtas* debeatur, plerisque agnita eſt ſententia; cumprimis *Theologis*, quos inter præcipuus quidàm eſt *Wilb.* Schickardus *de Jure Regiô Ebræorum. jung.* Gerhard. *in Locô*, *de Magiſtratu Polit. §. 125.* ubi argumenta ſententiæ hujus proponit. Hoc tantùm ſingulare eſt, quòd *Graswinkelius*

ckelius excludat prorſus populum, adeò ut ne is quidem ei *cauſam inſtrumentalem* conferendæ Majeſtatis conficiat. Et tamen *Auctor* per hoc non ſatis evitat communem illam ſententiam, quando hîc tradit, in Populi poteſtate eſſe; ut *modum* Imperii ſtatuat: nam & *Ipſi* diſſentientes hoc ultrò largiuntur; ſatis gnari, quòd dependeat iſte modus à conditione *ſubjecti paſſivi*, pro ratione receptivitatis ejus; ſicut de ære *ſuperiùs* diximus, quòd formam illud non æquè per impreſſionem, ac cera, recipiat.

III. Atqui Hobbes * ex eodem principio colligit, cives tantum juris transtuliſſe in imperantes, quantum potuerunt, ut nihil exemerint. Nec quidem potuerint eximere; eò quod per unionem imperii omnium voluntas una ſit facta. ** Et quia populus, imperia ad unum hominem vel concilium delato, deſiit, eſſe unum quid, deſiit eſſe corpus, nec perſonam amplius repræſentat, ſed nihil quam ſinguli, & diſſoluta eſt multitudo. Unde nec ullum jus, quod eſt qualitas perſonæ competens, populo poſt imperium translatum tribui poſſit. ***

* *Hobb. c. 6. §. 13.*
** *Idem cap. 6. pr. & in not.*
*** *Hobb. ibidem.*

IV. Nos ut fundamentum naturamque hujus rei clarè detegamus, primo ſtatum Imperii, qui minimè (*c*) à Naturali recedat, conſiderabimus. Qui eſt Democraticus, in quo jus imperandi penes populum eſt univerſum. Quem naturalem dicimus maximè, non quod rationi imprimis conveniat, aut quod ante monarchiam ab hominibus à ſtatu naturæ digreſſis fundatus fuerit, quod Hiſtorici negant: Sed quia minus in eo quam in cæteris à libertate & æqualitate Naturali homines recedunt.

(*c*) MINIME. Præ cæteris ſcilicet, ut *Auctor* innuit, quando ſtatim, ait, *Democratiam maximè naturalem* eſſe. Equidem videri poterat, quando de *Imperio* fundando agitur; non præcisè ad ejusmodi Statum reſpiciendum eſſe, in quô *Libertas obſequii* major eſt præ cæteris; quin potiùs à *Monarchiâ* petenda fore fundamenta *Majeſtatis*: eò quòd hæc illa omnium maximè exhibeat; cumprimis quòd alii, ne quidem eſſe Majeſtatem ullam in Statu *Polyarchicô*, doceant. At verò cùm non tam de *vi Imperii*, ejusque *perfectione* ſive faſtigiô ſummô, quàm de *exortu* ejus qualicunque, eôque primô & naturali, hîc disquirat *Auctor*; (de *violentis*, ùt jam §. 2. innuit, nullatenùs:) Ideò *Democratia*, ob *rationem* hic *in fine* propoſitam, ad oſtendendam eductionem Regiminis *per pacta*, commodiùs præ formis aliis (quanquam non ex Democratiâ ad formas alias,) adhibetur. Et quamvis *Puſendorff. Lib. VII. J. N. & G. c. 5. §. 4.* hanc Reipublicæ formam *antiquiſſimam* eſſe dicat, tamen *Auctor* ne quidem hoc, refragante ſcilicet *hiſtoriâ*, aſſerere audet: Quin & hic valet diſtinctio inter prioritatem quoad *naturam*, & quoad *nos*. Eſtque non minùs fatendum, *Democratiam*, ſi *pura* haberi poſſet, optimam præ cæteris futuram. Sicut autem difficilis eſt ejusmodi Imperii in hy-

in hypothesi seu actu ipsô, constitutio: ita nec *durationem* Statui ejusmodi diuturnam quis facilè promiserit; quin potius inde sensim ad *Oligarchiam*, imò *Tyrannidem* vel Principatum, tenditur.

V. Forma ejus est, fœdus omnium cum omnibus, cujus summa in hoc consistit, ut quæ consensu majoris partis (*d*) statuuntur, ea cunctos obligent. * Idque in perpetuum, quia quo tempore ab imperio communi recesserint, norunt, neminem salutis suæ fore certum, (*e*) omniaque pessum itura, quod eos minime velle manifestum est.

* *Hobbes c. 5. §. 7. adde Grot. l. 3. c. 4.*

(*d*) MAIORIS PARTIS. Sed hoc fœdus, ùt appellat *Auctor*, (rectiùs *Pactum*,) illudque describit, *Democratiam* nec dum constituere putandum est: quia in *pactô primô*, quô in Civitatem plures v. c. pagi coeunt, id non statim obtinet, ut *majoris partis consensus* cæteros obstringat; imò in *Republicâ* ne quidem protinùs Majestas inest: & Imperium ibi *ex consensu populi perdurantis* pendet, nec idcircò Majestatis est. Illô undè *Auctor Cl.* sibi prospicit, quando dicit, fœdus hoc *in perpetuum* constitui. Ubi tamen cavendum est, ne hoc ipsum *in facto esse*, quoad Statûs extrà Democratiam cæteros, à placitô majoris partis suspendamus. Imò *Auctor* videtur hîc confundere *Democratiam* in *facto esse*, seu prout jam constituta est, & *in fieri*; de quô posteriori respectu hîc tantùm agitur. Quod enim de majori parte tradit: illud quidem ad *exercitium Imperii*, penes universos *constituti*, pertinet. Imò forma *administrationis* in Democratiâ non ad omnes refertur, qui de Majestate participant: siquidem satis constat, in Politiâ nunquam Magistratûs ab omnibus actu geri, aut geri posse.

(*e*) SALUTIS SUAE FORE CERTUM. Et tamen certi ejus sunt etiam hi, qui ab Imperiô Majesticô ad Magistratum, (quod in *Interregno* fit,) revertuntur. Intereà, quia Status ille, qui Magistratu tantùm constat, perfectionem Imperii non habet omnimodam: inde quòd *perpetuitas* de ratione formali Majestatis sit, eaque ad tempus constitui non possit, (æque ùt nec uxor, nec filius, in eum modum assumitur,) vera exhinc est sententia.

VI. Plurium suffragiorum prærogativa ideo necessaria est, quod alioqui publicis consiliis exitus nullus dari posset. Scilicet ita, ut quod plures voluerint, hoc omnes & singuli velle censeantur; neque minus idipsum totius populi voluntas est. In ejusmodi consensionem populi facile descendunt, siquidem omnium in fœdere democratico conditio, spes & ratio par est. (*f*) Nec quisquam magis se superatum iri, quam alios superaturum præsumere potest.

(*f*) SPES ET RATIO PAR EST. Quod tamen aliter accipi non debet, quàm ut conditio illa & ratio *proportione* constent, prudentiæ, senii, divitiarum, &c. Est verò, dum à Democratiâ constitutio Imperiorum quæritur, cavendum sedulò, ne à *voluntate* populi, quam ubique *Auctor* nimitum urget, vis Imperii, prout *in esse* constitutum est, derivetur. Quamvis enim in *Democratiâ* illud Majestatis esse censeatur, in quod *major pars* populi, saltim per Magistratûs, consenserit; tamen hæc ipsa voluntas non nisi *Imperantium* est. In *Monarchiâ* verò *unius Regis* voluntas tota & sola

N rem

rem conficit; licèt in *constituendô* Regem voluntas *partis majoris* in populô, causæ locum subeat. Quæ tamen *desinit* Rege constitutô, quoad ipsa *obsequia* Populi, quatenus cum *Imperiô* Regis conferuntur; utut *voluntas* populi *haud unquam desinat*, quoad *nexum* cum Rege, ratione *Imperii* & prout voluntas illa *fundationem Imperii* respicit: Indeque *Hobbesii* sententia, quæ §. 3. rejecta fuit, in alia penitùs abit.

VII. Neque dubium, quin fœderati, suum illum consensum de omnibus, quæ ad salutem utilitatemque communem ullo modo pertinent, intellectum velint. Etiamsi contingat, ut saluti commodisque paucorum aliquid adversetur. Salva enim res communis esse non posset, si ratio ejus non vinceret utilitatem privatam. Adeò ut ne vitæ quidem (g) rebusque singulorum propriis, boni communis causâ parci velle videantur. * Unde casu eveniente, ei in quem sors incumbit, non fit injuria, quod absque suo merito patiatur malum; in hoc enim aliis consensit. Proinde nec resistere illi, populo per plura consentienti licebit.

* *vid. Grot. lib. 1. c. 4. n. 7.*

(g) NE VITÆ QUIDEM. In *pactô*, quô citrà constitutionem Magistratûs coitur, enecari nemo potest, nisi vitæ defendendæ gratiâ, & ut aggressor instar hostis habeatur; non aliter ac in *Statu* non pactitio *naturali*. *Magistratui* autem *Jus vitæ necisque* jam tribui potest: Quod tamen ipsum differt iterum ab eo, quod *Majestati* in cives competit; ùt *suprà* innuimus. Hoc enim, quia cum Imperio *eminenti* est conjunctum, ideò in innocentem quoque valet; modò is boni communis causâ vitam suam exponere cogi possit.

VIII. Nec quicquam refert, quod ad vim obligandi, utrum rectius an pejus (h) pars major sentiat. Alioqui lis super hoc judicio rem identidem ad primam reduceret confusionem. Quam ut omnium malorum maximum cives super omnia vitare voluerunt.

(h) RECTIUS AN PEIUS. Nec ita licet vota ponderare, ùt in *Statu naturali*: indeque *legalis* status efficit, ut illud executioni dandum sit, quod major pars decreverit. Vid. *Dissert.* Jac. Thomasii *de Statu Naturali & Legali*: & in specie de Jure *Majoris Partis* H. Grotium *Lib. II. de J. B. & P. cap. 5. §. 17.* & *in cap. 8. Apologetici.* item Praschium *in Dissert. de Jure Majoris Partis.* Optimè ad hunc locum Pufendorff. *Lib. VII. J. N. & G. c. 2. §. 15.* ubi Formas Rerumpublicarum Polyarchicas in eo à Monarchiâ distinguit, quòd in hâc id velit civitas, quod Rex velit; in istis vero majoris partis conclusa respiciantur. Sanè in *Populo Romano*, qui suffragia in *Comitiis* per *centurias* ferebat, quarum erant CXCII. vel *sextâ* etiam *classe*, quæ non habebat Centurias, annumeratâ, CXCIII. si quando XCVIII. centuriæ, quæ primam Classem efficiebant, consenserant, reliquæ ne quidem rogabantur, nec adeò istæ expectabant, ut minor pars animi sui sensa declararet. Adeò *majoribus* simpliciter insistebant.

IX. Nec quidem aliud dicendum, etsi malitia in parte majori adversus

versus aliquos appareret. Nam, si antequam id alicui contingeret, rogarentur, an tali casu cuiquam eveniente, vellent imperium commune solvi, non cunctarentur patientiam præferre. Cùm alioqui vix unquam causa turbandæ societatis deesse posset. Proinde quod in thesi (*i*) quisque censuit esse faciendum, id in hypothesi nemo improbare potest; eaque ratione petalismi & ostracismi (*k*) veterum Rerumpublicarum defenduntur.

(*i*) IN THESI. Puta ut quod *major pars* sentiret, ea sit voluntas *Universitatis* Majestatica; idque in Democratiâ in hypothesi & applicatione ejus, quod sibi jam imminet sive imperatur, nemo improbare suscipiat.

(*k*) PETALISMI ET OSTRACISMI. Quod *Athenienses Ostracismum* vocabant, ἀπὸ τῶν ὀστράκων, sive testulis, in quas viritim à Populo suffragia de Illo, qui ob nimiam gloriam, divitias & potentiam, Rempublicam occupare posse videbatur, conjiciebantur; (de quo pluribus *Aristoteles III. Pol. c. 9.*) ut scilicet illi decennale exilium sine infamiâ indiceretur: eò quòd sine suspicione, tanquam unus præ cæteris excellens, in Civitate retineri non posset. Idem *Syracusani*, post exactum Tyrannum *Hippiam & Pisistratum*, *Petalismum* nuncuparunt; de quo in *Cornel. Nepote* passim agitur; & ad hunc *Robertus Keuchenius*, *p. 43.* plenius autem *Ubbo Emmius*, de *Republ. Syracus.* conferendus est. Junge non minùs de axiomate hoc accidendæ nimiæ potentiæ, Polyarchici Statûs æqualitatem excedente, *Ludov.* Septalium *Lib. VII. de Ratione Statûs*, *cap. 6. seqq.* & Forstner. *II. Annal. Tacit. p. 206. & 251.*

X. Quod si tamen, coitione factâ pars major palam id ageret, ut reliquos non modo superarent semper (quod in rebus mediis ferendum) sed & vita bonisque pro lubitu exuerent, dicendum videretur, pauciores separare se posse; proinde & resistere. (*l*) Neque enim consenserunt in id quod scopum societatis institutæ penitus everteret. Is autem non fuit alius, quàm ut quisque præsidio communi vitâ bonisque suis securè frueretur. Nec plus ex eo jure delibaretur, quàm utilitas societatis, sine qua nec singuli subsistere queunt, identidem postularet. Imò fortè an nec singuli planè, si qui ad mortem manifestâ injuriâ vocarentur, vi primæ consensionis ad ferendum tenerentur.

(*l*) PROINDE ET RESISTERE.) Hæc verò in Republicâ *Democratica* non ita distinctè considerari, ùt in *Principatu*, possunt. Cùm enim *resistendi* facultatem *Auctor* ex voluntate eorum petat, qui in societatem coierunt: (quâ ratione quilibet resistendi facultatem sibi sumere poterit, Regi etiam suo seu Principi, quoties ille quid imperaverit, in quod *ab initiò*, in *constituendò* illum, se consensisse subditus videri noluerit.) Utique non tanto periculo involvitur Respublica in Statu *Populari*, si pars Populi, minor licèt, ex universitate, dum Majori succumbere non vult, secedit; quàm quidem in *Principatu*, si quilibet subditorum idem jus sibi assecturus foret in Regem, quod *Pars minor* in Democratiâ in majorem sibi postulare audet. Nam minor quidem pars populi facilè *per vim* a majori reprimitur; sed Principi adv. Populum, maximè universum, iniquè sibi obluctantem, nullum remedium nisi *auctoritas* justæ causæ & virtutis Regiæ competit, quæ Divinæ

 simi-

similis & succedanea, eaque in personâ unâ, ceu sacrâ, conspicua est. Unde tantoperè insistunt Reges *Auctoritati*: de quâ præclara quædam sunt ap. *Lipsium* in *Politicor. Libris*. add. *l. 4. C. d. LL.* Adeò ut Principes *Romani* Rescripta sua, *Juri* publico privatove *contraria*, ab omnibus Judicibus refutari voluerint. *l. 7. C. d. precib. Imp. off. l. un. C. qu. Imp. int. pup. & vid.* Et ubique in *LL. Romanis* Principes profitentur, quòd ab ordinario jure nolint recedere. Nec non tale quid in *Capitulationibus Regum Romanorum* etiamnum habetur. Idemque in *herilibus* quoque imperiis occurrit, ut populus non ferat *extraordinaria*, nisi quà necessitate publicâ nituntur. Sicut igitur Respublica in *constituendô* rectiùs ad Statum Polyarchicum expenditur; quanquam ne sic quidem ex eô simpliciter educi possit: ita *securitatem Reipublicæ constitutæ*, & *sanctimoniam* Imperantium, longè tutiùs *ex Statu Regiô* petimus.

De cætero ut in universum, quid de RESISTENTIA subditorum statuendum sit? cognoscamus; Distinguendum est inter *Actiones Principis absolutas* sive in ipsum reflexas, aut quatenus *in Universitate Imperii* consideratur; & inter eas, quibus in *subditos singulos* abit. *Ibi* vel moralis est illius actio vel civilis. *Moralis*, ùt si turpiter vivat. Sic verò crimina ejus Deo committenda sunt; nisi quòd *H. Grotius Lib. II. c. 21. de J. B. & P.* de eô disquirat: quandonam Dei quoque ira, ob peccata Principis, in populum justè se exserat? Interim quoad *civilia*, i. e. ea quæ ad Imperium pertinent, impio & scelerato Principi adhuc parendum est. Quodsi etiam actio civilis, sive Imperii, vitium habeat, vel titulô vel exercitiô: ita Invasor Regni, quem *titulo* tyrannum appellant, quòusque in subjectionem ejus non transierit populus, ùt hostis repelli & necari potest; secùs, si eundem pro Rege agnoverit, sive expressâ sive tacitâ ratihabitione; licèt metu compressus. Nam ita potius est, ut resistere ei non possit, ne Respublica denuò in discrimen adduceretur. vid. Grot. *Lib. I. c. 4. §. 15. seqq. de J. B. & P.* junct. Forstner. *ad L. I. Annal. Tacit.* ubi de internecione *Julii Cæsaris*. *Exercitiô* Tyrannum quod attinet, quando princeps legitimè constitutus imperium crudeliter aut injustè exercet: (nec enim *privatæ utilitatis studium* tyrannum protinùs absolvit; ceu nec *rigor* quilibet: qualis describi videtur in *2. Sam. 8.*) ferenda quoque sunt facinora ejus singula; modò non eò pertingere videantur, ut eversio Reipublicæ exhinc subsequi censeri possit. vid. *Horn. Lib. II. Pol. Arch. c. 12. n. 10.* & *Wilh. Barclajum adversus Bellarminum*. Cujus quidem rei judicium sicuti perquam est difficile: ita Principem aliquem dari, mente sanum, qui *extinctum* iturus sit Rempublicam totam, vix credi potest. Suntque voces animi solùm irati & inanes *Caligulæ*, ap. *Sueton. c. 30.* quibus optabat, ut *Populus Romanus* unâ cervice sustentaretur, quam *suâ manu detruncare posset*. Quòd si tamen *partem Reipublicæ* Princeps extinguere susciplat; sicut *Pharao Israëlitas*: potest hæc, quando se à corpore reliquo Reipublicæ separaverit, etiam armis se tueri. *add.* Bodin. *II. d. Republ. c. 5.* ubi regulis & exemplis Judicium *Politicum* instruere nititur. Equidem effectu destituuntur disquisitiones illæ de *Resistentiâ*, ùt & de *deponendô* Principe, quòusque Militia mercenaria in manu Principis est: nam ita quæ volet agere, potest. Sed tamen hic de *Jure* quæritur: & si quæ fieri jure posset depositio, vis magna populi est, si caput ille fortitus ac ducem fuerit. Illi verò profani sunt, qui, proni in dejectionem Regum, opinantur, subjectione solvi populum, quando Princeps *modum Imperandi*, quô imperium suscepit, non servet. Quin potiùs directò hoc repugnat intentioni populi, Regem constituentis. Videlicet ita demum *fidem* prodenti & ipsi non tenemur ampliùs, quando promissio apertè respectum habet alterius promissionis, quæ ei quasi conditio implicita fuerit; non item si diversi generis promissa fuerint, & citrà respectum mutuum. Jam verò obsequium populi se ulteriùs porrigit, quàm fines Officii Regii. Unde & precibus amoliri vult tyrannos Apostolus *1. Pet. II.* Et *Jacobus* Rex *Angliæ* optimè utitur, in hôc de Depositione Regis argumentô, simili *Patris* rat. Liberorum, & *Capitis* ratione corporis. Utique si *exitium* populo immineat, & Princeps sit *inemendabilis*, ad depositionem procedi posse, ad *Not. Imp. Bœcleri* pluribus ostendimus. *Pontifices Romani* obliquâ depositione *Impp.* ac *Regum* aliquando utebantur, & primus suis partibus hâc viâ subjecit superstitiosum Orbem Europæum *Gregorius VII.* in *Henrico IV. Imp.* Nam antiquiores si quæ fuêre *excommunicationes*, quod negant alii, (vid. Becmann. *Parall. Polit. c. XII. §. 7.*) illæ non fuêre illorum effectuum, quò *Gregorius* suam valere

lere

lere voluit, nec ad *civile* pertinuêre; & omnium minimè ad *exsolutionem subditorum ab obsequio* Principi suo debitô: ceu nec ignominiam excommunicato attulerunt. Quemadmodum licitè potest arceri Princeps, etiam summus, à *communione sacrâ*, quippe quòd hoc *coërcitionis* non sit, sed officii sacri; ne periculo Ministerium involvat Dominum seu Principem suum: quanquam si nihilom. hic urgeat, possit ad communionem suo periculo admitti Princeps. *Defectus* quoque hujus celare quidem Minister Verbi non debet, nec tamen publicè eos redarguere: nam & sic in *coërcitionem* transit, & fomitem seditioni præbere potest.

Porrò, quoad Principum actiones *in subditum* unum alterumve feruntur, gemina iterum inspectio habenda est. Aut enim pertinent ad inferendum subdito *malum passionis*; aut imperandô *malum actionis*. *Ibi* vel *infra vitam* illud constitutum est: & quoniam *duri* quoque & *difficiles* ferendi sunt. *1. Pet. II., 18.* Hinc etiam ad ferendas *injurias*, quæ periculum vitæ aut bonorum non inferunt, subditus obligatur. *Atroces* verò ut fugâ, emigratione vel aliter, evitare possit, curabit. Quando autem quæritur: num *resistere* possit Principi subditus, injuriam ipsi inferenti? istud rectè negatur ab H. Grotiô *Lib. I. c. 4. §. 6.* & Pufendorff. *Lib. VII. J. N. & G. c. 8. §. 5.* (Nec tamen resistentia est, v. c. quando gladium quis manu intercipit;) Atque hoc non tantùm est novi fœderis sive *Christianorum*; ùt *H. Grotius locô cit. §. 4.* opinatur. Sed nec discrimen constitui debet inter subditos *privatos* & *Magistratum*; sicut rectè *Idem §. 6.* Nam *Regi* quidem, tanquam *summa potestati*, parendum est, ὡς ὑπερέχοντι; *Præsidibus* autem, i. e. inferioribus Potestatibus, ὡς δι᾽ αὐτοῦ πεμπομένοις, tanquam missis & *ordinatis* à Summâ Potestate. *1. Pet. II. 13. 14.* Indeque illi ad Principem relati æquè sunt *subditi* ac è plebe singuli: quoniam ab istâ quoque potestate in imperio suo *dependent*. Sicut verò in Reipublicæ illô statu, ubi Princeps *Ordinibus* est circumditus, quibus in *officio* contineatur, resistentia quandoque locum habere potest. Ita non unâ definitione res ista absolvitur. Neque enim Ordines illi seu Primores, aut Senatores Regni, vel Statûs etiam, unius sunt generis: quapropter in his attendendum est, num illi *potestatem* Regis ejusque *exercitium* ingrediantur, num ad *modum exercitii* solùm concurrant: an *nullitas* tantùm ex illorum non adhibitione procedat, an *jus intercludendi* actum habeant, &c. Nec enim protinùs jus resistendi tribuendum est his, qui à Classibus populi in partem receptis mandatum conservandi jus ipsorum receperunt: ceu nec pares sunt invicem *Ephori Spartæ* & *Senatores Regni* in *Poloniâ*; nec pares omninò aliis. Utique peculiare quid in *Imperio Romano* deprehenditur, ubi *Statuum Libertas* ea est, ut quoties iniquô Imperiô & injuriis in universos uti suscipit Imperator, *jus resistendi* imperio ejus, ex pactô antiquissimô, & à *Francorum* institutis petitô, obtineant: *jung.* H. Grotius *d. c. 4. §. 13.* & quæ ad *Jus publicum* tradita sunt. Maximè verò istud in causâ *religionis* obtinet, ùt deinceps tradetur. *Vitæ* periculum si intentet Princeps, num eidem resisti, ad ejus usque internecionem, possit; anceps disquisitio est; ùt si vel justè inobedienti, vel etiam nullâ de causâ, necem intentet, subdito. Utique *prudentiæ* non est hæc quæstio. Vix enim est, ut qui Pricipem, justissimè licèt, perimit, salvus evadat; sed juris. Ita verò succumbendum potiùs esse subdito, quàm ut Principem perimat, verior est sententia; ut Deo scilicet vindici Princeps permittatur; quò pertinet *1. Petri II. v. 18. Rom. IV. v. 2.* cum *similibus. vid.* H. Grot. *d. l. §. 7.* & Hornium *d. n. 10.* Nec asseri potest, *jus* illud *externum*, quod subditum ad patientiam obligat, etsi cum malitiâ ejus, qui in obligatione est superior, conjunctum sit; ùt est jus Parentis, Magistratûs, non extendi oportere ad *vitam*. Neque enim eadem ratio est *singulorum* subditorum, & eversionis *totius Reipublicæ*: imò hæc in periculum conjicitur, quando singulus vitam suam vitæ Principis præfert. Dissimilis etiam hac in re est *Parens*, item *Magistratus* subalternus, & *jus ipsorum*, à Principe. Nec *publica salus* per interemtionem Patris aut Magistratûs subvertitur: imò difficile est, ut non statui debeat, *teneri* insultatum (nec tantùm ei *permissum* esse,) à Patre vel Magistratu se cum horum internecione defendere. Sanè omnis resistentia potiùs in crimine est: quâ præsumi potest, subditum vel mediatè vel immediatè simul internecionem Principi intendere voluisse; qualis *cruenta resistentia* plerumque haberi potest. Quæ verò aliàs in adversum *objiciuntur*,

huc redeunt: Non videri Principem amplius; sed latronem: non esse Principem, qui subdito insultet; cùm ille hujus gratiâ sit. Imò Principe non amplius eum indigere, qui non ultrà, ab ipso scilicèt peremtus, eidem superstes fuerat. At v. Imperii ratio, vel sanctimonia Principis, ex *singulorum periculo* æstimari non potest. Hinc quia occisio Regis cum maximo incommodo universitatis conjuncta foret: omninò expedit, ut subditus ille pro salute publicâ occumbat. Et licèt occisus iste non aliter, quàm ùt superstes est, Principe utatur; tamen non ex commodi privati studiô simpliciter metienda est coitio in Rempublicam; siquidem in societatem illam ferimur spontè magis & naturâ; indeque necesse est, ut multorum commodo nostrum postponamus. Quin & charitas imperat, ut non tantùm nostri, sed imò magis omnium causâ Rempublicam salvam velimus. Quocircà Principem *inviolabilem* esse putandum, non tantum sui gratiâ, (vid. Pufendorff, *L. VII. c. 8. §. 5.*) sed & *Reipublicæ*: nec tamen iterum hujus solius: quid enim si *successorem* habeat; verùm etiam quòd ipse Princeps *Dei*, cuncta sospitantis, effigiem gerat; nec unquam videatur lædi posse, ut non etiam lædatur Respublica. Itaque cùm *necessitas* in moralibus finis rationem ducat, utique per Civitatem prohiberi potest *singulis* resistentia: prout Civitati in singulorum vitam jus est, non solùm ordinariô modô, exque scelere; sed etiam in salutem universi, citrà meritum. Secùs ac se res habet in *multitudine*, sive simplici vel absolutâ, sive Magistraticâ. Aliter nequidem *major pars populi* foret parcitura Regi; cui tamen æquè resistendi jus in Regem nullum competit; quòusque scilicet eversio civitatis metuenda non est, & ut hostem Rex induisse, dissolutô penitùs nexu Imp., videri possit.

Quòd si imperet *malum actionis* Princeps: illud vel *morale* est, vel *naturale*. Prius istud vel *certum* vel *dubium*, In *hôc* obsequetur Principi subditus: *Hornius d. c. 12. n. 5.* quia certum est, Principi jus imperandi competere. Et malè *Castro Palao, P. 1, Disp. 2.* quòd subditus, si opinionem habeat *probabilem*, mandato Principis contrariam, possit *suam eligere* opinionem: eò quod superior hoc casu solùm *justè probabiliter* imperet; Nam *justè* potiùs ille, quod probabiliter *justum est, imperat*: & in praxi dubium is seponere debet, in obsequio debito Principi, qui speculativè dubitat. Adeò ut cùm subditus de jure externô, seu Jure *Potestatis* Regiô, *certus* sit, de Jure *internô* mandati Regii *dubiô* optima quælibet præsumere debeat; quod & fieri potest, quando illud *aparti* adversum quid in *naturali* aut *Divino* jure non habet. *add.* Gerhard. *§. 399. d. Magistr. Polit.* & Hülsem. *c. XX. Breviar. n. 14.* item Leymann. *Lib. II. Theol. Moral. tr. 3. c. 12. n. 8.* Imò si vel maximè dubium sit, ipsum Principem esse legitimum; tamen cùm in possessione Imperii constituatur, actionem sibi imperatam, de cujus malitiâ non constat, non modò tutò subditus exsequitur; sed & eadem exsequi debet. Planè ipsi Principes aliquando hominis imbecillis conscientiæ quid indulgent, seu dissensui illius privato; ùt videmus in *professione* istius *Religionis*, quam ipse Princeps à verbo Dei alienam æstimat. Porrò si turpitudinem *certam* habeat actio imperata: tunc verò Deo magis obediendum est; & vel mortem subire, quàm scelus, oportet. *Actor. V. v. 29.* Grotius *d. c. 4. §. 1.* & *Horn. n. 8.* Nempe subditus se obstringit Universitati seu Principi ad illa, quæ sunt in *potestate* promittentis. Talia verò non sunt turpia vel inhonesta: quippe à quibus abstenturus erat, etiam extrà societatem Civilem positus: quare si in talibus non obsequatur, etiam ad *pœnam* ne quidem tenetur. In *executione peccati alieni* secùs se rem habere, *Pufendorffius* tradit, *de Obligatione adversus Patriam*, *§. 17.* quoties scilicet exsequens ille non nisi instrumentum subire censeri potest: quod non minùs in genere moralium à causâ aliâ elevetur, ut effectus ei imputari non possit: quasi actio talis non sit propria subdito, sed mera executio *actionis*, quæ propriè sit *imperantis*: quâ ratione cædes v. c. imputari non possit eam exequenti, ùt nec possit gladio aut securi. At verò nemo hanc *meram executionem* dicere poterit; nec licet hanc actionem comparare cum *lectione orationis*, in quâ *mendacia* habentur, Et quis non *stuprum matri inferendum*, si quis hoc filio, sub interminatione mortis, imperaret, horrendum facinus habendum censeat; quod tamen & *executio* est. Imò ingens est discrimen inter *gladium*, & *agentem hominem* vel *actionem* ejus. Unde licèt is, à quo contagium metuendum est, si illum occidi jubeat Princeps, repugnare non possit, *Molina Tom. IV. d. J. & J. tr. 3. D. 13. concl. 2.* Tamen is, cui cædem

dem illam mandat princeps; ipse potiùs mortem subire, quàm exequi jussum debet: cùm remedia ad contagium evitandum alia adhibenda sint. *Hobbesius* quidem putat, in *cap. 12. de Cive:* non posse subditum examinare jussum Regis, sed cœcô ductu eum obsequi teneri. Ast hoc verum est in actibus *civilibus*; & quorum Imperium ab unico Rege pendet; non etiam in *naturalibus*, quæ *supra Principem* sunt, & quorum dictamina quisque civium ab *internô* principiô sortitur: cùm falsa penitùs sit *Hobbesii* sententia, quasi extrà civitatem, & ante eam, discrimen honestorum & turpium nullum sit, h. e. justum naturale non detur. *add.* Pufendorff. *L. VIII. c. I. n. 6. seq. de J. N. G.* Quanquam nihilominùs *Hobbesius* in aliquibus casibus nos martyres potiùs fieri, quàm obedire debere, jubeat. Quid si Princeps *Religionem falsam* subdito imperet? Idem multò magis dicendum est: cùm obsequium hoc à Principe non pendeat; nec civile sit. Equidem *Hornius d. l. n. 12.* resistentiam ingerit: quæ tamen vix locum habere potest, nisi in Statu, qualem Imperium Romanum refert. Nec enim sequitur, obtemperandum non esse Reipublicæ: ergò si vim illa inobedienti intentaverit, eidem *resistendum* esse; id quod de injuriis à Principe subdito illatis, *H. Grot. d. §. 2. & 6.* negaverat: qui non minùs *§. 7.* æternâ memoriâ dignum exemplum *Thebææ legionis* adducit: cujus quidem constantiam, *Hornius*, laudandam esse, sed nullibi Christianis præceptam, autumat. Denique si *naturale* quid Princeps inferat, quod grave subdito videatur, parere debet ille, & vel vitæ periculum subire; quamvis eò ipsum ire Princeps jubeat, ubi evadere non possit: saltim Principis vitam aut Reipublicæ salutem per hoc redimere queat: De quo tamen & quomodo vitam opesque suas, imò famam, quisque subditorum, Principis aut Reipublicæ bono debeat, distinctiùs experiemur. Interim ad naturalia illa pertinent etiam *injusta* quælibet *ex parte Principis*, internô quoque jure. Nam & talia præcipienti obediendum est; modò non ipsi *obsequio* seu ministerio *crimen* insit; ut *ap. Plinium* dicitur, *3. Epist. 9.* Unde & *iniquam* contributionem pendere debet subditus.

XI. Enimverò ingentis boni communis causâ posse extendi obligationem expressam usque ad mortis patientiam, *(m)* ut est lex de statione non deserendâ, ratio Juris idonea, quæ prohibeat, nulla profertur. Sed cùm à morte homines efficacissimè abhorreant, non potest dici, quòd primi conditores Civitatis, commune fœdus, quo pars minor populi tenetur eô quòd plures volunt, ad mortem sinè ullâ causâ & ordine judicii ferendam durare voluerint.* Enimverò ut detrimentum bonis alicujus illatum causam fœderis rumpendi præbeat, id auctores Reipublicæ nullô modô voluisse manifestum est.

* *vid. Grot. d. lib. 1. c. 4. n. 7.*

(m) AD MORTIS PATIENTIAM. Hæc de se sic habendum est. Non posse quem de vitâ suâ disponere *positivè*, & de eâ ex suô arbitriô sibi eripiendâ, ut ad amittendas res cæteras: quia concessa non est homini vita sui gratiâ: allas quò minùs in eam decernere possit, nil impedire videbatur. Potest enim quis disponere de *libertate* suâ, quæ naturaliter ipsius est, nec præcisè societatis gratiâ; cùm quidem liberos omnes esse nulla exigat necessitas. Igitur cùm vita nostra societati primò debeatur: ideò possum hactenus super eâ disponere, ut societatis gratiâ *maturiùs* eam consumere queam studiis, vigiliis, quin & discrimini, ad perdendum, eam *exponere*; ut in obeundâ militiâ. Possum quoque vitam meam oppignorare, si ut eam servem, præstitô eô, quod promiseram, in mea potestate est; sicuti captivus ab hoste obstringere se potest, quòd, sub periculô vitæ amittendæ, arma adversus ipsum accipere nunquam nolit. Nec enim pactum illud

contrà

contrà officium civis vergere putandum est; non quidem ex eô, quia alii, qui contrà hostem pugnent, suppetere possunt: Sic enim nil obstaret, quò minus civium quilibet in libertate positus, officiô suô salvô, in eum modum hosti se obstringeret. Verùm quia pactum hoc ex statu, quô captivus tenebatur, considerari, & ùt in hostium manu positus ille, promittit, æstimari debet. Ità verò, citrà pactum ejusmodi, Reipublicæ in nullô utilis existere poterat, neque libertatem parare sibi; & in hostium arbitriô fuerat constitutum, ab omni civis officiô cum penitùs abstractum tenere. Illud quæritur, num saltim *Respublica* in civem, ejusmodi pactô liberatum, vi Imperii Eminentis, statuere possit, ut pactum hoc *servare non teneatur?* *Negativa* verior est, eò quòd vis illius pacti ex imperiô, eoque justo, quod per captivitatem sibi hostis in captivum acquisierat, dependet. Interim ex interna ratione illud eò interpretandum est, ut accipi debeat, non de Reipublicæ *defensione:* quam si non suscipiant singuli, universos perire necesse est; ac perinde credi non potest, captivum eòusque se non esse pugnaturum contrà hostem, promisisse, ut non ipsum se periculo mortis, aggressionem scilicet propulsando, defendere posse voluerit. Et tamen hoc quoque non nisi de extrema necessitate, in quam Respublica per hostem conjicitur, accipiendum est; nec etiam aliter interest Reipublicæ, ut reversus ille civis periculo judicii fortassis acerbi ipsius hostis, dum in manûs ejus denuò cadere potest, semet exponat. Cæterùm *pro Republicâ suâ* non modò in pugna, sed aliàs quoque, vitam suam periculo civis subjicere tenetur. Nam de *pugnâ* quidem, sive statione, in qua probabiliter videt civis sibi pereundum esse, obtemperare debet jussui Ducis; etiam in extremo casu, quo vix est, ut evadere possit: modò Respublica vel exercitus ex hoc juvari possit; cujus arbitrium Duci permittendum est: adeò ùt ne quidem *sortem* urgere liceat, quippe quòd hoc etiam penes Ducem meritò constituatur, quemnam aptissimum ille stationi deputare velit. Estque maxima ignavia, si quis civium vel mutilando, vel aliter, *inutilem* se civitati reddat, ut ad hæc pericula subeunda protrahi nequeat. vid. *l. 4. 5. 10. 16. Cod. Theodos.* (& quæ exhinc *Justinianeo* illata sunt) *de Tyronibus*. An autem quis obstrictus sit, ignem *pulveri pyrio* injicere, ut ne unà cum navi in potestatem hostium perveniat; aut cùm sibi pereundum videt, ut simul aliam navim hoc ipso ut submergatur, affligere possit, ne hostis una navi sit superior? quæritur. *Negavimus* superiùs, quòd quis illud possit moraliter, & negat quoque Dannhauerus *p. 2.* Der Catechismus Milch, *Concione XIII. in 5tum præceptum;* ubi citat *Jeremiæ XXVII. v. 12. & 2. Chron. XII.* Itaque negandum quoque est, quòd *invitus* quis eò per imperium adstringi possit. Hinc etiam Hornius *II. Pol. Arch. c. 2. §. 16.* civem adigi non posse, putat, ut antequam se dedat, *fame* pereat. Sed an subire *hostiam* quis debet, ut ad placandum numen se mactari sinat: quod inter paganos aliquando suscipiebatur. (*vid.* Cluver. *Lib. I. Antiq. German. c. 37. §. 14.*) Utique numen non poterat credi placari posse per mactationem unius, cùm ira non fuerit in cives; nisi & ipsi scelus, quo eam provocaverant, approbassent. Christianis autem immanis est & frustranea quæstio; asserenda de cætero, ex hypothesi profana, si universitatem per hostiam unius eripere vindictæ numinis licuisset. *vid.* Bœcler. *ad H. Grot. p. 99.* Porrò ad placandam hominis iram, qui civitati internecionem minatur, nisi deditio civis cujusdam fiat, *se ipsum tradere* quis non tenetur; licèt ob delictum. Debet tamen aliò se recipere, quamvis cum periculo suo, ut civitas sit salva. Quòd si *pœnam* promerita civitas fuerit, quam deditione avertere liceat, non potest unus alterve tradi internecioni: id enim perdurum foret. Sed æquum est, ut singuli periculum sortis subeant. Quid si *innocens* per hostem à civitate poscatur. Non posse eum tradi ab hâc, *Bœclerus d. Comm. p. 95.* rectè asserit, & *Horn. Lib. II. cap. II. §. 19.* Neque tamen Civitas ipsum defendere cum exitio suo, tenetur: nam & sic ipsi civitati pereundum foret, & ei, quem defendere nitebatur, cum ipsa. Quocircà *fuga* sibi consulat, necesse est, cùm non possit ipsum cogere civitas, ut se hosti tradat. H. Grot. *Lib. II. cap. 25. §. 3.* & Horn. *d. §. 19.* ubi rectè monet, quòd ne quidem civitas per traditionem hanc periculum evasura sit; quin potiùs hostis iteratò alios, eosque innocentes pariter, petere possit. Hinc etiam *charitatem* non posse obligare civem, ut se dedat; maximè quòd ambiguum fuerit, an deditio illa Civitati profutura sit. Sic etiam *Civem enecare* non potest Civitas, extrà necessi-

necessitatem, aut incerto periculo declinando: & malè utebatur *Caiphas* argumentô obligationis civis cujuslibet pro civitate, ad cædem hominis innocentis. *Joh. II. v. 50.* Potest verò Princeps jubere, ut invito *membrum amputetur*, ne pars sincera trahatur, & ut ne is vitâ se privet ante tempus. De *nuptiis* quoque disquiritur, si quis, invisus moribus, eas cum cive nostrâ expetat, sibique eam, sub denunciatione belli, dedi velit? Iterum *Hornius d. c. II. §. 20.* Quæstionem hanc expendit. Quando autem absolvendam esse putat Civitatem à culpâ, quæ impellat subditum ad factum sive negotium, quod si volens sponte suâ faceret, non peccaret: indignè argumentatur. Sic enim nunquam peccat deditus, in quô tamen peccare potest civitas. Quare potiùs est, ut dicamus, petitam sponsam hanc destitui posse, ut dimittatur ex civitate, & suæ libertati, quâ poterit ratione, consulat. Illud faciliùs adstruit *Hornius*, non suisse pactum injustum, quô à Mauris *Hispaniæ Reges* aliqui antehàc, *tributi* locô, ingenuas quasdam *virgines*, causâ matrimonii, pacti sibi fuerint. De *Obsidibus*, & quòusque eum periculô vitæ, in casum, quo civitas promissis statura non est, civis in obsidium ire teneatur? *suô locô* videbimus. De *Bonis*, (etiam *forensium*,) quid in ea ex *dominio eminenti* liceat Reipublicæ, *inferiùs* experiemur. vid. interim H. Grotius *II. 14.*, *8.* & Bœcler. *in Diss. de Domin. emin. ibid. p. 117. seqq.* Quid de *Fama*? non tenemur utique eam patriæ consecrare, ut ipsi scelus admittamus, vel scelera aliorum in nos suscipiamus. Nec enim virtute nos excutere, ùt & vitâ non tenemur. Tenemur tamen *honorem* exhibitivum, sive insignia virtutis, quippe quæ civitatis sunt, saluti ejus dimittere: maximè quòd inania sint; modò virtus nobis maneat. Sicut verò non ita quis Reipublicæ vitam, bona & honorem, debet, ut non etiam possit Rempublicam sibi *debitricem* reddere, per virtutes egregias; quicquid etiam ad has parandas adjumenti tulerit civitas: ita non potest civis *expelli* pro lubitu; sicut ipse quidem pro arbitriô *migrare* potest: nam ei non superstruxit se Civitas, ùt ipse se Civitati. Quâ ratione vero pars Civitatis abscindi per *alienationem* possit? *inferiùs* apparebit. Interim vid. Grotium *Lib. III. c. 20. §. 5.* & Bœcler. *ad eund. p. 104.*, *116.* & *285.*

XII. Concludimus igitur, in Democratia sive populari Imperio singulos teneri ad ferendas injurias totius populi, exceptis hisce duobus casibus, qui commemorati sunt.

CAPUT X.

Dari fœdus inter Imperantes & subjectos, rursus ex naturâ status Democratici, contra Hobbesium demonstratur.

ARGUMENTUM.

Quæritur, an Imperantes injuriam perfidiamque adversus subjectos committere possint. Hobbes negat; hac ratione, quod nulla fœderis obligatione teneantur, eò, quod civitas pactione singulorum cum singulis non cum majori parte vel cum Imperantibus constet. Quod refellitur inductione fœderis, quo Democratia constituitur, in qua se omnes & singuli obligant in eum maximè casum, quo in majori parte adeoque inter imperantes sint futuri, idque pluribus firmatur & concluditur, esse in Democratiâ duplici

respectu obligationem. Inter singulos cives uno, alteroque inter eos, qui in majori parte sunt cum inferioribus. Majorem tamen partem nulla re obligari, quam eo quod tacitè exceptum de quo cap. præced. *& quod expressè in stipulationem sit deductum.*

I.

PLanè ex his sequitur, civitatem, id est, majorem populi partem, adversus singulos fieri posse ream injuriæ. Quod enim mentem fidemque pacti egreditur, non potest non injurium censeri. Respublica autem per conventionem (*a*) de vitâ bonisque omnium defendendis constituitur, quæ conventio tam violari quàm servari potest.

(*a*) PER CONVENTIONEM. Sic *fœdus* pro *pacto Auctor* in hoc articulo ubique accipit; minùs propriè. Quamvis autem pactum ejusmodi, sive sponsio, in deferendâ Majestate non minùs, intercedat inter Principem & Populum: (ad *Principatum* enim, quoties de Majestate Imperantis agitur, præprimis respici debet: quia in *Democratia* non modò ob libertatem majorem civium singulorum, & æqualitatem perdurantem; quodque idem & parens sit & imperans in Republicâ, nec subjectò, sed respectu unicè, imperans à parente discernatur, in naturam Majestatis non eâ distinctione inquiri potest: tum & *Monarchicus* status *divinum* in his terris *Vicariatum* maximè exhibet; cum quidem in statu *Democratico* sit plenior similitudo statûs *naturalis*, quia omnes ibi *Libertatem* prætendunt: *Aristocratia* verò medius sit Status, qui & ipse titulum Libertatis, ad electos scilicet, præferat:) Tamen *inæquale* habendum est pactum ejusmodi, nec, ùt alia pacta, simpliciter per omnia *reciprocum*: eò quòd pro objectò Majestatem ejusque exercendi modum habeat. Ex quo sequitur, Principem, postquam Majestatem tenet, populum adigere posse *civili Imperio* ad hoc, ut pacto morem gerat: quâ potestate populus in Principem valet nullatenùs; quin potiùs Principem sibi obstringere solet *jurisjurandi religione*: nec potest aliter initum hoc pactum censeri, pro fine ejus, quàm ut duret subjectio populi, etiam in difficillimo Regis Imperio; quòusque integra manet *relatio*, quæ inter Imperantem & subditum intercedit. Non aliter *arrogandus* Imperium patris subit, & *miles* Ducis, quàm ut hujus judicio & coërcitioni semet subdidisse, ejusque arbitrio Imperium permisisse, censendus sit. Equidem *pactum* inter *pares summos*, nullum habet remedium nisi *vim*, quæ periculò propriò nunquam caret, si alter sponte promissis stare nolit. Pactorum verò, quibus *alter* absolutè evadit *superior*, ea est natura, ut *superior*, quid pacto consentaneum sit nec ne, *solus judicet*; inferior autem, licèt contrà pacti tenorem se læsum putet, tamen neque jurisdictionem neque vim ullam justè contrà superiorem intentare queat. Neque verò solus *subditorum consensus* est, qui Civitatem sustentat: quippe quòd illi dum Majestatem constituerint, *liberi fuerint*. In quem statum nisi restituantur, liberâ voluntate Superioris, nunquam *de summa rerum* deliberare possunt. Quòcircà non debuit negare pactum omne *Hobbesius c. XVIII. Leviath.* Satis enim est dicere, neminem hic esse, qui litem dirimat, an pactum sit violatum nec ne; quippe quòd *nec omnes subditi* id possint. Quamvis enim hunc casum, quô omnium subditorum animos à se abalienet Princeps, impossibilem ferè putet *Hobbesius*; tamen dum videt periculum fundamenti illius, ipse firmius quid non reperit, quàm *obligationem subditorum* ergà imperantem. *c. VI. d. Cive. §. 20.* Quam tamen obligationem ex principio altiori deducere oportet, quàm quidem est *Hobbesii*. Proinde nec *comissi* clausula, nempe si non Princeps servaverit pactum, ad obedientiam quoque populus non ampliùs teneatur, cum Majestate consistere potest: Utique si non omnem curam Reipublicæ Princeps abjecerit, aut hostilem induerit animum. Inde si *Juramentum Poloniæ Regis*, sub exordium Regiminis præstitum, expendamus: illud sensum alium habere nequit, quàm ut universi obsequio ejus eximantur, si promissis suis, putà *eum in modum*, quem diximus, non

non steterit. Quamvis de cætero Imperium Regis Poloniæ nec absolutum nec plenum sit; saltim quòusque Regnum ipsi est delatum, non potest illud suspendi à *commisso;* quippe quod hoc cum naturâ Majestatis directè pugnet. Equidem *Hobbesius* ultrà tendit, & cùm populus potestate suâ penitùs se abdicaverit, nec velle ulteriùs quicquam in civilibus intelligatur: nullô casu fieri posse tradit, ut Princeps in populum injurius existere queat. At verò non fundatur pactum illud cum Rege initum præcisè super illâ qualitate, quâ populus est Universitas; quippe quæ omninò, saltim *ratione Imperii*, extinguitur, (ut tamen *surrogatum* in locum ejus, ùt est Majestas, quæ vicem Magistratûs subit, non repugnet fini prioris:) sed quà futuri sunt Regis *subditi*. Nam licèt tollatur concilium, sive collectio unius sententiæ ex majoribus, vel cui potestatem hi ceu Magistratui detulerint. Tamen adhuc manet cœtus ex pactis primigeniis: sicut procus v. g. adhuc tenetur personæ, cum quâ ùt virgine paciscebatur; licèt nunc virgo non sit amplius.

II. Hobbes * dicit, non esse pactum inter pauciores & plures, quatenus hi corpus constituunt. Sed inter singulos cum singulis. Ideoque plures cum singuli non sint, sed jus omnium prærogativâ suffragiorum nacti, haud quaquam ex pacto teneri. Imò non posse voluntati singulorum quicquam tribui post fœdus de servando plurium placito, ita ferè demonstrat. Fœdus democraticum hujusmodi est: singuli cives, alter ab altero tacitè stipulantur hoc modo; *quod pars major populi statuet, ei tu pariturum esse te spondes? spondeo: & tu vicissim? spondet similiter;* sic totus populus conjungitur Quod igitur placita plurium tenent, ejus rei quisque pro se autor est. Inde quicquid plures statuunt, hoc ipse quilibet statuere intelligitur. Proinde, si quid durius sit decretum, sibi quisque id imputet, tam contrà se, quàm adversus alios. Sane pactum, inquam, quod pars major, quæ non fuit tempore pacti, nullum inivit, id nec violari ab illâ posse concludit.

* *c. 5.* §. *7. cap. 7.* §. *7. &* §. *12.*

III. Ad hæc, nostra sic est ratio: Pactum illud singulorum cum singulis iniri hac mente, ut in defensionem communem valeat; id quod nemo negat. Quæ conditio non minus, quam pactum ipsum, à singulis servari debet. Quatenus publicæ utilitatis, quæ sæpe contra singulos est, ratio permittit. Non est dubium autem, quin omnes in reciprocâ stipulatione (*b*) ac sponsione, eum in primis casum spectaverint, quo ferè unicè obligationis usus erat futurus. Nempe, quo ad suffragia de rebus communibus multitudo vocaretur. Dum itur ad suffragia nemo in superiore numero est, qui non ex pacto reli-

quis teneatur. Et quidem in eum maximè eventum, si ex plurium numero ipsum esse contingat. (*c*) Ubi nemo obligationis est expers, ibi universos obligari oportet. Vinculum enim personale fidei, quo omnes obstricti sunt, prætextu universitatis eludi nulla ratio permittit. (*d*)

(*b*) In reciproca stipulatione. Jam antè exposuimus, quâ ratione stipulatio illa *reciproca* videri possit vel secus. Cæterùm *Hobbesio* faciliùs responderi posse videtur: nam ille solùm arguit, ad constituendum consensum subjectionis, ex parte parentium, & quidem de futuro. Potest enim hoc pactum *Hobbesii* esse antecedaneum Statûs Majestatici; imò cujuslibet, in quô de efficiâ majoris partis deinceps inducendâ agitur. At verò pactum, quô re ipsâ *vis* hæc *Imperii* nunc producitur, non modò subjicit populum parti majori, sive ùt *Auctor* hîc *in seqq.* numero superiori; sive singulos ex populô, & imò parentes universos ac singulos, etiam Regi; verùm & Regem ipsum obstringit universis ac singulis, quatenus in his universorum salus & incolumitas, cujus gratiâ ei Majestatem, tanquam conditionem sinè qua non, detulêre, promovenda est. Aliàs sequeretur, ipsam vim Imperii esse à singulis; quod tamen ita se non habet, quà singuli sunt, sed quà in universitate reperiuntur.

(*c*) Ipsum esse contingat. Hæc quidem amplitatio non videbatur rectè subjici *versui: dum itur.* nam ille aliud jam non innuit, quàm quod is, qui est in majori numerô, tanquam Imperans, teneatur ad salutem parentium promovendam. Interim *Auctor* diversos respectus jungit: Is qui in superiori numerô est, ùt imperans, tenetur etiam sibi ipsi, ùt parenti singulo; & singulus parens tenetur singulo Imperanti sibi, ùt in superiori numero. Quoties enim major numerus in Democratiâ imperat: toties minor, extrà hunc positus, tenetur obsequi; multò magis tenebitur omnis ille, qui in majori numero continetur, eò quòd rem imperatam justam esse reputaverit. In *Statu Regiô* hæc ita se non habent: quia Rex nunquam ratione præcepti civilis simul Rex est & subditus, sive imperans & parens. Interim faciliùs percipitur, universos & singulos, quia nec hi nec isti imperant ullô modô, simpliciter obsequi Regi debere.

(*d*) Nulla juris ratio permittit. Et *universos*, si obstrictos manere voluerunt, omnes etiam quà *singuli* mansuri sunt, quamvis ad emolumentum universitatis: ùt *§. 4. b.* sequitur.

IV. Præterea non est dubium, quin populus cum de salute communi ageret, singuli se singulis obligaverint, ut quantum in unoquoque esset, bono communi operam darent. Cujus pacti cum expers nemo fuerit, necessum est, universos illo quoque teneri, adeoque & hos, qui numero in suffragiis identidem sunt superiores.

V. Quod si nulla fœderis ratio inter plures qui consentiunt & reliquos esset, scire cuperem, quid impediret, quo minus major pars suo consensu dissolvere posset Rempublicam: Atqui non esse hoc in eorum potestate, docet ipse Hobbesius, * idque vi fœderis primitivi. Proinde cùm manifestum sit, obligationem duas requirere partes, (*e*) appa-

apparet eas in exercitio Democratiæ esse partem majorem idem sentientem & reliquos numero inferiores.

* *c. 6. §. 20.*

(*e*) DUAS REQUIRERE PARTES. Sed per hoc non respondet *Auctor Hobbesio*. Is enim de pacto, quoad Rempublicam constituendam, agit, non proximè; sed de pacto, quod assensum præbet majori parti, quæ etiam Monarchiam inducere potest. Multò minùs *Hobbesius* loquitur de exercitio Majestatis jam constitutæ, quando in hâc jam singulos jus suum amisisse putat. Ast satis ei jam ante responsum est.

VI. Ex his palam fit, eos, qui prætextu numeri prævalentis latrocinium exercent, recte perfidos injuriosque in democratiâ dici. Proinde nec quenquam eorum qui numero inferiores sunt, in talem casum ex sponsione suâ teneri omnino dicendum est.

VII. Tamen extra duas illas species suprà (*f*) collocatas nullum aliud exceptionis specimen, quo pars minor se plurium sententiæ opponere queat, agnoscere possunt, qui nolunt populum in eandem confusionem recidere, quam, Republicâ contractâ, vitare voluerunt, quâ de re præcedenti capite actum. Nisi quod de rebus divinis propria consideratio est, de quâ suo loco agetur. Nisi & disertè initio constitutæ Reipublicæ aliæ res sint expressæ, in quibus prærogativa suffragiorum non obtineat. Quod tamen in democratico statu (*g*) raro solet fieri. Quia præter populum nullus hic alius ordo est adversus quem multitudo præmunire se cupiat. Tamen etsi, ne ordinum populi singulorum jura mutentur, aut violentur à Magistratibus, id etiam in popularibus imperiis excipi solet atque conducit.

(*f*) SUPRA. *Cap. præced. IX. §. 10. & seq.* ubi diximus. De rebus divinis *c. XXII. Auctor* disquirit.

(*g*) IN DEMOCRATICO STATU. In *Monarchicô* non potest, nisi cum alio Statu mixtus sit; In *Aristocraticô* secùs: nam ita videmus in Comitiis quoque Germanicis, quæ Collegii Aristocratici modum habent, de pluralitate suffragiorum, quòd illa in aliquibus attendi non debeant, variè disquiri.

CAPVT. XI.

Quo probatur, idem quod pars major poteſt in Democratiâ, etiam poſſe Reges & optimates.

ARGVMENTVM.

Conſtituitur hypotheſis populi democratice gubernati ac tædio confuſionis uni vel paucis Imperium deferentis. Eo ipſo quod deſinit populus velle congregari & facultatem regendi civitatem transfert, non poſſe fieri, quin poteſtas eorum in quos illa facultas translata eſt, ſit eadem, qua transferentium fuit, quia ſurrogatum habet naturam ſui ſurrogati; & jura translata nihil quam ſitum & perſonas mutant. Utique ſi nihil ſit dictum, ex quo poſſit intelligi, populum miniſterio duntaxat eorum, quos conſtituit in certis minoribusque negotiis, uti voluiſſe; in qua ſpecie non Jus Imperii ſed modus adminiſtrandi mutatur. Imperio igitur ſimpliciter translato, Imperantes ſingulos vel paucos nihil habere ſuperius, ne totum quidem populum, quia in Democratiâ pars major ſine dubio abſolutè ſuperior eſt: Idque pluribus firmatur. Denique mutua ſubjectio populi & Imperantium refutatur.

I.

CÆterum popularia Imperia inprimis majora, omnibus ſeculis plena confuſionis & turbarum fuere. Quas ut evitarent pleræque gentes jus imperii certis hominibus, iisque vel ſingulis vel paucis, concedere maluerunt. Unde Ariſtocratiæ, aut plerumque Monarchiæ. Jus, inquam, quod populus in Democratia habuit, hoc omne Regibus aut optimatibus ſimpliciter Reipublicæ impoſitis detulerunt, dederunt. (*a*) * Ipſorum autem Imperium in conſenſu plurium conſiſtebat. Quicquid igitur pars major populi poteſt in Democratiâ, id neceſſariò poſſunt Reges & optimates. Quod cum pro fundamento eorum, quæ ſæpe dicentur, habendum ſit, eſt quod bene obſervetur.

* *Hobb. c. 7. §. 8.*

(*a*) DEDERVNT. Quod tamen non ita accipi debet, ac ſi *Majeſtatem* habuerit populus *formaliter*, dum Regem conſtituit. Quòd ſi etiam Populus Statum Majeſtaticum & *Democratiam* antè habuerit; tamen & ſic erit *diſtincta Majeſtas*, quam ille Regi confert, mutatô in Regium Statum Democraticô. Non etiam dicendum eſt, quòd ſolùm Populus conſtituendô Regem amittat *rationem* unicam *exercendi Juris ſui*, ùt *Auctor §. 2. h.* loquitur: ne quis putet, *radicem* Majeſtatis vel *habitum* ejus adhuc poſt conſtitutum Regem in Populo reſidere. Equidem quod à plerisque

risque receptum est, ut populus sive *Civitas*, ùt alii efferunt, *subjectum commune*, *Rex* verò *proprium* Majestatis sit, agnosci utique non debet. Videtur quidem *H. Grotius Lib. I. de J. B. & P. cap. 3. §. 7.* distinctionem hanc ita explicare, ut ea nil periculi Statui publico, & cumprimis Majestati Regis, inferat. Quòd si tamen *Eundem*, in *Lib. II. c. 9. §. 8.* juncto *Lib. II. c. 4. §. 16.* inspiciamus, sententia ipsius falsa penitùs est, quando dicit: Majestatem *radicaliter* esse in Populo, & in eô semper *actu primô* sive *habitu* perdurare; licèt quoad *actum secundum* (& ita ferè *Auctor* cum *exercitiô suô*, *§. 2. h.*) tunc quidem quando Principem habet, ceu Caput seu subjectum proprium, quiescat: quem in sensum simile istud de *visu Ipse* evolvit; quando hujus subjectum proprium esse oculum, commune verò corpus hominis esse, ait; & sic cum Majestate in Rege & Republicâ se habere. Videlicet (1) non protinùs ea, quæ à naturâ petuntur, in moralibus argumentum concludendi tribuunt. Imò (2) Corpus subjectum visûs non est; sed homo, vel potiùs anima sensitiva: eò quòd corpus in se facultatibus illis planè destituatur; nisi quòd anima sensitiva absque organis operari nequeat: Et tamen si anima recesserit à corpore, visus quoque & ipse perit. Sic etiam, mortuô Rege, Majestatis nil superesse poterit in Populo. Et quidni musæum dicere posses, eâdem ratione, subjectum eruditionis. Illud tamen concedi potest, Civitatem esse *subjectum denominationis*, quatenus Civitas Majestatica Magistraticæ opponitur; ut tamen Majestas non sit in parentibus, tanquam subjecto *inhæsionis*, ne quidem communi; sed in Rege: ut proinde hæc denominatio non nisi *extrinseca* sit; ratione scilicet Statûs Majestatici, quem *Parentes* habent in Principe. Idem est, si dicas Majestatem populum denominare *terminative*; sed non subjectivè. Itaque (3) denominatio hæc *impropria*, nec solùm inadæquata est: cùm populus Imperii, ubi Rex adest, capax haberi nequeat; & Majestas fundamentum sit Reipublicæ non nisi ex parte *Imperantium*. Exhinc *Pufendorff. Lib. VII. c. 6. n. 5. 6.* quando Regem universô Populô superiorem, & tamen in *Lib. VII. c. 5. n. 3.* Principem subjectum Majestatis proprium esse, tradit, expouendus est. Nam ille nimius quoque in eo ad *Hobbesii* hypothesin esse videtur, quoad *voluntatem populi* in Principem translatam: (quâ ratione putant subjectum *proprium* esse partem Civitatis rationalis, cujus *voluntatem* tanquam *totius Civitatis* valituram decreverit Universitas: subjectum verò *commune* esse *omnes Cives:*) quæ tamen sollicitè ubique limitibus suis contineri debet; sicut ad *cap. præcedens* distinctè ostendimus. Intereà terminis hisce subjecti communis & proprii Majestatis certâ ratione usi fuimus, in doctrinâ *Juris publici Imperialis*, quando v. c. in Jure Bellum decernendi cæterisque; *potentiam* magis Imperii quàm potestatem respicientibus, (quæ potentia quidem in *Imperio R. G.* citrà exemplum aliorum Regnorum, tota ad Statûs pertracta est:) subjectum *commune* diximus constituere *Statûs Imperii*, *proprium* verò *Cæsarem:* quâ tamen ipsâ hypothesi nil videri debet Majestati Imperatoriæ decedere, quô *virtus* ei imminuatur. Est enim *ratio formalis* Majestatis in *potestate* magis quàm in viribus; modò his uti possit Majestas quâlibet ratione, ad potestatem eam exserendam: licèt de cætero Majestas sinè potentia aut viribus, eisque idoneis, ad majorem Statum, dari aut subsistere non possit, (ceu non juvat claudum ad eundum, qui *potestatem* eundi habet, sed non *potentiam.*) Quòcirca etiam illa Majestatis jura, quæ ad *potestatem* in se respiciunt, *majora;* sicut cætera, quæ iisdem in subsidium veniunt, & nervum agendi conciliant, *minora* non immeritò appellamus.

II. Essentia, inquam, popularis imperii consistit in voluntate atque consensu majoris partis, cui pars minor identidem subjicitur. Ne quis cavilletur, totum populum esse majori parte superiorem. Imperium enim in populari Statu non nisi in prærogativâ majoris partis identidem suffragiis detectâ consistit. Sed pertæsus discordiarum populus, quibus in democratia est obnoxius, desiit velle certare suffragiis:

giis: & Imperium ita sæpè defert aliis, ut multitudo nihil sibi reservet, neque de summâ Republicâ amplius arbitretur. Quod argumento est, illum abdicasse semet Imperio, amissâ ratione unicâ exercendi juris sui. Quod amissum jus non est nec potest alibi esse quam penes eos, quibus id populus datum voluit, expressè, vel tacitè, saltem videndo & experiendo. Nec omninò illud jus aut minus aut majus esse potest, quam fuit apud multitudinem prærogativâ suffragiorum ad Imperii vim discretam.

III. Quo tamen loco monita duo limitandi causâ prætereunda non sunt. Primo, translationem illam Imperii non semper adeò liquidè claroque multitudinis consensu fieri. Sed patientiam sæpius & taciturnitatem longi temporis pro consensu haberi, qua de re plenius in loco. (*b*) Dein, argumentum juris, quod à democratia ducitur ad Monarchiam, locum habere, quoties in translatione imperii nihil secus exprimitur. Quod an omninò & quo pacto fieri possit, brevi mox videbimus.

(*b*) PLENIUS IN LOCO. *cap. XXVIII. & XXXV. Lib. II.*

IV. Nunc super fundamentum recens collocatum id stabiliemus, quod multorum contradictioni obnoxium est. Falsum esse, quod populus universus semper suis Principibus superior sit, (*c*) aut Rex sit quidem singulis major, at minor universis. Nam ut pars major populi nullam suprà se potestatem agnoscit, ita Principes (sub quibus & optimates comprehendo) simpliciter recepti nihil habent superius. Hæc de voluntariis Imperiis; ne jam de violentis & jure belli fundatis loquamur. Talia enim non modo imperium absolutum sed & dominium (*d*) in bona & corpora civium complectuntur. Sed nos fundamentum Imperii, quod originem à voluntate populorum habuit, indagamus.

(*c*) SUPERIOR SIT. Sunt enim qui tradiderunt, Principem quoque *pœnam* posse dare *Majestati reali*. Rectiùs *J. F. Hornius Lib. II. cap. 10. Pol. Arch. §. 15.* ubi quòd in Principem non valeat populi nec judicium nec bellum.

(*d*) SED ET DOMINIUM. Differunt utique Imperium & dominium, quod *Imperium* respiciat hominem, per rationem Imperii recipiendi capacem; sicut *Dominium* res hominis sive bona respicit; indeque Imperio obedire dicimur: quod de bonis enunciari nequit. Est quoque discrimen in eo, quòd qui personæ Imperium habet, ei quoque res saltim in loco subjiciantur; cùm vicissim ex dominio Majestatis potestas in res cujusdam, non etiam Imperium in personam, argui possit. Cæterùm non minùs in *voluntariô* Imperio bona & cor-

& corpora civium subjecta sunt Principi, ejusque Imperio absoluto, h. e. pleno (vid. §. 7. *b.*) & vel *extraordinario*, (scilicet extrà negotia *assidua* seu *ordinaria*, in his quæ ob imperiosas *necessitatis* publicæ rationes locum illi Imperio faciunt:) quod *Manum Regiam* sive Imperium & dominium *eminens* appellamus. Et quæ bello fundantur Imperia, modò legitima fiant per ratihabitionem sive agnitionem populi, non aliâ Majestate, quàm hâc ipsâ, quam imperia voluntaria habent, uti possunt.

VI. De Optimatibus magni numeri adeò mirum insolensque non videtur, eos habere totum jus universi populi; atqui in paucis & singulis, evidenter eadem est ratio, videlicet, translatione summæ potestatis in hos & illos simpliciter facta, ut nos supponimus. Quin imò quod magis est, etiam fieri posse putamus, ut populus se volens dedat in publicam servitutem, omniaque imperantibus, bona quoque & corpora sua permittat. Idque à populis totis aliquando fuisse factum, historiæ testantur. * Siquidem singulos homines hanc suimet habere potestatem Jure Hebræo & Romano (*e*) constat. Imò ex iisdem docemur, esse gentes, quæ molliori imperio haberi neque possint nec optent. **

* *vid. Grot. l. 1. c. 3. §. 8.*

** *Justin. l. 38. c. 2. Tacit. 33. Annal. c. 34. vid. Grot. d. loc.*

(*e*) HEBRÆO ET ROMANO. vid. *Exod. XXI. v. 2. XXXI., 6. Lev. XXV. v. 39. 2. Chron. XII. v. 7. 8. L. 5. §. 1. d. Statu hominum. L. 6. §. 5. de injusto, rupto, & irrito testam.*

VII. At tamen id facilè largimur, in universum æstimanti non esse præsumendum, quod populus sui juris ultimo servitio mancipare se voluerit, verùm hoc palàm liquere debet. Quippe libertatem corporum & patrimonia familiarum eos citra communis boni causam Imperio exempta voluisse non potest dubitari. Cujus enim servandi causa Imperium stabiliverunt, id Imperio quærendo abdicare voluisse credi non debent. Sed Imperio simpliciter uni vel paucis concesso, summam & absolutam potestatem, non modo in singulos sed etiam super universos (*f*) esse delatam nobis certi juris esse videtur, sub ea limitatione, quam anteà collocavimus.

(*f*) SED ETIAM SVPER VNIVERSOS. Quid verò quòd *Schifordegherus* in *Lib. III. ad Ant. Fabrum tr. XIX. qu. 11.*, cum *Magistrô* suô, tradit, plus posse Principem, quàm potuit Populus: quia possit imperare non modò singulis, *sed & universis*: Quod ideò non potuerit populus, quia nemo sibi ipsi imperet, ac potestas populi fuerit universi. At verò potestate seu Majestate superior in Democratiâ non detur. Anxius est in eo *Limnæus Lib. I. J. P. c. XII. n. 112. seqq.* Sed brevibus dici potest: non esse supponendum populum, ut est in Statu *Regiô*, qualis fuit in *Democratia*. In hâc

universus imperabat; nunc non amplius: quia potestate suâ semet abdicavit, & voluntatem *ne quidem majoris partis* imposterum amplius obtinere voluit: quâ ratione cùm *evacuata* sit *cum voluntate potestas* illa, nil superest, quàm ut universis sive majori parti, nunc in conditione merâ parendi positæ, Princeps imperet. Nihilominùs inde educitur, sicut *Auctor* in *§. 7. in fin.* item *§. 8. universos* accipit pro omnibus *singulis*, (nec enim *universis* imperatur in Democratiâ, quà *major pars* illos repræsentat:) Ita vinculum obligationis non *in omni genere Civitatis eodem modô se habere*: nec *fœdus* illud, quô majori parti *se subjicit minor* in Democratiâ, *idem in diversis formis* obtinere. Nam quòd ex Democratico statu non nisi ostendi possit, *pactô Majestatem constitui*; de cætero autem in *Monarchia subjectionis diversa & amplior ratio* quàm in *Democratiâ* occurrat: illud in *seqq.* ostendetur.

VIII. Ejusmodi vim Imperii, qua & singuli & universi constringantur, in Democratiâ nemo recusat. Nec videas illam homines negare in ejusmodi civitatibus Aristocraticis, ubi ingens numerus Imperantium habetur, velut hodie Venetiis & in Frisiis. Sed qui summam rerum pauci vel singuli tenent, hi controversiam patiuntur. Quod argumento est, invidiâ insolentiâque parendi magis, quàm juris ratione plerosque hominum agitari in contrarium. Quippe vinculum obligationis in omni genere civitatis, quæ simpliciter instituta est, eodem modo se habere, jam validè ni fallor, demonstravimus.

IX. Prorsus enim quod fœdus in Democratia singuli cum singulis ineunt cives, quo se parti majori spondent parituros, id in diversis formis super placitis principum & optimatium fieri palam est. Nec omninò aliter populus suum finem adsequeretur, quem fuisse docuimus, ut voluntas omnium, quod ad publicas res, una fieret; adeoque Imperantium voluntas singulorum è populo & totius populi voluntas censeretur. Quin ubi jus suum singuli transtulerunt, manifestum est, quod ipsi semet potestate privaverint. Exceptis iterum illis, quæ tacitè aut expressè Imperio submittere noluerunt.

X. Porro ex eodem fundamento sententia illorum evertitur, qui mutuam subjectionem (*g*) inter populum & imperantes existere volunt. Ita ut populus universus rectè imperantibus parere debeat; principes autem male imperantes populo subjiciantur. Quod in thesi atque in Imperio nullis conditionibus limitato falsissimum, omnisque confusionis flabellum esse potest; quippe controversiis omni die futuris, utrum bene an male publica res gereretur, quæ nec judice alio quam ferro decidi possent. *

* *Vid. Grot. lib. 1. c. 3. §. 9.*

(*g*) Mu-

(g) Mutuam subjectionem. Inaudita hæc est *sententia*, si ad tractum omnem Imperii eam referas; adeò, ut ne quidem illam instruat *libertas obsequii*, quam *Boxbornius Lib. I. Inst. Pol. integrô cap.* tuetur. Itaque *Auctor* in *seqq.* illam mitigat: quòd Princeps tunc solùm Populo subjiciatur, quando malè imperat; quod tamen cùm & ipsum asseri non debeat; ne quidem si hanc doctrinam cum Ipso in Imperiis admittere velis, quæ conditionibus *limitata* sunt: Ideò potiùs illa subjectio mutua penitùs rejicitur. Utique in Regnis etiam, quæ *Commissi* clausulam habent, (quæ tamen *impropriè* talia sunt, & non nisi Statum *Magistraticum* referunt,) ne quidem asseri potest subjectio illa mutua. Sed solùm si Magistratus ille injusta & legi adversa imperet, nil aliud inde, quàm *detrectatio obsequii* procedit; (non etiam mutua subjectio,) & si quælibet pervertat imperans, abrogatio Magistratus. Hinc in *limitatis* Imperiis, (quibus idcircò non protinùs clausula commissi inest; cùm & *verè Majestatica* sint,) non desinit esse Rex per imperata, quæ injusta, vel legibus congrua non sunt; sed solùm *efficacia* quoad actus illos iniquos destituitur, idque ex *antecedaneâ ipsius Principis*, hoc ita promittentis, *voluntate*. Quis enim dubitet, *Cæsarem* v. c. Majestatem habere; & tamen si iniqua imperat, non protinùs Majestatem amittit, nec per hoc subjicitur populo; quippe in quô, & vel in eô subditô, cui quid iniquum injungit, *Imperium* propterea non enascitur; quod tamen necesse foret ex hypothesi *Auctoris*, de subjectione mutuâ. Quod verò objici potest: Principi fidem frangenti, vicissim eam à populô servandam non esse: illud facilè discutitur.

Caput XII.

Quo rationes contrariæ examinantur.

Argumentum.

Primum argumentum, quod constituens necessario sit superior constituto, & alterum, quod Reges sint propter subditos, ideoque inferiores, refellitur, ut & Tertium Junii Bruti, quod è sacris, ubi de fœdere Dei & populi agitur, petitum est: non sequi, populum pro delictis Regum judicio divino esse obnoxium, etsi occasione illorum affligatur.

I.

Argumentum, quo dissentientes utuntur, quod is, qui alium constituit, superior sit constituto, (a) neutiquam universale est. Fallit enim in his, quæ primo voluntatis, postea sunt necessitatis, ut in eo qui se domino sponte mancipat, (b) omnique die in matrimonio videmus, quô mulier eligens virum non desinit inferior esse electo. * Nec firmiorem illud habet sequelam, *Reges sunt propter subditos*, (c) *ergo hi sunt superiores*; quod vel pupilli & tutoris exemplo refutatur.

* *vid. Grot. d. cap. 3. §. 9.*

(a) Superior sit constituto. Huic jam respondit *H. Grotius lib. I. c. 3. §. 8.* Scilicet *constituere* is quoque dicitur, qui per relationem constituit; ùt filius constituere dicitur patrem; aut qui juxta se, ùt socius socium. Quamvis autem populus *Majestatem* Regi tribuat. Tamen per illam Populô superior deinceps exstiturus est, postquam Majestati illi se Populus subjecit: ut nil aliud

 penes

penes ipsum, post constitutionem illam, quam *obsequium*, idque ex voluntate populi non modò, sed etiam dehinc ex tuitione supernâ *Dei*, super Rege constitutô, in his qui eum constituerant, superfit; (unde *charaEterem divinum* obtinet. *Jos. III.*, 7. *Judic. III.*, 10. 1. *Reg. X. v. penult.*) nec infrà se Regem, sed *suprà se*, constituit. Imò non solùm ei *Majestatem consignat*, verùm etiam illi *se universum subjicit;* per quod in esse Regis ex Majestate non collatâ solùm, sed *& subjectionem sui* constituitur.

(*b*) Mancipat. Itaque & *subjectio* requiritur. Quòd autem se *in servitutem* penitùs quis dare possit, quod magis est, quàm *civilis* subjectio, H. Grotiùs *II. V.*, 27. *seq.* evincit: ad operas scilicet, quæ præcisè ad alterius utilitatem pertinent. Nam *vitam* alii subdere, nisi ob *universorum salutem*, (& ne hoc quidem simpliciter,) non possumus.

(*c*) Reges sunt propter subditos. Exemplum pupilli & Tutoris, per quòd *Auctor* respondet, in eô est, quòd Tutor sit propter pupillum & pupillô tamen superior. Si excipias, posse tamen tutorem malè administrantem *removeri;* & sic etiam Regem. *Respondendum* est, hactenus esse disparitatem, quòd pupillus tutorem non removeat, sed tutore superior; Rex verò superiorem non habeat: nec progressus in infinitum evitari posset, si non *Deum* solum Regi incumbere dicamus; cujus & *Vicarius* est, Cæterùm qui *alterius gratia* est, ut ei *inserviat*, sicut uxor *in auxilium* marito venit: 1. *Cor. XI.* de eo dici non potest, quòd dominans, vel eô in ministerium utens, sit auxiliante illô inferior. Deinde, quod ex Canone philosophicô dicitur: *Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est*, Atqui Rex imperat propter populum: ergò populus magis imperat. Illud facilè refellitur. Procedit enim Canon, si & ipsum, propter quod quid tale est, sit ejusmodi, ut prædicatum consequentis vel *forma* possit tribui illi, quod causa dicitur; & quidem ut non competat ei per accidens, ratione *effectûs*, sed ut possit fieri reflexio per *Jó quia.* v. c. Luna est lucida propter solem, quia sol est lucidus: ergò sol est magis lucidus. Jam verò non sequitur, Rex regit populum, quia populus regit: (hoc enim falsum est) ergo populus magis regit. Sic & *Jó* magis exponitur à Philosophis, ut non denotet intensionem, sed *certitudinem*, putà: illud magis h. e. certiùs tale est, quòd v. c. sol sit lucidus. Sunt & alia, quæ hic objiciunt Auctores *Monarchomachi*, cum *Brutô* suô: scilicet, quòd non credendum sit Populum hoc intendisse, quod tanta secum trahat *incommoda;* qualis est absoluta in Rege potestas. *Resp.* Imò incommoda *majora*, ex sententiâ adversâ exoritura sunt: Et quid non in rebus humanis sine incommodo? Præstat verò habere Rempublicam aliquam, quàm nullam. Quin & superiùs munivimus securitatem Populi, saltim *universi;* etiam adversus Regem difficilem. Ulteriùs, quod vita est, ajunt, in homine: illud potestas est in populo. *Resp.* quatenus Populus ipse Imperium retenturus est. Cæterùm vita est in Principe, quem sibi superimposuit, & actus essentiæ Statûs Majestatici. Quòd verò Libertate suâ quis abdicare se possit, vel potiùs *voluntatem suam*, seque & res suas, *subjicere* alii, & quâ ratione *Majestas* in electo conficiatur; de eô hic denuò disquirere supervacuum est. Non etiam facit pro *dissentientibus*, quòd *Majestas* sit *inalienabilis. Resp.* non est in patrimoniô *Regis*, invitô populô; sed non impedit tamen, ut *populus* Majestate se abdicet, quam ipse in dominio absolutè habet. Si porrò urgeas, Regem *ad rationes reddendas* teneri, ceu *mandatarium.* Dicendum est, non gerere Principem negotia *singulorum*, nec mandatô agere, sed suâ voluntate, & ut dominum Imperii: nec enim Imperii quid est in populô ampliùs; indeque nec ille mandantis locum habet. *Universis* verò tunc ad rationem tenetur, si universos *eversurus* sit; aliàs *Deo* ad rationes tenetur, non multitudini, seu populo, ne quidem *universo*, cùm hic *totus* illi subjectus sit. Quamvis etiam *pactô* Majestas tribuatur, idque non minus ubi *simpliciter* imperium defertur, & *citrà modum;* fit quoque non tantùm *inter singulos* cives, qui se obligant ad obsequendum Regi, sed & *inter subditos*, etiam *universos*, & ipsum *Regem:* nam hoc negari non potest nec debet. Tamen abhinc *in facto esse* Majestas non dependet ampliùs, eò quòd pactum illud *abdicativum* sit. Quid verò si quis *Auctori* objiceret, dum ille Majestatem Regi collatam ex *statu Democratico* petit, ut Rex id possit, quod potest *Major* populi *pars:* ita secuturum esse, habere quidem Regem potestatem in minorem partem populi, sed *non etiam in majorem*,

jorem, nedùm *in universum*. Ita verò non poterit in eâ persistere *hypothesi Cl. Auctoris*, quicunque *Regis Majestati* prospectum voluerit. Quin potiùs dicendum est, non pendere Majestatem Regis *ab universitate* statûs *Democratici*, nec inde rectè educi posse. Nec enim ea est in Democratiâ fundandâ voluntas singulorum, ut Monarchicè sibi imperetur; sed potiùs semet singuli subdiderunt *votis universorum*, in *Polyarchia*. Quare si Statum in Monarchicum *mutari* oporteat, *denuò singulorum voluntas* in hoc obtinenda, vel singulis *abscedere* liberum est. Non enim placuit hoc singulis, ut major pars debeat formam Reipublicæ commutare posse. Nunquam igitur *Major pars* Regi potestatem deferre potest, sed *singulos* id facere oportet. Rursus, non defertur per hanc Potestatem id solùm, *quòd Major pars potuit in partem minorem*; nam ita Rex *majori parti imperare* non posset: quicquid sit, quòd major pars *suo cesserit imperio*; quippe quòd simul etiam quærendum sit *de subjectione*, & quisnam se ei potestati, quæ majoris partis potestati *succedanea* est, *subjecerit*. Videlicet major pars in Democratia non imperat tantùm minori parti, sed *imperat sibi ipsi*, quà in illâ parte *singuli* sunt: ex quô sequetur, majorem partem imperare etiam *omnibus ac singulis*, qui de universitate sunt. Ita verò non ceditur Imperium solùm majoris partis *in minorem* Regi constituto; verùm etiam imperium *in se ipsos*, qui *in majori parte sunt*, & ùt singuli etiam considerantur. Hoc est, quod in *Populo Romano* contigisse dicitur per *Legem Regiam*, quòd is Principi potestatem suam, eamque *in se*, *populum* quoque, dederit; & quidem, quà nunc non modò ùt singuli tantùm spectantur, sed *ùt universi*; ut eùm *universitas* Imperium *in majori parte* tenuerit: nunc etiam *ipsa universitas* Regi *subjiciatur*. Consonat *1. Sam. VIII.*, *7. 9. 19. IX.*, *16. 17. X.*, *1. XII.*, *17.* Ex quo sequitur, *Regi* omninò rat. obsequii *plus deferri*, quàm in *Democratiâ*; vel saltim *aliud obediens* subjici, quàm in Democratia fuerat. Nam in hâc *universitas* imperabat; in Monarchia *etiam hae subjicitur*. Major pars non imperavit Universitati, quippe ipsa Universitas repræsentativa. Sed Rex imperat & singulis etiam in majori parte, & *ipsi parti majori*. Indeque inania sunt, quæcunque *Cl. Auctor* majori parti Democratiæ superstruit vincula securitatis pro Imperio Monarchico. Hinc etiam, cùm difficile sit, ut unius voluntati Populus morem gerat, plura Reges cum *Proceribus*, utut hi non minùs subditi sint, communicat; nil cum plebe seu populo reliquo *Optimates*. Non potest *minor pars* in Democratiâ resistere parti majori; sed *universi* possunt facilè Regi; nisi hic vim Imperii, saltim jure, in *totam universitatem*, & sic non modò *Imperium universitatis*, sed & *in ipsam universitatem* teneret, qualis in Democratiâ fuerat. Proinde nec sufficit, si dicamus Principem esse *æqualem* universis, ùt est facies in speculo, sicut ap. *nonnullos* reperitur. Nam Princeps quidem *repræsentat universitatem* in imperando, seu totam Rempublicam, maximè versus *Respublicas alias*; sed cùm Majestas ex parte alterâ *subiectionem* intrà Rempublicam exigat: non potest dici id solùm posse Principem, quod *populum*, etiam *universum*, quà nunc *imperiò exutus* non solùm est, verùm ei *se quoque subjecit*. Aliàs solùm *æqualis* foret universitati, *non superior*. Et duntaxat imperaret in ipso universitas, non *subjiceretur* ei; sicut in *Democratiâ universitas* tantùm *imperabat*, *nec subjecta fuerat*: adeò ut Rex non solùm *subintret locum universitatis*. Idem est *in Optimatibus*, quando Aristocratiæ Monarchia succedanea est.

Illud quæritur, an *Princeps* quà *privatus* haberi potest, *sit sub publicâ sui ipsius potestate?* Equidem *Civis in Democratiâ*, ùt singulus, subest sibi ipsi ùt universo, quatenùs in majori parte constitutus est; indeque à se ipso cogi potest. Dicendum est, in *civilibus*, quoniam se ipsum ùt privatus est, exemisse censetur, (*statuta* verò *localia* ipsum multò minùs attingunt,) non posse ipsum censeri sub potestate esse, imo exemptione ipsum non indigere, quia in his *extrà sortem privatorum* initiò constitutus est, eò quòd civilia omnia *solus* & *totus* sustineat. In *cæteris* autem cùm cesset respectus Principis, ideò sub potestate *publicâ*, quæ nulla est alia in Civitate, nisi Principis, omninò consistet: atque hæc etiam valet in promovendâ necessitate negotiorum, quæ ex *Naturali* vel *Gentium Jure* pendent. Hinc procedit, quòd Principes, ùt privati, faciant de causis suis, quas cum civibus habent, per Judicia Civitatis, quæ ab ipsis pendent, cognosci atque se *condemnari*. Sed si Princeps hoc etiam non velit sponte, nec etiam sponte præstet judicatum: nemo extrà ipsum

est, qui eum *cogat*; secùs atque in *Optimatum* vel quolibet Statu *Polycratico*. Nec tamen ob hoc neganda est *Potestas* Principis in se, ùt privatum. Nam per hoc potestas non cessat, quòd *invitum* executioni non detur. Manet potestas etiam cùm sponte quis ei obtemperat, & hoc ipsum quoque obsequium non aliud est, quàm *subditi* cujuslibet *alterius*. Estque coactio solùm refractariorum; sed obedientes potestatem non minùs sequuntur. Denique *ùt Princeps* sibi non tenetur Princeps, & nullibi *Majestas*, in Rebuspublicis quoque *Polycraticis*, tenetur *sibi*: cùm obligatio alium cui obligemur desideret. Planè *Magistratus*, qui ùt *privatus* tenetur sibi, si non sponte pareat potestati publicæ, quam Ipse tenet, à *Principe*, quasi cessante *subalterna*, cogi potest.

II. Plus valoris inesse videtur petito e sacris literis argumento, ubi fœderis longe alia, quam nos collocavimus, ratio tradatur. * Fœdus esse *inter Deum, populum & Regem, quod futuri sint populus Dei.* ** Cujus sanctio sit, *si perseveraveritis in malitiâ tam vos quam Rex vester peribitis.* *** Duos hic esse volunt reos promittendi, qui in solidum singuli obligentur, Regem & populum; nempe universitate hominum unius personæ vicem sustinente. Regem igitur, si populus legem Dei violet, teneri ad hanc promissionem integre præstandam: Proinde ád cogendum quoque populum, uti stet promisso, puniendumque, si qui fidem rumpere sint ausi. Quod si negligat Rex, ita juris esse, ut ipse culpâ totius Israëlis teneatur. Quippe inter duos reos ita leges dictare, factum alterius ut alteri noceat. **** Sic populum quoque, deficientem Regem quasi e fuga retrahere & coërcere debere; eadem ratione ni faciat, fore ut populum delicta Regis luere oporteat, ut contigerit in perfidia Saulis adversus Gabaonitas, & Davidis in censu populi aliisque similibus. ***** Qui ad promittendum, is etiam tenetur ad præstandum; qui ad hoc is ad media quoque jus habet. Absurdum fore, si populus ad præstanda luendaque Regis facinora teneatur & impedire illa non possit; cum ultra id quod potest nemo teneatur.

* *vid. Jun. Brut. Quæst. 2.*
** *2. Chron. c. 23. v. 16.*
*** *1. Samuel. c. 12. v. 16. 17. & ult.*
**** *l. pen. π. d. duob. reis.*
***** *lib. 2. Samuel. c. 8. & ult.*

III. Ad hæc nos ita; videri quod Samuel populum cohortatus non sit, ut fœdus cum Deo initum adversus Saulum exequeretur. Quod quidem facere debuisset, si plebs tanta sub pœna ad hoc ipsum teneretur Miram videri stultitiam Davidis, qui Regem impium, cum posset,

ſet, tollere ſit veritus. Planè id verum eſt, populum vi fœderis cum DEO pacti, non debuiſſe Regibus obedientiam, in tantum, ut contra leges ipſius delinquerent. Sed nihil profertur, quare populus debendi reus in ſolidum fuiſſe dicendus ſit. Quippe in delictis contra leges admiſſis obligatio ad pœnam non egreditur perſonas delinquentium. Quæ tam juris divini quam naturalis & civilis notiſſima regula eſt. * Sed neque in contractu à pluribus inito, alia quam pro parte virili actio, in ſingulos naſci ſolet. Niſi expreſsè quilibet in ſolidum ſe voluerit obligatum. Quod in fœdere DEI cum Iſraële non legitur conventum. Sanè obligatio fœderis quemque non tantum pro ſe, ſed & pro iis, quos habebat in poteſtate, devinciebat. Quatenus ipſorum neglectus argui poſſet. Unde parentes pro liberis, domini pro ſervis, Reges & Magiſtratus pro ſubjectis meritò tenebantur; Si non omni modo, etiam manu & vi ſuorum impietatem cohibuiſſent. Non quod ex illorum delictis, ſed ex proprio peccato, conniventiæ exitiabilis contra officii ſui rationem, tenerentur. Non eadem ratio viciſſim liberos pro parentibus, ſervos pro dominis, ſubjectos pro imperantibus, faciebat obnoxios; Eò quòd vi & armis adverſus eos, quorum ipſi in poteſtate erant, experti non eſſent. Siquidem ipſa res loquitur, diverſam utrinque eſſe officii rationem. Populum utique inſontem, ob peccata Regum fuiſſe punitum, nusquam probatur. Nam vix eſt, ut in exemplis modo projectis & ſi quæ alia publicæ adminiſtrationis delicta in plebem expiata ſunt, reliqui ſe non participes, etiam committendo, fecerint. ** Quanquam ſi maleficia publica eorum, quos ſibi rectores impoſuerunt, temporalibus malis (*d*) in populum redundarent, id ab hominibus injuſtum cenſeri vix poſſet. Cum hoc, more nec non jure Gentium omni die fiat & exerceatur, ut facta Imperantium civitas præſtet.

* *Deut. 24., 16. Exech. 18., 20. 2. Reg. 14., 6. 2. Chron. 15., 5.*

** *vid. Grot. l. 1. c. 2. §. 10. in fin.*

(*d*) TEMPORALIBVS MALIS. Ad duo ergò redit reſponſio *Auctoris*. Unum eſt, quòd populus propriæ culpæ pœnam ſubierit; non quaſi culpa in eò fuerit, quòd debuerit Regi impio reſiſtere, aut non debuerit connivere. (Hoc enim pugnaret cum eo, quod in fine §. 4. habet *Auctori* & repugnaret ipſi *Majeſtati*, quæ redargui, & ad *rationes* cogi à Populo non poteſt.) Verùm quòd non debuerit *propriis moribus* imitari, & ſic probare *actu poſitivò*, peccata Regis. Nam & peſtem ac famem eſſe mala, quibus Deus *populum* viſitavit ob alia peccata, quorum materia in

in hôc ipsô non defuerit, etiamsi Deus ad *maleficium* personale *Regis* non respexisset. *Alterum* est, quô utitur, in his exemplis, ubi approbatio ejusmodi *positiva* in populo non apparet. Sic enim sufficere putat *Auctor* cum *H. Grotiô*, quòd Deus in Populum quoque *innocentem* possit uti Dominiô supereminente, quô valet in vitam singulorum, quam eripere potest homini, ex merô beneplacitô; saltim ut Regem affligat: cui grave est subditis orbari; quippe quòd subdito per hoc non nisi malum temporale inferatur. Quamvis etiam, licèt publica scelera, vel saltim publicè, non appareant, potuerit tamen Deus etiam occulta illa crimina in singulis ex populo simul & semel coërcuisse; per quod nec dum sequitur, facta imperantium cives hâc ratione præstare oportere. Imò non sequitur: punitus est populus scelerati Regis, ergò Regem populus ipse plectere debuisset. Quidni enim, nisi aliter Deo visum fuerit, Ipse mortem accelerare Regi, qui soli Deo peccaverit, posset. Equidem non aliud est in *fœdere* memoratô, quàm quòd Deus & *Regem & populum pium* sibique *morigerum* habere velit. Sed nullibi habetur, quòd populus, si non *corrigat* Regem, puniri propterea debeat divinitùs; quanquam *Rex* pœnæ Divinæ, *ex conniventiâ* in populum peccantem, reus fieret; exhinc, *quamvis cætera innocens*, *juxta populum* puniendus. Differunt autem propositiones illæ duæ *Adversantium*, Regem & Populum esse duos correos *promittendi*; & Regem ex *indole Reipublicæ*, *citrà promissionem* Deo factam, teneri *pro populo*, populum *pro Rege*; quod *posterius* oportere illos probare; in quôlibet scilicet Imperiô illud reperiri. At verò ut *populus pro Rege* respondeat, quem tamen redarguere & corrigere non potest; sed difficilem quoque & injustum pati debet: postulatum iniquum nec ullibi fundatum est. *Prius* etiam, quasi Rex & Populus Dei facti fuerint Deo *correi ex fœdere*, non habet Scriptura. Quòd autem *fieri* illud *non potuisset*, aut non possit, (quà quis Rege & populo, cui uterque teneri possent, ut Deus, superior existeret,) illud quidem frustrà negatur. Quidni enim potuissent *duo rei* in *maleficiis per conventionem* constitui, & nunc etiam possent in his, ubi potest aliquis, velut *in pecuniâ*, fieri alterius *pœnæ succedaneus*; quale quid etiam in fidejussoribus delinquentium reperitur. Nec tantùm ex delicto plures citrà conventionem teneantur in solidum, quisque *ex facto suo propriô*; verùm etiam hoc *conventione* fieri potest. Et imò fieri potest omninò, ut correus teneatur in solidum, etiamsi *per illum ne stet* quidem, quò minùs alter fœdus servet; adeoque correi teneantur etiam respectu solùm *alterius* negligentiæ seu perfidiæ. Proinde necesse non est, ut populus correus *directè* solùm teneretur ex negligentiâ seu *factô propriô*. Quid enim, saltim de *correis* mutuò *fidejubentibus*, dicendum foret? Deus verò poterat etiam in populum sumere pœnas ex conventione, & in *personas* eorum, ceu vitæ earum Dominus: nec inde sequitur, ita oportere potuisse populum *corrigere* correum suum, Regem; nam tale quid *correitas* per se non desiderat, ut nempe non aliter ex sponsione suâ correus teneatur, nisi ille facti proprii seu negligentiæ reus fuerit. Ex quô infertur, si vel maximè populus hactenus pro Rege spopondisset; tamen ex hoc non sequi, quòd ipse habuerit per hoc *potestatem corrigendi* Regem, eôque exstiterit *superior*: multò minùs sequi, *citra pactionem illam* in istum modum teneri populum, & quidem nunc etiam *Deo*, in sequelam quasi istius fœderis: quale tamen nunquam extitit. Denique *exempla* eorum, qui capitis damnarunt Reges suos, examinat *H. Grotius d. l. §. 8. n. 11. & §. 10.* scilicet *facti* sunt partim; & quæ *juris* haberi possunt, non sunt eorum qui summum Imperium, sed solùm qui *Magistratum* tenuêre; ùt sunt Duces & Ephori quarundam Rerumpublicarum.

VI. Quid igitur? populus ob male consulta Regum & optimatium bellis affligitur; Ergo se consiliis publicis ingerere, neu quid perperàm fiat, intercedere potest, manu quoque & vi armatâ? Pulchram me hercle jurisprudentiam! theologicum an sit, ut illi volunt, alii viderint. Nonne & David obnoxium se populo, ob adulterium & homici-

micidium fuisse negat, quando *soli Deo peccasse* profitetur. * Negat id D. Coccejus *ad d. v. 6.* Nec tamen id inde non sequitur. (*e*)

* *Psalm. 51. v. 6.*

(*e*) INDE NON SEQVITVR.) hoc est, licet uti nihilominùs *hoc loco* ad inferendum, quòd Rex *populo non teneatur rationem reddere*; quicquid sit, quod hic intentione illud non dixerit *David*, nec mens illius fuerit: *Ego mihi ipse Judex sum*: quasi nimirum illud *humiliationi* ejus non conveniat; quin potiùs hoc indicaturus videatur: *Non prodest mihi quod Rex sum*. Nam si ab hominibus essem puniendus, aliquâ ex parte satisfacerem: nunc *ira tua tota mihi incumbit*. Proinde non posset haberi pro eo, qui se elaturus *populum sperneret*; sed qui *gravitatem pœnæ sibi imminentis* sentiret. Adhuc enim ex *dicto loco* sequitur, quòd populo *re ipsâ* rationes reddere obstrictus non fuerit; quamvis ex hóc *coram Deo se non efferret*, tanquam Majestate pollens & hominibus superior.

Facit plurimum ad Imperantium potestatem muniendam adv. Populi ausus, Jus illud REGIVM in *1. Sam. VIII.*, *9. 11.* de quô ut exactius constet, sciendum est, quamvis *Petr.* Cunæus *l. d. Rep. Hebræor. c. XIV.* putet, Deo non *displicuisse simpliciter*, quòd Populus *Regem* postulaverit; sed solùm petitionis *modum*; quippe quòd in *Deut. XVII.*, *14. 15.* ipse Deus *Leges Regni* jam dedisset. Tamen verius esse, Deum *rem ipsam* indignè tulisse: nec ideò, quia Samuelem illi spreverint, aut desiderârint statum, ùt fuerat in vicinis Gentibus, aut quia istum ad Religionis mutationem petierint; sed quia amplius *Theocratiam* sustinere nollent; *v. 6. 7.* & præcisè dicerent: *constitue nobis Regem*, Samuele inconsultò. Neque etiam Deus *Deut. XVII.* jusserat, ut Regem sibi unquam facerent; sed cùm prævideret fore, ut simul atque terram sanctam occupâssent, malò propositò Regem sibi forent postulaturi. Hinc præceperat, ut si Regem omninò vellent, ipsum è fratribus suis eligerent &c. Videlicet non habebat Populus, quando fastidiebat Præfectos *Joelem* & *Abiam*, filios Samuelis, declinantes utique in viis, ut propter regiminis à Deo instituti mutationem petere debuerint: cùm vel emendari ibi vel aliter populo prospici potuisset. Postquam verò de *Jure* illo *Regis* deinceps eum populo agendum fuit: non est putandum contineri (1) in descriptione illius *d. c. VIII.* nudum *juris falso prætensi*, quasi illud à Deo sit, *exercitium*; ùt est *ap.* Limn. *Sect. 2. Proleg. ad Capitul. Imperat. n. 3.* & *Nic.* Caussin. *d. Regno DEI*, *Diss. LXIX.* vel (2) *Jus* verum & *internum* Regium; quasi illud solùm ibi *Rhetorice* describatur: *Marc. Ant.* d. Domin. *Vl. d. Rep. Eccles. c. 2. n. 7.* Hülsem. *c. XX. Breviar. n. 12.* Schok. *c. 2. d. L. Regia*, Schickard. *c. 3. d. Jure Regio*, *theor. 8.* Cunæus, & *alii*. Ceu quidem illa, si *ad literam* accipiantur, non congruunt cum *Officio* Regiô; *Deut. XVII.* mitiùs verò accepta non erant *nova* aut *insolita*, etiam in Imperiô Mosis & reliquorum Ducum & Judicum, *v. Exod. XVII.*, *9. Num. XXXI.*, *4. Exod. XVIII.*, *25. XXXI.*, *2. 6. Num III. IV. XXXV.* Et tamen in *v. 18. d. c.* Samuel. dicitur: *clamabitis*. Vel ut (3) quædam *immixta* habeat *duriora*; quæ tamen ob Imperium ac Dominium *eminens* ad *Jus* Regis *verum* referri oporteat; ceu quidem extraordinaria quoque & absoluta, seu eminens, illa potestas, jus *plenum* in casu necessitatis *Regium* est: quod ipsum *officio* quoque Regiô congruit. Indeque *Achabo* omninò illicitum fuerat *Nabothi* licitare vineam: *1. Reg. XXI.*, *2.* necessitate publicâ nullâ existente; sed per abusum Regia potestate ad privatam pertractâ. v. *Ezech. XLVI.*, *18.* Vel (4) Jus verum & *internum herile*, ùt *Zieglerus*, *Bæclerus* & quidam *alii*: quô *ordinariè* continetur abusus quoque *rei suæ*. Nam Populus quidem *regnari* volebat, ùt vicinæ gentes; sed non eâ *specie* Monarchiæ, ut Regi suo *serviret*: sicut, Salomone mortuô & aliàs etiam, satis ostendit. Sed est *Jus* quoddam *externum*, quod rat. formæ significationem *modi* habet, Scalig. *1. Epist. 15.* sed *effectum* tamen *Juris* habet inter homines, cui resisti non possit. Indeque etiam *iniqua* & dura, Regisque *officio adversa*, continet. H. Grot. *I, IV.*, *3.* Nimirum ut si Rex ipsorum, *contrà delationem* & per *injuriam*, sepositô Officiô suô, talia ipsis illaturus sit, quæ *vicini Reges* subditis suis: ea ipsos contrà intentionem suam *pati* oporteat. Quô ipsô *Samuel*

nuel eos deterrere à Statu *Regiò* volebat. Nam in *Deut. XVII.* de moribus *Regis* formandis, sed in *1.Sam. 8.* de patientiâ & obligatione *Populi* agitur; quæ duris etiam præstanda est. *1.Petr. II., v. 18.* Optime *LXX. Interpretes* Jus Regis vertunt: τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλέως, quod *Tremellio* est *ratio* Regis, *Diodato* la *maniera del Re!* nempe *Jus* seu *facultas*: quod *jus* non statim vel ubique δίκαιον seu *justum* est; nisi quòd semper tale sit *titulò justò*, & in archivis sacris repositô, *1. Sam. X., 25.* indeque etiam *in effectu*; hoc est effectum juris quasi *liciti* habeat. Neque enim officit expositioni huic, quod *Rabbini* tradant, *Regem vapulare potuisse*, si vel mulieres multiplicâsset, vel equos, aut divitias ad pompam tentâsset. Nam hanc traditionem licèt crediderit *Baronius*, certe quidem ea apud *Rabbinos* (negante hoc *Casaub. Exerc. XIII. n. 5. ad Baron.*) reperitur; vid. H. Grot. *I., 3. 20.* Tamen illam commentum esse, tradit *Salmasius Defens. Regiâ, c. 2. p. 56. & c. 5. p. 181.* quòdque Rabbini Synedrio nimium tribuant, satis constat vid. Selden. *III. d. Synedr. c. 9.*

CAPUT. XIII.

De

Summæ Potestatis definitione & differentiâ.

ARGUMENTUM.

Definitur summa potestas cum Grotio. Divisio Majestatis in Realem & Personalem, Delegantem & Delegatam, refellitur, eò quòd potestas summa non nisi una esse possit: ideoque si delegantes acta delegatorum infirmare queant, penes hos esse Majestatem, si non possint, esse eam penes solos delegatos.

I.

Multitudo, quæ nulli subjecta coit in Civitatem, si quod Imperium condat, hoc esse summum, (*a*) sponte liquet. Neque enim Imperium extra civitatem habet superiorem, ubi ipsa multitudo nullum talem agnoverat. Nec in civitate potest dici Imperium habere quicquam superius sine contradictione. Attamen personæ Imperantium certæ possunt aliquo modo habere superiores, (*b*) si disertè ita sit constitutum.

(*a*) ESSE SUMMUM. Nec tamen protinus *Majestaticum*: imò si *Magistratum* sibi aliquandiu constituat, hujus quoque imperium ab *imperio patrisfamilias*, & rursus hujus, tanquam patris, mariti, aut domini, diversum est: quippe quod Magistratus *jus vitæ & necis* ex consensu Populi universi teneat; non ita paterfamilias, ut inferius *Lib. II.* ostendimus. Hic verò de *Majestate* experiendum est, quæ ut *varie* accipitur, ceu *Jac. Goth. fr. ad L. 5. C. ad Leg. Jul. Maj.* præ cæteris ostendit: ita definitio ejusdem *Aristotelica* concisa, & melior est *Grotiana*, quam hic *Auctor Cl. §. 2.* recipit; quippe quæ insuper quoque *negativa* est: qui[illegible] sit, quod intelligantur actûs, qui *jure proprio & per se* subsistunt. Ne dicamus, Eremitæ actûs à nemine irritos reddi posse: nam hic quidem de *Civitate* agitur. Modò quando [illegible] dicitur esse *Summa in Republica*, sive in Civitate, *ubique potestas*; vocem: *ubique*, non solum de [illegible] sed & *extensione*, pro variis in Republica [illegible], [illegible]

nec min[illegible]s ratione *durationis*, quòd sit *perpetua*, accipi[illegible]. Ex his enim non minùs *auctoritas* Maj[illegible], qua talis est, conciliatur; quippe cum quâ *Boxbornius*, in definitione suâ *Lib. I. c. 4. §. 11*, Majestatem confundit. Exprimit quoque rem melius & probiùs *Potestas*: quô ipsô non tantùm *facultas moralis* indicatur: ad quam omninò, & sic ad prædicamentum *Qualitatis*, referre Majestatem [illegible]portet; æquè ut jura omnia. Sed etiam, quod *potentia* ei substernatur: ita ut hæc ipsa *primo* Majestatem non conficiat. *Aliis* Majestas est *summa potestas dirigendi actiones civium, & eum iis, qui extra Rempublicam sunt, nomine Civitatis, negotia Pacifica & Bellica suscipiendi, ad obtinendos Civitatis fines.* Et hæc definitio insinuat distinctionem jurium Majestatis, in illa, quæ dicuntur *æquiparantiæ* & *disquiparantiæ*: quorum *ista* sunt, quæ non habent, (nisi in subjectos,) superioritatem, ùt sunt Jus Belli, Fœderum, &c. quatenùs ad Rempublicam aliam, & *potestatem æqualem*, referuntur, *totamque Rempublicam* repræsentant. Quòd si unum daretur Imperium, cessarent illa, sed non reliqua jura. Aliis Majestas est *facultas exercendi universa jura Reipublicæ*.

Sunt quidem qui *summitatem* Majestatis, etiam ad *latitudinem jurium*, referunt; secùs atque *Aristoteles*, qui hanc ipsam per vocem *ubique* insinuat. Et sane *Majestas* in *quolibet Jure* particulari, v. c. Leges ferendi, *tota* reperitur; ut magis *summitas* ad *longitudinem* sive *independentiam* juris cujuslibet Majestatis pertinere videatur. Ex quibus *Pufendorffium Lib. VII. J. N. c. 6.* interpretari licet. Alii *summam* simpliciter dicunt eò, quòd in exercitio sui non dependeat ab ullô mortalium, sed ex propriô judicio, ita ut actus ejus à nemine *tanquam superiore* possint irriti fieri: nec teneatur proinde ad *rationes* ita, ut si eas non approbaverit alii, pœnus aut coërcitioni, tanquam à superiori inferendis, subsit. Nempe *Summitas* de formâ *essentiali* Majestatis est; indeque *libera* etiam est ab externis, *soluta* Legibus, *inviolabilis* à judicio vel coërcitione, & *indivisibilis* in p[illegible] t[illegible], quale est ipsum.

Est verò Majestas *totum* quod[illegible] *potestativum*: quod ipsum totum aliq[illegible] [illegible] tale est, quod propriè *partes* nullas habet; u[illegible] ejusmodi totum, ut & *animam rationalem*, c[illegible]ituimus, quando partes fingimus utriusque va[illegible], pro diversis *operationibus*, quibus se circà *objecta sua* exserunt. Æquipollet tamen totum illud potestativum toti *Integrali*: (quod quidem partes *realiter distinctas* habet; secus ac Majestas:) quia Majestas di[illegible] non p[illegible]test, cui quid *deficit*; saltim pro ratione Regni sive *territorii*, cui inest: cum fieri possit, ut in aliquo eorum Fodinæ v. c. nullæ aut alia non reperiantur, quæ in cæteris Regionibus ad summam potestatem trahuntur. Idemque sentiet aliquis de Principibus illis summis, qui ad se pertinere non credunt *Sacrorum Potestatem*. Sanè *Alb. Gentilis Lib. I. c. IV. d. Legat.* dubitat, an *Reges Hispan.* & *Gall.* habeant summam potestatem, eò quod in causis Religionis subsint *Pontifici*, & quòd *Clerici* in terris ipsorum degentes ab Imperio ipsorum *exemti* sint. (Quanquam nec submissio illa Regum, nec exemtio Cleri tanta; quin & in diversis Regnis diversa sit. vid. *P. d. Marca Lib. IV. d. Concord. Sacerdot. & Imperii, c. IX.* ubi quousque se Libertas *Ecclesiæ Gallicanæ* extendat; item *Schilterum* de *Libert. Eccles. German.*) Nam Pontificia quidem arrogantia latissimè se porrigit, indice *corona triplici* in cœlestia, terrena & inferna, & super omnes adeò potestate[illegible]; *ap.* Theoph. Raynaudum *d. Corona Papæ*. Et tamen Princeps ex vi Majestatis, & ex Jure *communi*, potestatem *sacrorum* meritò sibi vindicat; abstractâ etiam qualitate *Religionis*. Etenim forma *Regiminis Ecclesiastici* potest exerceri sinè contactu potestatis secularis; ùt in primitivâ Ecclesiâ. Sed non potest forma Regiminis Politici exerceri sinè jurisdictione seu potestate circà Religionem; quanquam possit sinè contactu Potestatis Ecclesiasticæ specificè dictæ. Cæt[illegible]um hôc ipsô, quô *integrale* totum est Majestas, totum quoddam sive ens *per aggregationem* dici non potest. Nam hoc est totum quoddam *per accidens*; ut acervus lapidum, grex ovium: ex quibus licèt quid demseris, totum tamen manet nihilominùs. Non etiam Majestas est totum *essentiale*, ceu physicum: quia hoc solùm duas partes habet; quale est homo, dum ex animâ & corpore constituitur. Etenim Majestas plures habet *partes*, certô *numerô* non definitas, cùm objecta nova subinde exoriri possint, quale quid occurrere aliquando videbatur im Recht, Zeitungen zu verbieten.

(*h*) Habere superiores. Si de *Monarchia* accipi debet Auctor, non apparet, quomodo

do Rege quisquam esse possit in Republicâ ullô modô superior? Quod enim *intercessionem Ordinum* alicubi attinet, illa *summitatem* Imperii non ingreditur, neque *exercitium* ejus imminuit; quippe quod nihilominùs totum manet Regis, licèt in *modô exercendi* Ordines vel maximè concurrant. Indeque non protinùs, si quod *jus* existit alicubi *in parentibus*, illud propterea *Majestatis* seu superioritatis habendum est. In *Aristocratiâ* quisque Optimatum habet superiores Universos, sive partem majorem, penes quam summitas Imperii se exserit. Ad hoc autem nulla disertâ *constitutione* opus est; sed id *natura* Statûs Polyarchici postulat. Ubicunque verò aliquis Imperantium superiorem habet alium, unum vel plures, ibi Imperium ejus *Majestaticum* esse non potest.

II. Interest autem plurimum, scire perfectè, quid sit summa potestas, quam vulgo Majestatem (*c*) vocant, etsi aliter veteres, (*d*) quibus hæc vox notat amplitudinem & dignitatem. Definiatur cum Grotio, Facultas moralis regendi civitatem, cujus acta nullius humanæ voluntatis arbitrio infirmari possunt. * Differentiæ hujus argumento pleraque difficilia Quæstionum, circa hoc caput moveri solita, suis quæque locis cônficiemus.

* *Grot. l. 1. c. 3. §. 6. pr.*

(*c*) MAJESTATEM. Equidem omnis Majestas *Summa Potestas* est, sed non vicissim; ut ex Statu *Magistraticô* patet: quamvis hic *simpliciter pactitius* sit.

(*d*) ALITER VETERES. Quibus *Imperium* quoque audit, ùt & *Principatus*, nec non *Potestas* simpliciter. Est verò vox *Majestatis*, (quam ex *majori Statu* compositam esse volunt; rectiùs à *majus* deducitur,) *allusiva* potiùs, cùm quidem simplex vocabulum, non minùs ac potestas, sit *Romanæ linguæ* adeò *proprium*, ut ne quidem *Græcus* sermo, fœcundus licèt, simile quid habeat: siquidem *μεγαλειότης* & *σεμνότης* ei exactè non respondent. Interim ipsi quoque Romani Majestatis vocem sæpè pro *Dignitate* usurpant; ut est *matronalis majestas*, apud *Livium*: *add.* Lips. *II. Pol. 16. & IV. Pol. 9.* vel *auctoritate* eorum, qui eminentiores sunt aliis, *splendore* quoque & *magnificentias* velut Senatûs, *apud* Sueton. *in Tiber. c. 30.* & Plin. *VIII. Epist. 6.* Sæpiùs *auctoritatem* etiam *potestate* junctam notat, apud *Ciceronem*; utut etiam *inferior* fuerit; qualis est Majestas *Prætoris*. *L. 7. ff. d. Jurisdict.* Sic enim ipsi quoque *Ciceroni* in *Partit. Orat. c. 30.* Majestas est *magnitudo* quædam Populi Romani, in ejus *potestate* & *jure* retinendô. Et *II. d. Invent. 17.* Majestatem minuere est, de *dignitate* aut amplitudine aut *potestate* populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid denegare. Recentioribus verò Scriptoribus *summam potestatem* ubique designat. Et quamvis Stylus Curiæ soli Dignitati *Regiæ* illam applicet; est tamen æquivalens *summæ Potestati* cuivis in *Imperio*. Non aliter atque *Sanctimonia* cumprimis *Monarchiæ* defertur. *add.* quô sensu *Imperatores Romani*, etiam *Christiani*, usurpârint nomina *Sanctorum*, *Sacratissimorum*, Selden. *II. d. J. N. G. c. VIII. p. 225.* & Bœcler. *d. Sacr. Rom. Imp.* item *ad I. Annal. Tac. X. annot. 15.* ut & illo arcano dominationis *Consecrandi Principes* defunctos seu *Apotheosi*, Eund. *ad I. Ann. Tac. 2. ann.* [illegible]

III. Dividitur à multis in Majestatem Realem atque Personalem. Quarum illa universo corpori civitatis, hæc paucis (*e*) vel uni Imperantibus conveniat. Sed vitiosam hanc esse divisionem putamus. Quoniam si Majestas sit jus summum, fieri nequit, ut duplex sit. Non magis

magis quam in una linea dentur duæ ſummitates. Niſi compoſitam aut mixtam ſtatuamus Rempublicam. Sed tales nullas eſſe vel paucas, alibi videbimus, & ſi daretur talis, ibi duplex quidem eſſet majeſtas perſonalis, realis ei nulla poſſet applicari. Præterea in Democratiâ nemo, opinor, dicet, eſſe duplicem Majeſtatem. At vim Imperii non eſſe aliam in ſtatu populari, quam in concilio paucorum vel perſonis Regum, dicere occupavimus. Si quid optimatibus aut principi detractum vel circumſcriptum ordinique diverſo datum ſit, hoc ad diviſionem Majeſtatis perſonalis referendum.

(*c*) PAVCIS. Imò perſonalis Majeſtas haud unquam niſi *uni* convenit; etiam in *Dyarchiâ*, quatenus hæc *diviſò Imperiò* utitur; de quo ſuô locô: & ſic *Monarchiæ* propria eſt. *Realis* autem in omni Statu reperitur, modò eam ſanô ſenſu accipias. Ita verò Majeſtas realis dicetur ineſſe *Democratiæ*, non oppoſitivè, & quaſi in eâ quoque verè perſonalis locum habere poſſit; ſed per *epithetum*, quòd omnis in eo Statu Majeſtas *realis* ſit. Unde procedit, quòd *unus alterve* Optimatum & multò magis *ſinguli* ex populo, (quippe qui non *ita* omnes ad exercitium Majeſtatis admoventur:) capite quoque plecti poſſint. Idemque eſt, quod *Auctor* hic innuit, diviſionem hanc non eſſe æqualem rei diviſæ; quippe quod *Democratiæ* congruere non videatur. in qua tamen Majeſtas eſt. Quod enim *ille* dicit, *paucas* dari *Reſpublicas mixtas*: inde non probat imperfectionem diſtinctionis in realem; quippe quæ in aliquibus etiam verificari poſſet. Quòd verò *nullas* dari mixtas inſinuat, falſum eſt, ut *inferiùs* dicetur. Quamvis autem diſtinctionem illam *vitioſam* putat *Cl. Auctor*; (ùt & *Puſendorff. Lib. VII. J. N. c. 6. §. 4. ſeq.*) tamen non apparet, cur Auctori ſit accedendum, eô ſenſu, quem ipſe prodit: cùm ille nil abſurdi habeat, imò explicandis pluribus difficultatibus inſervire queat. Quidni enim ipſam *Poteſtatem*, quà totam Rempublicam, Majeſtaticam ſcilicet, informat, (atque hoc non niſi ex parte *Imperii*,) *realem* dicere liceat, & *eandem* Majeſtatem *numerò*, *perſonalem* eô reſpectu, quô per *Imperantem*, Regem ſcilicet, exſeritur. Ex quo procedit, quòd moriente Rege, & ſic exſpirante Majeſtate perſonali unà Majeſtas realis *concidat*; quæ cum in *Populo* nunquam anteà fuerit, (ne quidem cùm per voluntatem ejus, in Rege conſtituendô, *produceretur*;) hinc ne quidem ad populum reverti poſſit: indeque nec *habitum* nec *actum* Majeſtatis ille tempore *Interregni* teneat; utut omninò *diſpoſitione* ad Statum *Majeſtaticum*, ſive priorem, h. e. Monarchicum continuandum, ſive diverſum alium, non deſtituatur. Proinde *falſa* eſt diſtinctio hæc, ſi eos ſequamur, qui ſuperſtite Rege *Majeſtatem Realem dormire* putant, & pro eâ vigilare *Leges fundamentales*, quibus modus præſcribitur Regenti: *Reviviſcere* autem eam, quoties vel poteſtate ſuâ Princeps *abutatur* (ſicuti dominium uxoris, quando prædium dotale maritus ex lege matrimonii non tractat,) atque multò magis tempore *Interregni*. vid. Beſold. *Sect. I. de Majeſtate in genere, th. 4. ſeqq.* Toties enim repudianda eſt hæc diſtinctio, quoties inter utramque Majeſtatem *reale* quoddam *diſcrimen* inducere nititur. Equidem qui hoc intendunt, nec ipſi in *ſubjecto* Majeſtatis realis conveniunt. Nam aliqui illud eſſe *Populum* tradunt, nonnulli *Ordines tantum*, ſive primores ex populo, reliqui *Leges fundamentales*. Quid verò, ubi *abſolutum* eſt Imperium, & Lex fundamentalis nulla? quippe quæ ubique modum imperandi definit. Ita verò in illis Regnis Majeſtas realis nulla reperiretur. Quam tamen & illa *noſtrô ſenſu* habet. Utique *diſſentientes* illi *duo ſumma*, æquè plena, in eâdem Republicâ conſtituunt: quod à principiis Prudentiæ Civilis aberrat. *Lex* autem *fundamentalis* Principem non tenet, ùt Majeſtas quædam ei ſupereminens; quin potiùs ipſe, quà ſolus Majeſtatem tenet, in *pactis* cum Populô convenit: quæ non aliter ipſi Leges ſunt, quàm quælibet Juris Naturalis dictamina; quò religio pactorum reſpicit. Porrò in

rò in *Dominatu*, aliôve Statu corruptô, ex *Iſtorum* ſententia, vel nulla erit, vel disjecta, Majeſtas realis; & tamen *corruptæ* etiam *Reipublicæ* noſtrô ſenſu Majeſtas realis ineſt. Denique illi *Majeſtatis crimen* non committi in Majeſtatem realem opinantur. Nobis autem Majeſtatis crimine *realem* quoque Majeſtatem lædi, rectius aſſeritur; falsim ut *Majeſtatis* crimen in ſpecie appellemus, quando ſanctitas *perſonæ* regentis violatur: *perduellionis* autem quando Status ipſe concutitur. Interim & hoc crimen Majeſtatem non minus petit, quam Princeps *unice* in Republicâ ſuſtinet.

IV. Nihilo melior eſt diſtinctio Majeſtatis in delegantem & delegatam. Nam ſi illi, qui delegant Imperantes, horum acta poſſunt infirmare, planum eſt, quod delegantes non tranſtulerint, ſed retinuerint ſummam poteſtatem legatosque habeant ut miniſtros. Si infirmare illa nequeant, palam eſt, quod delegantes poteſtatem ſummam habere deſierint. (*f*) Proinde quod tranſtulerunt, hoc ipſis non recte amplius adſcribitur.

(*f*) Habere desierint. Sicut enim qualitas Principis & conditio ab eo haud unquam ſeparari poteſt; verùm Ipſi ejusque dignitati perſonali immediatè ineſt, ut eidem (quippe ex intrinſecâ ejus poteſtate procedens,) inſeparabiliter adhæreat. Ita etiam de natura eſt delegationis ſive Commiſſionis, ut delegans facultatem & jus, quod alteri committit, *ſuô Jure* non tantùm Ipſe *exercere*, ſed etiam liberè delegationem *revocare* poſſit; *L. XII. §. 16. L. XXVII. §. 1. Mandati*. ſecùs ſi quis delegatus fuerit, qui re ipsâ talis nequaquam eſt, ſed ſolô nomine. Scilicet mandanti nunquam res deſinit eſſe integra, quò minùs retractare poſſit mandatum ſuum; quippe quod à mandante penitus dependet. *c. 2. d. Officio Vicarii. in 6. c. quamvis. d. Officio deleg. in 6. Cl. f. d. Procur.* Et ſi non poſſet delegationem quamcunque revocare ſuô arbitriô: non inique poſſet videri *proprio jure* aut re ſuâ uti, nec adeò Principatum tenere. *vid.* Molinam *Tr. II. d. J. & J. Diſp. 552. n. 6.* Id quod adeò verum eſt, ut ipſum a revocatione non impediat, ſi vel maximè *juraſſet*, revocaturum ſe non eſſe. *c. 25. d. jurej.* Mozzius *d Mandato. col. I II. n. 1.* cum *plurib. cit.* Non etiam, ſi ob cœptum mandatum Mandatarii *intereſſet*: adhuc enim ipſum mandatarium ex revocatione inpoſterum deſiſtere oporteret. *§. 9. Inſt. Mand. l. 11. §. 10. l. 15. ff. l. 3. C. eod. l. 16. d. Procur.* Nihil *officit*, quòd Jura tam Civilia quam Canonica *Vicarios perpetuos* loquantur. Nam qui Vicarius eſt perpetuus & Ordinarius ex lege ſive Conventione irrevocabili: ille Mandatarius non eſt; ſed *principalis*, aut ſaltim jure ſuô *propriô* utitur; qui nec ab Illo, reſpectu cujus dicitur Vicarius, jure ſuô *removeri* poteſt. *c. 3. d. Offic. Vicarii*: quippe quod *principalem* ne quidem habeat actu; vel potius hunc in perpetuum oportebit ſe abdicâſſe jure ſuô: ita ut Vicarius iſte à nullo aliô dependeat, quin potius habeat Jus reale & titulum. *Cl. un. eod. c. 13. d. ſilus Præl.*: Saltim ille, cujus intuitu Vicarius perpetuus dicitur, nil ipsô invitô ſuſcipere poteſt. Azorius *p. II. Inſt. Moral. Lib. III. c. 6. qu. 2. in fin.* Lagnanus *ad cap. 33. d. Præbend. n. 19.* Ex quô verum colligitur, ipſum non eſſe revera principalem Vicarii, quia nec iſtius morte, nec depoſitione, Vicarius eſſe deſinit; dum à Lege ſeu Statuto pendet, indeque jus in re & poteſtatem ordinariam, eamque ab aliô independentem, tenet. Azorius *d. c. 6. qu. 7.* add. *cap. 27. d. Reſcript. & c. un. d Offic. Vicarii.* Leve eſt, quod obverti poſſet licere per alium facere, quod per ſe ipſum licet. *cap. 68. d. R. J. in 6.* Nam hoc quidem valet, quoties ipſe qui mandat, egiſſe videri poteſt. Et nemo negat, Principem quoque Legatum ſive Officialem negotio deputare poſſe, ut acta hujus ipſi imputentur. At verò hæc non eſt perpetua & irrevocabilis commiſſio. Imò populus, qui Regem conſtituit, perpetuam ejus perſonæ induſtriam elegit: ut ſolum *aliqua* Ipſum *committere* poſſe *Officialibus* voluerit: Ipſeque Princeps non poſſet exercit[illegible]

citiò Statûs frui, nisi *libere* & *per se ipsum* frueretur. At vero istâ ratione surrogatio alterius locum non invenit, *l. 31. d. fidej.* ubi alterius versatur præjudicium, & vel Regni universi: nam ita omnis subditus omnisque Vicarius meritò excluditur, *arg. l. 16. pr. cum similibus. C. d. erogatione militar. annonæ* Gail. *I. O. 97. n. 2. seq.* Hinc etiam verè quis non facit ipse, quod *per alium* facit; sed tantùm facere videtur. *l. 5. §. 3. d. administ. & peric. tut. & curat.* ibi: *videtur enim gessisse. &c.* Quis ergò Regem illum verè talem existimaret? cujus alius Vicarius perpetuus fuerit, cui nec modum dictare Imperii nec Vicariatum retractare posset. Sic enim Rex iste nunquam posset in actu esse principalis, qui scilicet suô jure ejusve moderamine ac exercitiò in perpetuum se abdicâsset. Cumprimis verò in *civilibus* hæc obtinent, in quibus non ad nomina, sed ad rem ipsam, attendendum est; nec asserere licet, aliquem *jus* habere posse, licet *exercitium juris* per miserit alii. Nec enim *nomina* variant speciem, & qui nunquam potest ad exercitium reverti, atque idem exercere quod potest Vicarius: ille nec jus habere censendus est. Itaque non potest dici exercere per alium, quod ipse exercere non potest: quicquid sit, quod jus se habere dicat, in animo scilicet, quod nunquam in actum deducere valet. Et tamen Majestatem, nemo dixerit, quæ in *actum secundum* deduci nequit: uti nec Principem Regentem appellamus Apanagiatum; quamvis *actu primo* Regimen Principatûs teneat, emortuâ Primogeniti lineâ in actum secundum deducendum.

V. Scilicet, auctores harum divisionum tenent, in populo universo semper residere summam potestatem. Quod cum ratione modò improbavimus, (*g*) adeoque & divisiones illas rejici consentaneum est.

(*g*) Modo improbavimus. ad *cap. XI. §. 4.*

Caput XIV.

Continens monita de aliis Imperii differentiis.

ARGVMENTVM.

Jus Imperii in Civitate non mutari ex formâ Reipubl. non quidem ex herili aut civili modo imperandi, licet efficacia in illo sit major. Differentiam patrimonialis & quasi fructuarii Imperii nobiles quidem habere effectus, jus tamen summum non variare. Esse despotica regna quæ non sint patrimonialia, & civilia quæ in patrimonio habentur. Contrà, summam potestatem in regno quasi fructuario esse posse. Objectio ex natura ususfructus & proprietatis petita solvitur. Non mutari Jus Imperii ex eo quod invitis aut volentibus sit impositum: siquidem ex voluntate civium æque absolutum condi potest ac vi bellicâ. Male definitioni summæ potestatis inferi, ut perpetua sit: temporarium æque summum esse posse. Denique ex magnitudine aut parvitate nominumque distinctionibus & titulis nullam juris nasci diversitatem. Postremo Legem de approbandis in senatu Regum decretis, iisdemque in jus vocandis, per se non tollere summitatem Imperii.

I.

SUnt qui ex aliis quoque rebus differentiam summæ potestatis colligunt.

gunt. Primo enim, intereſſe putant plurimum, quâ formâ Reipublicæ civitas gubernetur, monarchicâ vel plurium imperiô. Et in monarchiâ, ſit ne deſpoticum an civile Regnum. Patrimoniale an quaſi fructuarium. Populo volente an invito ſit conſtitutum. Eligantur, an ſucceſſione gaudeant Imperantes. Temporalis an perpetua ſit poteſtas. Nonnullis quoque parvitate vel magnitudine civitatum jus ſummi imperii variari viſum. Denique, nominum titulorumque ſpecies hominum judicia ſæpe præſtringit.

II. Nobis ex illis omnibus nihil ad ſummitatem Imperii tollendam, augendam vel minuendam facere videtur. Nam quod ob formam regiminis, politicorum aliqui, minorem poteſtatem (*a*) in democratiâ putant, hoc adeò falſum eſt, ut menſura juris optimè ex illâ formâ capiatur, quod modò demonſtravimus. Ex adverſo, quod alii monarchas ut à populo præfectos, minoris faciunt, populi verò ut αὐθεντικῶς imperantis jus majus in democratiâ intelligunt, hoc perinde ſuperius refutatum. Certum igitur eſt, quod modus imperandi varius ſpeciem jusque imperii minime variet.

(a) MINOREM POTESTATEM. adeò ut ne quidem *Majeſtatem* appellandam eſſe velint: quæ eſt *Joh. Frid. Hornii* ſententia, qui ſolam Monarchiam Rempublicam Majeſtaticam, cæteras non niſi *liberas*, ùt vocat, admittit. Cæterùm *Auctor* hic duo innuit: *Unum*, quòd par Majeſtatis vigor ſit, in quâlibet Reipublicæ formâ; *Alterum*, quòd mutatâ ejusdem Reipublicæ formâ, v. c. Monarchicâ in Democraticam, non mutetur ipſa Respublica. Utrumque rectè; niſi quòd ratione *prioris*, in Statu Polyarchicô, reſpectus Majeſtatis *perſonalis*, idem non ſit, qui in Monarchiâ occurrit. Deinde quod ait, ex *Democratiâ* menſuram *Majeſtatis* optimè capi poſſe; id examini ſubjecimus, in *cap. IX. ſeqq.* quò *Auctor* hic provocat. Similiter quòd Monarcha à populô *in facto eſſe* non dependeat, ùt & quòd alia non ſit conditio populi, dum ipſe Imperium *retinet;* quamvis *Majeſtatice*, atque eſt Regis à Populô conſtitui: quaſi ſcilicet hic ex ſe non imperet, ùt in Democratiâ Populus: id ſimiliter in *cap. XII.* expoſitum eſt. *Poſterius* quod concernit: videbatur quidem mutatâ formâ rem ipſam ſive totum ſuppoſitum mutari. Sicut verò Reipublicæ forma eſſentialis ſive *actus eſſentiæ*, quem Lampad. *in part. I. d. Rep. Rom. Germ.* appellat, in Ordine Civitatis conſiſtit; illæ autem quas *formas* Rerumpublicarum appellamus, ad *actum exiſtentiæ* pertinent, & ex diverſitate *ſubjectorum*, quæ Majeſtatem ejusdem Reipublicæ ſuſtinent, deſumuntur; indeque *accidentales* ſunt. Ita mutatô Statu Monarchicô in Democraticum, aut vice verſâ, nequaquam ipſa Respublica, ſed ratio tantùm Imperii ſeu *ſedes Majeſtatis* mutari putanda eſt; non aliter atque Petrus & Paulus, Cajus & Caja diſſimiles accidentibus, ſed non etiam diverſas eſſentias habent. Hinc quoque illi, qui *mixtas Reſpublicas* dari negant, ex eô, quòd *eſſentiæ* rerum miſceri non poſſint, facilè refelluntur: eò quòd formæ, quarum mixtura, vel potiùs *compoſitio*, fit, (ſecùs ac in mixtura phyſica, quæ alterationem miſcibilium inducit,) merè accidentales ſint; imò ut maximè naturalium rerum eſſentiæ non miſceantur: in moralibus tamen omnia aliter habent. Illud non officit, quòd *Ariſtoteles III. Pol. II.* tradit, *Civitatem quando redditur diverſa ſpecie, neceſſe eſſe, ut eadem Civitas non ſit amplius.*

Nam

Nam ille non loquitur præcisè de commutatione Formarum; quin potiùs eò respicit, num *jura* extra Majestatem posita immutationem subeant; ùt sunt *credita* Civitatis sive æs alienum, quando Respublica per vim, velut à Tyranno, occupatur. Scilicet quando volente Populo Status commutatur, haud dubiè jura etiam illæsa manent, & Princeps, qui à populo causam habet, in eandem obligationem succedit; quod non eôdem modô in *Invasore* obtinet. Interim quod identitatem Populi de cætero concernit, quemadmodum locus & *migratio* ipsius *non mutat Civitatem*, ita nec convertitur por accidentia cætera, imò *immortalis* est: quò tendunt Conditores Juris Civilis in *l. 76. d. Judic. l. 10. Quib. mod. usufr. amitt. l. 23. §. 5. d. R. V. l. 30. d. Usuc.* Imò idem manet Populus *numerô*. Et si vel maximè variet materia per successionem individuorum; ordo tamen, saltim communis sive essentiæ, idem manet: ut tamen, quando Grotius *Lib. II. d. J. B. & P. c. 9. §. 8.* (qui & simili fluminis utitur, & aquæ succedaneæ,) subjectum idem manere tradit, Democratiâ in Monarchiam versâ, confusè rem exprimat, non distinctè: cùm quidem *subjectum proprium*, sive sedes Majestatis omninò alia succedat.

III. Plus discriminis inter heriles sive Despoticas & civiliores monarchias consistere videtur. Heriles vocantur, ubi Imperantes sunt domini corporum atque bonorum. Civiles, ubi Imperium Reipublicæ salvam relinquit libertatem personarum & proprietatem bonorum. Sed tenendum, in hoc capite, non quæri, de majori minorique efficaciâ imperii; verùm an unum præ altero magis minusve *summum* sit imperium, quod heic negatur. Dabimus loco rationis exemplum. Patris in liberos potestas Jure Gentium & civili aliquanto minor habetur, quam dominorum super servos. Patria tamen potestas æquè est summa & absoluta quam Dominica potestas. Atqui Reges veri à despotis non multò secus, quam ab heris parentes, differre videntur. Adde, quòd utrobique acta publica imperandi irrita fieri non possunt. Utrobique voluntas Imperantium, civitatis voluntas intelligitur. Duntaxat, jus externum (*b*) Dominatus ad res & corpora privatorum indistinctè extenditur. Quod in regno non aliter, quam ex causâ utilitatis communis, non pro lubitu imperantium, juris est.

(*b*) JUS EXTERNUM. i. e. quod *effectum* Juris habet; non etiam formam, sive Juris interni & veri rationem.

IV. Tertia differentia patrimonialis & quasi fructuarii Imperii (*c*) à quibusdam cum præcedente confundi solet. Scilicet Patrimoniale vocatur imperium, quod inter vivos & mortis causâ potest alienari. Fructuarium imperanti solùm ad vitam competit, sinè libertate alienandi. Quidam regna despotica statuunt eadem esse cum Patrimonialibus, Civilia verò cuncta esse fructuaria. Verùm hoc est ex eorum

genere, quæ ut plurimum, non quæ ſemper vera ſunt. Cum nihil vetet, herilia Imperia quaſi per modum uſusfructus teneri. Ita ut alienandi tàm inter vivos quam poſt mortem poteſtas ultimo cuique Imperanti negetur. Quod ferè unicum hujus differentiæ momentum conſtituit. Exemplum eſt in Turcico Dominatu, qui licet δεσποτικώτατος, jus tamen alienandi aut ſucceſſionem pro lubitu Imperatorum mutandi ignorat. E contrario civilia regna in patrimonio haberi poſſe, liquet ex pluribus modicis per Europam Principatibus, (*d*) qui ſuperiorem non habentes, hoc jure tenentur; etſi in majoribus Imperiis rarò id uſu venire experientia teſtatur.

(*c*) ET QVASI FRVCTVARII IMPERII. Nec enim accuratè aptari Imperio poſſunt termini illi privatarum rerum, *proprietatis* & *uſusfructûs*: quia nil commune habet Imperium cum dominio; nec ipſum *in patrimonio* eſſe dici poteſt. Quid quòd uſusfructus facilè dici poſſet *amitti*, quando poteſtate Rex abuteretur. vid. *Auct. §. 6.* Accedit, quòd videri poſſet penes populum eſſe *proprietas*, dum uſusfructus unicè Regi tribuitur: & ſic penes Regem *accidens* tantùm *dominii*, quod à populo *penderet*: nam & *Dominus utilis* dependet à directo. Neque etiam *cauſalem uſumfructum* intelligit *H. Grotius*, qui pars *plenæ proprietatis* eſt: nam ille appellat uſumfructum, qui proprietatem non habet. Sanè in Regno quoque civili poteſtas Regi adeò *propria* eſt, ut quicquam ejus *alienum* eſſe non poſſit. Non etiam omnem *fructum*, qui è Regno capi poſſet, abſumunt Reges; & quos percipiunt, non percipiunt *de alieno*, Denique vix in Civitatibus *Polycraticis* invenitur diſtinctio hæc in Patrimoniale & uſufructuarium imperium; præterquam ubi ſunt *diſſimilares*. Ut idcircò cautè hi termini adhibendi ſint, & vix, niſi in quæſtione circà *alienationem*, atque hoc docendi tantùm gratiâ, valeant. *vid.* Grot. *lib. II.*, *VI. §. 3.* & *III.*, *XX. §. 5.* Licèt autem alienari (& ſic etiam *oppignorari*, vid. *art. XII.* Capitul. Leop. & Carpz. *c. VII. d. Leg. Reg. ſect. 1.*) populus haud unquam poſſe videri queat, eò quòd *liberi hominis* nullum ſit commercium; tamen rectè idem *Grotius Lib. 1. c. 3. §. 12.* tradit, hîc non quæri de libertate perſonali, ſed *civili*. junct. *§. 21. eod.* Quin & venduntur homines non ita, ùt *jus eos regendi*: quod nec ad modum *rerum privatarum* eſt Jus quoddam *in re*; ſed facultas publica alia, eaque in Gentium commercio. Venduntur etiam *in Univerſitate*, qui non poſſunt ſinguli, quemadmodum templum & res ſacras vendimus, venditô pagô. jung. *Auct. §. 8. b.* Cæterùm diverſa ſunt: *plenum* habere Imperium, & *plenè* iſtud habere. Poſterius de illô dicitur, qui Regnum tenet in patrimoniô. *vid.* Grot. *d. §. 12. Plenum* verò dicitur, quô Imperans omnia Jura Majeſtatis ſolus tenet; quamvis ea non niſi *conſultis aliis* exercere poſſit. Illud certum eſt, quòd Imperium, *populi voluntate* quæſitum, non præſumatur eſſe in Regis patrimonio: cùm nec ea voluntas populi fuiſſe videatur, ut Regi *alienatio* permiſſa ſit. H. Grot. *d. c. III. §. 3.* Et tamen in ejusmodi Imperiis, Populi *voluntate liberâ* delatis, attendendum eſt, quid circà *ſubjectum* imperans, quid item circà *modum*, actum fuerit. Nam *ibi* hoc actum eſſe poteſt, ut vel *perſonaliter* huic individuo collatum fuerit, ne ſcilicet electi perſonam egrediatur; vel *realiter*, ut continuâ ſerie imperium tenere debeant hi qui à primo acquirente, & quòusque aliquis eorum ſuperfuerit. Neutrâ ratione facultatem alienandi imperium Princeps conſecutus videri poteſt. Quoad *modum* tamen, ſicut indubium eſt, *diſertè* factâ promiſſione de non alienandô, quod fit in *Capitulat. Cæſareis*, poteſtatem non habere Principem quicquam alienandi de populô; ut tamen invitâ etiam parte aliquâ, velut Civitate, Principatu, &c. id fieri queat, *Ordinum aſſenſu*, quo Univerſitas reliqua, velut Pacis causâ, ſalvetur. Ita ubi nulla ejusmodi Capitulatio extat, non videri prohibitum Regem, vi *Do-*

minii

minii Civitatis, quod habet, quamvis etiam illud Ipsi non nisi personaliter delatum sit, *in casu necessitatis extremæ*, alienationem suscipere, nec eundem consensu Populi indigere. vid. H. Grot. *II.*, *6. 4. & III.*, *20. 5.* Est verò *necessitas*, quoties aliter Civitas eripi & salvari ab interitu non potest. Cæterùm Imperia, quæ Populi consensu liberò non deferuntur, *Hugoni Grotio patrimonialia*: illa vel *absolutè* Principibus competunt, iisve permissa sunt; vel *sub conditione* non egrediendi certam familiam vel lineam ejus, v. c. victoris. *Ibi* facultatem alienandi liberam Princeps habebit. H. Grot. *I.*, *III.*, *12. & II.*, *VII.*, *25.* *Hic* verò poterit excludi per testamentum vel aliter persona, quæ in ordine ab intestato potior futura erat; ejusque rei in *Regnis Israëliticis* exempla referunt. Quamvis autem *testamentum* aliàs non sit *alienatio*, puta quæ statim, ut negotia inter vivos, effectum habeat irretractabilem. Est tamen eventualis, & quando Testator in voluntate suâ perstitit.

(*d*) PRINCIPATIBUS. Ut ferè sunt in *Italiâ* nonnulli; præterquam quòd *Feudali* conditioni & ipsi plerumque subsint, etiam extrà dominium Imperii Romani constituti, veluti *Papæ* aut Regis *Hispaniæ*. In *Germaniâ* quidem Principatus sub Majestate Imperii continentur, nec eos alienare fas est; quicquid sit quod Statibus unam alteramque portionem, modò notabilem Principatûs partem non conficiat, *oppignorare* insciò quoque Cæsare liceat.

V. Differentiam hanc patrimonialis & fructuarii Imperii ab Hobbesio & omnibus, qui vim Imperii infinitè intendunt, (*e*) nec populo aut singulis quicquam relinquunt, explodi manifestum est. Quippe qui subjectos indistinctè pro servis habent, & regnantibus potestatem de successione quovis modo disponendi semper adscribunt. Quâ de re nobis alibi (*f*) locus erit dicendi, ut & de reliquo discrimine regni & dominatus. (*g*)

(*e*) INFINITE INTENDUNT. De eô *L. 1. cap. 10.* vidimus.

(*f*) ALIBI. *L. 1. cap. 29. §. 4. seqq.*

(*g*) DOMINATUS. *Lib. 1. cap. 28.*

VI. Sed de ultimâ distinctione scrupulus restat, dices enim, ubi datur usufructus, ibi penes alium proprietas existit, quod jus haud dubiè majus est. Proinde secundùm hanc distinctionem usufructus Majestatis Imperantibus, proprietas populo tribui videtur. Quod in damnatam modo divisionem summæ potestatis, quâ realis aut personalis dicitur, incideret atque populum rursus superiorem imperantibus efficeret. Verùm nos *quasi* fructuarium non verè usufructuarium illud Imperium, quod patrimoniali opponitur, esse diximus. Quatenus usumfructum imitatur in hoc, quod nihil juris ultrà vitæ terminos producit, nec alienationem inter vivos permittit.

VII. Fortè rectiùs comparari posset cum dominio revocabili, quale est mariti in prædio dotali, heredis fiduciarii (*h*) ex Sc. Trebelliano, in rebus post mortem restituendis: Nam illi tempore dominii sui plenè liberèque de rebus illis disponunt, exceptâ alienandi potesta-

te, nec ulli, ratione juris & diſponendi facultatis, obnoxii ſunt. Quin ſi maximè maneamus in terminis uſusfructus, ne quidem inde quicquam poteſt colligi naturæ ſummæ poteſtatis adverſum. (*i*) Fructuarius enim facit in re quicquid vult, modò ſubſtantiam relinquat ſalvam. Neque proprietarius impedire vel infirmare quicquam ab illo geſtum cum hoc temperamento, poteſt. Ergò ſi tu ponas Regem habentem imperium quaſi per modum uſusfructus & proprietatem penes populum ſtatuas, ideò tamen Rex non ſtatuitur obnoxius populo; duntaxat ſi ſalvam præſtet Regni ſubſtantiam, ut ita loquamur.

(*b*) HÆREDIS FIDUCIARII. In quô tamen ipsô non minùs cautio adhibenda eſt: cùm ſatis conſtet, quamvis fiduciarius adſtringatur, ut poſt mortem fideicommiſſum reſtituat: tamen inde ipſum detrahere quid poſſe; ut ne de aliis dicamus. Sic &, ratione *dotis*, nullum ſine patrimonio Regnum eſt; & tamen nuptiæ quoque ſinè dote. Non etiam omnia bona ubique in dotem dantur, ùt omnia Regis: ſic & uxoris dominium maritus non conſequitur, ut Rex Populi, Cave autem Populum pro uxore ſupponas durante Regnô, licèt ſimilis ei ſit, iſtô finitô. Igitur & hæc aſſimilatio non niſi quadantenùs ſuccedit; prout de alienatione Regni diſquiritur. Idque eſt, quod *Auctor §. 2.* & per totum *hoc Caput* innuit: hæc diſcrimina ad ipſam *Majeſtatem Imperii* nil attinere.

(*i*) ADVERSUM. Imò verò licèt fructuarius in re faciat, quicquid vult; tamen id facit in re alienâ, & cujus dominium actu tenet proprietarius: quâ ratione plus populo tribuitur, quàm Juri Regio congruit.

VIII. Sed nec alter regni patrimonialis terminus caret difficultate. Neque enim liberi homines, quales ſunt cives, in patrimonio cujusquam ſano ſenſu dici videntur.* Scilicet, non de ipſis hominibus, ſed de jure imperandi illis, non quà ſinguli, ſed quatenus ſunt populus, τὸ eſſe in patrimonio prædicatur.

* *vid. Grot. l. 1. c. 3. §. 12.*

IX. Quod porrò nihil variari ſummam poteſtatem ex eo diximus, quia volente invitove populo ſtabilita ſit, id habet rationem ſuprà (*k*) inſinuatam. Non minus enim, quàm bello poſſe, conſenſu & fœdere populi, jus imperandi ſummum acquiri, aliquoties probavimus. Nam quod plerumque victores jus herile & patrimoniale in ſubjectos occupent, hoc diverſam ſummæ poteſtatis ſpeciem non inferre modo (*l*) audivimus. Fundamentum autem obſequii, quo populus armis ſubactus, imperium jure ſuo exercenti obſtringitur, inferius (*m*) explicabimus. Præterea nec electionis ſucceſſionisque differentiâ juris rationem mutari ſuprà dictis conſentaneum eſt. Succeſſiva

enim

enim Imperia * quæ quidem voluntaria ſunt, initium ab Electione habuere. Nec plane aliud eſt ſucceſſio, quam juris initio ab eligentibus ſtatuti continuatio. Nam quod leges tempore electionis præſcriptæ à ſucceſſivis Imperantibus vetuſtate & dominandi artibus obſoleſcant, hoc ad politicam (n) non ad juris diſciplinam ſpectat.

* *Grot. d. cap. 3. §. 10. ſub fin.*

(k) SUPRA. *Lib. I. c. VII. §. 4. & 7.* item *Lib. I. c. II. §. 3.*

(l) MODO. *§. 3. b.*

(m) INFERIUS. *Lib. I. c. XXIIX. §. 9. ſeq.*

(n) AD POLITICAM. h. e. artes imperantium, & ad ea quæ facti ſunt, quibus familia per ſucceſſionem radicata ſibi ſenſim incrementa poteſtatis ſumit. Interim *electio*, quamvis reſtrictam Regi poteſtatem conferre cenſeatur, *ſucceſſio* liberiorem; tamen hæc perpetua non ſunt: quin ſæpè externâ ſpecie decipiunt. Neque verò ſucceſſio eſt titulus Imperii, ut libertatem imperandi ſive dominium majus conciliet; verùm Imperii veteris continuatio. Ita electio Regibus *Laconum*, de quibus *Grotius Lib. I. c. III. §. 9.* ne quidem veram poteſtatem Regiam, ſed ferè Præturam tantùm militarem, contulit.

XI. Cæterum, quod obſervatio hæc ad voluntaria, non ad violenta Imperia pertineat, res ipſa loquitur. Siquidem electionis * in his ceſſare libertatem manifeſtum, quatenus utique ſunt violenta. ** Dantur enim quæ partim talia, partim voluntaria ſunt regna in unitate Reipublicæ. Nempe ſi quis populus, Regem à ſe habens creatum, aliam gentem ſubigat, inque idem cum illâ corpus civitatis coëat, ut tamen maneat diſcrimen populi victoris & ſubacti. Tale fuit Mamaluccorum Imperium initio ſuperioris ſeculi à Selymo Turca extinctum: illi Ægyptum & Syriam arctiſſimo ſervitio tenebant, ſuos autem Reges eligebant ipſi. Turcici quoque Imperii initium non fuit aliud, quanquam hodie vix poteſt diſcerni poteſtas Imperatoris in originarios Turcas & ſubactas gentes. Eòdem pertinent Uniones Galliarum, quibus acquiſitas bello regiones in unum idemque Regni corpus adjungere ſolent. Quin & Romani Imperatores in populum & Italiam civile, ſuper provincias herile Regnum habuere. ***

* *Ita & Hobbes c. 4. §. 11. ſub fin.*

** *vid. Grot. d. cap. 3. §. 11.*

*** *quâ de re Sigon. lib. de Jure Civ. Rom. Ital. & Provinc.*

XII. Plerique Politici in definitione Majeſtatis requirunt, ut *perpetua* ſit poteſtas, quaſi temporarium Imperium non eſſet ſummum.

Sed hoc à philoſophiâ & juris ratione alienum putamus. (*o*) Quippe natura rerum mortalium non à tempore ſed ab effectis æſtimatur, qui poſſunt iidem eſſe in brevi tempore ac longiori. Æque igitur ſummam abſolutamque poteſtatem habent Rectores annui Civitatum quàm perpetui. Quod non modo de ſingulis, ut erant Romæ Dictatores, ſed & de ordinibus ſummis liberarum nationum, quorum perſonæ quotannis mutantur, ùt heìc in Friſiâ, (*p*) adfirmandum. Quibus nihilo minus juris quam Senatui Venetorum, utcunque perpetuo, adſcribi oportet; niſi quat. Legibus cujusque Reipublicæ fundamentalibus aliter ſit cautum.

(*o*) ALIENVM PVTAMVS. Imò alienum non eſt: cùmque *Auctor Cl.* exemplô *Dictaturæ* utatur, cum *H. Grotiô Lib. I. c. III. §. 11.*, id ipſum ante omnia removeamus. Quòd enim Dictator Romanus (quicquid ſit quod *ap.* Dionyſ. Halicarnaſſ. *Lib. V.* legitur, *Dictatorem* fuiſſe *abſolutæ nullique ſubjectæ poteſtatis, in omnibus quæ vellet aut ageret. Pacis & belli omniumque dominum rerum, omnèsque infrà ſe Leges habentem:)* *Majeſtatem* tamen non habuerit, ex ſequentibus conſcitur. (1) Quòd poteſtatem habuerit *delegatam;* eò quòd Populus ſibi propriam, ſaltim *actu primô*, retineret. (2) Dictator exhinc *Magiſtratus*, & quidem *extraordinarius*, ubique dicatur. vid. Lipſ. *d. Magiſtr. Pop. Rom. c. XVII.* & Pompon. Lætum *L. I. d. Magiſtr. Rom. c, XVI.* (3) Conſtitutus fuerit ſolùm *ad certos actûs*, velut ad componendas ſeditiones, bella gerenda; nec Populus ei majorem poteſtatem collatam voluerit, quàm *neceſſum* fuerat temporibus Reipublicæ corrigendis; ad quod *Curatoria poteſtas* omninò *ſufficiebat.* (4) Quòd *Italiam egredi* non potuerit. (5) Quòd *ſumtus facere* nequiverit ex ærario, *injuſſu Populi.* (6) Quòd poteſtatem *retinere* ipſi fas non fuerit, ultrà *ſex menſes:* Et inſipidus eſt Hornius *Lib. II. Pol. Arch. c. X. §. 3.* quòd Dictatorem ad Imperium reſtituendum non niſi *religione jurisjurandi* obſtrictum fuiſſe, ait; quô neglectô iſtud potuerit retinere, nec à quôquam exauctorari. Sic enim *Syllam* ſpontè deceſſiſſe, nec poteſtate populi, ſed ſponſione Dictatoris, poteſtatem temporariam effectam fuiſſe. Quæ quidem inſuper ipſi rerum actui & hiſtoriis non congruunt. (7) Quòd electus ne quidem fuerit *à Populô*, imò nec à Senatu; ſed vel Conſulum aut Prætorum aliquis, ad populum progreſſus, Dictatorem nuncupaverit. (8) Vix unquam fuerit Dictator aliquis ſine *Magiſtro Equitum:* Hic autem inſtar Præfecti Prætorio fuerat, ut ab eo provocari non poſſet. Quòd verò (9) Populus à Dictatore etiam *provocari* noluerit; illud tandem ob abuſum Legis, à *Valerio Publicolâ* latæ, placuit: quâ ſancitum fuerat, ut à Dictatore ad Populum provocare liceret: adeòque non facti utique, ſed *Juris*, fuerat illa provocatio. Quapropter è veſtigiô, quoties expedire populo viſum eſt, provocationem ipſe licitam eſſe decrevit. Cujus rei exemplum eſt in *Livio Lib. VIII. c. 33.* Ex quibus conſtat, Dictatorem non niſi *exercitium* habuiſſe *Majeſtatis*, idque dependens & revocabile; Majeſtatem non utique. Nec juvat *Grotium d. Lib. I. c. III. §. 11.* quòd actus eôdem Jure exercuerit, quô Populus: non enim omnes exercuit, non etiam eôdem jure, i. e. propriô & authenticô, ſed fiduciariô, & ùt Curator Reipublicæ. Quòd verò actûs ejus *irriti* fieri non potuerint: illud non proceſſit ex hypotheſi Majeſtatis; ſed quia *Populum* repræſentabat. Quô ipsô jus ſummum Regium & *independens* non habebat: cùm poſſit omninò Populus res componendas in arbitrium alicujus ita conjicere, ut is, *vice Populi*, *ultimò* eas componat & definiat. Porrò, quòd ait, Regem, etiam *temporarium*, ſeu qui ipsâ die electionis *morte abripitur*, Regem verè extitiſſe: id huc non pertinet, quia iſte propriô & perpetuô Jure Poteſtatem accepit, & tempore ſive morte potiùs, quæ omnia extinguit, *per*

acci-

accidens esse definit. Similiter Rex, qui se *abdicat* Regno, *suâ* id facit eâque *liberâ* voluntate: atque hic pro mortuo haberi potest *ab internô principiô*; temporarius autem *ab externô*. In Dictatore verò tempus ipsum per se & directò potestatem illam modificat. Hinc quidem duratio temporis, in se, circumstantia externa est, si absolutè consideretur; in Dictatore autem, & non minùs quôlibet Imperante temporariô, si disertè ad tempus pactô restringatur Imperium, duratio ideò potestati fit *intrinseca*: quia frænum est potestatis, eâ de causâ injectum, ut ne Majestatem veram sibi occupet; ipseque Populus, etiam superstite illô & finitâ causâ, exercitium suæ Potestatis ad se recipere velit. Nimirum quòd deponat Princeps temporarius finitò tempore imperium: id non pendet *à tempore* simpliciter; sed cùm *cogi* ille possit ad deponendum à Populo, imperio illius *superiore*: hinc pendet ab Imperio Populi. Nec ullibi habetur, quòd Dictator depositô imperiô non obstrictus fuerit *ad rationes* reddendum populo. Quâ ratione tempus quidem formam Imperii in se non determinat, quoad exercitium actûs; sed tamen quoad Jus Potestatis: quô ipsô temporis restrictio infirmitatem potestati injicit; quæ cum Majestate, characterem perpetuum requirente, consistere non potest. Neque verò solùm ratione *Dignitatis*, ùt illi putant, prærogativa est in imperio perpetuo; sicut omninò *modus habendi* ad Dignitatem facit: verùm etiam ad *naturam* ipsam *Majestatis* facit duratio; quæ quidem ad naturam *cujuslibet* Summæ Potestatis, v. c. *Magistraticæ*, nil faceret. Quin & modus habendi *pacto* subjici potest, sed non etiam *tempus*, quod omnia perimit: exequente illud populô, vi hactenùs *pactô* solùm *suspensâ*. Unde nec de *rerum privatarum* juribus ad Majestatem arguere convenit. Nec sequitur in Jure Civili, qui *Dominus* ad tempus est, item qui ad tempus *obstringitur*, ille verè interim est Dominus *l. 66. d. R. V.* & hic verè obligatus. Utique & *temporarius Magistratus*, à quô provocari non potest, verè habet *Imperium summum*; sed non habet verè *Majestaticum*: neque *suô jure*, ùt nec habet *Curator Pupilli Regii*; (de quô ipse *Grotius d. l.* ubi quidem quando *tutores* quosdam habuisse *veram Majestatem* ad tempus tradit: intelligit hoc non aliter, quàm quòd summam *auctoritatem* à populo acceperint.) Denique *ab effectu* frustrà assumatur formæ rerum civilium. Sic enim *Status Imperii* plurimos effectûs, qui Majestatem referunt, in suis territoriis edere videmus: sic etiam *Nobiles immediatos* effectûs plures, qui Superioritatem Territorialem referre videntur: nec tamen hîc est Superioritas, aut ibi Majestas: Imò effectus hôc ipsô *efficienti secundario* tribui non potest, qui à *primô*, velut hic Populô, dependet: eùm & *Delegatus* eundem effectum inducat, nec tamen illi potestas delegantis adscribi possit. Illud planè huc non pertinet, quod de *Rectoribus annuis* Civitatum adducit *Auctor*: nam in esse *Magistratûs* nil quidem interest, an ad tempus quis fasces teneat, an in perpetuum; quippe quòd penes neutros Majestas Civitatis consistat. Ipsa verò *Majestas* non patitur, ut qui semel Regiô axiomate insignitus est, in privatorum ordinem aliquando transscribatur; sicut nec ad tempus uxor aut filius assumitur. Ex his itaque rejiciendus est non minùs *Hornius d. l.* ubi quidem species similes ex Historiâ veteri adducit, ùt fuerant *Æsymnetæ* apud *Mytilenenses* & *alii*; quanquam diversæ, nec eædem conditiones, capitum ejusmodi temporariorum, fuerint. Est quoque observandum, quòd malè dicat *Hobbes. c. VII. d. Cive. §. 16. & c. IX. §. 11.* temporarios esse Reges, qui potestatem *ad tempus vitæ* accipiunt: Quos & usufructuariis ita comparat, ut solùm usum Imperii habere censeantur; dominium verò ejus penes populum remaneat. Videlicet *Hobbesius* non putat Majestatem Regi competere, qui successorem sibi constituere non possit. Eòdem redit ferè, quod in *Leviathan. c. XIX.* habet, quasi Reges *electitii* Summam potestatem non habeant.

(*p*) UT HEIC IN FRISIA. Cùm itaque *Legati Ordinum Hollandiæ* ad Comitia, nihil aliud sint quàm *Mandatarii*, & delegantes eos infirmare acta illorum possint. In *Frisiâ* tamen *Cl. Auctor*, putat exemplum *Optimatum* quoque *temporariorum* reperiri, quod & *c. XXXIII. inferiùs* proponit. Nam ibi Populum, tradit, Legatos suos mittere ad Comitia cum plenâ potestate statuendi, quod ipsis è Republicâ videatur, sinè specialibus mandatis & sinè rationum redditione, vel ut populus acta delegatorum suorum infirmare queat. Et sic ibi factam esse translationem Summæ Potestatis annuam duntaxat. Verùm ùt nec *Aristocratia temporaria* datur; quæ quidem

dem faciliùs dari poſſet, quàm *Monarchia temporaria*, eò quòd in hâc Imperantis ſanctimonia & inviolabilitas major exiſtat: ita de re ipsâ pluribus ad *d. c. XXXIII.* videbimus.

XIII. Magnitudinem parvitatemque civitatum nihil facere ad diverſitatem (*q*) ſummi Imperii, modo ſuperiorem non habeant, facilius intelligitur. Niſi quod enormis quandoque differentia diſtrahat judicia hominum. Adeò ut Raguſam Illyrici, & Genevam Allobrogum urbes, principatusque Arauſionum, iisque minores Ithacam olim Ulyſſis æque ſummam habere poteſtatem, atque Turcarum Gallorumque vaſta Imperia, gravatè exiſtument. Majeſtatis tamen vox licet uſu populari ſummæ poteſtati adæquata, tamen id ex uſu antiquo retinuit, ut ſimul dignitatem amplitudinemque requirat majorem quam ut nimis exilibus civitatibus congruat.

(*q*) Ad diversitatem. Equidem non officit, quò minùs *ſummam poteſtatem* parva etiam habeat Respublica; & perperam nonnulli *decem Diœceſes* ad Regnum requiſivere, *ap.* Arniſ. *L. I. d. Republ. c. V. ſect. 6.* Facit tamen ad gradum *dignitatis*, ùt ipſe *Auctor in fin. hic* innuit. Nec poteſtas illa eundem vigorem habet, quô ſibi conſtat Respublica magna, quæ *poteſtatem* ſuam *potentiâ* ſatis validâ tueri poteſt: adeò ut licèt potentia primariò ad conſtitutionem poteſtatis non faciat; tamen ad *exercendam* illam conferat plurimum. Hinc in *Imperio* quoque *Romanô* Statûs conditio, (quæ tamen *Majeſtatica* non eſt verè, ſed analogicè,) æquè competit imbecilli, ac potenti: Et huic tamen ob potentiam *effectûs ſingulares* tribuuntur, qui in ſerie cauſarum civilium jus peculiare *Potentatûs* producunt: quô unicè valere illi cenſentur, qui ad inſtar Regum Jura ſua, tam contrà vicinos Conſtatûs ſuos, quàm exteros, juſtô robore aſſerere & vindicare poſſunt. Interim aliquando *Civitas*, licèt *exigua*, ſe tueri poteſt æmulatione vicinorum, vel ob cauſas alias. Exemplum eſt in *Palmyrâ* urbe, *ap.* Plinium *V. Hiſt. Nat. c. XXV.* & in *Sagunto*, *ap.* Liv. *XXI. Hiſt. c. III.*

XIV. Poſtremò, ſæpius evenire docent hiſtoriæ, ut nomina ſummæ poteſtati conſueta, tribuantur iis, qui rem nullo modo habent. Quod de Regibus Laconicis & Germanis olim, hodieque Polonis (*r*) ipſisque pene dixeram Cæſaribus, ne de Venetorum aut Genuenſium Ducibus loquar, adfirmari poteſt. Ex adverſo, non paucos invidiam ſummæ poteſtatis popularibus verborum imitamentis declinaſſe, docent nuncupationes *Principum* (*s*) & *Imperatorum* Romæ, noviſſimèque, in Anglia *Protectorum*, aliaque alibi terrarum.

(*r*) Polonis. Et tamen cùm non modò Rex Poloniæ præcipua quædam jura Majeſtatis *Monarchicè* teneat; ſed etiam aliquando plura, quæ poſtmodùm Ordines Regni occuparunt, obtinuerit. Hinc eidem non modò titulus hodiè, ſed & Reverentia Majeſtatis, etiam à Regibus aliis & Rebuspublicis, tribuitur; ſecùs atque *Duci Venetiarum*. Nec enim dubium eſt, in *Statu mixto* Principem ſive Monarcham *veram* habere Majeſtatem, etiam quoad *ſummitatem*; licèt *plenam* non habeat. Illud ſanè indignum eſt, quod conſtare hic *Auctor* ait, de *Cæſaribus*, Illis nullô modò ſummam Poteſta-

testatem competere. Nam hoc ne quidem refelli meretur. Quod verò de *Germaniæ* antiquis *Regibus* memorat: id ipsum ex *Commentatoribus* ad *Taciti Germaniam* illustrari potest. Et sanè hos etiam solos habuisse *potestatem*, quamvis cum *libertate* Populi sui *mixtam*, constat potiùs, quàm ut cum Regibus *Laconicis* conferri possint. vid. *H. Grot. Lib. I. c. 3. §. 10.* ex quô species illas Regum *ap. Lacones* & *Germanos Auctor* strictiùs retulit, quàm debebat. Cæterùm *Administratio* Reipublicæ differt sæpè ab *interiori* potestatis *constitutione;* nec ulla potest consistere Aristocratia vel Politia, nisi illa *speciem* Principatûs, hæc speciem Oligarchiæ induat. Imò si *vim* Imperii, non etiam ipsum *Jus*, spectes, *Ministro* quoque vis Imperii sæpè competit; sicut ab excessu *Henrici IV. Gall. Regis* penes *Ancræum* erat Galliæ Regimen, mox penes *Luynæum* erat, cui *Magnates* successêre, & paulò post *Richelius*, dehinc *Mazarinus*. Ita *Julius Formosus* quidam: in universum, ait, omnem Majestatem, in Personis Regum, externum potiùs splendorem, quàm vim & potentiam veram, plerumque designare; Regum verò salutem in eo esse, si summam Reipublicæ ipsi teneant.

(*s*) PRINCIPUM. Quasi *Principes* in Senatu, *Imperatores* in bello: Et sic *Cromwelus* Rempublicam Angliæ, *Protectoris* nomine, nec tamen primus, occupavit. vid. *Politicum sine exemplo*, & nuper de vita *Oliv. Cromwelli* plura alia. Vicissim in *Germania* popullis olim *Regna* vocabant, quæ tamen *Principatus* erant. H. Grot. *I.*, *3.*, *10.*

XV. Denique summam potestatem evidenter aut tolli aut minui putant multi, cum in Regno constitutum est, ut decreta principis non aliter valeant quam in aliquo senatu recognita & approbata sint: At hoc ejusmodi est, quod sæpè fallit, cum plerumque magis id prudentiæ quam juris (*t*) sit institutum. Non ut inde vis imperii pendeat, sed ne Principes decipiantur à supplicantibus.

(*t*) MAGIS PRUDENTIÆ QUAM JURIS. Quò referenda est *l. 8. C. d. LL.* ubi spontè Imperatores valere nolunt, quicquid sinè consiliô Senatûs edictum aut rescriptum fuerit. *Juris* autem esse dicunt, quando placitum ejusmodi non est *in arbitrio Pricipis*, ut reverti scilicet ad licentiam priorem, & spernere Senatum nequeat: Tale quid esse in Imperio R. Germanico, dum *Imperator* recedere à pactione, quâ *Consensum Statuum* adhibiturum se esse, in rebus magni momenti, spopondit, non potest. In *Gallia* quoque antehàc Senatus *Parisiensis* seu *Parlamentum* hoc *jus* habuit, ut Edicta Regum non valerent, nisi recognitâ; quod tamen Jus Reges jam pridem subegerunt. Et tamen sive prudentiæ hoc sit, ne facilè Princeps labi possit, aut effrenis arbitrii incusari; sive Juris, h. e. necessitatis: neutrubi quidem per se *Potestati* summæ officit: quò & *H. Grot. Lib. I. c. III. §. 16.* inclinare videtur, quando ait: Summum Imperium esse non desinere, licèt Imperaturus promittat subditis aliqua, (hoc verò juris est, & necessitatis,) etiam talia, quæ ad Imperii rationem pertinent; quamvis in ipsam facultatem illa cadat obligatio: Quia non reddatur casus hoc actu nullus ex vi superiori, sed ipsô Jure, h. e. *voluntate* Principis ipsius *antecedanea*. Interim sicuti certum est, necessitatem obligationis in Rege cum libertate & summitate Majestatis non pugnare: ita nihilominùs illa, in quæ spondet Imperaturus, ita comparata esse oportet, ut ne in iisdem quicquam ex *potestate* populo relinquat: Sic enim plenam Majestatem Ipsum tenere nemo dixerit. Equidem Imperatorem R. G. quod concernit, consensus Statuum, quem necessariò ex pacto *Capitulationis* adhibere obstrictus est, sicuti non *causam* efficit *producti* icem actuum, sed tantùm *conditionem sinè quâ non*: quippe quòd Ipsi Imperatori soli & uni *Jura* omnia Majestatis, & sic potestas Imperii summa, tribuatur, nullô Statibus retentô vel reservatô Majestatis Jure: ita *exercitium* quoque jurium istorum Cæsari nihilominùs manet integrum, & solùm *modum exercitii* adhibitio illa consensus Statuum conficit.

XVI. Denique nihilo magis variatur summa potestas, exinde, quod qui habent illam, ob privatas causas in jus vocari soleant. Cum id fiat ex voluntariâ submissione in illis, quæ principes non ut capita (u) Reipubl. sed ut membra societatis civilis contrahunt.

(u) Non ut capita. Hôc ipsô, quòd *privatas* causas hîc supponat *Auctor*, & quæ ex juribus illis, quæ Principi cum privatis *communia* sunt, dirimere oporteat; etiamsi ex *legibus civilibus* definiendæ forent: quibus, quâ ratione Princeps vivere possit, illæsâ Majestate, superiùs *cap. VI.* expositum est. Quid verò si *rationem Imperii* Princeps reddere teneatur *Comitiis?* Ita verò si hoc ex necessitate juris fiat, ex Majestate omninò quid delibat; secùs si *sponte* & *fiduciâ causæ* ad hoc se offerat imperans: cùm & *Deus* apud Prophetas ad disceptandum cum hominibus, super causæ suæ justitiâ, se declaret. Illud utique falsum est, quod *Hippolith. à Lapide* docuit, *P. I. c. III. Rat. Stat. Sect. 2.* quasi *Judicium Palatini*, de quô in *A. B.* mentio fit, in Cæsarem quoque valeat; quatenùs Ille Imperio Ipsum rectè non præfuisse accusari queat. Nam hoc ne quidem verosimile est, indeque id negant tutiùs Schütz. *vol. 1. Disp. 7. th. 21.* Becker. *L. II. Synops. c. VII. §. 17.* add. Rümelin. *p. I. ad A. B. D. 5.* & Strauch. *in Exoter. p. 705.* Imò totum illud Jus *Palatini* dubium penitus, indeque explosum reperitur, integrâ *Deductione* apud *Lundorpium*. Saltim hoc admitti potest, cùm antiquitùs Præses Judicii Aulici Cæsarei *Comes Palatinus* fuerat, & Cæsar in causis privatis, Imperium nullatenùs attinentibus, conveniri se coram istô Judiciô, sive *Comite Palatino*, dem Hof-Richter, pateretur: (non aliter, atque hodie Ipsi Electores & Principes *in Curiis suis Provincialibus* lites, eum subditis quoque suis, spontè suscipiunt:) Inde *Judicii* & *Palatini* memoriam in *A. B.* irrepsisse: Nunc autem ubi *Comes Palatinus* ex *Aula* secessit, mutatâ penitùs rerum facie: conveniri *Imperatorem* coram suô *Judiciô Imperiali Aulicô* adhuc dum posse; sicuti nec judicii Comitis Palatini, ab eô tempore, quô ab Aulâ secessit, *exemplum* ullum in Historiâ reperitur.

Illud tandem quæritur: An verè *Majestatem* habeat, qui eam cum *Clausula Commissi* tenet? h. e. si fidem fallat, ut tunc Regnô cadat? *Affirmat* H. Grot. *Lib. I. c. III. §. 16.* quasi *modus habendi* solùm per conditionem hanc imminutus sit. At verò, sicut Ille *temporarium* quoque Imperium, cui istud *Commissorium* non absimile esse, ait, Majestate constare autumat; quod tamen cum potestate non quidem summâ, sed tamen *Majestaticâ* pugnat: (ceu quidem ubique potestas *summa* in se & simpliciter spectata, quippe quæ Magistratuum quoque esse potest, & extra Statum Reipublicæ Majestaticum, ab ipsâ potestate eximiâ Majestatis discernenda est; quippe quæ Sanctimonia peculiarem habet, indeque inviolabilis & perpetua haberi debet:) Ità in hoc meritò deseritur. Et injurius est in Cæsarem *Limnæus*, quando Clausulam Commissi inesse *Capitulationi* tradit; quæ tamen nil ampliùs continet, quàm si quid adversum Juribus rescribat vel decernat Cæsar, quod illud pro inefficaci & nullô habendum Ipse velit.

Caput XV.

Quatenus summa potestas per fœdera mutetur.

ARGUMENTUM.

Minores populos conjungi vel per unionem civitatis vel per fœdus arctum, quo etsi cuncta belli & pacis quaque ad defensionem necessaria communicentur, summum tamen jus omnium illæsum manere posse, quod exemplis probatur. Perimi tamen singulorum jus sum-

summum, quatenus plurium suffragia pauciores sequi cogantur. Idem juris esse in fœdere inæquali, etsi unus populus majestatem alterius observare debeat, imò etsi judicia quædam à superiore in fœdere super alios exerceantur; quod tamen non licet aut universis sociis aut uni superiori, nisi quatenus expresiè convenerit: at si provocandi jus detur civibus singulorum, per hoc desinere summam esse potestatem. Quod autem ipsi socii ab reliquis cogi & plecti, quod tributa, milites exigi possint, non officere summæ potestati; denique & eos, qui victi ad tributum adiguntur, etiam vasallos, posse habere summam potestatem.

I.

PArvitas (*a*) civitatis adeò nihil detrahit juri summæ potestatis, ut non alibi magis doctrina ejus conspicua sit, quam ubi singulis urbibus Imperia terminantur. Veteres sane de *civitate* agentes hanc simplicissimam explicare solent. Utique per Europam ante Macedonum & Romanorum arma vix aliæ societates publicæ extabant. Athenæ, Sparta, Sicyon, Argos, Corinthus, Thebæ, Roma & quicquid alibi clarum fuit, hoc exemplo gubernabantur. Nec ulla res æque Philippo Macedoni adversus Græcos, Romanis contra Italos & in Hispanis Gallicisque bellis quam hæc minuta populorum divisio profuit. Dein per victorias, aut, suadente utilitate, consensu factum est, ut in majora corpora plures populi coalescerent. Quod vel per unionem civitatis vel per modum fœderis arcti contingere solet.

(*a*) PARVITAS. *add.* not. *ad cap. praced.* §. 13.

II. Prior ratio extinguit summam potestatem, ita ut qui prius imperabant, nunc imperata faciant. Nam quæ antea fuerant civitates, jam membra majoris civitatis factæ nihil aliud quam subjecti corporis partem constituunt. Idque tàm in plurium quam Unius Imperio ex æquo obtinere certum est.

III. Fœderis arctioris, ubi tamen non fiat σύγχυσις πολιτείας, plurium confusio civitatum in unam, variæ sunt species, quarum nulla summam potestatem lædit. In universum est vel æquale vel inæquale. Quod est æquale, id non officere summæ potestati per se patet. Saltem restringit libertatem faciendi quod velis in ea re, de quâ convenit. Quod etiam in naturali plenissimâque libertate (*b*) potest fieri. Ita fœdus Amphictyonicum (*c*) quod universæ Græciæ unum in publicis cau-

 sis

ſis tribunal ſtatuebat, ſingulis Græciæ civitatibus non ademiſſe poteſtatem ſummam extra controverſiam eſt *. Sed fœdus Ætolicarum & Achaicarum nationum (*d*) videtur unam feciſſe de pluribus Rempublicam, ut ex Polybio ** colligitur.

* *vid. Ubb. Emm. de Græc. vet. tom. 3. de Concil. Amphict.*
** *l. 2. c. 38. Juſtin. l. 34. c. 1. Ubbo Emm. d. tom. 3. d. Rep. Æt. & Ach.*

(*b*) Plenissima libertate. Hinc vana ſunt argumenta omnia *Hippol. a Lap.* cum ſequacibus, à *neceſſitate*, quæ Imperatori Romano ex Capitulatione, vel Juribus Imperii, in actionibus ſuis incumbit, deſumta: quibus *Ille* hôc ipsô *liberæ* ſummæque *Poteſtati* Cæſaris detractum eſſe argutatur.

(*c*) Foedus amphictionicum. Dictum ab *Amphyctione*, tertio *Rege Athenienſium*. Poſtquam enim *Cecrops*, tempore diluvii Deucalionis, *Anno Orbis 2390.* primus Athenarum Rex *Areopagum*, ad jus dicendum in cauſis majoris momenti, conſtituiſſet; quanquam iſtud *Scaliger* ad Regem XII. *Demophoontem* referat; judicium Amphyctionicum à ſuo nomine, dictus Amphyction, (qui anno 2449. imperare cœpit,) in hunc finem inſtituit, ut Græci univerſi quotannis, in commune iſtud Conſilium, *bis* coirent, & ſecundùm *Leges Amphyctionicas*, quæ ad inſtar *Juris Communis* erant, & ſupplementum Jurium, in ſingulis civitatibus obtinentium, per *Pylagoras* (nam ita *Aſſeſſores Tribunalis* dicebantur, & ipſi conſeſſus eorum *pylea*,) judicaretur. Et quidem habebatur primùm in *Theſſaliâ* ad *Thermopylas*, poſteà verò in *Phocyde*, propè *Delphos*.

(*d*) Ætolicarum. Complectebatur *Græcia* propriè dicta, ſive *Hellas Ætoliam*, in qua Chalcis, *Doriden*, in quâ Pindus, *Atticam*, in quâ Athenæ. Coierant verò *Ætoli* & ipſi, exemplo Achæorum, in *unam Rempublicam*, & creſcentibus rebus ſecundis implicabant ſe bellis variis: ita ut de *Achæis* etiam *opprimendis* ſubinde conſilia agitarent; eumque in finem cum *Antigono* Macedoniæ, & *Cleomene* Lacedæmoniorum Rege, fœdus pangerent. Sed *Achæi* Macedonem ſibi conciliabant, ut ipſe in Ætolos & Spartanos verteretur: ſicut & *Spartâ* potitus eſt; *Ætoli* verò à *Philippo* Demetrii filiô, Macedonum Rege, ab Achæis in auxilium vocatô, in Ordinem redacti, tandem *Romanis* in prædam ceſſerunt: deletô ipſorum nomine, & cum hoc etiam ipsô *Panætoliô* & conciliô communi, in quod *ad Rempublicam ordinandam* quotannis coire conſueverant; ſicut apud *Polybium Lib. XIV.* proditum eſt.

(*e*) Et achaicarum nationum. Deſcribit originem & conſtitutionem Corporis *Achaici* ex Græcis Auctoribus, & Urbes ex quibus Corpus illud conſtitit, enumerat, ſimulque formam ipſam Statumque Reipublicæ exhibet *Ubbo Emmius, p. III. Græciæ veteris, p. 274.* ex quô non minùs atque ex *Polybio* hîc citatô apparet, quòd exemplar egregium benè conſtitutæ Reipublicæ penes Achæos fuerit: & ex *Juſtino*, quòd *unum* Corpus & unum *Imperium* habuerint; indeque Romani Legatis ſuis occulta mandata dederint, ut Corpus Achæorum diſſolverent, ſingulasque Urbes proprii Juris facerent. Proinde Scriptores eos, qui hodiernum *Romanum Imperium* Achaico fœderi comparant, Illis quidem, (ut vulgò putatur,) non accedere patet, qui Imperium noſtrum non eſſe unam, ſed *plures* unô fœdere contentas *Reſpublicas*, ſtatuere annisi ſunt. Quamvis enim *Kulpiſius* in *Diſſert. d. Unitate Reipubl. in S. R. Imp.* eô nomine iſtos reprehenderit; tamen ſatis ex *hiſtoriis* intelligitur, quòd *Achaja* non complures Reſpublicas continuerit, æquè ac Corpus illud *Amphyctionum*, quod Achivis comparat *Strabo Lib. IX.* & *Lyciorum*, apud *Eundem Lib. XIV.* Sicut verò Achæi ſub *Philopæmone*, Prætore ſuô, vel maximè efflorescere cœperant; adeò ut eundem in ſocietatem Romani allicerent: ita etiam cum eô contabuit gloria Achaica. Nam Romani, quibus Peloponneſi totius vires in unam Rempublicam coiviſſe grave videbatur, exſtinctô iſtô, Spartam, Argos, Corinthum &c. à fœdere per aſtum ſepararunt, & cauſam belli dehinc adverſus Achæos cæteros, ex læſione honoris Legatorum

torum suorum, arripuerunt. Bellum cœpit *Metellus* & confecit *Mummius*; à quo Corinthus excisa penitùs, abolitum Concilium Achaicum, & *Græcia* universa *in Provinciam* redacta est.

IV. Potest autem belli & pacis, contributionum, omniumque rerum ad communem defensionem pertinentium communio haberi, salva singulorum sociorum potestate summâ. (*f*) Etsi cunctis partibus integra non sit: nam in iis, quæ communia sunt facta, & in quibus coeuntium suffragia numerantur, singuli non habent potestatem, sed omnes pariter. Attamen omnia, in quibus sententiæ non prævalent numero, (*g*) manent singulorum, & sic nihil detrahunt Majestati.

(*f*) POTESTATE SVMMA. In exemplum est *Belgium fœderatum* quod fœdere *Trajectinô* arctissimè quidem conjunctum est; ut tamen salva manserit *singularum Provinciarum potestas*: v. H. Grot. *d. antiqu. Reip. Batav.* quippe quòd solùm res illæ exceptæ sint, quas *ex fœdere* ad *universitatem sociorum*, seu *Ordines Generales*, deferre oportet. Nam istas duntaxat non singulæ, sed *omnes* pariter, exercent; ut tamen etiam quasdam præcipuas facultates prærogativæ *numeri suffragiorum* exemerint. In *Helvetiorum* autem *Republicâ* fœderatâ minor est aliquantum conjunctio, quàm in fœderato Belgio. Sed in *Germanicô Imperiô* fœderata conjunctio nulla. Nec admitti potest, si non *species* fœderis sit in Germaniâ, *rem* tamen esse: & falsum est, quòd Status Germaniæ tribuant solùm *nomen* Majestatis Cæsari, qui sit *Princeps fœderis*, eumque prosequantur *imitamentis* Majestatis: quòdque Principes Imperii Statûsque sint *independentes*, & omnibus ferè *juribus Majestatis independenter* à Cæsare utantur: adeò ut ne quidem tam arctè constringantur ùt Belgæ. Porrò differre *Superioritatem* territorialem à *Summâ Potestate* solùm *modô*, non *specie*; sibi verò *Majestatem* non tribuere Statûs, quia nec illam tribuant *exteris Regibus*, sed soli Cæsari suo. Enimverò, *Status* etiam *Regibus exteris Majestatem* tribuere, satis constat. Cur verò aliquando scripserint ad Reges *Vestra Regia Dignitas*, & quidem *ex Comitiis* Imperii, illud ad *Notit. Imp. Bœcleri* expositum est: ubi simul omnia, quæ perperam de *fœdere Germaniæ* adferuntur, solidè ni fallor, refutavimus.

(*g*) NON PRAEVALENT NVMERO. Esto tamen, conventione placitum esse inter fœderatos, ut ex *majori numerô* suffragantium negotia publica pendeant: Utique minora suffragia per hoc Majestatis vacua haberi non possunt, ut nec ipsæ *Respublicæ*, quarum illi suffragantes *delegati* sunt. Neque enim vincuntur aliquâ potestate *superiore*, sed suô arbitriô & votorum plurium *pondere*. Quod egregiè explicavit *Lampad.* in *Tract. d. Rep. Rom. Germ.* ubi de *Comitiis Stat. Imp. Germ.* agit. *vid. Auct. §. 5. in f. h.*

V. De fœdere inæquali (*h*) plus est dubii; inprimis distinguendum, utrum onus transitorium vel an permanens alterutri imponatur. * Nam si quæ præstatio ratione sumptuum belli redimendæve injuriæ quæ transit, uni præ altero injungatur, id palam est, non officere Juri Majestatis. Nec quidem si convenerit, ut populus unus comiter alterius principis populive majestatem conservet. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum principem populumve ratione dignitatis esse superiorem, non quod libertati summæque alterius potestati

quicquam decedat. Quemadmodum clientes nostros intelligimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate neque dignitate nobis pares sint.

Vid. Grot. d. c. 3. §. 21.

(*b*) Foedere inaeqvali. Equidem de inaequali foedere, quod vel tale dicitur ratione *virium*, & inde *praestationis minoris*; licèt *permanens* haec fuerit: vel etiam quod actum *transeuntem* habet, dum v. e. in amicitiam & foedus recipitur, qui hostis antea fuerat, si impensas belli finiti solvat: non adeò quaeritur; ùt rectè *H. Grotius §. 21. h. c.* sed, ùt in versu: *Nec quidem.* &c. apud *Auctorem* sequitur, quando ex vi pactionis permanentem aliquam foedus conventionem habet, ut alter alterius Potestatem & Dignitatem eum praelatione quâdam conservare obstrictus sit; quale Foedus *Aetolorum* tum Romanis fuerat. De quô tamen *Auctor Cl.* rectè cum *H. Grotiô* affirmat, quòd inferior in foedere non propterea alterius Potestati suppositus sit. Neque enim *patrocinium* in Cliente ne quidem libertatem *personalem* tollit: quippe quòd hic *in fide* tantùm sit patroni, non etiam in illius ditione (nec verò de *Clientibus*, quales *Thessali* & *Athenienses* habebant, sermo est, qui eosdem tractabant, ùt mancipia; sed quales *Romani*:) und giebt Schutz und Schirm-Recht keine Obrigkeit. vid. *Magerum* de *Advocatia Armat. c. X. n. 368.* Gail. II. O. 54. Boekelium *de Jure Protectionis*, Heiderum von Reichs-Vogteyen, & quae ad *Beclerum Lib. I. Notit. Imp. Rom. Germ. c. III.* dicta sunt. Accedit quòd *inaequalis amicitia* aliàs quoque nullum inter amicos pariat imperium; atque hoc est quod Auctor dicit: Superiorem alterum non esse Potestate, sed *Auctoritate* solùm & *Dignitate*: Idem quod *Grotius d. l.* Quem in sensum quoque accipiendus est *Proculus* JCtus, quandoin *l. 7. §. 1. d. Captiv. & Postlim. reversf.* alterum superiorem esse tradit.

VI. Quin imo etsi convenerit, ut apud commune foederatorum concilium vel eum qui in foedere superior est, cives singulorum civitatum certis ex causis rei fiant damnatique puniantur, (*i*) id nec ipsum potestati summae adversari docet Proculus JCtus.* Nam & in aequali foedere potestas decidendi sociis reliquis aut certis personis ex pacto deferri potest.

* *in l. VII. ff. de captiv. & postlim. reversf.*

(*i*) Rei fiant damnatiqve pvniantvr. Huic dubio non satisfacit *Auctor*, sed potiùs principium petit, quia de hoc disquiritur: an pactô fieri id possit, illaesâ Majestate foederati inferioris, ut illius populi cives apud nos rei fieri queant, & in eos damnatos animadvertere possimus? Sicut autem in aliis, ita non minùs in hoc articulo Auctor *H. Grotium* pressè sequitur; qui verò licèt *d. cap. III. §. 21.* varia de punitione subditorum populi foederati commentetur; tamen ea ad locum *Proculi* solvendum quicquam non faciunt. *Pufendorffius Lib. VII. c. V. §. 18.* cùm is locum hunc *L. 7.* impeditum esse videret, nihilominùs planissimam responsionem suppeditasse vult, quandò *d. l. §. 1.* ad jus, & *§. 2.* ad factum referendum esse cupit; quasi cùm *Proculus* in antecedentibus dixisset, quid ex naturâ foederis fieri deberet: deinceps addiderit, quid factum fuerit, quando Romani socios deinde, ùt bellô victos, tractaverint. Et tamen utique *Proculus* nil, quod facti est, insinuat; quippe quòd haec verba: *fiunt apud nos rei &c.* sensum Juris & ipsa contineant. Igitur eùm non possit non jure Majestatis, saltim aliquô, excidere Civitas, quae *jus vitae & necis* in suos cives *alteri* civitati *permittit*: Ideò cùm & *Antonius Matthaei d. Crim. ad Tit. de Laesâ Majestate*

ſtate cap. VI. doctrinam *Proculi* penitùs evertat, indeque expoſitio ejus, ſi quæ alia, planè à mente *Proculi* aliena, ipſique veritati Hiſtoricæ adverſa ſit: rectiùs dicemus: Romanos cives ideò à populô fœderatô, ſi penes hunc deliquiſſent, plecti non potuiſſe, ipſisque immunitatem à pœnâ pactos fuiſſe Romanos; idque ſalvâ populi ipſius Majeſtate potuiſſe: quia nec poterat pœna capitalis ſtatui in *Civem* Romanum, *intrà fines Romani Imperii delinquentem*, inconſultô Populô Romanô. Quâ ratione multò minùs facultatem illam peregrino populo, ſi hoc declinare liceret, permittebant. Quin potiùs ſibi paciſcebantur, ſi quis civium Romanorum, in finibus iſtius populi, delinqueret: ipſum vi pacti Romam, ut puniretur, *remittendum* fore; cujus generis remiſſionum hodienum, inter diverſarum ditionum Dominos, nullâ poteſtatis alterutrius diminutione, ſubinde frequentantur. At verò peregrinum, populi fœderati ſubditum, ſi in ſuô deprehenderent Romani, eundem meritò, juxta regulam, pactô non reſtrictam, in *foro delicti & deprehenſionis* puniebant; eaque fœderis fuerat *inæqualitas*. vid. *l. 3. d. Off. Præſ.* ibi: *In extraneos. Nec diſtinguitur unde ſint. &c.*

VII. Sed absque conventione nec unus ſociorum nec commune concilium, cui adminiſtratio rerum ad fœdus pertinentium committitur, jus dicere poſſunt de capite fortunisque hominum qui ſunt in ſingulis civitatibus. Niſi conſtet eos, qui præſunt civitati, nolle in ſuos, qui contra fœdus deliquerunt, animadvertere, imò illos recipere in publicam protectionem. Tunc enim ſocios habere jus, ejusmodi maleficos ut hoſtes capere & damnatos punire, non quidem imperii ſed magis jure belli dicendum videtur. Si manifeſtum ſit delictum, & contrà fœdus admiſſum eſſe; alioquin hoc obtentu jura ſociorum conſpiratione plurium è ſociis violari poſſent.

VIII. Obſervandum eſt etiam, poſſe fieri, ut tales ſocii certo reſpectu unius inſtar civitatis obtineant. In iis ditionibus, quas jure belli communiter partes per commune concilium regunt. Adeò ut in his plurium conſenſus pro omnium voluntate per omnia abſolutè habeatur.

IX. Verùm enim verò ſi provocandi facultas daretur civibus ſociorum adverſus acta ſuorum Imperantium ad aliquem ex fœderatis, vel ad commune concilium, tum manifeſto læderetur ſumma poteſtas. Non æque ſi ordines ſummi, unius ſociæ civitatis, de rebus inter ſe controverſis ad commune concilium ex pacto rem deferre (*k*) cogantur.

(*k*) Ex pacto rem deferre. Cui quid ſimile olim placuit Civitatibus quibusdam *Hanſeaticis.* de quo *Mevius* ad *Jus Lubec.*

X. Quin etiam cogi & plecti (*l*) poteſt ſocia civitas, quæ legibus fœderis ſatis non faciat, quæ res adeò juri ſummo non obſtat, ut nec fœdus inæquale conſtituat. Siquidem aliter fieri nequit in ſtatu naturali,

rali, quo sunt fœderati, quam ut alterum promissis non stantem vi & armis compellat.

(*l*) Cogi et plecti. Sed non item *puniri*, ne quidem si de casu fœderis, ob conventionem dissoluti, agatur; quæ *H. Grotii* est sententia. Nec enim jus puniendi in alterum, nisi ex jure *Potestatis superioris*, competit; ùt *inferiùs* ostenditur. Quæ verò est *in Ordinem redactio*, seu ut Leges fœderis alter observare teneatur: illa non est vis *Majestatis*, sed impressio potiùs & adactio quædam, inter æquales; quæ nec semper bellô, sed *indignatione* sæpiùs aut minis, conficitur. Sic & *paritio*, si quam dicatur fœderatus inferior alteri debere, *effectu* tandem similis esse potest subjectioni; sed *causa* talis non est: ùt rectè hactenùs *H. Grotius d. c. III. §. 21.* Quin & cognitio deferri potest ad *Caput fœderis* super injuriis, quæ reliquorum fœderatorum unus alteri confœderato intulerat, illæsâ horum Majestate; ùt rectè iterum *H. Grotius d. l.*

XI. Quid verò, si superior in fœdere jus habeat indicendi reliquis exercitum, exigendi pro arbitratu tributum, moratores citandi cogendique ad solvendum? Ne hæc quidem pro defensione communi ex pacto concessa summam potestatem tollunt, sicut ratio & exempla docent. Non inter Græcos, Sparta ac Athenæ principes reliquorum fœderatorum, ea jura tenebant, & tamen inferiores in fœdere populi sinè dubio liberi summæque potestatis erunt.

XII. Quin etiam qui bello victus cogitur victori solvere annuum tributum etsi perpetuum, (*m*) is eâ re non amittit summam potestatem. Quia pecuniaria præstatio non impedit, quò minus is qui tributum solvit, omnia Imperandi acta liberè in subjectos exerceat.

(*m*) Tributum etsi perpetuum. Quamvis hæc sit confessio quædam *infirmitatis*, quoad *potentiam*; & ex *Dignitate* quid delibet. Intereà *Potestatem* ipsam, sive Jus Imperii, non attingit. Et tamen hìc etiam in simplici hâc præstatione subsistendum est. Aliquando enim, præter conditionem tributariam, alia quædam populo injuncta sunt, aut incumbunt, ut ex his saltim imperio ejus detractum censeri possit. vid. de *Judæâ*, postquam *tributaria* fuerat facta, Selden. *Lib. VI. d. J. N. G. juxta disciplinam Ebræorum, cap. XVI.* Vicissim non est protinùs *tributum*, quod tale vocatur; sicut tributum nonnunquam est, quod tale non vocatur. Planè quod *ex pacto*, non *ex subjectione*, debetur, Majestati solventis illud non præjudicat. *add.* Becmann. *Parall. Polit. c. XX. §. 3. 4.* Illud verò non est recipiendum, quod *Zieglerus* ad *H. Grot. Lib. I. c. III. §. 12.* tradit: ideò tributariam conditionem cum potestate summâ stare posse, quia exigendi tributa potestas inter *Jura Majestatis minora* referatur: quæ propriè Majestatem non constituant. Uti enim hactenùs nullum est discrimen inter Jura Majestatis, & nec ullô etiam regali minori *abdicare* se potest Civitas, ut non dici debeat *imminutam* habere *Majestatem*: (de *communicatione* enim hìc sermo non est; quippe quòd *majora* etiam Majestatis jura salvâ Majestate, ùt *suô locô* dicetur, aliis communicari possint:) Ita *h. l.* Respublica tributaria se non abdicat *Jure collectandi subditos suos*, sed solùm fructum ejus juris, sive exactas contributiones, easque tantùm aliquas, ad certam summam modumque, Reipublicæ fœderatæ impertit.

XIII. Eâdem ratione adhuc fortius dicendum, ne quidem feuda-

lia Im-

lia Imperia, etsi habeant quem dominum appellent, cui servitia præstent, minimè tamen jus summæ potestatis hoc ipso desinere habere. Modo qui subditi sunt vasallo, jus provocandi ad dominum (*n*) non habeant. Nam servitia quæ dicuntur, nihil ferè sunt aliud, quam officia exhibendi se in armis pro domino. Quorum præstatio nullo etiam modo impedit facultatem ita imperandi suis, ut acta infirmari non possint.

(*n*) JUS PROVOCANDI AD DOMINUM. directum scilicet. Et hinc *Rex Bohemiæ* potestatem absolutè summam non habet, eò quòd subditi ipsius ex *privilegiô* tantùm exemti sint à Camerâ Imperiali; cæterùm & hi, & Rex ipse, qui tamen aliàs, ut & Austriæ Archi-Duces Libertate & exemptione singulari gaudet, maximè verò Rex, *Pacis Publicæ* Constitutioni, & sic *Legibus* ac *Judiciis Imperii Romani*, suppositi sunt. Neque verò probanda est Illorum distinctio, qui putant Regem Bohemiæ tunc quidem Majestatem habere, quando *idem* sit Rex Bohemiæ, qui *Imperator* est, ùt nunc plerumque in Austriacis; aliàs verò secus esse. Nam illi qualitates personarum distinctas, ex *unitate subjecti* sive personæ, quod tamen fieri non potest, confundunt: siquidem Imperator Romanus *sibi ipsi*, ùt Regi Bohemiæ, sicut Carolus V. sibi, ùt Duci Burgundiæ, *imperare* valet. In cæteris, ubi Rex quidam *Vasallus tantùm* est alterius, sed non etiam subditus: omninò conditio feudalis Majestati ejus nil detrahit; sicut exemplum est in *Rege Neapolitano*, Regnum in feudum recognoscente à *Pontifice Romano*. Satis enim ad *Jus Feudale* ostensum est, quòd ne quidem obligatio Vasalli, quâ *quoad personam ejus* domino directo tenetur, aut quà hic in ipsum *Jurisdictione* pollet, *subjectionem* inferat. Nec etiam officit, quòd jus istud Regis Vasalli *amissibile* sit: quia scilicet non amittitur ex præfinitione temporis & *per se*, sed ex naturâ conditionis feudalis: id quod Majestati *accidit*, indeque ejusdem naturæ quicquam non detrahit. Idemque dicendum est in *Feudô Ligiô*, ex quo fidelitatem Domino suo debet Vasallus adversus omnes. Idem etiam de eô casu, quando *Dignitatem Regiam* à Dominô directô, qui conferendæ ejus arbitrium inter Gentes habet, acceperit. Nam illa Dignitatis collatio *in subditos* quidem valet jure Majestatis; sed in cæteros non aliter habenda est, quàm *judicium* quoddam eximium; cui tamen deferunt Gentes aliæ, ut cùm Ipse pro Rege quem declaret, illæ quidem eandem *Dignitatem* in eo agnoscere non vereantur. Quod multò minus habet dubii, quando *exterorum* alicui Imperator Dignitatem quandam confert, quæ *Imperio Rom. propria* est; ùt fit, dum Magnatem aliquem *Poloniæ* inter *Principes Imperii Romani* recipit. Ex quibus *Zieglerum* emendare licet *ad Lib. I.* H. Grotii, *c. III. §. 23.* ubi non minùs *Statibus Imperii* malè *Autocratiam* tribuit. Videlicet hi non tantùm Vasalli sed & *subditi* Imperii sunt, quorum ipsa potestas seu Superioritas territorialis dependens & aliena est.

XIV. Sufficit enim ad jus summæ potestatis, quod subditi cujusque nihil altius aut majus habeant, cui parere debeant. Hoc enim ipsis summum est, quo ulterius adscendere nequeunt. Quippe ratio imperandi atque parendi intra fines cujusque civitatis liberæ continetur. *

* *vid. Grot. I., 3. §. 21. seqq.*

CAPUT. XVI.

De

Fundamento imminuendæ Majeſtatis.

ARGUMENTUM.

Repetitur, Imperio Civitatis ſimpliciter conſtituto excipi patientiam mortis indubie violentæ ac injuſtæ, & inſtituti perpetui in bona civium pro lubidine graſſandi, præter ea, quæ ſpecialiter in quaque Republicâ eximuntur, quod maximè in monarchiis fieri; utrumque ratione probatur. Contra niti Hobbeſium, eò quod populus ad Imperium ſtabiliendum congregatus, multo minus, poſt ſtabilitum, diſſipatus, non habeat jus corporis aut univerſitatis, nec proinde capax ſit juris perſonalis acquirendi: quod refellitur ab effectu, qui eſt, delatio Imperii per actum unum voluntatis, quam unitatem etiam illic eſſe, ubi populus per oppida vicosve diſperſus Imperantes conſtituit. Conventu populi diſſoluto manere tamen effectum exceptionis Imperio adjectæ, tam per modum nullitatis actuum qui contra fiunt, quàm quia ſocietas civitatis poſt digreſſionem civium à comitiis univerſitatis jus conſervat, quod exemplo Democratiæ comprobatur; adeo ut Imperantibus in his, quæ conceſſa illis non ſunt, impunè non pareatur. Quæſtionem, an expediat hoc civitatibus, à juris quæſito alienam videri. Hobbeſiana alia refutantur.

I.

MAjeſtatem adhuc ſuo fixam faſtigio ſecuti ſumus. Nec quicquam ei præter licentiam (*a*) continuo inſtituto in perſonas & bona ſubjectorum graſſandi, Vimque manifeſtam vitæ civium more latronis inferendam negavimus. De rebus ad ſecreta animorum & ſacra pertinentibus infrà dicturi.

(*a*) LICENTIAM. Sic ergo *licentia*, quæ ſemper eſt in vitio, à *libertate* ſive *ſummitate* Imperii diſcernenda eſt. Expenditur autem licentia tam in Corpora civium, ſeu *perſonas*, puta *vitam* eorum & *actiones civiles*, quàm *animi interiora*, quorum dominium *DEO* reſervatum eſt; velut circa *ſacra* & res *conſcientiæ* alias: de quibus Auctor *Lib. I. c. XXII.* ut & in *bona* ſubjectorum.

II. Probavimus pridem, in Democratiâ (*b*) minorem populi partem non obligari ad patiendum illa duo extrema, quæ modò excepimus. Unde ex fundamento ſæpius collato idem in paucorum vel Regali Imperio ſtatuendum intelligitur.

(*b*) IN DEMOCRATIA. Quamvis autem *productio Majeſtatis*, quatenùs *pactis* conſtituitur, ex *Democratiâ* fieri queat. Tamen non ſatis tutum eſt, illa quæ ad vim Majeſtatis *conſtituta* pertinent, ex na-

ex naturâ Democratici Regiminis deducere; ùt *inferiùs* apparebit. Adeò ut ne quidem simili modò id quod in Democratiâ obtinet, ad paucorum sive *Optimatum*, multòque minùs ad *Regale* Imperium, adplicari queat.

III. Dictum (*c*) insuper, in Democratiâ posse, ubi populus velit, excipi plura, in quibus prærogativa numeri suffragantium cesset. Sed ob æqualitatem ibi, cessante metu invidiâque, populus rarò vel nunquam singularia exceptionum à se ipso stipulatur.

(*c*) Dictum. *Lib. I. c. X. §. 6. seqq.*

IV. In Aristocraticis civitatibus pleræque cautiones sunt pro securitate optimatium, quam hi callidè vocant Libertatem. (*d*) Cum ferè plebs in illis adductius quam in ipsis principatibus habeatur. In quibus tyrannidis insolentia in eminentiores maximè redundat. Optimatium artes ad plebem premendam unicè paratæ sunt.

(*d*) Libertatem. Quasi per *cautionem* non tam Optimatibus, quàm *plebi* prospiciatur. Regitur autem vel ideò plebs adductius in Aristocratiâ, quia ferè tot Principes habet, quot Optimates sunt. Rectè tamen *Auctor* cautiones seu *maximas*, quæ pro Aristocratiâ tuendâ faciunt, quales apud *Septalium* de *Ratione Status*, plerumque ex Politicis *Aristotelis* deductæ, nec minùs *ap.* Boxhorn. *Lib. II. Inst. Pol.* & nuper Hertium *P. II. Elem. Prud. civilis*, *sect. 6. seq.* leguntur, à *flagitiis*, quippe quæ *privata*, sive omnium sive quorundam Optimatum, commoda promovent, & *ap.* Clapmarium *de Arcanis Rerumpubl.* tradita sunt, distinguit. Quanquam *Clapmarius* minùs rectè appellatione *arcanorum* utatur. Nam hæc tam à *Maximis* sive Cautionibus, quàm à *Flagitiis*, plurimùm discernuntur. Sic enim v. e. arcanum *Imperii Romani* haberi poterat, in quod impegisse *Constantinus M.* dicitur, quòd *sedem Imperii* ex Capitali urbe *Româ* transtulerit; per quod credi poterat, alibi etiam quàm Romæ sedem ejus constitui posse, & sic direptioni Gentium Roma relinquebatur.

V. Sed in Monarchiis præsertim conspicuæ sunt leges, quibus principis potestati subinde nonnihil eximatur. Quæ res displicet mirificè Hobbesio. * Qui proinde vehementer adnititur, ut nec sanâ ratione id fieri posse, cum ratione evincat. Sed rationibus non aliis, quàm quas suprà (*e*) refutavimus. Cum inter populum ac Imperantes fœdus intercedere demonstravimus. Exemplo quidem à Democratiâ sumpto, sed quod ad reliquas civitates (*f*) & Imperia extenderetur.

* *in cap. 6. de cive.*

(*e*) Supra. *Lib. I. c. X.*

(*f*) Reliquas civitates. Monarchicas & Aristocraticas. *Adde* simul quæ *d. c. X.* notavimus *§. 6.*

VI. Imò in Monarchiâ Imperantes ex pacto subditis fieri posse

quodammodò obnoxios ratio clarior quàm in democratiâ docere potest. Nam in populo universo partes fœdus contrahentes in eodem ipso populo, (*g*) penes quem est imperium, sunt quærendæ. At in Regno, pars una contrahentium è subjectis constat; alteram Imperans ipse constituit.

(*g*) In eodem ipso populo. Quatenus scilicet ille à se non differt, nisi ut consideretur tanquam *universus*: quâ ratione *imperans* est; & tanquam *singuli* de Universitate: quâ ratione *subditorum* locum tenent. Hinc etiam in *Monarchiâ* clariorem esse discernendi rationem, ait *Auctor*, inter Monarcham & distinctum penitùs ab eô populum; ut inde magis perspicua *obligantis* & *obligati* ratio sibi constet.

VII. Sed Hobbesius negat, subjectos ut unum quid posse considerari. Non sane, *ait*, quamdiu sunt congregati. Multo minus, postquam dissoluti ad sua quisque sunt dilapsi: maximè si nullum tempus, quo rursus conveniant, (*h*) sit constitutum; sicut in Angliâ fit, ad quam ille tantùm & ubique respicit ac alludit. Ratio, quare ne tum quidem, ubi convenere, *personam* repræsentent, suprà (*i*) insinuata. Quoniam singuli pactum cum singulis habeant, imperata se facturos. (*k*)

(*h*) Quo rursus conveniant. Sic enim putat *Hobbesius*, ipsô illô tempore adeò in unum congregari, ut ne quidem possit videri Rex potestatem summam unquam habuisse, eò quòd *voluntatem* suam *omnem* populus non abdicaverit. Imò, ùt *suprà* dictum, *Hobbesius* ne quidem Regem esse putat, quem ita constituit populus, ut eum vita ipsius Regnum ad se, scilicet populum, *reverti* debeat: Quasi scilicet Regem oporteat *disponere* posse de Regno, etiam in id tempus, quô Rex esse desiturus est. Utique *Hobbesius* nullum unquam Regnum pro tali habet, nisi quod *absolutum* sit; neque ullam limitationem *per naturam* in Regno admitti posse, opinatur. Hinc etiam nullam inter *summum* & *absolutum* Imperium distinctionem agnoscit. Excusat tamen eum, ne illa quæ de absolutô Imperiô disseruit, crudè nimis accipiantur, *Pufendorffius Lib. VII. cap. VI. §. 13.* eò quòd *Hobbesius*, quando dicit *cap. V. d. Cive. §. 6.* posse Regem *cogere* subditos ad omnia, *quæ ipse vult*, intelligendum hoc esse tradit, quantum faciat *ad finem Civitatis*. Cæterùm quoad *Conventum populi* distinguendum est, ut si cœtus ille suô jure coire & de Reipublicæ negotiis decernere queat, vel eidem Princeps ad rationes reddendas obnoxius sit: non utique Status ille pro *Regiô* haberi queat; secùs si ad hoc, ut *de injuria Regis* deliberent, conveniant: quâ ratione cur non æquè possint *personam* repræsentare; talem scilicet, qualem initiò in *resignandô* voluntatem suam habuit, non apparet: quamvis non eam sustineat, quâ polluit *ad voluntatem* & *potestatem Majestaticam* in Democratiâ antecedaneâ, vel saltim *civilem*, sive quæ ad Magistratum summum requiritur.

(*i*) Supra. *Lib. I. c. X. n. 2.*

(*k*) Facturos. Ita verò pro dispersis habet *Hobbesius*, ut unum quid non sint: Et tamen huic etiam *d. l.* responsum est.

VIII. Quo equidem concesso nihil causæ video, quare illud singulare pactum universam cum Imperaturo pactionem (*l*) excludat. Imò inter-

intercedere talem, rei ipſius, ni fallor, evidentia declarat. Delatio enim Imperii à populo in Regem fit uno actu. Nec enim à ſingulis, ullus opinor, unquam Rex immediatè fidem accepit. Primò quidem ſuffragia viritim colliguntur; Sed ex collectis unum fit decretum; Ubi actus & voluntates infinitæ ſingulares in unum compinguntur, ibi manifeſto fit unum quid è multis. Exemplo ſit Servius Tullius, qui dolo regnum adeptus, rebus benè geſtis, civiumque ſtudio fretus, auſus eſt ferre ad populum, vellent juberent ne ſe regnare. Tantoque conſenſu quanto haud quiſquam ante ſe alius Rex eſt declaratus. * More comitiorum Romanorum, curiæ vel centuriæ populi in ſuffragia miſſæ fuerunt. Quod major pars ſciverat, id pro lege promulgatum eſt. Atque ita populus perſona factus eſt, (*m*) antequam Rex conſtitueretur. Pari modô L. Flaccus Interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcunque ille feciſſet, eſſent rata. A quâ verbis potiùs quàm re diſcrepabat lex vetus Imperii, quæ Cæſarum poteſtati juris prætextum (*n*) circumdedit. Quam JCti Legem Regiam dixere, de qua aliàs plenâ manu egimus. ** Populi decretum, lex appellatur. Legem nihil eſſe aliud quam communem Reipublicæ ſponſionem (*o*) ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, fœdus univerſale, dixere ſapientes, *** neque res ipſa non loquitur.

* *verba Livii in lib. 1.*
** *in lib. 1. Digreſſ. cap. 16. & ſeqq.*
*** *l. 2. π. d. LL.*

(*l*) Pactionem. Quippe quæ ex pactô illô ſingulorum cum ſingulis, & firmatô per illud arbitriô majoris partis conficitur; idque ſequitur Decretum illud, quô univerſi, ſub modô, in quem cum Rege paciſcuntur, ſe eidem *ſubjiciunt:* idque eſt quod *Auctor. Cl.* hic ait: *Regem non à ſingulis immediatè fidem accipere.*

(*m*) Persona facta est. Et adhuc *perſona permanſit*, conſtitutô Rege; ſaltim quòd *voluntatem* eam non ampliùs haberet, quæ dictata ſummæ poteſtatis promere poſſet. Nam hoc ad *eſſentiam pacti* ſive conſtituendi ſive conſtituti non requiritur: ſicut etiam *in Principe* ipsô non attendendum eſt, quà *pactum* attinet, quòd Majeſtatem habeat, quò minùs circà objectum, quod civitatem concerneret, (eâdem ratione quâ circà objecta alia: Nam hactenùs *promiſſa* ejus ſub religione & fide *Gentium*, non etiam *ſub Majeſtate civili conſiſtunt*,) populo ſuo *obligari* poſſet.

(*n*) Juris praetextum. Hoc vult *Auctor*, Cæſares Reinpublicam occupaſſe, nec indiguiſſe *Lege Regiâ*, ut tamen viderentur Principatum tenere populi magis voluntate, quàm poteſtate ſuâ; inde ipſos, ut Lex Regia conderetur, procurâſſe. *vid.* Auct. *cit. lib. I. Digreſſ. Juſtin. cap. XVI. ſeqq.* ubi operosè *Martinum Schoockium* refutat, quando hic in *Tract. d. Quadruplici L. Regia.* unquam exſtitiſſe Legem Regiam negat.

(*o*) Sponsionem. Confundit *Auctor Legem* propriè dictam, & quæ vi *Majeſtatis* fertur (quæ ne quidem ipſa certô modô *ſponſio* Reipublicæ eſt, ùt in *Comment. ad tit. ff. d. Legibus.* diximus,) cum *decreto* populi Romani, per quod in modum pacti, cum Principe, Majeſtatem ei deferendô,

 con-

convenit: siquidem in eô pars neutra superior alterâ, sed paciscentes hactenus *æquales* sunt; & lex solùm dicitur ab *externâ formâ*, quia populus eô more, quô Leges in Statu populari ferebantur, dum *Augusto* potestatem in se delatam vellet, pro concione *rogatus* fuerat. De *fœdere*, quòd nomen hoc inter populum, eumque cui Imperium in se ipse defert, non satis bene adhibeatur, superius admonitum est.

IX. Qui vult, qui decernit, qui agit, qui jus transfert, numquid ille jus acquirere non possit? (*p*) Qui totum uno actu à sese alienat, an ille, quo minus partem retineat, (*q*) si res de quâ agitur, recipiat divisionem, impediri posset.

(*p*) ACQUIRERE NON POSSIT. Imò ait *Hobbesius*, postquam transtulit, non est *habilis* ampliùs ad acquirendum. Et sanè in hoc non evertitur *Hobbesius*, quando *Auctor Cl.* confundit jus translatum, Imperii scilicet, eum eô jure, quod ad paciscendum populus habet: nam sicuti populus *Jus Imperii*, quod transtulit, acquirere denuò non potest, & postquam transtulit Jus Imperii, non is est amplius, qui de Imperio, & secundùm illud, decernere possit: Ita sicuti ante translationem *jus paciscendi* habebat, sic eum illud nil attineat ad objectum pacti, sive Jus Imperii, ideò etiam post translationem illam populus jus idem paciscendi, & hinc Regem sibi obligandi, retinet.

(*q*) PARTEM RETINEAT. Hic verò non quæritur de *Scissione Majestatis*, ut populus partem sibi servet; sed de specie illâ, quâ populus *omnem potestatem* in Regem confert, num illud fieri possit eum in modum, Princeps non absolutè sed *restrictè* imperet. Multò minùs autem retentio quædam fieri potest, postquam semel in Principem potestatem omnem Populus dimisit; ùt ipse *Auctor §. 12.* tradit.

X. Ita jam constat, populum principi vel optimatibus Imperium deferentem esse unum quid, esse personæ instar jurisque tam retinendi quam statuendi capacem. Non minus quam universitas hominum eosdem juris civilis effectus habere potest, atque singuli homines.

XI. Quid si nunquam populus in unum conveniat, sed per oppida, territoria, per pagos dispersus Imperantes constituat? Nihilominus unum esse, ac jus personæ habere, statuendum est. Cum enim ex plurium consensu ubique concludatur & omnium conclusiones in unum conjungantur, juris ratio nihil ex situ locorum mutatur. Sed quantum hoc institutum in politicam (*r*) inferat diversitatis, id hujus non est loci. Utique nihil ad compescendas seditiones utilius, nihil rursus ad oligarchicas artes opportunius esse, docet ratio & experientia.

(*r*) IN POLITICAM. sive utilitatem & securitatem imperantium.

XII. Superest quærendum; possitne populus aliquid juris retinere, postquam Imperio constituto simpliciter dissipatus est. Etquidem nullo

nullo tempore constituto, quo rursus eum convenire oporteat, ut fit ubique per Europam dimissis regnorum populorumque ordinibus, Hobbes * negat, eò quòd dissoluta multitudo non sit universitas neque corpus hominum, sed singuli tantum. Atqui nec hoc inquit, est actum neque fieri potest, ut singuli jure universis quæsito uti præsumant.

* *in d. cap. 6.*

XIII. Id quidem concesserim, si quis populus non omne Jus Imperii transferre cupiat, etiam rectius sibi consulere, si tempus certum rursus conveniendi, statuat, (*s*) aut potiùs si relinquat aliquam potestatem conservandæ libertatis, ut in regnis quibusdam legitimis olim factum accepimus, in Spartano, exempli gratia, & Arragonio. Tamen etsi nihil ejusmodi extet, populusque post leges imperii dictas resolutè diffluxerit. Adhuc tamen jus, quod ex constitutione imperii populo quæsitum est, durare suoque effectu non carere putamus. Præter enim quod ipso jure esse queant nulla, Imperantium acta contra leges præscriptas: Manet etiam communione vinculoque juris & fœderis sociata multitudo, à qua nihil vetat aliquid juris retineri. Denique obligatio in eum casum contracta fuit, ut conventu populi dissoluto, in regimine exercendo usum effectumque haberet. Conditio obligationis simpliciter initæ hæc est, ut perpetua sit, non modo civili sed & gentium jure & ratione naturali.

(*s*) STATUAT. Concilium istud est *Auctoris*. Sed iterum dilabitur in confusionem Statûs *limitati* cum *mixtô*. Ad *hunc* pertinet casus ille, quô populus non omne jus Imperii transfert; & sic quando coit sive conventum celebrat, certô tempore, non est hæc universitas *Majestate vacua*, ùt est *populus* sive corpus illud repræsentans, quod conventûs suos celebrat in *Regnô limitatô*; quale videri potest esse corpus *Comitiorum Imperii Romani*. Hæc verò ùt non est *potestas* summa Imperii, sed solùm *Jus conservandæ libertatis*: ita hoc ipsum benè consistere potest cum translatione *omnis & totius* Imperii in Principem. Ipse quoque *Auctor Cl.* largitur deinceps, ne quidem conventûs ejusmodi necessarios esse ad hoc, ut libertas populo sive limitatio Imperii conservetur; & sufficere posse, quòd *nulla* habeantur acta Imperantis, si quæ contrà pacta, initiò regni cum ipso inita, admiserit. Est quoque hoc recipiendum, quod *Auctor* in *vers. conditio &c.* habet, ob hoc, quòd Princeps pacta non observet, non oportere statui, quòd protinùs quasi fide ruptâ Imperium *Majestaticum* scilicet, necessariò *perpetuum* esse oporteat; Quamvis *Auctoris* sententia alibi & in *Lib. I. c. XIV. §. 12.* de *Regnis temporariis*, diversa sit.

XIV. Idem evidentiùs docetur ac illustratur ex specimine Democratiæ.

cratiæ. Nam in popularibus imperiis poſt habitum de publicis negotiis conventum omnes dilabuntur. Adminiſtratione rerum magiſtratibus commiſsâ. (*t*) Quibus nemo ex univerſo populo in iis de quibus imperium habent parere non debet. Sæpe etiam plebs diſſolvitur, ut nullum conveniendi tempus certum conſtituatur. Quod Romæ & Athenarum experimento compertum. Nemo tamen dixerit, illos populos interea nihil habuiſſe juris. Quod ſi Imperium totum in eo ſtatu retineant, nihil eſt cauſæ, quare non partem, poſito quod diviſibile ſit, (*u*) per juris rationem ſervare queant.

(*t*) Magistratibus commissa. Quos intereà *Univerſitatem* populi, quà *imperat* ſcilicet, repræſentare oportet. Aliàs enim *ſinguli* ex multitudine poteſtatem Imperii, quatenus *ad univerſitatem* Reipublicæ *referuntur*, attribuere ſibi posſunt. Hinc quando *Magiſtratus* adminiſtrationis modum non ſervat, adminiſtratione ſuâ *privari* poteſt; quippe quòd ibi *populus* etiam conſtitutô Magiſtratu ſit *ſuperior*. Tale quid verò de populo, qui *Regem* conſtituit, dici non poteſt, quamvis ante hunc conſtitutum ipſe imperium *Democraticè* tenuiſſet. Illud ſolùm admittitur, ut modum exercitii Majeſtatis Rex limitatè & ſecundùm pacta teneat; atque non per imperium ſummæ poteſtatis in populo, uti Magiſtratus Democraticus, ſed per religionem & vinculum promiſſi teneatur. Quâ ratione *Auctor* infirmiter adverſus *Hobbeſium* à Magiſtratu Democraticô ad Regem argumentatur; & viciſſim à populo in Statu Democraticô ad populum in imperio Monarchicô. Et tamen ille ex ſpecimine Democratiæ hanc rem *clariùs* doceri poſſe putat.

(*u*) Posito quod divisibile sit. Eſt verò omninò Imperium per ſe diviſibile, ut detur Status *mixtus*, & poſſit ſibi populus Regem conſtituendo *Jus* unum alterumve Majeſtatis *retinere*. Sed rurſus *h. l. Auctor* ſtatum *limitatum* cum *mixto* confundit: nec ſatis confuſionem hanc per ea quæ in *§. ſeq.* habet, evitat; ſaltim vis inde argumentis ipſius adverſus *Hobbeſium* conciliari non poteſt.

XV. Non tamen huc pertinet iſta comparatio, quod Principes inſtar Magiſtratuum cenſeamus. Sed quia partis quod ad partem, eandem quæ eſt totius quod ad totum rationem eſſe oporteat. Nempe cum integra aliqua jura majeſtatis ab Imperantium perſonis alienantur, non ubi quodlibet ab eo promiſſum elicitur, hæc intelligimus.

XVI. Tu dices; obligationem extingui, ubi perſona cui debeatur, deficit, ubi nemo eſt, qui exerceat jus parteſque exigendi occupet. Quod evenire tum, cum populus ſtabilito Imperio, diſſolvitur abſque certo ordine redeundi in unum. Neque enim ſingulis vel paucis facultatem reſiſtendi Imperio totius Reipublicæ ſine ſumma confuſione, quam ſuprà omnia fugit civitas, poſſe permitti. Sed nec ulli competere facultatem convocandi populum, cui id lege non ſit datum, invito eo, qui tenet Imperium. Ob eandem ſummi periculi & exinde

præ-

præsumptæ omnium voluntatis rationem. Quod si populi conventus agi non possit, nihil quoque decerni adversus eum posse, licet terminos sibi positos egrediatur. Sed videri contingere, quod in testamento, ubi testator ex parte assis heredem scripsit, neque ex reliquâ hereditate quenquam nominavit. Tunc enim heredem ex parte institutum haberi pro herede ex asse, non tantum Juris Romani sed & communis ratio dictat. Ita & principem, cui pro parte Imperium sit delatum, non expresso, à quo & quomodo reliquum teneretur, (x) in solidum Reipublicæ impositum videri. Quia præsumptio, quod populus minimè voluerit pro parte regi & pro parte non regi, validior est, (y) quam quod testator partim testatus partim intestatus decedere noluerit.

(x) QUOMODO RELIQUUM TENERETUR. Utique respiciendum est, an de *ipsis juribus Majestatis* agatur: & sic certum est, quòd Princeps, extra id quod ei delatum est, sibi vindicare quid non possit; maximè quando jura partim, licet Monarchicè, ipsi concessa fuerint, cùm anteà populus universa teneret: An verò circà unum alterumve jus Majestatis, Populus *de modo exercendi illud* cum Principe paciscatur: & hôc casu populus neque ex istis juribus, nec multò minùs ex cæteris, sibi quid reservâsse credi potest. Atque hôc modô posteriori comparatum est cum *Capitulatione Cæsarea*, quippe quòd Cæsar sublatus sit in potestatem *integram Monarchicam* eam, quam ab antiquo *Impp. Romani* tenuêre, super cujus aliquot deinde Juribus, maximè iis, quibus premi Libertas Statuum & subditorum citiùs posse videbatur, Ipse cum Statibus, de modô ea exercendi, per certa capita, paciscitur. Unde traditio *Quorundam* falsa est, quasi Electores ex ipsis juribus Majestatis sibi & Statibus quid *reservaverint*. Falsa quoque traditio *Lampadii*, quando ille per Capitulationem ideò Majestati Cæsaris quid detractum non esse docet: quia Illi non tota per Capitulationem, sed *pars* tantùm *Majestatis* collata sit; cui idcircò, quà Ipsi delata est, hoc ipsô detractum quid esse nequiverit.

(y) VALIDIOR EST. Quia scilicet pars illa bonorum, de quâ testator non disposuit, ad heredes ab intestato eôdem jure *patrimonii* pervenire poterat. Non autem fieri potest, ut populus qui Imperium à se abdicare vult, *pro parte* tantùm à Principe regatur. Quònam enim reliqua jura Majestatis abirent: cùm tamen non possit dari Majestas, nisi *omnia jura* habeat, quorum exercitium illa regio patitur: ut adeò non possit dari Status, in quo Princeps Majestatis partem teneat, ut non altera pars penes populum debeat remanere; & exinde Status *mixtus* confici. Hic verò de Statu mixto iterum sermo non est; sed de *limitatô*, qui nullum Jus Majestatis in populo ponit, sed unicè *jus* sive facultatem *intercedendi*, si Rex Majestatem non eô modô, quô ipsi est delata, exerceat.

XVII. Pro responsione primò sit, quod ex istâ sententiâ, populus Romanus se Decemviris, cui summum Imperium ad tempus dederat, ne quidem post illud tempus opponere potuerit. Nemo enim erat qui Imperium præter illos haberet. (z) Si dicas, non habuisse diutius quam datum erat. Regeram, nec principem, cui partes imperii poten-

tentiales non omnes datæ ſunt, Imperium habere, quatenus jura, quæ nunquam data ſunt, exercet. Adeò ut in iis æque nihil ſit ſupra privatum, quam Monarcha temporarius ſpatium ſuum emenſus, aut is, qui extra territorium, jus dicere præſumat. Sanè quod docet Hobbes, * Populum digredientem ſine tempore & loco repetendi conventus, ſi relinquat alicui poteſtatem puniendi eos, qui leges transgrediuntur, eam neceſſario eſſe abſolutam, id nulla ratione niti videtur, ut ex democraticis exemplis (*a*) perſpicuè patet. Proinde res eò deducitur, ut ſtatuendum ſit, cuilibet corpori civium imò & ſingulis eorum, quibus primævum eligendi jus fuit, in tempore quidem & loco, facultatem competere exigendi ab Imperantibus, ne uſurpent quod nunquam iis datum atque delatum fuit. An & contra vim reſiſtendi facultas ex eadem juris neceſſitate conſequatur, alibi dicendum. (*b*)

* *c. 6. §. 17. ſub fin.*

(z) QVI IMPERIVM PRAETER ILLOS HABERET. Perinde ac neceſſe eſt, populum extrà Magiſtratum in Democratiâ poſitum ùt privatum conſideret *Auctor* in *§. 14. b.* nam aliter adverſus *Hobbeſium* illô ſimili uti non poterat: ita etiam hîc *Populum Romanum*, tempore Decemvirorum, conſiderare ipſum oportebit. Et tamen nemo aſſeret, Illum tunc temporis Majeſtate deſtitutum fuiſſe; quin potiùs Imperium Decemvirorum, quod & tempore finiebatur, à populô ſuſpenſum, & non niſi in *actu ſecundo* tale, atque exhinc *dependens*, fuerat. Scilicet agnoſcenda non eſt *Auctoris* hypotheſis, quaſi Magiſtratus ſummus, ad tempus conſtitutus, reverà Majeſtatem teneat. Indeque adverſus *Hobbeſium* exemplo Decemvirorum & Magiſtratûs Democratici non illâ, quâ putat, efficaciâ utitur.

(*a*) DEMOCRATICIS EXEMPLIS. Ubi quidem Magiſtratus poteſtatem puniendi ſingulos habet; ſed tamen non niſi *delegatam*. Hinc facilè concedet *Hobbeſius*, hunc ipſum à populo univerſo, ut juſtè eam exerceat, adſtringi poſſe: Cùm quidem ut populus in Statu Monarchicô *Regem* adſtringere valeat, quò is benè imperet. nequaquam ille conceſſerit. Nam in Statu Democratico *populus* ſemper *univerſus* manet, etiam *Majeſtaticè*; ſed non item in *Monarchicô*: licet ibi univerſus etiam haberi poſſit, quà *ſuper modô Majeſtatem habendi* cum Principe paciſcitur.

(*b*) ALIBI DICENDUM. *Lib. I. c. XXXI.*

XVIII. Non audiemus, ſi quis hoc periculoſum, quin & exitiale publico dicat. Valet enim hactenus ea ratio, ne in dubiis populum tranquillitati communi adverſa voluiſſe credamus. Non ut ea quæ diſertè conſtituit (*c*) hoc argumento ſubvertantur. Omninò enim alia juris, alia prudentiæ quæſtio habenda eſt. Siquidem cuique de ſuis rebus quæque liberâ in facultate habet, pro lubitu diſponere licet. Proſit an noceat ſibi, modo nulli alii iniquam inferat conditionem, id politici judicent, à juris differentiâ remotum quidem eſt. Atqui liberum

rum

rum fuisse populo, deferre & non deferre & quantum imperii deferre vellet, id & Hobbesio confessum & ratione exploratum est. Tu qui putas, principibus fas & integrum esse jura sibi expresse negata invadere, neutiquam secuturis inde incommodis sententiam tuam liberabis. Plane & Grotius * summæ potestatis acerrimus vindex, haud secus docet, quam Principem partes Imperii non datas sibi vindicantem, hactenus privatum nec cives ad obsequium esse obstrictos,

* *l. 1. c. 4. §. 13.*

(*c*) QUÆ DISERTE CONSTITUIT. At verò hoc etiam vel ideò constituit, ne tranquillitas communis inde quid patiatur: & semper est prudentiæ, ut dum potest apud Principem, pacta non servantem, intercedere, illud utique haud unquam intermittat: quâ ratione jus ita constitutum est, ut id ipsum servari & eò adstringere Principem nunquam non prudentiæ habendum sit. Quòd si verò aliàs *Hobbesii* sententia juri consentanea foret, Ipse potiùs *Auctori* obverteret: quamvis nonnunquam incommodis non possit vacare, si Princeps jura sibi negata invaderet; tamen per hoc nil juri decedere; sed tantùm rem prudentiæ & consilii esse, quando & quâ ratione Princeps asserere sibi velit, quod non possit non Regi deberi.

XIX. Verum nec periculo publico deest quò prævertatur. Remedio non tantum prudentiæ, qualia excogitare politicorum est, sed & juri consentaneo. Nam ùt populus in democratiâ, ordinatis magistratibus, ad sua rediens tacitè mandat, ut si quid suprà illorum ministerium in Re communi occurrat, civium conventus ab ipsis indicatur. Prorsus ita & populus statuens principem, sed quædam jura sibi reservans, tacite hoc ipso stipulari intelligitur, ut si quid ad hæc pertinens sit agendum, Populare concilium indicatur. Nempe si electio sit populi. (*d*) Nam hoc ultro intelligitur, si Proceres eligant vel jus soli ad comitia veniendi habeant, de his ea, quæ dicta sunt, intelligenda. Idem, si non omnis populus, sed ordo aliquis aut immobilium possessores jus constituendi plures imperantes, annuos vel perpetuos in Republicâ habeant,

(*d*) SI ELECTIO SIT POPULI. Quidni verò *convenire* etiam posset populus, in Regnô *successoriô*, quod *limitatum* est: Quidni etiam Proceres & Comitia in eo Regnô esse possent, quod *successione* constat; saltim tale *concilium* populo in Regno negandum est, quod ideò suscipitur, ut circà ea quæ summæ Potestatis sunt Ipse *statuat*, & non etiam ut querelas ad Principem deferat, aut ab illô remedia in commune bonum postulet.

XX. Acquiescamus igitur in hac *ἀντιθέσει* Hobbesiana. Populum esse unum quid, eique jus aliquod rectè adscribi, quamvis nec con-

 grega-

gregatus ſit, neque ſciat tempus futuri conventus. Quia manet obligatio, qua mutuis pactis ſe pridem conjunxerant. Et quia naturaliter quicunque jus ex pacto commune cum pluribus habet, æqualiter id, ſeu conveniant ſive non, habere cenſentur.

XXI. Præterea populum teneamus totum quà totum poſſe paucis vel uni deferre imperium. Non modò per fœdus mutuum, quo ſinguli à reliquis ſtipulentur iisque ſpondeant obſequium ſe paucis unive præſtituros. Sed & fœdere διπλεύρῳ inter populum totum vel qui jus populi habeant, veluti partem unam & Imperantes, ut alteram partem. Priore ſenſu nullum eſt vinculum obligationis inter populum & Imperantes. (*e*) Sed in altero reſpectu duos patet eſſe fœderatos.

(*e*) INTER POPULUM ET IMPERANTES. Sed inter ſingulos cum ſingulis.

XXII. Denique populum etiam, diſſoluto conventu, retinere facultatem ejus juris, quod congregatus acquiſivit (*f*) vel actu habebat. Veriſſimumque eſſe, quod imperantes nullo modo plus obtineant, quam ex voluntate eorum, qui imperium dederint. Et hæc quidem ex iis quæ dicta ſunt apparent.

(*f*) CONGREGATUS ACQUISIVIT. Modum Majeſtati exercendæ præfiniens: & tunc quidem licèt in Rege conſtituendo *adhuc Majeſtaticus*; ut tamen vim obligationis ex pacto conferret in id tempus, quô *Majeſtate* omni, etiam *reali* ipſe *deſtitutus*, & Rex *in facto eſſe* futurus erat. Quanquam ne tunc etiam populus *univerſus* eſſe deſineret, quique *perſonam moralem* pacti capacem repræſentaret.

XXIII. Quare iterum negamus Hobbeſio, * *in omni civitate aliquem eſſe hominem vel concilium, qui quodve potentiam in cives ſingulos jure habeat tantam, quantam extra civitatem unusquisque habet in ſemetipſum.* Cum enim collatio illius juris pendeat ab eorum voluntate, nihil eſt cauſæ, cur non ita animum inducere poſſint, ut aliquanto minus potentiæ translatum velint. Quatenus defenſioni communi vitandæque confuſioni ſufficere arbitrentur.

* *c. 6. §. 13. in pr.*

XXIV. Inſtat ille; *Si poteſtas Imperantium limitatur, neceſſe eſt*, ut id fiat à majori poteſtate. (*g*) *Hæc vel ſine limite eſt vel iterum cohibetur ab aliâ majore.* * *Et ſic tandem ad poteſtatem ſine limite devenietur.* Reſpon-

ſponſio eſt; ultimum terminum potentiæ conſiſtere in ſingulis, qui ſuimetipſi jus in infinitum habent. Potentia civitatis, ex univerſis eorum voluntatibus conflata eſt, quas nulla neceſſitas prohibet, quo minus aliter atque aliter ſe habere poſſint.

* *Hobb. ibidem.*

(*g*) A MAJORI POTESTATE. Si *poteſtatem* accipimus pro eâ, quæ *Imperii* eſt, falſa eſt propoſitio *Hobbeſii:* ſiquidem Civitas Majeſtate vacua conſtituto à ſe Principi poteſtatem confert, quam ipſe populus non habet, niſi *virtualiter;* & ſicut eam Principi tribuit non vi majoris poteſtatis, ſed ex placitô voluntatis, arbitrio ſuo renunciantis: ita Princeps hoc arbitrium ſibi delatum ſuâ voluntate & ipſe in modum conventionis acceptat, & ad promiſſa ſervanda, tam quoad imperium gerendum, quàm quoad modum in eo tenendum, non à poteſtate populi vel aliâ externâ, ſed per vim internam conſcientiæ, quà juri naturæ obſtrictus eſt, adigitur: indeque nullâ *poteſtate aliâ* opus eſt, quæ imperantem *coerceat*. Cætera, per quæ *Auctor Cl.* reſpondet, iterum confundunt populum, ſpectatum in ſe, quà paciſcitur, & quà ad objectum pacti refertur. Eſtque diverſa quæſtio: an populus *Majeſtatem producere*, quam alii conferat, poſſit: Quod jam *ſuperius*, adverſus eos, qui Majeſtatem unicè à Deo repetunt, aſſertum eſt: An verò populus Regem ſibi obſtringere queat, circa *modum Majeſtatem habendi:* Nam hoc etiam illi aſſerunt, qui Majeſtatem à ſolô Deô pendere propugnant. Quin potius nullam vim conſequentiæ ineſſe dicet *Hobbeſius* aliquis, argumento *Auctoris in fin. hic.* Si populus poteſt Regi *Majeſtatem* conferre, etiam poterit ei conferre *limitatam:* ſiquidem *Hobbeſius* Majeſtatem aliquam limitatam dari poſſe negat. Ex illô tamen *Hobbeſius* in *Leviathan. p. I. c. XX.* fruſtrà negat, dari poſſe Majeſtatem limitatam, quia huic repugnet locus ſcripturæ *1. Sam. IIX. v. 11. & 12.* Quàm enim *Hobbeſius* ſententiæ ſuæ fulcrum nullum in *iſtô locô* reperire poſſit, ex his quæ, pro intellectu illius, *ſuprà* adduximus, planum eſt.

CAPUT XVII.

De Legibus fundamentalibus.

ARGUMENTUM.

Imperantes ſimpliciter conſtitutos Legibus cunctis eſſe ſolutos, tam quoad directionem quam coactionem, quatenus in illis ad civilem obedientiam obligatio vertitur, at obligatione qua eſt Juris Naturæ, Gentium & divini haud dubie teneri, ut & fundamentalibus. Quæ ſint tales. Non eſſe inſtituta quæ tacite in omni Imperio excepta intelliguntur, ſed eſſe conſtitutiones, quæ in fundando Imperio inſtar conditionum adjiciuntur. Illarum poteſtas, quando tollant, quando minuant vel reſtringant ſummam poteſtatem. Jura Majeſtatis in una civitate penes diverſos communicative non ſeparatim conſiſtere poſſe. Quid juris ſit, ubi Imperantes ſalvis Legibus fundamentalibus, nullis tamen expreſſis, ſunt conſtituti. Legem, ut controverſia publica inter principem & ordines populi per arbitros terminentur, tollere videri ſummam poteſtatem. Etiam ſtabilito Imperio, communi Imperantium & ſubditorum conſenſu expreſſo vel tacito per præſcriptionem temporis immemorialis, oriri poſſe Jura fundamentalia.

lia. Privilegia civibus indulta non esse fundamentalia, nisi forsitan vetustate crebrisque stipulationibus vim utrinque obligatoriam acceperint: quo modo aliqua Imperia è despoticis civilia sunt facta. Quale sit genus obligationis è Legibus fundamentalibus.

I.

DEcantatius nihil est quam Principem legibus esse solutum. Nec tamen æquè usquam mirificè variant interpretationes.* Nos in principe summâ potestate simpliciter prædito, qualis erat Romanus, (a) nullam agnoscimus exceptionem. Proinde cunctis legibus eum solvi nec ullâ omninò teneri arbitramur. Ne quidem illis, quæ sanciunt (b) ea, quæ jure naturæ, Gentium & divino præcipiuntur. Non quod adversus illa jura princeps haud æquè peccet ac privatus. Sed quia legum vis consistit in necessitate civilis obedientiæ. Quam non cadere in summam potestatem voces ipsæ, ne dum principia pridem posita, sponte docent.

* *Vid. disp. 1. A. Matthæi ad Pand. ubi variæ opiniones recensentur.*

(a) QVALIS ERAT ROMANVS. Et tamen *Boeclerus* in *Not. Rom. Imp.* Librô *XXII.* quô *de Formâ* agit, *cap. I.* graviter ostendit, ne quidem *Reges* Romanos, ùt nec *Principes*, occupatâ Republicâ, imperium *absolutum* habuisse: Quâ ratione vacui haud unquam fuère Legibus fundamentalibus. Quamvis axioma hoc de *solutâ Legibus* Principis *potestate* non nisi loquatur de Legibus *civilibus*, & hinc nullatenus de *Legibus* sive *pactis Civitatis*. Et possit tamen Princeps etiam qui absolutam potestatem non habet, *Legibus* tamen *Civilibus* solutus esse, quippe quòd hæ Statum publicum non attineant.

(b) QVAE SANCIVNT. Hoc vult *Auctor*, quòd lege civili, quâ firmatur hoc, quod Juris communis est, sive divini sive humani, *Principem*, quà ista formam civilem habet, aut pœnam externam sancit, non stringat: de quo ex *superioribus*, an & quousque *Princeps* ùt privatus *sibi* ùt Principi *subsit*, decernere licet.

II. Proinde aliud est quærere, num iste homo, qui principatu potitur, jure naturæ, gentium divinoque teneatur. Aliud, num princeps, quà talis, legibus sit solutus. Jura sane ejus personam obligant, ea vi quam efficere possunt. Nempe ut & Deo & hominibus illis, quibuscum in statu naturali agit, ùt sunt omnes exteri, devinciatur. A quibus & cogi & ob delicta puniri (c) potest. Quoniam illis non est Princeps. Sed eorum respectu, qui ut principem eum noscunt, ista jura nullam adversus eum vim exerere possunt. Qui enim cogi potest, is vel superiorem vel parem duntaxat habeat oportet. Quorum neutrum de Principe simpliciter constituto prædicare licet.

(c) OB DELICTA PVNIRI. Falsum hoc est, si ad *homines* quoque referatur. Nec enim Gens aliquæ

aliqua five Populus Principem exterum, (de quô hic *Auctor*,) licèt contra Jus Nat. & Gent. peccantem, nec omnium minimè suum, *punire;* sed solùm hunc si ut hostem se gerat, Republicâ in statum liberum resolutâ, vi etiam adhibitâ compescere potest. conf. *not.* ad *Cap. XV. §. 10.*

III. Ne quidem excepimus Leges Imperii fundamentales, quibus alioqui principes teneri volunt. Non quod hoc negemus, sed quia in principatu simpliciter constituto nullæ præsumi (*d*) possunt. Nihil audimus jactari frequentius, nihil videmus intelligi rarius, quam leges fundamentales, ut non immerito notat Hobbes.

(*d*) NULLAE PRAESUMI. Videlicet *Leges fundamentales*, (quæ tamen haud unquam inferri in doctrinam *LL. Civilium* debent,) si propriè accipiantur, (vid. §. 4. *b.*) ad Imperium *absolutum* non pertinent; sed solùm ad hoc quod limitatum est. Absolutum verò non dicitur, quod effræne est penitùs: nam & *Libertas absoluta* definitur, quâ facere possum quodlibet, nisi quid *Jure* vel *vi* prohibear; & imperium adeò absolutum est, quando proprio arbitrio & judicio Princeps statuere potest de rebus civitatis: in oppositione ad modum exercitio potestatis præfinitum; non etiam *oppositivè* ad quodlibet *Jus* aut *rationem Juris.* Equidem in *Democratiâ* distinctio illa non adeò manifesta est: cùm etiam Concilium sive Senatus Democraticus ita comparatus sit, ut quôlibet tempore à populô immutari possit. *vid.* Pufend. *Lib. VII. c. VI. J. N. §. 8.* Illud verò quicquam ex absolutô Imperio non detrahit, quando Princeps, quippe qui judiciô singulari non omnibus sufficit, *ordinibus* & *consiliô* utitur. *Idem d. §. 8. & 9.* Sicut etiam illa simpliciter, quæ ad nudum *officium Regis*, putà id, quod ipsius conscientiæ tantùm commissum est, (de quô *vide* Pufendorff. *Lib. VII. c. IX.*) pertinent, absolutæ potestati non officiunt; sed solùm ea, quæ quidem potestatem ipsam non attingunt, nec ejusdem exercitium, sed ad *modum* ejus, & sic etiam ad *officium* Regis, attamen illud pertinent, ad quod Princeps *promissione* quadam *speciali*, & quæ Regiæ potestati *absolutæ conformis non est*, semet obligaverit. Hinc etiam quælibet promissio Regis, sive obligatio indè procedens, potestatem limitatam non conficit; qualis est *generalis* aliqua, sive *expressa* sive *tacita: Pufend. d. L. VII. c. VI. §. 10.* ut nec quælibet *specialis*, veluti nec illa quidem, quâ solam conscientiam suam oppignorat, in jura etiam expressa; nullô tamen *conciliô*, cujus judicium adhibere *debeat*, requisitô. Verùm quoties *obedientia* subditorum *ex modo*, qui Imperii seu *facultatis exercitio* statuitur, & ipsa modum capit. Equidem communiter tradunt, quando Princeps contrà promissionem restrictionis facit, quæ in *ipsam facultatem* sive potestatem Regiam cadit: actum *irritum & nullum* habendum esse; quòd si verò contrà *modum exercitii* tendat actus, ita *injustum* esse tantùm, sed tamen *validum.* Et tamen non solùm *vim* ipsam Imperii seu facultem ab *exercitio* ejus distinguere non licet; verùm etiam in promissione illa, quæ ipsam facultatem Regis stringit, non potest dici, quòd nihilominùs *Majestas tota* sive facultas imperandi penes ipsum Principem, consistat. Cæterùm non interest, an *jurata* sit promissio Regis, an *injurata:* nam & hæc conscientiam ejus afficit; nec juramentum quid ampliùs quàm *Religionem majorem* promissioni conciliat. Utique ne *Regnum quidem limitatum*, adeòque verè *Regium*, dici potest hoc, quod alicui sub *clausula Commissi* collatum est? Quamvis enim istud in hoc à *temporariô* Imperio differat, quòd clausula Commissi *potestativa* sit, & penes Regem stet, an promissa servare, & per hoc commissum impedire velit, nec ne; adeòque ab ipsius voluntate conditio illa, non etiam à populo, pendeat. Tamen hactenus id repugnat *characteri Regio.* Non quidem ut *Hobbesius* putavit *P. II. Leviath. c. XIIX.* quasi *persona* post collatum in Principem Imperium ampliùs nulla supersit, in quàm commissum Imperium recidere possit. vid Scharrock. *c. IV. d. Off. secundum Jus Nat. n. 8.* Sed quòd Princeps ob quemlibet neglectum potestate suâ excidere, & in privati conditionem redigi posse non debeat; si non etiam in *hostem* se vertat,

tat, ut tunc *deponi* posse mereatur: quicquid sit, quòd conditio illa Regni commissorii *à voluntate Principis* antecedaneâ dependeat. Saltim hoc inter omnes constat, *minùs dignè* Imperium istud teneri ad cœtera comparatum, quæ clausulam non commissi, sed nullitatis actuum, habent; (nam & hæc, illæsâ in se facultate, locum habere potest:) Unde satis infirmum est *Regnum Poloniæ*, quod sub ejusmodi clausula Commissoria Regi concreditum est; nisi ita exponatur illa clausula, ùt *suprà* tradidimus. Denique limitatio Regni non *causam* inducit actuum, sed *conditionem sinè quâ non*. Hæc verò ne quidem est in Regnô illô, ubi *consiliô tantùm* utitur Princeps: quia hujus rationes rejicere potest, ipsique Consiliarii à nutu & constitutione Regis pendent; quod in *Ordinibus* seu *Statibus Regni*, necessariò assumendis, aliter habet. Planè ab *exemplis* in hâc doctrinâ quid solidi petere non licet. Unde & *H. Grotius Lib. I. c. III. d. J. B. & P. §. 16.* circà Reges *Persarum* & *Hebræorum* aliosque lapsus est; ùt ibidem in notis ostendit *Osiander p. 502. seqq.*

IV. Nos legis vocabulo primum considerato, submovemus ab hoc termino quicquid actu non est constitutum. (*e*) Positivas igitur Leges proprie ad hanc classem referendas putamus. Proinde, quæ in voluntariis Imperiis tacitè excepta intelliguntur, ea non nisi analogice fundamentales Leges appellari videntur. Veluti salvam civibus libertatem, vitam rerumque suarum dominium, esse debere. Item nihil posse de Imperio ultrà terminos vitæ statuere principem, nisi id habeat in patrimonio. Civitatem in partes subjectivas non distrahendam, id est, ex unâ civitate non fieri duas, aut alterum alterius membrum esse faciendum. Mares feminis, primogenitos minoribus natu esse præferendos, & quæ similia. Porrò fundamenti verbum significare id cui tota structura innititur & quod primò omnium ponitur, suopte planum est.

(*e*) ACTU NON EST CONSTITUTUM. *Constitutio* enim propriè Legis formam infert: quâ ratione *Auctor §. seq.* Leges *fundamentales* non rectè per *Constitutiones* describit; nec *Leges* illæ propriè dicuntur, quippe quòd in ipsâ Summæ Potestatis constitutione fiant. At verò Leges ferantur *à summâ potestate*, & respiciant ordinem & decus rerum *eidem subjectarum*, v. c. Magistratuum electionem, sumptuum rationem, &c. Nec etiam *jussa* sunt Leges illæ fundamentales; sed *ratio* seu *modus* necessariæ connexionis rerum ad statum Imperantis facientium, qui *à tota Civitate* conficitur, ùt in *Libertate* posita est, vel talis habetur; dum declarat, *pactôque* firmat, quâ formâ regi velit. Non igitur *§. 6.* Auctor *Populo*, si modò illum exclusô imperaturo capiat, potestatem *Leges* ejusmodi *constituendi* tribuere debebat. Nam Legibus quidem *propriè* talibus solutus est Princeps; & si quando secundùm illas vivere se velle promittit: illud aliter accipiendum non est, quàm de Legibus civilibus (*Naturalibus* enim & *Gentium* juribus, citrà promissionem, tanquam supernis, tenetur etiam intrà civitatem & ergà subditos; saltim quòd ratione horum *externa vi* ad servandum ea *cogi* non possit;) sed ita tamen, ut illis quoque non aliter obligari velit, nisi quatenus in actibus eivium, quibus ipse Princeps implicatur, adhiberi debebant; sicut ad *§. fin. Inst. Quib. non est permiss. fac. Test.* & *suprà* pluribus dictum est. Quoad *actûs* enim *proprios* utique Legibus illis nec obstringitur, nec obstringi potest, neque etiam obstringi vult; sive ùt Princeps se habeat, sive ùt privatus: putà in contractibus, donationibus, suâque voluntate ultimâ, ipsôque Fori Processu, & similibus. Illa verò

verò doctrina, quam *Besoldus* habet in *Tr. de Majestate in genere p. 14.* quasi Princeps tantùm solutus sit Legibus, per potestatem *extraordinariam*, sed non etiam quoad ordinariam, penitùs falsa est. Interim *Leges fundamentales*, *civiles* non sunt *efficienter*, tanquam à Civili potestate profectæ: quamvis sint *Civitatis*, & sic Civiles *objectivè*; imò ratione *subjecti* respiciunt Principem, tanquàm præcipuum societatis civilis, ex unâ, & subditos sive reliquos, ex alterâ parte. Porrò quando *Auctor §. 4.* tradit, *Legibus fundamentalibus* accenseri non posse, quæ *tacitè excepta* intelliguntur: illud solùm pertinet ad Imperium *de novo* constituendum: quia hoc simpliciter delatum omnem modum, Majestatem sive potestatem exercendi, respuit; sed non etiam ad imperium *constitutum*: sicut plura, in *Imperio Romanô* cumprimis, antequam per *Capitulationes* in Scripturam redactio fieret, tanquàm Leges fundamentales obtinuêre: de quibus haud constat, quòd unquam *actu constituta* sint; quin potiùs per *Observantiam* & *usum* Imperii sensim introducta videantur. Neque etiam simpliciter est recipienda *Auctoris* doctrina *in fin. §. 4.* Cùm enim *Majestas* sit fundamentum Reipublicæ Majestaticæ non nisi ex parte *imperantium*: ideò etiam *Leges fundamentales* non *totam* Reipublicæ structuram concernunt; sed solùm circà Majestatem versantur, vel saltim ad ejus *exercendi modum*, pertinent.

V. Leges igitur fundamentales erunt propriè constitutiones, quæ in fundando Imperio ante plenam ejus translationem (*f*) stabiliuntur, ut juxtà eas Respublica exerceatur.

(*f*) ANTE PLENAM TRANSLATIONEM. Imò etiam postquàm Majestas *translata* est: quoniam hâc illæsâ *limitatio* fieri potest, nec per illam Majestas simpliciter, sed solùm *absoluta* esse desinit: cumprimis si populus limitationem ejusmodi sibi pactus fuerit, vel non aliter regi possit; sicut in *Imperio Romano* Imperator Majestatem *ex more populi* suscipit; eâque demum *susceptâ*, in certa capita spondet. Adhuc enim inter *Imperantem* & *parentes*, etiam quà tales sunt, rectè dicuntur iniri pacta *super imperandi modo*, & falsum est, me super eô frustrà pacisci, quod jam est *totum* in meâ potestate. Quidni enim posset remittere quid Princeps de Potestate, voluntate liberâ, aus freyem gnädigem Willen. Neque igitur pacta talia se habent semper & unicè, ùt *declaratio* ejus, quod initiò tacitè subintellectum fuerat; nam & *nova* penitùs conveniri possunt: & valet omninò, si vel *partem Imperii* relictam Populo velit Princeps: quod *Hobbesius* malè negat; multò magis si, ùt hoc locô, *exercitio potestatis* suæ limites ipse præfinitos velit. Non quòd Ordines vel *Populus* cum Principe suo agens *Majestatem realem* habeant; aut quòd *Libertas* ejus se referat necessariò ad *Imperium*, ùt *constituendum* fuerat: (nam hoc solùm pertinet ad conditiones *invito Principi* propinandas.) Sed ut etiam *Ordines*, *quà parentes* & subditi, in Imperio jam *constituto*, habeantur. Planè si de *Interpretatione Legis fundamentalis*, in contradictione Regis & Ordinum, agatur: ad Imperium in fieri seu ùt *constituendum*, Ordines referendi sunt. Debet autem Interpretatio ex jure *communi* fieri, ne *partis* alicujus jura lædantur; nec ubique & semper, (quod *Hobbesius* vult *c. XXI. Leviath. p. 109.*) id agendum est, ut dubia verba pro Imperante & *Imperio* exponantur. Atque Interpretatio itidem *pactô* firmanda est; quippe quæ à *solô Principe* fieri non possit. In Republicâ quidem *mixtâ* qualibet pars itidem suô arbitriô non gaudet; quando *pacta* certa adsunt. In *Systemate* autem pars minor majori cedit; sic & in *Polycratiâ*. Utique Princeps haud unquam circà Legem fundamentalem ùt *Imperans* aut *Legumlator* se habet. Nec vicissim Leges fundamentales injunguntur Principi *à tertio*; sicut in *Legibus* fieri solet. Verùm *Ipse* enunciat conditiones illas gerendi Imperii, in modum *pacti*; de quô etiam *alibi* diximus, quòd quidem æstimari istud non possit in modum pactorum simpliciter; idque ob peculiarem indolem *objecti*, (*Majestatis* scilicet,) irretractabilis, circà quod versatur. Cùm itaque populus ex alterâ parte constitutus, sive *post* imperium, sive ante delatum, non sit considerandus tanquam Regi *suppositus*; sed qui *cum Ipsô* religioni & fidei, Jure Nat. & Gentium validæ,

validæ, obnoxius ſit: Ideò non rectè dicitur à nonnullis, quòd Princeps ad pacta Regni, *principio* tantùm *internò* teneatur; populus verò ab Ipsô, ad pacta illa, quà talia, per *Imperium* & vi *Majeſtatis*, cogi poſſit. Nam illud quidem ad *populum univerſum*, quà pactus eſt, referri non debet: *ſingulos* autem de populo, ſicut extrà formam pacti conſtituuntur, eosque ad imperata per Majeſtatem ſimpliciter, ipsâ vi illius, adigit: ita etiam ad ea, quæ iisdem injungere ſecundum modum habendi Majeſtatem poteſt, ipſos eâdem Majeſtate Regiâ, adſtringit. Videlicet poſtquam *ſinguli* per pactum primigenium *in univerſitatem* tranſiêre, Univerſitas quidem deinceps *pactô alterô* ſe quidem etiam *ſubmittit;* nec tantùm ſinguli. Neque etiam dici poteſt, Imperantem habere ſolùm jus, quod *ſinguli* in ſtatu naturali. Nam ita ſemper poſſet commodum ſuum anteſerre commodo *communitatis*. Interim tamen ſecundùm pacta illa cum *communitate* inita, nec aliter, *ipſi* etiam *communitati* imperat.

VI. Jus habere populum tales conſtituendi, copiosè demonſtratum eſt. Etiam Imperantes illis teneri dubio caret. Siquidem plus juris, quam acceperint, exercere eos non poſſe, ex iis, quæ diſputata ſunt, irrefragabile eſt. Tollant autem vel minuant leges fundamentales, an arctius duntaxat ſummæ poteſtatis exercitium faciant, ex qualitate ſententiâque ſingularum eſt colligendum.

VII. Tollitur vel potius communicatur, & quia communicatur, ideò tollitur (g) in Principe ſumma poteſtas, ſi conſtitutum ſit, ut nihil poſſit in juribus imperandi maximis ſine adſenſu ſenatus vel ordinum populi. Species illa quidem eſt ſocietatis. Sed qui ſocium, is habet parem. Qui parem, ille ſummus eſſe deſiit. Nec minus juridicum aut philoſophicum quàm populare eſt, quod dicitur; ſocium habere, id eſt; dominum habere.

(g) IDEO TOLLITUR. Imò non quælibet *communicatio* Jurium Majeſtatis in Principe poteſtatem *tollit;* & minimè illa, quâ Ipſe nil poſſe velit, ſine aſſenſu Senatûs vel Ordinum Populi; quod ad *§. 20. infrà* diſtinctiùs oſtendemus. Sic enim, quòd *Imperator Romanus*, in modum exercendi Majeſtatem, admittere teneatur Statûs *Imperii*, *propterea* non eô minus poteſtatem Ipſe retinet; cùm ex eô non ſequatur: non poteſt Imperator legem condere, ſinè adhibitione Ordinum: Ergò *non poteſt*. Imò contrarium inde, quòd *poſſit*, infertur: atque hinc ei *Majeſtas* ejusque *exercitium in ſolidum* debetur. Videlicet *Statûs* ſunt non niſi *conditio ſine quâ non*, citrà quam effectus quidem produci nequit; ut tamen non niſi cauſæ alii effectrici & verè influenti adſcribendus ſit: & malè *Auctor* hic ſpeciem *ſocietatis* immiſcet. Eſt enim *cauſa ſocia* vera cauſa, quæ in Ipſum effectum influit; quod de *aſſenſu Senatûs* dici non poteſt.

VIII. Quod ſi illud non in univerſum, verum de certis capitibus, (h) ut plerumque fit, ſtatutum ſit, tum non tolli ſed minui ſummam poteſtatem rationi conſentaneum eſt. Nam ubi vel unum Imperii jus, quod ad ſummam Rempublicam ſpectet, Principi relinquitur, obnoxium nulli, dicemus, ibi ſummam eſſe poteſtatem, etiamſi

non

non integram. Ejusmodi porrò communicationem totius vel pro parte majeſtatis poſſe fieri, ex ratione ſæpius memorata, clarum & experientià certum eſt.

(*b*) De certis capitibus. Neque ſic minuitur ſumma poteſtas, quatenus videlicet *ad modum Exercitii* Leges fundamentales pertinent; putà quòd, exceptis illis, talem in reliquis adhibere obſtrictus ſit. Neque enim exhinc quicquam patitur ipſa *poteſtas*; & dum quid *ex hac*, vel etiam ipsô *exercitiò*, detrahi poſſe, illæsâ Majeſtate, vult *Grotius Lib. I. cap. III. §. 16.* omninò deſerendus eſt. Nos equidem, non poſſe Regem fingi, qui plenam omnemque Majeſtatem habeat, cenſemus; niſi *facultas* Ipſi integra, & nec hæc tantùm, verùm etiam *exercitium*, ei in ſolidum relinquatur: quicquid ſit de *modo exercitii*, ad quem vel in *omnia* Jura, vel in *certa* quædam, ſe obſtringit. Ille verò, qui vel unum aut plura capita ultrà modum, & ſic etiam quoad exercitium ipſum, indeque ex conſequenti quoad facultatem, (nec enim *facultas* illa, niſi *viva* & *in exercitiò* eſt,) reſtricta habet: *ſummam* habet quidem poteſtatem, & in *longitudine* quoad Jura irreſtricta, ſive potiùs non adempta; ſed *plenam* tamen non habebit & in *latitudine*: indeque Status Reipublicæ non ſimplex ſed *mixtus* erit.

IX. Sed diviſionem jurium ſummæ poteſtatis fieri poſſe, adfirmantibus politicis non adſtipulamur. Civiliter, inquam, ut res in moralem facultatem unius regendæ civitatis coaleſcere queat. Videlicet eo modo, ut integra Majeſtatis jura inter ordines diverſos diſtribuantur. Quædam uti princeps, aliqua primores nec nulla populus, ſinguli ſuo jure invicem non obnoxii teneant & uſurpent. Excederet hoc notiſſimos Reipublicæ terminos, ac neſcio quod monſtrum repræſentaret. Evaneſceret comparatio concentus cum chordis aut animæ cum corpore, quam ſupra civitati & Reipublicæ accommodavimus. (*i*) Nec planè una ſed omninò triplex foret majeſtas. Tres enim poteſtates liquido & ſimpliciter ſummæ in ea ſpecie conſiſterent.

(*i*) Accommodavimus. *Libro I. cap. VIII. §. 5.* Imò nequaquam evaneſcet; nec inde multiplex Majeſtas exſurget: quoniam in *latitudinem* tantùm Jura ejus, per diverſa ſubjecta, diſtribuuntur: nec v. g. triplex in eâ quoque Republicâ mixtâ, ſed una datur, Leges ferendi poteſtas, quæ cum cæteris Juribus *unam Majeſtatem* conficit. Quod enim dicitur, quodlibet Jus Majeſtatis eſſe Majeſtatem: illud ſolùm verum eſt quoad *ſummitatem* ſeu longitudinem: quoad *latitudinem* enim implere Majeſtatem integram non poteſt; eaque natura eſt cujuslibet totius poteſtativi, ut pars ejus quælibet nomen *totius* ſuſtineat: cùm non niſi ratione objecti à cæteris partibus diſtinguatur. Verior itaque eſt ſententia communis, quòd detur *Reſpublica mixta*, non ſolùm ratione *finis* (quod quidem illi largiuntur;) ſed etiam ratione *formæ*; quicquid hîc *Auctor*, (qui tamen *§. praeced.* diviſam in Rege dari poſſe Majeſtatem, quoad *Jura non omnia* ei concredita, aſſerit; quanquam hoc *communicationem Majeſtatis*, ut Ipſe putat, *v. §. 8. & 20. b.* non pertineat:) ipſeque *Puſendorff. Lib. VII. cap. V. J. N. §, 13. & cap. VII. §. 12. & ſeqq.* (ubi *Arniſæum*, *Piccartum* & *Grotium*, eô nomine refellere nititur,) objiciant: utcunque *Puſendorffius* Reſpublicas ejusmodi, quas *mixtas* appellamus, h. e. ubi *diviſim* habetur Majeſtas, ut unus aut plures, aliis vel cæteris inconſultis, Jura

Majeſtatis ipſis competentia, teneant, *irregulares* eſſe concedat. Etenim *Formæ* Rerumpublicarum non ſubſtantiales, ſed merè *accidentales*, ſunt; & accidentia miſceri poſſunt, ut ſalva nihilominùs ſubſtantia Reipublicæ maneat. Neque etiam *mixtio* illa ejusmodi eſt, ùt in *phyſicis*: quibus eſt miſcibilium alteratorum unio. Quin potiùs *compoſitam* appellare licet Rempublicam; ne oporteat dicere, ùt in phyſicis, *mixturam* eſſe in quâlibet particulâ Reipublicæ, & ſic in omni eâ aliquid etiam ex miſcibilibus cæteris: tantùm quòd in quâlibet vigor Majeſtatis, quà Rempublicam totam actuat, reperiatur. Eſt quoque civiliter intelligenda diſtinctio, quam nonnulli afferunt, inter *mixturam ſimilarem* & *diſſimilarem*: ut *priorem* vocent, quando mixtura fit ex pluribus Monarchiis vel Ariſtocratiis. Quamvis autem ex pluribus *Democratiis* mixtura dari non poſſit; tamen propterèa omnis mixtura neganda non eſt. Imò *quædam Jura Majeſtatis* ita comparata ſunt, ut ſeparari non poſſint. Quid enim ſi uni competat Jus belli gerendi, alteri diviſim poteſtas colligendi: nam ita iſtius actiones omnes, hic qui nervum rerum gerendarum habet, irritas facere poſſet. Cætera facilè removentur; veluti: quòd *forma* cujusque rei *indiviſibilis* ſit. Nam hoc verum eſt de ſubſtantiali: item, quòd Majeſtas ſit *individua*. Videlicet in plura talia, quale eſt ipſum. Ita nec in *longitudine*, nec in *latitudine*, diviſionem recipit. Ipſa verò latitudo ſeu *objectum* admittit plura Jura Majeſtatis, eorumque in diverſa *ſubjecta*, quibus ea diviſim committuntur, diſtributionem. Eſt quoque Majeſtas *individua* in ſimplicibus Rebuspublicis, ſed non eſt *indiviſibilis*: indeque mixtura exſurgere poteſt. Non etiam poſſunt dari *plures ſummitates* integræ, hoc eſt, quæ omnia ſumma unius Majeſtatis, plus vice ſimplici, in *unâ Republicâ*, conficiant. Ulteriùs dicunt, non poſſe plura *contraria* eſſe in uno objectô; ùt ſunt Monarchia & Ariſtocratia. Nempe non poſſunt eſſe, quoad easdem partes; ut unus tantùm habeat poteſtatem Magiſtratum conferendi, & ſimul eandem habeant plures. Neque etiam Formæ Rerumpublicarum ſunt contrariæ, ſed *diſparatæ*, & in eandem Rempublicam utique cadere poſſunt: quoniam non niſi ex ſubjectis ſeu exercentibus Majeſtatem diſtinguuntur.

X. Cæterum non raró contingit, Imperium ſub hac conditione deferri, ut ſalvæ ſint leges fundamentales, nec tamen ullæ conditiones exprimantur. Et quidem, ſi noviter civitas condatur, nihil apparet, quo id genus adjectio effectum habere queat. (*k*) Proinde nullius momenti & ab initio & in futurum eam eſſe oportet. Haud ſecus ac ſi teſtator, heredem ſcripſiſſet, ſub conditione, quam omninò ſervari velit, nec tamen expreſſerit. Ut enim mortuus nihil præſcribere poteſt, ita nec populus Imperio ſimpliciter translato. Utpote qui tunc pro civiliter mortuo, quatenus utique eſt populus, (*l*) haberi poſſit. Niſi quod ea, quæ in voluntariis Imperiis excepta intelliguntur, etiam heic excepta videri non ſit dubitandum.

(*k*) Habere queat. nam ita per *Leges fundamentales* aliud nil intelligi poteſt, quàm Ratio *communis* Regni cujuslibet, quâ excepta ſunt ea, de quibus *Auctor Lib. I. cap. X. §. 7.* agit. At verò hæc ad Leges fundamentales non pertinent; quippe quæ *proprium* quid huic vel illi Regno conficiunt. Quòd ſi enim præter communem naturam quid intellectum voluiſſet Populus, omninò illud exprimendum fuerat; cujus nec deinceps poſt imperium translatum admittitur oppoſitio. In Imperio autem jam conſtitutô, v. c. Romano, ubi jam ante *conſtat*, quibusnam illud *Legibus fundamentalibus* nitatur, Cæſar, licèt ſimpliciter conſtitutus, nihilominus adhuc in capita illa, quæ *natura*

natura Regni postulat, spondere tenetur. vid. *§. 11. b.*

(*l*) QUATENUS UTIQUE EST POPULUS. *Talis* videlicet, qui integram adhuc potestatem paciscendi habeat. Qui enim pactus est, quoad *pacti fidem*, mutuò inter ipsum & Regem servandam, ne quidem post imperium delatum, etiam quà *populus* est, pro civiliter mortuò haberi debet: ùt *supra* notavimus. *junge §. 15. b.* Hinc etiam ab Imperante solô mutari non potest Lex fundamentalis: quoniam eô respectu non *ùt Imperans*, verùm ùt *pars Civitatis*, consideratur; indeque in ipsum valet illa, *ùt pactum*, ex L. naturali.

XI. At si pridem constituta civitas & novum alicui deferens imperium, quod crebrius accidit, ita stipuletur, non perinde inutilis promissio videbitur. Intelligentur enim ea fundamenta civitatis, quæ tunc sunt, (*m*) integra & immota relictum iri. Item leges, quæ prioribus Imperantibus aut expressè impositæ aut sine controversiâ observatæ fuerunt. Denique partes civitatis integrantes, ut ita loquar, non ministrantes, (*n*) eaque collegia, quæ exercitium subordinatum habent Jurium Majestatis, fore inconcussa. Conventus ordinum populi, magistratuum in urbibus, jurisdictionum in agris, minimè submotum iri.

(*m*) QUÆ TUNC SUNT. Intelligit *Auctor* Civitatem *Majestaticam*; seu quæ Imperium Majestaticum jam antè habuit. In eâ enim, quæ solùm formam *Magistratûs* habet, difficile est, ut à statu illius ad modum Majestatis, in Rege v.c. novô, inducendum argumentemur.

(*n*) NON MINISTRANTES. Innuere videtur *Auctor* primores in Civitate, ex quibus administratio proxima seu immediata Jurium Majestatis conficiebatur: quippe quæ Civitatis partes integrantes constituunt; quasi videlicet Princeps novus, quoad ministrantes seu inferiores, aliter statuere possit. Vel si disponere queat circà *individua* personarum; ipsam tamen dispositionem Collegiorum, & Ordinem Majestatis, quatenus hic salvâ Monarchiâ perdurare debet, evertere aut immutare non valeat.

XII. Non tamen ut modus exercendi ista aliaque jura in ejusmodi collegiis, omniaque capita moris olim observati, pro fundamentalibus (*o*) habenda sint. Modo ne tota tollantur, aut jura, in quibus vis & essentia illorum consistit, adimantur.

(*o*) PRO FUNDAMENTALIBUS. Quidni verò habendæ forent leges illæ pro fundamentalibus: siquidem ad modum exercendæ Majestatis pertinent. Nam Lex fundamentalis non ea solùm est, quæ Majestatem Principis minuit, & *mixtum* Statum inducit; verùm maximè, quæ *salvâ Majestate* tantùm exercitio ejus *modum* circumponit: ceu nec constitutio nova, in quolibet actu electionis Regiæ, requiritur; sed & *repetitio* anteriorum sufficit. Utique Jura illa Collegiorum, de quibus in *§. 12.*, ad Regem quoque pertinebunt: eò quòd exercitium Majestatis in illis Principi posthâc subordinatum sit.

XIII. Ejusmodi autem fundamentalia pacta sive tacita sive expressa, non tollunt neque minuunt summam potestatem. Populus enim

defert liberam admistrationem Reipublicæ illius, quæ in præsenti existit. In quâ, si nihil aliud convenerit, minimè cuncta imperii jura pro lubitu exercere prohibetur. Manente duntaxat eâdem constitutione subjectivâ (*p*) civitatis, & subintellectis semper exceptionibus, quas in omnibus imperiis tacitè reperiri diximus.

(*p*) CONSTITUTIONE SUBJECTIVA. Intelligit *Auctor* civitatem ipsam; aliàs subjectum civitatis appellamus, ex quô forma civitatis conficitur: quâ ratione post mutatam Civitatem in Monarchiam, constitutio subjectiva eadem manere non potest.

XIV. Quid verò si novus princeps receptus sit à populo pridem formato, sub hac lege, ut jura & libertates servet, deque coortis controversiis inter se & ordines populi tertium patiatur judicem? Qua conditione Frisii Carolum Cæsarem V. pro domino receperunt. * Parum abest, quin ejusmodi principatus non sit verè summæ potestatis. Quoniam huic naturaliter competit, esse judicem in propriâ causâ. Nempe ut *Naturaliter*, non sit simplici jure naturæ, (*q*) sed necessario. Quicquid enim est necessarium, hoc ei rei non malè dicitur naturale. Necessitatis autem illius ratio vel ex definitione summæ potestatis suggeritur. Quod equidem princeps se tertio ut arbitro submittat, id nihil quidem officit majestati. Sed pactum ejusmodi initio adjectum necessitatem imponit. Talem, ut acta principis infirmari hoc modo posse videantur. Sanè causam armorum Frisiis contra Hispanos hoc pactum sine dubio præbere potuit evidentem. Quia satis constat, Philippum æquos arbitros sæpius imploratum defugere perseverasse.

* *ap. Winsenium Hist. vernac. ad ann. 1515.*

(*q*) NON SIT SIMPLICI JURE NATURAE. Hoc est, non tantùm hoc videatur esse meliùs & laudabile magis; sed quòd etiam necessitatis sit, nec aliter se habere possit. Verùm hæc sententia *Auctoris* falsa est; nec firmatur hoc argumentô *vers. quod equidem:* quasi videlicet Principis Majestati non detrahatur, si quando is *sponte suâ* citrà pactum & sic liberè, arbitrio tertii se submittat; officiat autem, quando ex pacto, quod ab initio necessitatem imponat: (secùs in quôlibet Regnô, ubi *leges fundamentales* habentur, imminutam esse Majestatem, oporteret:) Imò *necessitas officii Regii*, etiam citrà pactum, omni Principi incumbit; veluti quòd de Regnô quicquam *alienare* non possit, nec quicquam suscipere quod Rempublicam dissolvat: quippe quòd nec Deus possit omnia, nisi quæ ipsum posse non repugnet essentiæ ejus: unde nec mori possit, nec peccare; saltim ea, ad quæ Princeps *necessitate* vel *simplici*, quà Rex est, vel *pactitiâ*, obligatur, per se Majestatis naturæ non repugnent: quâ ratione videndum est, num hoc tale sit, quod *Auctor* hic de *arbitriô* tertii movet. Etenim & hoc *liberi* est *arbitrii* in Principe, in cujus necessitatem *ex pactô antecedaneô*, suâ ipsius voluntate susceptô, deducitur. Num verò arbiter ille tertius, inter me & populum meum, hoc

hoc ipsô me *superior* existit? cùm tamen arbitrium non sit *potestatis*, sed *judicii* tantùm & *intellectus*; voluntati verò cujusquam me subesse oporteat, ut summus ampliùs non habear. Videlicet *declaratio Juris* mei inter me & populum, alteri permittitur: num ego Leges fundamentales v. g. servaverim; sed *Coërcitio* Legis, quòd non servaverim, nec populo per hoc, nec tertio, permittitur. Equidem quòd Princeps *in suâ causâ* judex esse possit, ad causas tantùm *civiles* restringitur, sive *privatas*: & tamen in his quoque, potestate suâ illæsâ, Dicasterio suo, quò ipse haud dubiè superior est, submittere se, idque vel ex pactô fundamentali, potest. Vnde interesse nil quicquam videtur, sive Princeps arbitrium, (seu Judicium potiùs aut declarationem actûs unius vel alteriùs, circà objectum Majestatis,) initiò suscepti Regiminis, permissurum se esse tertio, promittat; sive dehinc sponte suâ, si quæ populi indignatio occurrat, eò commoveatur. Quòd si enim res ipsa cum Majestate consistere potest: non apparet quid intersse queat, num ad illud ipsum pactô antecedaneô, an pactô incidenti, aut voluntate suâ, feratur; & an ad actûs plures, an ad unum, qui controversiam pati potest: & an per se ipsum, an per arbitrum, in quo fiduciam æquitatis collocat, declarationem suæ potestatis, quòusque ea valeat, susceptam velit. Nam hactenus sub Jure Gentium positus est; etiam dum in esse Regis, & sic in Imperio constitutô, versatur. Quòd si etiam vel maximè *contrà Principem* declaratio cadat: non est putandum, actum *infirmari* per extrinsecam potestatem, sed per voluntatem ipsius Principis; sicut etiam stare cum Majestate posse *Auctor* superiùs largitus est, quòd ex pacto Principis, illius actûs, contrà pacta Regni suscepti, vel injusti vel nulli declarari queant. Num verò *Frisii* Justitiam armorum contrà *Hispanos* habuerint? quod arbitros ille detrectaverit, alibi disquiritur. Imò vel pactô nullô antecedaneô, si Princeps, absolutus licet, in populum sæviat, & arbitros, ad quos populus provocat, admittere nullos velit: an non ita resistere Tyranno queat populus? dubitare non licet: indeque constat, sicut ille Majestatem habet haut dubiè, ita etiam ex pactô antecedaneô de suscipiendô arbitriô, quicquam imminutionis Majestatem non pati.

XV. Existimamus porrò & eas leges quæ firmato pridem Imperio per modum solennis conventionis inter imperantes & subjectos legitimè stabilitæ sunt, hac mente, ut pro fundamentalibus habeantur, utrimque esse obligatorias. Nec non eandem vim habere instituta Reipublicæ ad summam Imperii & jura ordinum spectantia, quæ longo usu (*r*) tacitoque consensu Imperantium & subjectorum indubiè recepta sint. Nam & Jura Majestatis præscriptione acquiri vel mutari posse in loco (*s*) videbimus. Cum enim populus sit universitas, etiam quando sub Imperio est, cui & actio aliqua nec non jus ut superius (*t*) probatum, tribui potest. Nihil est causæ, quare jus novum per liberam consensionem cum Imperantibus, acquirere nequeat. An autem ab illis invitis novi quid populus exigere possit, haud quaquam temere adfirmandum. Sed hoc infra (*u*) excutietur.

(*r*) LONGO USU. Quod igitur *supra* §. 4. *Auctor* dixerat, se nihil agnoscere pro Lege fundamentali, nisi quod *pactô* constitutum sit: illud opponendum est tantùm *Regulæ* Imperiorum, & *naturæ* eorundem, quæ ubique supponitur; nisi diversum inductum fuerit: idque sive pacto expressô sive

sô sive tacitô. Ut sic etiam hoc, quod usu invaluit, pro eo quod actu constitutum est, haberi debeat.

(*s*) IN LOCO. *Lib. I. c. XXI.*
(*t*) SUPERIUS. *Lib. I. c. XVI. §. 22.* & alibi.
(*u*) INFRA. *Lib. I. cap. XXI.*

XVI. Privilegia verò, id est, jura liberaliter & ex gratiâ principum indulta, vim legum fundamentalium non habent. Nec aliô quam honestatis, nullô necessitatis vinculo, largitorem obstringunt. Quare monitos velim eos, qui de justitia armorum nostratium adversus Hispanos loquuntur, ne meritum causæ in violatione privilegiorum, ùt loqui amant, statuere velint. Nam nî leges fundamentales palam violatas docere queamus, solâ possessione libertatis (*x*) contenti esse deberemus.

(*x*) SOLA POSSESSIONE LIBERTATIS. Hoc vult *Auctor*: in petitorio *Belgas* causam justam non fuisse habituros; sed tantùm *possessioni* inniti debuisse libertatis, quâ nunc gaudent; si tantùm hanc excussi jugi Hispanici causam prætendere possent, quòd Rex *Hispaniæ* privilegia ipsorum violaverit; quoniam uti Rex privilegia concedat subditis, ex gratiâ: Ita Ipsum adimere illis ea rursus posse, etiam illæsâ Justitiâ. Hispaniæ verò Regem *Leges fundamentales* violâsse, ad quas Privilegia referri non possint. Equidem, ùt falsum est, *privilegia* semel concessa, indistinctè Principem subditis posse eripere; saltim ut in justitiam, cui Ipse obstringitur, non impingat; de quô *alibi* plenius: sicut etiam non apparet, cur Privilegia Legum fundamentalium naturam solùm induere possint, per durationem *temporis*, aut *confirmationem* successorum in Imperio. Ita quidem *Privilegia*, si Statum *privatorum*, licèt integri corporis, concernant, ad *Leges fundamentales* non pertinent; secùs autem si statum attinent *publicum*, & pro Juribus eximiis capiuntur, quibus Princeps Statûs quosdam, uti *Cæsar* Electores, Principes, cæterosque *Ordines*, quà tales in Imperiô, mactat: ita ut ex Juribus illis Majestatis exercitium modum capiat; qualia sunt plura, quæ in *A. B.*, *Capitul.* & *Recess. Imp.* reperiuntur: nam hæc ad Leges fundamentales utique pertinent; etiamsi *durante* jam *Regnô*, sive *firmatô* illô, inter Principem & Status, quà tales, constituantur. Nec minùs etiam Lex fundamentalis aliqua ad *partem* duntaxat *Reipublicæ*, velut ad Provinciam unam, dirigitur.

XVII. Videri tamen possunt vetustate populique stipulationibus ac novis Imperantium promissionibus iterata privilegia vim legum utrimque obligantium adipisci. Quin & dominica Imperia quandoque in civilia hoc modo fuisse mutata videntur. Quod in Anglia à Guilielmi Normandi temporibus accidisse videtur. Nam is jure belli regno potitus eodem id exercuit. Nec à posteris idem exerceri non potuit, nisi crebrâ jurium largitione ac indulgentia solennique confirmatione sensim ab antiquô rigore, cui pares non erant, (*y*) recessissent.

(*y*) CUI PARES NON ERANT. Hæc est *Auctoris* sententia, successores *Wilhelmi*, sicut in Jus Belli, seu Regnum Jure Belli quæsitum, succedebant, & sic *herile* sive dominicum & absolutum consequebantur: Ita etiam illos potuisse eundem rigorem, si titulum spectemus, exercere; sal-

tim

re; saltim quòd pares non fuerint illi rigori, nec viribus ad hoc instructi idoneis, indeque populo sensim plura indulgendô à rigore illo recesserint.

XVIII. Cæterum, conventiones non cum toto populo, verum certis hominum ordinibus initæ, pro fundamentalibus minimè habendæ sunt. (z) Sed hic articulus pertinet ad caput de promissis summarum potestatum, de quo inferius. (a)

(z) MINIME HABENDAE SVNT. At verò non apparet, cur non hæ etiam pertinere possint ad Leges fundamentales: quin potiùs ad *§. 1. & 16.* contrarium firmavimus; secus non posset haberi pro Lege fundamentali, quod cum Collegio Electorali pepigit Cæsar, aut cum quolibet Ordine in Imperio, nomine publico; & ut non *simplici exemtione* à nexu universali Legum, conventio seu indultum Cæsaris, constet. Neque etiam Lex fundamentalis ubique talis esse potest, ut omnes simul Ordines contingat: quin potiùs sufficit, omnium seu totius Populi, qui Imperium Regi detulit, interesse; ut cuilibet hominum ordini in Republicâ id servetur, quod eidem, *Statûs publici* causâ, comparatum est.

(a) INFERIVS. *Lib. I. cap. XXXVI.*

XIX. Obligatio, quæ ex fundamentalibus oritur legibus, haud alia esse potest quàm naturalis. (b) Quoniam in eos, qui habent summam potestatem, vis civilium sanctionum intendi non potest.

(b) QVAM NATVRALIS. Enimverò quòd *naturalis* illa obligatio huc non pertineat, quam in articulo de Juribus rerum, maximè privatarum, *minùs plenam* appellamus; velut ad remunerandum: illud facilè patet. Nam ista est ex nudâ *honestatis* ratione, *citrà promissionem*, & ne quidem *extrà Civitatem* jus perfectum continet. De cætero distinguendum est, an *Lex Fundamentalis* salvam Majestatem Principi relinquat; an minùs. *Ibi* si *communia* continet, ad quæ Princeps, nullâ etiam factâ promissione, velut *Officii* naturâ & ratione, tenebatur, ne quidem *propriè* Lex fundamentalis dici potest: quippe quòd haud unquam Lex fundamentalis detur *citrà promissionem*, sive expressam sive *tacitam*, (eam scilicet, qua observantiæ Regni & Institutis specialibus Antecessorum se obstrinxisse Princeps censetur:) & communia illa Principem stringunt non nisi *jure internô*, quod vocant; ut nempe in Civitate *judicium decretorium* super illis Populus sumere sibi non possit: adeò, ut simpliciter inter homines ea *sustinenda* sint, quæ adv. illa Rex suscipit, isque licèt ob hæc teneatur civibus; tamen *Deo* de illis unicè ad rationes reddendas obstringatur. Quocircà *aliena* sunt non minùs, quæ huc adferuntur de obligatione *in homines*, & in specie de illâ, quæ est inter *Dominum* & servum, inter *Patrem* & filium; ut sicut ex eâ inter ipsos *actio nulla* est, ita quoque non sit hactenùs inter Principem & subditos. Nam ea *Civilis* Juris Rom. dispositio pertinet solùm ad rationem *patrimonii*; quod *nullum* habebant *civiliter* servus & filius. Deinde ad *actiones civiles*, & jus *in foro* exigendi. Hic verò de Officio Regiô ad *statum Imperii constituendi* redactô quæritur, & de obligatione seu nexu penitùs diversô. Proinde si Princeps non ea faciat, quæ boni Rectoris sunt, si promissa non servet, v. c. *Privilegia*, quæ ipsemet civi concessit: frustrà de obligatione ejusmodi *naturali* quæritur. Sed ipse *plenè* teneretur, si in ipsum *Potestas Civilis* aliqua valeret. Ad *specialia* si Princeps se adstrinxerit, sive illa *nullitatem actui*, qui contrà gestus est, impingant: obligari dici potest Princeps *plenè*, etiam *inter homines*; sed tamen is effectus *annullationis* ex factô antecedaneô *Principis ipsius* pendet, ac cum *Majestate salvâ*, ritè scilicet gestâ, stare potest: atque sic judicium humanum seu potiùs *declarationem voluntatis propriæ* Princeps patitur: sive *invaliditatem* actui inferre videatur: & in hâc specie idem ferè obtinet. Utrumque enim *ad modum Facultatis* exer-

exercendæ pertinet; saltim quòd *nullos* dicamus actus, quos tales *voluit ipse Princeps*; dum *apertè* contrà Leges Civitatis tenderent: *invalidos*, de quibus initiò protinùs constare non poterat, sed *cognitione* opus erat, usque dum pro invalidis, & *in effectu* seu ex postfacto pro nullis haberi, idque non minùs *per ipsum Principem*, possent. (utut hæc aliter *H. Grotius*, cum distinctione limitationis ipsius *facultatis* & *exercitii ejus*, sed perperam, definierit:) Et hæc quidem etiam quoad *singulos* de Populo procedunt. Nam si *adv. Populum universum* subvertere ea velit Princeps, quæ initiò Regiminis circà modum gerendæ Majestatis promisit: ita quatenus Populus ad statum *Imperii constituendi* se referre & intercedere possit, nec *subjectionem omnimodam* subire teneatur, *ad §. 5.* collocavimus. Quòd si verò Lex fundamentalis ea sit, quæ *Majestati ejusve exercitio*, (nec tantùm exercendi *modo libero*,) *detrahit*: ita verò vel talis est, ut Principem unô alterôve *jure uti* nolit, nec tamen id sibi Populus sumere cupiat; *imminutâ* velut Reipublicæ *Majestate*, saltim in ejus *exercitiô*, v. c. circà Religionem. Vel ut *Populus jus* aliquod *sibi retentum* cupiat; qui verò *Status mixtus* foret. Ita utrobique Populus habet *Jus personæ*, ut *ex ipsô* pendeat quoque *effectus*, ibi *resistentiæ*; (& sic *plena* in Rege *naturalis* obligatio, etiam ad effectum *in Civitate*: quanquàm penitùs illa ab obligatione, quæ effectum *actionis* in Foro Civili habet, discernenda sit;) hic verò etiam *coactionis Majestaticæ*, quà *Rex* ad Populum talem relatus *ut singulus* haberi potest.

XX. Atqui cum tales sunt Leges, quæ communicationem summæ potestatis in quibusdam duntaxat juribus inferant, tum Imperantes non desinunt habere summam potestatem. Nam etsi populo jus ex iis legibus quæsitum affirmamus, non ideò superiorem principe, (*c*) constituimus. Possunt enim actus esse nulli ipso jure, ad quod superior alius alio non requiritur.

(*c*) NON IDEO SUPERIOREM PRINCIPE. Sed foret illô omninò superior, quando in communicationem summæ potestatis propriè dictam veniret: aut superior vel saltim æqualis foret Regi in his, quæ communicata sunt: quod idoneum est ad inferendum, quòd Rex non habeat plenam & solidam Majestatem; licèt in Juribus ipsi divisim relictis, & non communicatis, summa potestas in longitudine Ipsi remaneat. Ut verò accuratiùs discerni possit, quid in difficili articulo de *Communicatione Jurium Majestatis* habendum sit: ideò *communicationes* omnis generis lustremus, quæ in hunc articulum illabi possunt: simul ac doctrinas nostras ad *exempla* Imperii *nostri* Romani applicemus; si plura *alibi* reperiuntur communicationum genera, facilè ad nostra illa referri illisve jungi poterunt. Deprehendimus autem COMMUNICATIONEM MAJESTATIS EJUSVE JURIUM aliam esse

a 1. *Univocam*: de quâ tum
b 1. *Positivè* agendum est. Fieri autem potest illa Communicatio, tum per
c 1. *Indivisionem*; qualis est communicatio, quâ Cæsar *Regi Romanorum*, se vivô electo, Majestatem communicat: quâ rat. *eadem numerô* Majestas remanet.
c 2. *Usurpationem*, ut *solus* retineat Cæsar Majestatem, subjectô *suô* & *propriô*; fiat autem communicatio quoad *exercitium*: & sic, ut aliqui utantur Majestate, non tantùm jure alienô, sed plerunque nec suô nomine; quin potiùs Cæsar *per ipsos* & *in ipsis* eam *exerceat*: id quod fit, aut per
d 1. *Delegationem*, & *formaliter*; vel quoad
1. *Totam Majestatem*, ut quando illius exercitium abiturus Cæsar demandat *Locumtenenti*, einem Stadthalter, vel *Commissario*, nullô existente Rege; quò antehac referri potuit *aliquatenus*

a b c d *quatenus Regimentum Imperii. Vicarii* autem, durante Interregnô, summum *Imperium*, nec tamen totum & omnimodò, exercent: idque *ex pactô civitatis;* sed *non* etiam, saltim non propriè, *Majestatem.*

2. *Partes s. jura* Majestatis: ut vel

1. *Actus signatus* tantùm retineatur, *exercitium* ejus non ampliùs; qualem communicationem esse dicimus librorum & bibliothecæ: (nisi quòd hæc ipsa precaria, nec perpetua, sit:) iterumque, vel quoad

1. *Universum* statum publicum Imperii; quò pertinet jus constituendi *Magistratus Circulares*, cum similibus.

2. *Terras* cuique *Statui* proprias, & in *Regimine subalternô.* Ita Cæsar communicavit Statibus *Vectigalia*, portoria, fodinas, venationes *initiò*, cùm illa nec tum in Jura *patrimonialia* transiissent; adhuc scilicet *Cæsaris Jura fiscalia* seu *Regalia:* quorum & *nomen* diu retinuerunt. Et hæc communicatio fieri potuit, salvâ Majestate; eò quòd regnum quoque aliquod dari possit, in quô fodina non sit, & similia alia emolumenti Jura. Quamvis etiam Communicatio Jurium *eminentium*, v. c. Jurisdictionis, in unâ alterâve parte aut districtu, vel Provinciâ, non fuerit unquam plena vel adæquata: sed vel *subordinata*, vel tantùm *Vicaria* & *successiva;* ut *exercitium*, in obtinente eam, *Majestaticum* non fuerit. Inde & *jus* de *non provocandô* non excludit hodienùm querelam protractæ vel denegatæ Justitiæ.

2. *Actus exercitus* quoque penes communicantem, in aliis, remaneat; *in Universitate Imperii:* ut tamen eô quoque Majestatis jure, cum effectu *universali*, *concessionarius* utatur; idque vel

1. *suô nomine;* ùt Archiduces Austriæ habent Jus nobilitandi, Statûs plerique Monetandi Jus.

2. Nomine *Cæsaris:* qualis est collatio Graduum Academicorum, Legitimatio per Rescriptum in Comitibus Palatinis, Notariorum creatio, Famæ restitutio per Comites; Utrobique ex *concessione* perdurante, & sic jure *alienô*, penitùs *derivativo*, seu *privilegiô.*

2. *Imputationem*, sive ratione *effectûs;* cujusmodi communicatio reperitur in eô, quòd *in Electoribus* crimen Majestatis committi per A. B. constitutum est.

2. *Negativè*, quando statuimus: fieri non posse communicationem Majestatis, ut communicans ex communicato *nihil retineat.* Sic enim non potest fieri per

1. *Divisionem*, sicuti quis potum vini cum aliquo communicat. Videlicet dimidiata Majestas non datur; qualis nec olim in *Dyarchiâ* erat: de quà *alibi.*

2. *Traductionem*, quam *effectivam* vocant, aut *κατ' ἀλλοίωσιν:* quando aliquid simile, *diversum* tamen *numerô*, producitur: ùt quando anima humana dicitur produci aliquibus per traducem, ignis producitur ab igne, &c.

2. *Analoga:* Hâc ratione potest dici, communicata esse Statibus *Superioritas territorialis*, quæ olim suô modô, in *Universô* Imperiô, *Majestas* fuerat: nunc verò talis in territoriis *non* est *ampliùs:* ùt *nec Majestatica;* ceu in *Dissertatione de Superioritate Territoriali* exactiùs ostenditur. Similiter *Libertatis* & *Potentatus* Jura à Cæsare *pendent:* Et sicut hactenus communicata, vel rectiùs *concessiva* non minùs, ac Superioritatis Jura, dici debent: ita nec ipsa Jura *Majestatis*, sed *eximia* tantùm & *eminentiam* singularem conficientia *jura*, habenda sunt. Ex his ea dijudicari rectiùs poterunt, quæ *inferiùs c. XX.* traduntur.

XXI. Quod & in despoticis Imperiis, quæ sine controversia absoluta sunt, locum habere potest. Persarum Rex haud dubiè talis erat.

Qui tamen adversus leges (*d*) cum proceribus regni semel stabilitas obluctari non poterat.

(*d*) Adversus leges. At verò si nullum est præceptum Regis contrà leges cum Proceribus initas, & ab his adeò suspensa subditorum obedientia, non poterit Regis ejusmodi Imperium *absolutum* dici; sicut hactenus discrimen ejus à limitatô ostensum est.

XXII. Sed ubi Rex nihil omninò absque senatu procerum vel populari, in publicis rebus decernere potest, ibi magis est, ut Aristocratia (*e*) obtineat. Qualis hodiè sinè dubio Dux Venetorum, nescio an & Rex Poloniæ, & Imperator Romano Germanicus (*f*) est. Proinde adversum eos civilis legum obligatio (*g*) valere posse videtur.

(*e*) Aristocratia. Sed & hoc falsum est: tantùm *absolutus* non est Rex ejusmodi; qui tamen *summus* est nihilominùs & *solus* Majestatem tenet: cùm enim Ipse decernat, solus id potest, quà effectus ille Majestatis est; licèt possit non aliter quàm adscitô Senatu vel populo in Concilium: neque adeò ex Decreto Concilii vis Imperii pendet, ut nec actui quicquam Majestatis conciliat; sed solùm ad hoc ut Majestas exerceri queat, prærequiritur. Hæc verò necessitas solùm efficit, ut *absolutum* non dicatur Imperium.

(*f*) Imperator Romano Germanicus. Est verò ingens in his differentia. Nam *Dux Venetus* nil penitùs habet Majestatis Monarchicæ; sed auctoritatem Capitis & Præsidis in Senatu tenet. *Rex* verò *Poloniæ* omninò quædam tenet Monarchicè. Et exhinc tanquam Rex, in Republicâ *mixtâ*, *Dignitate Monarchicâ* sive *Regia* pollet, ut *coronatis* capitibus inter Gentes accenseatur. Quod verò *Imperatorem* R. G. attinet, vanissima est sententia, in *Hippolitho à Lapide* jam dudum refutata, ac Legibus Imperii atque actui rerum apprimè contraria, quòd Imperium nostrum purè *Aristocraticum*, in quod *directionem* tantum *Senatus* obeat *Cæsar*, habendum sit.

(*g*) Civilis legum obligatio. Quatenus adversus quemlibet ex Optimatibus, (nam hic quà talis Majestatem non habet,) civiles Leges valeant, *inferius* exponitur. Equidem ob *Privilegia*, quæ Ipsis competunt, tanquam decus Majestatis in Republicâ sustinentibus, subjectio illa *modum diversum* recipit ab illâ, quæ cæteris incumbit civibus.

XXIII. Cæterum de executione Legum fundamentalium & quatenus resistere liceat, infrà (*h*) tractabitur.

(*h*) Infra. *L. I. c. XXIV. & XXV.*

Caput XIIX.

De Juribus Majestatis majoribus.

ARGUMENTUM.

Divisio Jurium Majestatis in majora & minora. Primum jus gladii, id esse duplex, vitæ & necis in cives, belli in exteros. Prius ut discrepet à mero Imperio. In civili Republ. non esse jus Imperanti quenquam indictâ causâ necandi, nisi in extremo periculo.

culo. Ad hoc jus vitæ ac necis etiam asyla referri. De Jure Belli. Alterum Jus Majestatis de pace ineundâ. De fœderibus, eorum differentia à sponsionibus. Jus mittendi Legatos. Tributa exigendi & vectigalia: idque malè inter minora referri. De dominio eminente, ut differat à ratione status. De Jure Legum condendarum, ubi & de statutis municipalibus. De creandis Magistratibus, eos nihilo plus juris adversus summam potestatem habere quam privatos. De judiciis & de summâ provocatione.

I.

SEd cujusmodi Leges sint fundamentales, id in quâque Republicâ considerandum est. Hæc nostra universalis disciplina summam potestatem simpliciter spectat. Cujus proinde jura singula & omnia, in quibus exercitium ejus consistit, (*a*) ordine recensebimus. Jura Majestatis, id est, summæ potestatis vulgò non malè in majora & minora dividuntur. Ab illis incipiemus.

(*a*) Exercitium consistit. Hinc satis apparet, quâ ratione Majestatis naturam minimè perspectam habeant illi, qui putant, Regem quempiam posse *Majestatem in solidum* habere, qui non habeat *eâdem ratione* illius *exercitium:* cùm tamen viva ubique Majestas existere, & illius exercitium in solidum à Monarchâ dependere debeat; licèt *modus exercitii* requisita quædam necessaria, v. g. interventum Ordinum, admittat.

Cæterùm quia diversi *actûs* Majestatis, pro mediis variis, quibus ad gubernandam Rempublicam opus est, in Imperio se exserunt: quippe quòd *omnia Jura* illa Civilis potestatis sint, absque quorum curatione *Civitas salva* esse non potest. Inde ex istis *totum* quoddam conficitur, non quidem ùt ex partibus heterogeneis & ut singulæ per se subsistere possint; verùm *potestativum*, quod appellationes partium *ex objectis* suis recipiat: cùmque ex occasionibus jura Majestatis pendere queant; ut exerceri nunc possit facultas aliqua summæ potestatis circà ejusm. *objectum*, quod hactenus aut non extitit, aut eò pertractum non est. Hinc non possunt Jura Majestatis *certò numerô* definiri. Et malè *Nonnulli* jura illa, quæ noviter *emergunt*, ad *Dominium eminens*, seu extraordinariam Majestatis virtutem referunt. Interim non debet Princeps Juribus Majestatis accensere ea, quæ *infrà Dignitatem Regis* sunt. Non etiam debet adimere jura *subditis quæsita*, & inde Regalia conficere. Idemque in Imperio quoad Jura *Superioritatis Statuum*, dicendum est. Quocircà Princeps malè ageret, si subdito *Jus morticinorum*, quod *Carnificibus* locatur, ereptuius sit, qui illud longô usu tenuerat; quasi *titulum* ille Juris ejus ostendere non possit. Nam & *emolumenta* Jurium illorum, quæ *Majestatis* itemque *superioritatis* sunt, *præscribi* possunt haud dubiè adv. Principes. Ziegl. *L. I. d. Jur. Maj. c. 3. §. 19.* Nec tamen Princeps debet sibi pro Regali vindicare, quod pro tali *nec dum declaratum;* sed in usu *Privatorum* quà talium fuit. Imò si pro *Regali* inposterùm declaretur; possessores tamen ejus sibi relinquendi sunt. Quid enim, quòd *privati* non solùm *emolumentorum* capaces sint, vel solùm *usûs* regalium, aut habeant tantùm *locationem*, aut *permissionem* commodorum; verùm etiam ipsa *Regalia* tenere queant, v. c. Jus vectigalis, venandi, Leges ferendi, & quædam eorum ùt privati, cætera non minùs ùt subditi. Ut malè Ziegler. *d. l. §. 18.* diversum sentiat; indeque velit illa solùm *communicari* posse Regalia, (nec tamen ut talia verè sint,) quorum possit esse *usus absque Majestate:* cùm tamen non protinùs Majestatem consequatur Nobilis v. c. qui Jus condendi Legem in suo districtu accipit. Longè rectiùs se habent, ni fallor, ea quæ modò de *Communicatione Jurium Majestatis* asseruimus.

Sunt autem diversæ Jurium Majestatis *partitiones:* Non sufficit illa, quæ est Jurium *Imperii*

 & Com-

& *Commercii*; quanquam membra hæc exponi, nec tamen nisi coactè, queant, ut *commercium* v. c. ad *Belli* quoque jura trahatur. Sed & Hugonis Grotii *Lib. I. c. III. §. 6.* multa incommoda habet, nec membra accuratè distincta continet. Videlicet Ipse gubernari docet Imperium vel per *Regem*, vel per *alios*. *Ibi* in universalibus & singularibus: *Universalium* potestatem *architectonicam* dicit; eòque *Leges* in sacris & profanis refert: *Singularia* esse, aut directè *publica*; aut *privata*, sed ad publicum ordinata. *Illorum* potestatem *Politicam* vocat, seu βυλδυτικὴν, aut *consultatricem*: & versari eam tum circà *actiones*; quò redigit *Belli Pacisque* ut & *Fœderum* Jura: tum circà *Res* civium; quò refert *vectigalia* & *similia*, cum *Dominio Eminenti*. Circà *privata*, potestatem Δικαςικὴν seu *judiciariam* constituit; & publicæ quietis, ait, interesse, controversias privatorum publicâ auctoritate dirimi. Denique *per alios* Imperium exerceri tradit, tum *Magistratûs subordinatos*, tum *Curatores* cæteros; in quibus & *Legatos* computat. Affectat utique doctrinam *Aristotelis*, quando hic Civilem *prudentiam* in tribus occupari censet: *Legibus*, *Consiliis* & *Judiciis*: quam & partitionem alibi in eundem modum explicavimus, ut omnem *prudentiam* illa exhaurire possit. Verùm ut ad *Potestatem* ipsam, & Majestatem adeò in Republicâ, applicetur, nec necesse est, nec commodum haberi potest; quin & in ipsâ *Grotii* evolutione plura desiderare licet. Est enim incongruum, si de Juribus *Majestatis* disquirimus, ut in administratores sive *subalternos* transeas: Nec ita Magistratûs, Officiales & Legati in censum illius veniunt. Sed potiùs *potestas*, omnes hosce constituendi: quorum tamen & ipsa constitutio diversum respectum inde consequitur, quòd *Legatorum* sanctimonia, ad *exteros* quoque producatur; secùs ac in Magistratibus cæteris obtinet. Neque etiam *Grotius* Legatos segregare debebat à Juribus aliis *affinibus*, ut sunt Pacis, Belli & similia; ut nec *Magistratûs* penitùs à *Judiciorum* potestate. Etenim ipse *Aristotelis* doctrinam unicè exhaustam esse putat, illis actibus, quos *per se ipsum* Rex obit. Ita verò quæ per alios agit, extrà Majestatem collocabuntur. Ulteriùs, de *Legibus* dici non potest, ut non etiam ad illas redigantur *singularia Jurium*: & plura pertinent ad Legislatoriam, sive rectiùs *Architectonicam*, quam *Legis constitutio*. Utique *vectigalia* & cætera eò rectiùs referuntur, quàm ut ad *singularia* deferri debeant; quin & ipsum *Dominium eminens*: quippe quòd exceptio ad Regulam suam pertineat. Denique *Judicia* non modò ad *privatas causas* redigenda sunt: quin potiùs per expositionem nostram illud membrum positionis *Aristotelicæ* ad universam dispositionem, exercendæ *in causis quibuslibet* Justitiæ, intrà Rempublicam respicit; ut ne de cæteris nævis doctrinæ *Grotianæ* dicamus.

Est & communis distinctio Jurium Majestatis (quoniam Majestas se exserit non solùm in relatione ad *subditos*, verùm & in ordine ad *pares*:) in *immanentia* & *transeuntia*. Per *illa* rem habet Rex cum subditis; per *hæc* immediatè cum Regnis aut Rebuspublicis aliis. Igitur ista, in *unâ* quoque *Republicâ* nata esse, sed hæc non nisi post *aliam* quoque constitutam locum habere, potuerunt. In Statu *corrupto* hominum, inter Jura immanentia *Pœnæ*; inter transeuntia *Bella* eminent. Utraque evenerunt, & deinceps ampliora reddita sunt, post Statum Innocentiæ. Falsum verò est, quod *Zieglerus* habet *ad Grotium Lib. I. c. III. §. 6.* quasi in Republicâ *simplici* Jus mittendi Legatos, Belli, Pacis & Fœderum, semper *transeuntia*; in *Republicâ* autem *mixtâ*, diversô quoque respectu *immanentia* haberi possint; quatenus Statûs iisdem uti adversus Principem possint. Cùm enim *Bella* hæc *civilia* sint, nec inter diversas Majestates, sed *subjecta Majestatis unius*: ideò non potest haberi h. c. Jus Belli, nec pro immanente nec pro transeunte; imò ne jus quidem *Belli* ferè est, ut & si *Jus armorum* Statûs, qui *Aristocratiam* tenent, in Principem, Jure Belli vacuum, exercent, nec ipsum hoc bellum est; sed civilis coërcitio. Quando autem Statûs Majestate non gaudent, ipsique solum *resistunt* Principi, ne hoc quidem bellum est, sed *defensio*, quæ *speciem Belli* habet.

Sicut verò Jura Majestatis ad Regimen quodlibet necessaria sunt: quam *necessitatem* quoad Leges, Judicia, Officia, Tributa, & cætera ostendit *Pufendorffius L. VII. c. IV. J. N. & G. §. 2. usque ad 8.* Ita communiter distinguntur in *majora* & *minora*; quam distinctionem *Auctor Cap. seq. §. 1.* aliô sensu, quàm communiter receptum est, accipit. Eadem distinctio est *Regalium*, quô nomine insignita fuêre Jura Principum & *Statuum* in Imperiô Romanô, postquam *Reges* (sic enim in *Ita-*

in *Italiâ* Cæsares appellabant; indeque *Regalium* Feudalis eſt appellatio *II. F. 56.*, eaque potiùs ad Italiæ, quàm Germaniæ Reges, pertinens,) participes eos reddebant Jurium ſuorum, atque hinc in Cæſare poſthac rectiùs utimur appellatione *Jurium Majeſtatis*, cùm hæc ſola ſint in Cæſare; in Statibus Jurium *Superioritatis*, quà illa *in ſuo Territorio* exercent, & *Regalium*, quà *in alienô*; quanquam communis à plerisque vox Regalium habeatur: quô ſenſu *definiuntur*: *Jura eximia*, quæ Civibus Imperii immediatis, & præcipuè illis, qui dignitatem Regalem habent, in ſuô Territorio Jure Superioritatis, in alienô ex conventione, vel uſu aut privilegiô, competunt; iisque vel præeminentiam quandam ſingularem vel Fiſci quoddam emolumentum conciliant. Hinc *majora* dicuntur, quæ magis faciunt ad Dignitatem & Poteſtatem Superioris; *minora*, quæ ipſius commoda & emolumenta publica reſpiciunt. Equidem *Nobilibus*, qui Dignitatem Regalem non habent, ùt & *Civitatibus*, licèt *Imperialibus*, (nam & hæ Dignitate perſonali deſtituuntur,) Regalium nomen non facilè tribuimus; ſed ſubſiſtimus aut in nomine *privilegiorum*, vel Hoheiten aut hohen Gerechtigkeiten. Sunt etiam quædam Jura Majeſtatis, quorum participes ne quidem redduntur Cives Imperii, quà *Status* ſunt; aut *Regionibus* valent, ùt *Nobiles Immediati*: indeque nec Superioritatis nec Regalium nomine, vel complexu der Hoheit, veniunt: Talia ſunt, quæ *Comitibus Palatinis* per delegationem exercenda committit Imperator. vid. *Tabul. de Communicat. Jurium Majeſt.*

II. Principio certum eſt, quia non tantum ob amorem ſocietatis, ſed etiam ad tuitionem vitæ bonorumque Civitates conſtitutæ ſunt, ſine gladii poteſtate nullam haberi poſſe Rempublicam. Eamque tàm ad coërcendos maleficos in civitate, quam propulſandam vim externam. (*b*) Unde duplex Jus Majeſtatis oritur. Primum vitæ ac necis, alterum jus belli.

(*b*) VIM EXTERNAM. Repetit hoc *Auctor* §. 27. *h. c.* & malè tamen *poteſtas Gladii* ad *Jus Belli* extenditur; nec debebat *Auctor* accipere gladii poteſtatem pro omni eo, quod in vitam alterius licet, etiam privati, in *defenſione naturali*: quò hactenùs pertinet Jus Belli inter Gentes integras: nam ùt Jus Belli poteſtatem notat, ſeu *Jus Majeſtatis* conſtituit: ita quidem auctoritatem recipit ſive *juſtitiam externam* Status bellici à *Capite* Reipublicæ, quod totam hanc repræſentat; ſed auctoritatis in Populum peregrinum nulla *poteſtas* eſt. Quoad poteſtatem verò ipſam, hactenus ad Jura *immanentia* rectiùs refertur, & ad Jus Gladii non pertinet; verùm ad generalem *vim Imperii* in perſonas Civium, quâ Princeps ipſos *exponere* poteſt *vitæ periculo*, cùm vindicandum & tuendum eſt bonum commune Civitatis. *Jus* autem *Gladii* ſolùm *immanens* eſt Jus Majeſtatis, eôque Princeps *eminenter* valet, ad *puniendum* ſubditos ſuos, Magiſtratus *formaliter*; in quo etiam *meri Imperii* nomine venit. *§. 3. h. Tit.* junct. *l. 3. ff. d. Juriſdict.* Et facilè eſt, ut cum Auctore in *Hobbeſii* ſententiam, per confuſionem utriusque Poteſtatis, incidamus; quaſi liceat Regi cuidam *gladiô* uti, ad *puniendum* Regem vel populum *extraneum*: cùm tamen in hunc iſti jus puniendi nullum competat.

III. A priore diſcrepat merum Imperium: quod eſt jus animadvertendi in facinoroſos, Jure Magiſtratus (liceat ita loqui per JCtos,) quod eſt miniſterium ſummæ poteſtatis, competens. Sed huic imperio non adeſt facultas dandi veniam (*c*) reis aut damnatis; Quod ſub jure vitæ necisque omninò continetur. Idque poteſt quidem ſemper, rarò

rarò tamen debet exercere Summa poteſtas. At quando debeat, hoc ad caput de judiciis (*d*) pertinet.

(*c*) Dandi veniam. Quippe quod *Majeſtatis* eſt.

(*d*) De judiciis. vid. *Lib. II. cap. X. §. 6. in fin. & Lib. III. cap. IV. §. 19.* Cùm verò in illis locis leviter ſolùm *Auctor*, quatenus Princeps *Jus aggratiandi* exercere poſſit, attingat. Ideò notandum eſt: poſſe quidem videri Eum ad aggratiationem procedere non debere, quando reum mortem eſſe promeritum certum eſt. Nec enim fruſtrà gerit gladium, & qui hominem v. c. enecari patitur, ipſe mortis retributioni ſe obnoxium reddere cenſeri poteſt. Debetur etiam pœna *Deo*, quô cùm non ſit ſuperior Princeps: in legem ejus pœnalem *diſpenſatione* non valet. Unde perperam H. Grotius *II. d. J. B. & P. XX. §. 4. ſeqq.* quia *natura non præcipiat punire*, cùm fines aliquando non ſint neceſſarii, (quod quidem refellit jam antè Ant. Matth. *d. Criminib. Quib. mod. Crim. extingu. c. V. n. 3.* & nos *infra* pluribus:) Ideò poſſe Principem pœnas liberè *omittere*. Quin & multa mala ex ceſſatione pœnarum in Rempublicam deduci poſſunt; ſaltim ut hi, qui ſemina Virtutis habent, ſpe veniæ in vitia & ipſi deflectant. Interim *miſericordiam* ſubinde ad exemplum Dei exercere poteſt Princeps, isque ſi innocentem hoſti dedere poteſt, in ſalutem Reipublicæ: cur non etiam impunitum multò magis dimitteret, ſi Reipublicæ id exigat neceſſitas. Loquimur autem de pœna *Capitis*, quam jura *communia*, etiam *Divina*, delinquenti interminant, (in cœteris enim, quæ *poteſtati Principis* magis ſubjacent, *aggratiatio* faciliùs locum invenit.) Sic verò inter pœnam *internam*, quæ ſuo foro relinquitur, & *externam*, quæ hujus loci eſt, diſtinguere oportet. *Hæc* autem vel *correctiva* eſt, vel *afflictiva*: *Iſtam* nunquam Princeps omittere debet, ac per verba etiam vel ritûs, puta cenſuram, eamque *Eccleſiaſticam*, fieri poteſt: *hæc* autem boni publici causâ *mitigari* & imò *remitti*, poterit: nec enim *præcisè* pœnas irrogare delictis oportet, cùm per varios caſus vindictam criminum *Deus* ſumere de criminoſis poſſit. Princeps verò exequatur pœnas prout *ſaluti Reipublicæ* expedire videt. Nec poteſtate gladii aliter uti debet, aut poteſt. Sic & quædam delicta in nonnullis Rebuspublicis *ſeverè* puniuntur: quæ alibi prorsùs nulli pœnæ ſubjaceut. Aliter quoque *homicidia* punivit ipſe Deus, ante diluvium; ſecùs habuit in Statu Noachico, aliter etiam apud Iſraëlitas: quâ ratione ſicut aliquando *Deus* pœnas externas remiſit, ſolis *internis* contentus; quarum tamen non minùs gratiam *pœnitentibus* facit: ita quoque mitigare aut remittere poſſe vicarios ejus, Reges ſcilicet, pœnas afflictivas, nil impedit. Nec tamen ultrà tendere poteſt Aggratiatio, quàm quo pertingit *Legislatoria poteſtas*. Quæ cùm non ligetur ad pœnas, *Legibus divinis* proditas, quat. ad *Rempublicam Hebræorum*, ceu *forenſes*, ſpectant: unde non ſatis eſt dicere, poſſe Principem tantùm *mortis*, quam Lex Divina interminat, *genus mutare*: quin potiùs ne quidem in omnibus illis *mortem* inferre tenetur: ſi non aliàs finis pœnæ, niſi per mortem, in Republicâ obtineri non poſſit. Cæterùm non eſt aggratiatio, quæ fit ob causſas delicto *internas*, velut in *l. un. C. ſi quis Imp. maled.* Videlicet ibi verba maligna, in Imp. projecta, ſpernuntur. Neque etiam eſt aggratiatio in *c. 2. X. d. delict. pueror.* ubi homicidium quodam pecuniariè punitur. Indeque *externas* eſſe cauſas oportet, ad quas *Aggratiatio* reſpicit, ut à pœnâ ſec. delictum promeritâ recedatur. Denique Princeps quandoque ſolet ex jure Aggratiandi aliis gradum ejus quendam, velut *commutationem* pœnarum, *communicare*. Et vel ipſi *Principes Imperii* tale quid *Vaſallis* ſuis tribuunt. Sic enim *in Electoratu Saxon.* Nobilis poteſt Relegationem perpetuam cum *fuſtigatione* in pecuniariam pœnam convertere; nec tamen hoc aliter, ne hâc facultate abutatur, quàm ex ſententiâ Collegii cujusdam Juridici, & ut pœna non ſit exigua, atque in pios uſus impendatur, indeque ſignificetur Conſiſtorio: & ut tamen delinquens nihilom. *relegetur.* Ipſa verò *relegatio tantùm* ſimpliciter dictata, poteſt non minùs, ex ſententia ejusmodi Collegii, mutari; Sed hoc caſu pœna pecuniaria Vaſallis addicitur. *vid.* Nov. Reſol. El. *P. 2. 1661. n. 59.*

IV. In

IV. In civili Imperio, licet abſoluto, vita quidem nulli, quam causâ cognitâ, jure poteſt auferri; (*e*) niſi fortè ſecùs ratio & periculum Reipublicæ poſtulet, (*f*) neque res moram cognitionis ferat. Cujusmodi Regiâ manu, (*g*) quæ in parata executione conſiſtit, non poſſe Rempublicam carere, Dictatura ſatis apud Romanos oſtendit. Judicium verò de ratione illâ neceſſitatis repentinæ ad Imperantes pertinet; ſi qua tamen cædes, causâ non cognitâ, committatur, licèt in dubio pro imperantibus exiſtimandum videatur, ceſſat tamen hic præſumptio, qua res judicata pro veritate habetur.

(*e*) POTEST AUFERRI. Hoc enim actum eſſe cenſetur, ut quamvis abſolutum Imperium habeat Princeps; tamen illô utatur in eum modum, quem *ratio juris communis* exigit. Unde non poteſt jure actum dici, quod non *causâ cognitâ* definitur.

(*f*) POSTULET. ut moram cognitionis non ferat.

(*g*) REGIA MANU. Intelligit *Auctor* executionem, nullâ præviâ cauſæ communicatione cum aliis; indeque in *verſ. ſeq.* Rationem illam Status neceſſitatis repentinæ vocat. Hâc cùm opus ſit in Statu bellicô: ubi ſæpiùs eſt, ut cunctari non liceat; eſt verò promta magis executio, quæ Imperiô ſingulari conficitur. Ideò *Dictaturam*, ejusque commoda, ad *Manum Regiam Auctor* redegit. Aliis *Manus Regia* eſt Majeſtas in univerſum, quatenùs *extra ordinem* ſe exſerit; atque in *eminens Imperium & Dominium eminens* diſtinguitur: de quô *ad §. 14. h. t.* Sunt quoque nonnulli qui *Brachium ſeculare* eô nomine accipiunt: & tamen iſtud opponitur Jurisdictioni Eccleſiaſticæ; ita ut Magiſtratui quoque, adeoque poteſtati ſubordinatæ, competat: atque hoc toties locum habet; quoties *executio* ſuſcipienda eſt, quæ in Poteſtatem Eccleſiaſticam non cadit: dum vel earum rerum Imperium ei non competit, ùt ſunt cauſæ ſanguinis; aut infirmior eſt, quàm ut negotio ſufficiat.

V. Denique ſi quem Princeps more latronis invadat, is nec juſtè nec jure cæſus videtur. Quia nec in populari Imperio pars major eo modo quenquam ſine injuriâ opprimere poteſt, ut diximus pridem. (*h*) Quid autem in ejusmodi caſu liceat invaſis, *infrà* (*i*) in loco communi diſſeremus. Non eſt etiam, ut putemus, Ordine cognitionis ſervato manifeſtas oppreſſiones & injurias vim juris inducere; ſicut hiſtoria Achabi & Nabothi loquitur.

(*h*) PRIDEM. *Lib. I. cap. X.*

(*i*) INFRA. *Lib. I. cap. XXXV.*

VI. Porrò ad jus vitæ necisque refertur conſtitutio locorum aſylorum, quibus ſupplices contra vim privatam publicamque proteguntur. Cum enim eâ re ſiſtatur vigor judiciorum, palam eſt, excedere hoc inſtitutum poteſtatem Magiſtratuum. At quatenus juſta ſit eorum uſurpatio, id alibi (*k*) tractandum.

(*k*) ALIBI. *Lib. III. cap. V.* Et *Asyla* quidem agnoſcunt omnes nationes, ſaltim contrà *vim injuſtam*. Atque eò deſtinantur loca, quibus jam anteà *reverentia* quædam competit; velut templa, ſigna in caſtris, ſtatuæ & imagines Principum. vid. interim *Mylerum* in *Aſylologia*.

VII. Altera pars juris gladii adverſus vim externam comparata eſt. Diverſos enim populos inter ſe uti conditione ſtatus naturalis; eumque rectè dici *ſtatum belli*, haud gravatè concedimus Hobbeſio. Quatenus contentiones facillimè inter homines nullo judici ſubjectos oriuntur. Neque alio exitu, ſi convenire nequeant, quam decernente ferro, (*l*) terminari poſſunt. Quò pertinet celebre dictum, ubi Judicia deſinunt, ibi incipere bella.

(*l*) DECERNENTE FERRO. Equidem Pax inter Gentes *rei judicatæ* vicem ſubit: cùm *bellum* per ſe *titulus* non ſit; ſed *modus* tantùm, & inſtar judicii, ad jus ſuum obtinendum: indeque *externam Juſtitiam* per ſe, non etiam internam, niſi ex cauſâ ſuſcipiendi, habeat. Interim non poteſt referri poteſtas *Belli* ad Jus *Gladii*; ceu *ad §. 2.*, Jus quoque *Fœderum* ac *Legationum* æquè tempore *Pacis* valere, dictum eſt.

VIII. Cum autem univerſæ Civitatis motum & diſcrimen hæc res contineat, clarum eſt, non poſſe id quam à tota Civitate, hoc eſt, eo qui jus totius (*m*) habet, exerceri. Quod omnium populorum juriumque conſenſu maximo traditur. Quatenus autem Magiſtratibus hæc poteſtas armorum (*n*) communicari poſſit, ut & reliqua juris bellorum, peculiari loco (*o*) trademus. Heic enim ſimplici enumeratione juxta ac demonſtratione, cur ad ſummam poteſtatem quæque jura pertineant, defungemur.

(*m*) JUS TOTIUS. Et cùm in Imperiô Romanô vires ejus ſive *potentia* penes *Status* reſideant. Hinc facilè conſtat, quâ ratione dicantur *Bella* geri nomine *Cæſaris & Imperii*: ita quidem ut poteſtatem Belli habeat Cæſar, & hactenus *Jus* totius; ſed *vim* totius & potentiam non aliter, niſi præviâ voluntate Statuum, Vires ſuas Cæſari ad bellum conficiendum largientium: quas nec periculo exponere Cæſar, niſi ex Decretô Comitiali, poteſt.

(*n*) POTESTAS ARMORUM. Eſt utique poteſtas *armorum* à poteſtate belli ubique diſcernenda. Sic enim *Statibus* Imperii *Jus armorum* competit *inter ſe*; *Jus* Belli non item: quippe quòd *Judicio* eos experiri oporteat. *Adverſus exteros* autem Jure belli non Majeſtaticô, ſed eô quod ex *Potentatu* procedit, utuntur.

(*o*) PECULIARI LOCO. *Lib. III. cap. X.*

IX. Proinde, cujus eſt bellum decernere, ejuſdem eſt ſine dubio, pactiones, quibus bellum finitur, id eſt, pacem contrahere. (*p*) In democratia ſine controverſiâ id eſt majoris populi partis, alibi optimatium. Conſequenter Regis in ſtatu verè monarchico. Modò is rex jus habeat non impeditum (*q*) per ætatem aut amentiam, vel denique captivi-

ptivitatem. Non enim credibile eſt à populo Imperium eâ lege delatum eſſe, ut etiam à non libero exerceatur. Eadem præſumptio eſt de exilio Regis, niſi voluntaria & planè libera ſit abſentia. Sed hæ limitationes cunctis juribus ſummæ poteſtatis videntur eſſe communes.

(*p*) PACEM CONTRAHERE. Ex hoc judicium facere licet, de Jure *Belli* in Imperio Romano. Quâ ratione enim *pacem* concluſerit cum Rege Galliæ *Cæſar*, in Conventu *Noviomagenſi*, nullis intervenientibus *Statuum Deputatis*, & quomodo Status ſibi proſpexerint; ut tamen ex hoc non niſi Conſilium & Conſenſus eorum confici queat, ex *Actis publicis* evidens eſt.

(*q*) NON IMPEDITVM. At verò hæc reſtrictio non tantùm eſt ad *Jus Pacis* adferenda; ſed ad integrum Majeſtatis *exercitium* pertinet; ſicut tandem Ipſe *Auctor* advertit. Atque de eâ reſtrictione *Librô I. cap. XXXVII.* agitur.

X. Paci adſimilantur fœdera, quæ ſunt reliquæ conventiones diverſorum populorum principumve inter ſe. Nam cum obligatio niſi in perſonam cadere nequeat, & civitates per eos, qui poteſtatem ſummam habent, perſonæ fiant, manifeſtum eſt, jus fœderis pangendi ad hanc claſſem, eſſe referendum. Hinc oritur differentia inter ſponſiones & fœdera, quorum illæ ſunt conventiones absque mandato initæ à miniſtris ſummæ poteſtatis, de rebus ad ipſam pertinentibus, qualis Caudina pax & ſponſio Luctatiana, quas ideò populus ratas non habuit. *

* *Liv. l. 9. à pr. Polyb. lib. 3. cap. 5.*

XI. Hiſce cohæret jus mittendi legatos, quorum miniſterio fœdera contrahuntur. Quales cum hoc effectu, ut Jure Gentium ſancti habeantur, nullis quam qui vere habent Majeſtatem mittere licet. Nam in reliquos qui mittuntur ab iis, qui ſubditi ſunt aliis; leges civiles (*r*) valent. Quia plus juris delegatis quam delegantibus, qui leges accipiunt, adſcribi non poteſt.

(*r*) LEGES CIVILES. Hinc quod Cæſar *Statuum Legatis* tribuit, illud *ex Capitulatione* deducendum; nec non ex his (quanquam ſuô modô,) quæ in *Legibus Romanis* de *Legationibus* habentur.

XII. Atque hæc ad defenſionem civitatis pertinent, quò etiam pertinet jus tributa & vectigalia exigendi, quod multi inter minora Majeſtatis referunt. Adeò perperam, ut nullum in omni Republ. pluris faciendum ſit. Nec aliud manifeſtius κριτήριον abſolutæ poteſtatis habea-

beatur. Nullum quoque frenum populi censeant esse adductius, nullum efficacius remedium, ad continendos in officio Principes, quam si hoc jus saltem ex parte sibimet reservent; (*t*) Quando non minus in Republ. quam privatis familiis, pecuniæ cuncta servire, compertum est.

(*t*) SIBIMET RESERVENT. Aut saltim non faciant Principi *potestatem exigendi tributa liberam.* Ut tamen, si non facultatem *intercedendi*, sicut in Imperiô Romanô se res habet, sibi pactus fuerit Populus: utique Princeps *absolutô* hôc *Jure* uti queat. Est enim omninò Jus Tributorum *ordinarium* quoddam Jus Majestatis, & ad sumptûs Imperii gerendi pertinens; id quod proprietati bonorum in privatis nil detrahit: nec idcircò ad *Dominium eminens* sive extraordinarium referri debet. Quanquam verò cum *Auctore Arnisæus* quoque facere videatur, *Cap. VI. d. Jur. Maj. n. 6.* quasi Jus Contributionum ad *majora* spectet, Georg. *Schultzius* verò *cap. VII. de Feud. n. 14.* potestatem Vectigalium *instituendorum* vel augendorum ad majora, sed *exigendorum*, ad minora Regalia, redigat: potiùs tamen est, ut juxta definitionem suprà positam, ex *communi sententia*, Tributorum Jus inter *minora* habeamus. Videlicet non protinùs, quod summè necessarium in Republica, nec quod populum magis premit, ejusve libertatem minuit, ad majora spectat: cùm nec ullum jus Majestatis deesse Principi queat, ut non Majestas penes ipsum manca dici debeat; inque eô omnia Jura Majestatis *paria* sunt, ut in quolibet eorum Majestas tota seu vis ejusdem, quantum ad summitatem potestatis & vigorem Juris cujuslibet attinet, conspiciatur. Interim Tributa *Dignitatem* & *Potestatem* Principis non ita, ùt eximia alia, arguunt; quin potiùs *emolumenta* & *reditûs* pecuniarii, ingentes etiam, privatorum haberi possunt. Et ob hoc, quæcunque jura Majestati *in subsidium* veniunt *ad exercendum* scilicet *majora*; ut commodum pecuniarium aut Fisci emolumentum præferant: ea omnia *minoribus* Regalibus accenseri debent. Nempe non *potestas*, (quoad hanc enim discrimen inter Regalia *majora* & *minora* nullum est,) sed *finis*, quem ea respiciunt, (quique *emolumentum* est in *minoribus*,) differentiam illam constituit.

XIII. Imperio alioqui civitatis simpliciter delato, nihil est causæ, quare non hoc etiam jus liberè translatum videatur. Siquidem adeò necessarium ad tutelam civitatis instrumentum, nullo modo ab Imperantibus separari potest, nisi id expresse liqueat esse factum. Non moramur, quod prudentissimis visum est scriptoribus, nulli principum in terris licere ab invitis civibus exigere pecunias. Habent hanc hypothesin, quod proprietas bonorum in civilibus Imperiis relicta sit privatis; verùm hoc non prohibet, quo minùs Imperantes singulis pecunias imperare possint.

XIV. Nam & Civitati recte aliquod dominium (*u*) in bona civium tribuitur, quod privata quidem dominia non tollit, sed tamen eminet supra illa. Unde à Grotio non absurdè *dominium eminens* vocatur. Cujus hæc vis est, *ut ad Imperantes* (verba Senecæ *) *potestas omnium, ad singulos proprietas pertineat.* Idque merito in numero Jurium

um Majestatis collocatur; fundamentum habens in consensu illorum, qui constituunt civitatem. Quos omnes ita velle manifestum est, ut si contingat Reipubl. utilitatem non posse custodiri sine incommodo damnove privatorum, utilitas publica privatæ præferatur.

* 7. de benef. 4.

(u) ALIQUOD DOMINIUM. Ex hoc jus tributorum deducere videtur *Auctor*. Sed hoc ipsum malè; nec in eô sibi constat, quòd *§. hôc* DOMINIUM EMINENS in numero *Jurium Majestatis* collocet: & tamen *§. seq.* illud *ordinariæ* potestatis modum transscendere largiatur. Nobis equidem videtur *potestas* Majestatis esse, vel *ordinaria* vel *extraordinaria*: *illa* regularem & æquabilem modum servat per jura Majestatis omnia; *hæc* verò non nisi summâ *necessitate* postulante se exserit, in *personas* & *res* civium: Ita ut ad *unum* vel *paucos* eorum deveniat onus seu incommodum, ob salutem *universi* sustinendum: eò quòd aliter rei consuli non possit; eaque potestas quà in personas emittitur, *Imperium*, quà in res, *dominium* eminens appellatur: quod quidem *H. Grotius* Dominio *Vulgari* Civium contrà distinguit. Sed hæc oppositio adæquata non est, quia *Dominium Regis*, quod ipse in res Privatorum habet, non est eminens illud, sed *Regium* & *Ordinarium*: quale in Juribus Majestatis, æquabiliter exercitis, deprehenditur. Eò pertinent *communia* illa, & per cives omnes transeuntia, circà bona eorundem, in emolumentum publicum, disposita; ùt quando defendimus æquitatem *Usucapionis* ex Dominio Principis eminente seu *Majestatico*, quod in res privatorum habet. Eò quoque pertinet in specie, dispositio *l. 2. & 3. C. d. Quadrienn. præscript.* quando ibi domino priori intercluditur dominium rei, quæ ad ipsum pertinuerat, à *Fisco* tertio venditæ; ut hic protinus contrà vindicationem tutus sit, & dominus ille à Fisco reparationem rei suæ, nec tamen nisi *intrà quadriennium*, quærere debeat. *jung. §. f. Inst. d. Usuc.* Quam quidem dispositionem *iniquitatis* immeritò postulat Zieglerus *Lib. I. d. Jurib. Majest. c. IV. §. 20.* eò scilicet, quòd Princeps *jure Privatorum* uti soleat, quòdque dominia *à Jure naturali* sint. Neque enim *d. l.* agitur de *re privatâ* Principis, sed *Fisci*, & de hujus *privilegio*. Sanè Fiscus in *privilegiis* Jure *privatorum* non utitur. Non etiam Fiscus cum domino, cujus res fuerat, contraxit; & sufficit huic, quòd reparationem rei suæ à Fisco habiturus sit. Enimverò Dominium, quoad *modos* acquirendi & amittendi, *Dominio Civitatis* subjacet: ac privatorum dominio cedunt causæ publicæ, quando hæc non stare potest cum regulâ, quæ privatorum est. Nisi enim tutum Fiscus reddere posset emptorem suum, in rebus ùt plurimùm per universitatem in Fiscum redactis; ita ut facilè in eâ res alienæ reperiantur: vix unquam ille emptorem inventurus esset. *Exceptiones* verò per *Gabrielium* traditæ, ab Imperatoriâ illâ dispositione, omninò examine indigent. Et cùm justâ ratione sibi illa constet, non debuit Zieglerus *d. l. n. 24.* asserere, quasi *Principes Imperii*, (ad similitudinem aliàs usurpatam ad Cæsarem,) eâdem uti nec possint nec debeant. Posses quoque ad *Dominium* illud *universale* Imperantis referre præcepta, quibus Principes *cogunt* aliquando Cives *ad contrahendum*; velut ad annonam emendam, vendendam. &c.

Licèt autem alterum illud Dominium, quod hujus loci est, quodque cum *Hugone Grotio*, & *Doctoribus Gentium* aliis, eminens vocamus, & jam ante H. Grotium *Lugo* id nominis, in eâdem re, *Tom. I. d. Just. & Jur. Sect. I. 9.* usurpavit, *irregulare* sit; tamen non modò illud, verùm etiam Imperium eminens, exseri possunt circa *qualibet objecta*, *omnium Jurium Majestatis*; indeque non potest dici cum *Auctore*, vim illam seu potestatem in numerô *Jurium Majestatis* collocari: quasi distinctum scilicet ac peculiare Jus Majestatis, inter cætera, quæ objectis suis discernuntur. Quin potiùs in omnibus illis Juribus, si *Manu Regia*, i. e. *extraordinariâ* illâ exerceantur, intervenit; nec objecta à cæterorum jurium objectis distincta habet. *Zieglerus* quidem & *alii*, Dominium eminens, quò tamen ipsi *Imperium* quoque tale

complectuntur, nil esse à cœteris Juribus Majestatis distinctum & Ipsi tradunt; & novum, eumque abjiciendum, volunt fœtum *Hugonis Grotii*, ejusque sequacium: cùm nec in *Deo* sit alia Potestas extraordinaria, sed eadem quæ *agit extra ordinem*: indeque Dominium eminens nihil sit aliud, quàm ipsa vis Imperii. At verò hoc aliter admitti nequit, quàm ùt nunc diximus; indeque rectiùs *Beclerus* cum *cæteris* illud recipiunt. Intereà *Hobbesii* doctrinam, quando cives *nil proprii* habere tradit, meritò repudiamus: quippe quæ tunc solùm admitti potest, quando Regi bona sua protinùs ab initio debent cives: aliàs ùt extrà civitatem, ita quoque intrà illam, proprietas rerum datur; saltim quòd Dominium super bonis suis Cives detulisse Regi censeantur, quatenus *ad Imperium* ejus *sufficit*: adeò ut ne quidem Princeps Civem *solvere* possit sive à Dominio Majestatis ordinariô, sive eminenti; ùt rectè *Pufendorff. Lib. VIII. Cap. V. §. 1. - 8.*

Est verò MANUS REGIA, quô nomine utrumque, & *Imperium* & *Dominium* eminens plenius designamus, potestas summa extraordinaria, quam Princeps habet in Cives & res Civium, exercenda publicæ utilitatis causâ; ita tamen, ut ex communi, si fieri possit, retributio detur. Nam facultates subditorum *limitatæ* sunt per se, quod firmat ipsum Majestatis exercitium; ut negari non possit: estque planum satis, posse *duos* esse *Dominos* ejusdem rei *subordinatos*: ùt ex directô & utili apparet. Et quamvis possit subditus Principem reddere Dominum suæ rei, quando hanc ei donat vel legat; non tamen reddit ipsum talem eô modô, quo jam est: nec verò proprietas privatorum per hoc tollitur. Et si in *personam* Princeps Imperium habet, etiam extraordinarium; veluti ad dedendum vel obsidio supponendum: quidni multò magis in *bona?* cùm non rectiùs dicatur potestas illa procedere ex Imperiô, quàm ex Dominiô. *Necessitas* verò, ùt in moralibus Jus inducit: ita etiam persona & res privati eorumque tuitio singularis, semper cedit necessitati communi & publicæ omnium; ut tamen necessitas illa solùm *impellat, causam* verò eandem habeat potestas illa, quæ Majestatem in se conficit. Add. *Bœcl.* ad *Hug. Grotium, p. 85. seqq.* junctô *Horniô, Lib. II. Architect. cap. 4.* qui tamen isthôc durior est. Simile esse videtur *Dominium excellentiæ*, quô Deus singularibus Decretis, in vitam & res hominum, utitur. Princeps autem sicuti Manu Regiâ utitur *per essentiam:* Ita alii eandem adhibere possunt *per participationem;* ùt sunt *Status in Imperiô*, nec non *Ministri Regum*, qui eorum *vicem* in Regnis exteris & Insulis obeunt. Quando autem cum *Hugone Grotiô* Jus istud *Civitati* competere diximus; illud non in sensu complexo accipiendum est; sed potiùs ut pro capite veniat, vel pro his, qui *Imperium* in Civitate tenent. Exercetur in *personas* subditorum, quatenus v. c. Hosti traduntur. Vid. H. Grot. *Lib. II. c. XXV. §. 3. add.* Pufend. *VIII. J. N. & G. c. I. §. 5.* ubi an Civitas *innocentem* Civem *dedere* possit hosti placando, ex delicto ejus proprio, vel Civitatis, vel nullo; de quo & nos *alibi*. Utique *Stupro* virginem committere nequit, ceu *Aurelius Hispaniarum Rex* quotannis aliquot virgines, à *Mauris* stupro dandas, pactus fertur, *ap.* Marian. *L. VII.* Nec enim *Moralium* arbitrium Civitas habet, ceu nec talium est restitutio aut compensatio. Neque dici potest, dedentem non intendere directò stuprum; sed solùm deditionem. Nam in eo non est tantùm permissum quid; sed traditio ad scelus perficiendum. Valet deinde Dominium seu Imperium hoc etiam in *Clericos;* quin & in *subditos temporarios* seu transeuntes: quò pertinent aurum & argentum transvehentes; ut in necessitate Resp. illud occupet. vid. Stradam *Dec. I. 57.* Cambden. *ad A. C. 1568. & 1582.* Deinde in *rebus* civium se exserit; ùt in ædibus demoliendis, & vel integris suburbiis, ut munitioni loci consulatur, & receptacula hosti eripiantur. vid. *l. 6. & 14. Cod. d. Oper. publ.* Item quoad *Jura ad rem*, quando Princeps *contractûs* cum subditis initos retractat, *privilegia* revocat, &c. H. Grot. *Lib. II. c. 14. & 23.* Imò quando *delicta* præter ordinem remittit. Si *formam* requiras, *extraordinariam* oportet dicere virtutem Majestatis, ad quam Princeps *honestâ* & *verâ* necessitate adigatur; ita ut nec *ultimum* necessitatis *articulum* expectare debeat: cùm summa ratio sapientibus pro necessitate sit, & non minùs *utilitas excellens* rationem necessitatis habeat. *Finem* unicè præfert, utilitatem *communem*, non eam quæ ad pleraque civilia instituta pertinet; verùm exquisito loquendi genere, ad necessitatis *imperiosæ* rationes adstringitur. Exhinc *Effectus* procedit, ut in *vitam* quoque *singulorum* valeat, in eum modum, quem

suprà

ſuprà innuimus; nec non ut ablationem *bonorum*, vel ſaltim reſtrictionem *facultatis* circà illa contineat. *Ortus* verò *effectus* ad *reſarcitionem* ſpectat: non utique quoad actum, ſive naturaliter; ſed quoad *intentionem*, & *moraliter*, quà fieri poteſt. H. Grotius *Lib. III. c. XIX. §. 7.* & *cap. XXVI. §. 52.* quoniam *Univerſitati* exinde proſpectum eſt: unde ſi non ex Fiſco fieri queat, ineunda eſt *contributio*; à quà ne quidem *privilegiatos* excipimus. *l. 7. C. d. Operib. Publ. Pauperes* autem re ipſâ eximuntur. *arg. l. 2. §. 6. d. Leg. Rhod.* Denique ad Jura Majeſtatis *immanentia*, poteſtas illa reſtringi ſimpliciter non poteſt. Utcunque enim in populum extraneum non valeat. Tamen *circà* Jura, quæ in hunc feruntur, & ſic *tranſeuntia*, quoad bellum puta, Legationes & Fœdera ſæpiſſimè exſeritur; ut tamen & ſic non niſi *in Cives* valeat. Quòd ſi *neceſſitas nulla* vel *prætenſa* ſit, an tunc *reſiſti* poſſit Imperanti? *alibi* diſquiritur. Vid. Grotium *Lib. I. c. 3. §. 2.* Denique Alberti *Lib. II. J. N. c. XIV. p. 214.* Jus Regium in 1. *Sam. 8.* complecti tradit partim ea, quæ juris eminentis ſunt, partim licita, & quæ ſolùm in externô forô impunita maneant. Et tamen Majeſtatem totam, quoad vim utramque, *ordinariam* & *extraordinariam*, utrobique *juſtè* & *iniquè* exercitam, continet.

XV. Quod cum maximi ſit momenti modumque ordinariæ poteſtatis transſcendat, conſentaneum eſt, à nemine, quam ab eo qui ſummum habet Imperium, eſſe exercendum. In quem ſinguli ex pacto cum ſingulis hoc jus transtulerunt, ut omnium atque ſingulorum rebus pro communi bono, invitis etiam ſingulis, uteretur. Adeoque voluntatem Imperantium quisque ſic ut in aliis, ita hac in re, pro ſua voluntate reputare debet, ut ex principiis dudum poſitis (*x*) recordamur.

(*x*) Ex principiis dudum positis. *Lib. I. cap. 9.*

XVI. Hinc eſt, quod injuria non fit civibus, quando res ſuas non modo vendere ſed & ſine pretio illis quandoque cedere coguntur. Sic tamen ut Respublica cùm primum poterit (*y*) ad reſtituendum plerumque teneatur. Quia certum eſt, populos quam minimo ſingulorum damno illud eminens dominium fundare voluiſſe. Etiam hinc eſt, quod aliquando cives pro Republicâ certo exitio exponere liceat, cujus rei ſpeciale principium *ſub fin. cap. 9.* collocatum eſt. Denique ex hac ratione defenduntur innumeræ leges, quæ duritiem & iniquitatem contra ſingulos utilitate publicâ rependunt. (*z*) Imò efficiunt, ne ſit iniquum, quod ſepoſito conſenſu ac fœdere civium foret iniquiſſimum. Nam quod ipſe quilibet facere intelligitur, in eo factam ſibi injuriam nemo conqueri poteſt. Ita liquet reſponſio, quâ occurrendum ſit illis, qui ſtatuentibus aliquid licitum fieri ob utilitatem publicam, quod in ſe ac ſimplicitate naturæ iniquum eſt, dictum

obji-

objiciunt Apoſtolicum, non eſſe facienda mala ut inde eveniat bonum.

(*y*) Cum primum poterit. H. Grotius *Lib. II. cap. XII. §. 7.* Siquidem nec privatus *ad impoſſibile* tenetur, ſed quisque renunciâſſe creditur rebus ſuis, ut ſalva ſit univerſitas: cùm eâ ſalvâ non exiſtente, nec ſinguli ſervari poſſent. Cæterùm ſi *per collationem* alicui ſatisfiat, hoc non eſt ex Dominio eminente: quoniam ita reditur ad præſtationem æqualem ſingulorum civium. Unde & *Tributa* ad Dominium eminens malè redigit *Auctor §. 13. & ſeqq.* Utique non intereſt, quoad hunc, qui ob Communitatem patitur, quò minùs illi *retributio* facienda ſit; quamvis non ipſe *Princeps* ſeu Reſpublica, ſed alius etiam, v. c. Gubernator extraneus, Belli tempore, quò Urbem detinuit, ad fortalitium extendendum v. c., agros civi eripuerit. Nam ita non modò agrum ſubtractum, ſed & fructûs hactenùs ceſſantes, retribuere Civi Communitatem oportet. Non etiam Civi officit, ſi vel maximè *non annuente Civitate* ille quid pro eâ paſſus ſit. Unde afflictus Civis, v. c. officialis Senatûs, quòd facultates Civium detegere noluerit Hoſti, indeque ab ipsô, contrà immunitatem ſibi debitam, metatis gravatus, omninò reſtitutionem immeritô exactorum petere poteſt. Idemque de *abductis obſidibus* exiſtimandum eſt; quamvis pro illis Cives aut Senatus non ſpoponderint.

(*z*) Utilitate publica rependunt. Ita *Tacitus XIII. Annal. cap. 32.* Jung. *Grot. Lib. I. cap. II. §. 9. in not.* ubi de *Silaniano*, & quæ ad *Tit. ad Se. Silan.* in *Anal. ff.* notavimus.

XVII. Cæterum, eminens hoc, inquam, dominium vocatur, quia non tollit, ſed limitat ac gubernat dominia privatorum. Alii poteſtatem extraordinariam dicunt, non tam malè quam odiosè, quia ſub hoc titulo flagitia dominationis (*a*) latere creduntur. Denique *rationem ſtatus* huc plerique trahunt. Sed hujus appellatio patet latius. Æque enim adverſus exteros ac cives exercetur. Dominium autem eminens ſolos, qui cuique Imperio ſubjecti ſunt, ſpectat.

(*a*) Flagitia dominationis. Et tamen longè diſtant hæc à *Manu Regiâ*; quin & ab *Arcanis Reipublicæ*. Hæc verò non minùs à *Maximis*, ſeu *Regulis* Rempublicam conſervandi, diſcernenda ſunt. Equidem *Ratio Statûs*, quam *Boeclerus Ænigma Politicorum* appellat, per hoc ab *Auctore* diſtinguitur à Dominiô eminente, vel potiùs *Manu Regiâ*, quòd hæc *ad exteros* non pertineat; quanquam & hoc non abſolutè aſſeri queat. Nam ut Manus Regia non minùs jura Majeſtatis tranſeuntia contingit: ita quoque effectûs ejus ad Belli Pacisque & ſimilia cum exteris negotia, porriguntur; ſaltim quòd Ratio Statûs non ita *vim Imperii* notet ac *Poteſtatem*: indeque *Auctori Cl.* videatur ad exteros faciliùs porrigi poſſe; cùm econtrà *Manus Regia*, *per ſe & vi ſuâ*, in poteſtate imperandi radicetur. *Eſt* verò *Ratio Statûs*, prout *habitualiter* accipitur, (nam *objectivè* ſumta modum potiùs ſeu formam Statûs publici innuit,) *pars quædam prudentiæ civilis ſecretior*, quæ illas complectitur cauſas, quibus ea, quæ ab utilitate ſingulorum, ſive Civium ſive exterorum, abſcedunt, Reipublicæ conſervandæ vel emendandæ media, h. e. conſilia & actiones, per abſconditos utilitatis communis, à Jure tamen univerſali non abludentes reſpectûs, à turpitudine liberamus. Ex quo patet, hîc *prudentiâ* nos uti poſſe, circà quælibet Imperii media, & ſic etiam *Manum ipſam Regiam*: in quam tantò faciliùs Ratio Statûs incidit, quòd in ordinariô modô, Jura Majeſtatis exercendi, nil abſconditi nec inæquabile, quod Rationem Statûs innuit, occurrat; indeque non tam *latitudine* ſuâ, quàm potiùs eô, diſcernuntur Ratio Statûs & Manus Regia, quòd *hæc* poteſtas ipſa ſit, *illa*

sit, *illa* verò modus & Ratio exercitium potestatis & dirigendi & vindicandi. *Flagitia* verò *dominationis* salutem communem populi non ita respiciunt, nec Regio congruunt, sed *Herili* vel *Tyrannico Imperio*, & cum *Jure Universali* divino aut humano pugnant; quò referre licet fratricidium Turcarum & scita alia *Tyberiana*. *Arcana* dicimus, quæ ad *superstitionem* vergunt; ùt quando sedem Imperii non aliam esse posse, quàm *Romam*, prætendebatur, nec alibi posse fieri nunc etiam *electionem Regis Germanici*, nisi *Francofurti*: Nam in his latent quoque multa, quæ in conservandis Imperiis plurimùm valent. Denique *Jura Imperii* ab his omnibus diversa sunt; & vel notant ipsas *potestates* sive *Jura* Majestatis, vel *Leges*, maximè *fundamentales*, indeque pacta, quæ efficaciam legali similem habent.

XVIII. Fuerunt jura quæ ad tutelam Civitatis pertinent, aut illuc referuntur. Sequuntur, quæ ad internam administrationem requiruntur. Tale omnium primo *jus est legum condendarum*. Quibus cùm tota Reipubl. conformatio insit, palam est à nullo, quam qui habet summam potestatem, eas posse proficisci.

XIX. Non igitur plebes olim Romæ, non Senatus, non Prætores, non JCti auctores Legum (*b*) esse potuerunt. Sed in libertate solus populus fuit κορυφαῖος νομοθέτης, supremus legis conditor; ait *Theoph.* postmodùm Imperatores. Nisi quatenus summa potestas vim obligandi illis addere voluit, ùt factum in Plebiscitis lege Hortensiâ, in Senatus-Consultis à Principibus Romanis. * Municipia quoque, id est, Civitates majori subjectæ imperio nihil contra jus commune illius Imperii statuere possunt; Nisi consensu summæ potestatis, atque ita, ut Ejus voluntate semper abrogari possit. (*c*) ** Sed jura provinciarum, quæ superiorem non agnoscunt, & quæ municipalia sæpius nuncupantur, verè tamen sunt Leges.

* *dix. lib. 1. Digress. cap. 2. & 3.*
** *l. 9. ff. ad L. Rhod. l. 3. §. 5. ff. d. sepulchr. viol.*

(*b*) AUCTORES LEGUM. Nam ad Legis *vigorem* obtinendum, Principem priusquam decernat, rem quàm poterit exactè *perquirere* oportet. Hinc non satis est, ipsum *Consiliarios* tantùm suos audire; verùm expedit vel maximè, ut *Status* suos seu præcipuos ex *subditis*, quorum vita & fortuna fiat Legibus, in *Comitiis*, indeque *Civitatem repræsentativam*, audiat. Sæpè enim nec Consiliarii unius alteriusve, & ne omnium quidem, *interest*: *affectibus* etiam abripi possunt, ac Principem magis *verentur*. Hinc & *Romani Principes* cum Senatu agebant per Orationes, & imò *Senatus censuisse* dicitur, *l. 20. §. 6. d. Her. Pet.* & *addidisse* Senatus-Consulto Imperator. *§. 7. J. Quib. mod. test. infirm.* Sanè *Augustus* Principatui non putavit officere, quòd *Comitia* reduceret. Sueton. *c. 40. in Aug.* Idemque institutum *Cajus* revocavit. Suet. *in Ipso c. 16.* Ne quidem Princeps *absolutus*, sed solùm Tyrannus, Comitia aversatur. *Alexander Severus* haud unquam, nisi Jurisprudentum & Oratorum seu Politicorum consilio & assensu, Legem tulit. vid. Alex. ab Alexandr. *L. VI. Genial. Dier. c. 23.* Sic & *Theodos. II. & Valentin. III.* in *l. 8. C. d. LL.* ut universorum *consensus*, ajunt, nostræ Se-

renitatis *auctoritate* firmetur. Nec aliter, quantum constat, cæteri *Rom. Imperatores*. Sic & *Hispaniæ* Reges, teste Barbosâ *ad d. l. 5.* & *Galliæ* olim. Tiraquell. *L. I. d. Nobilit. c. 20. n. 26.* Nunc etiam *Angliæ*. &c. Ceu nec *Principum Germaniæ* Superioritati Territoriali officere creditur, si ad Leges ferendas consilium & consensum Statuum suorum *Provincialium*, ad modum Comitiorum *Imperii*, adhibent. Quin & *Officiali* Princeps committere potest *arbitrium novæ Legis*. Quid enim hoc est aliud, quando *in Novell 152. Justinianus* edicit, nullam Legem *valere* debere; nisi *Præfecto Prætorio* insinuata & ab Ipso *probata* fuerit: ut videlicet materiam ejus, an illa publico congrueret, examinet.

(*c*) Semper abrogari possit. At verò si ex Privilegiô vel longô usu *Jus statuendi* acquisiverit Provincia: non potest asseri, Principem voluntate suâ *abrogare* Statuta illa simpliciter posse, quatenus communibus Imperii Juribus adversa non sunt; sed quatenus *cum utilitate ejus communi pugnant*: eô quod Salus Reipublicæ semper & ubique in his etiam, quæ privilegiô vel indulgentiâ Principis quæsita sunt, excepta esse intelligatur. An autem & quâ ratione *Status Imperii R. G. contrà Jus commune* illius quid statuere possint? illud in *Comment. ff. ad Tit. d. LL.* expeditum dedimus.

XX. Suæ porrò non alienæ potestatis Lege quemque teneri res ipsa loquitur. Unde Jus Romanum hodie nullos obligat. Nisi quatenus à liberis Europæ populis liberè receptum est. Cujus rei auspicium Lotharii Cæsaris memoriæ adeò non exprobramus cum *Lipsio*, ut nihil salubrius, si hactenus substitisset (*d*) posteritas, ullius principis extet factum. Sed hæc aliò spectant.

(*d*) Si hactenus substitisset. Indignatur hic *Auctor*, quòd ampliaverint *Jus Justinianeum* studia seculorum istud insequentium; & tamen hæc quoque provocavit publica & inevitabilis *necessitas*. Imò *nimis angusta* potius est Jurisprudentia nostra, licèt in tanto interpretum cumulo, quam ut de ejus exuberantiâ conqueri liceat. Locus verò *Lipsii*, quem hic attingit *Auctor*, est in *Lib. II. Monit. Pol. c. 10.* ad quem videri convenit *Rupertum* in *Lib. I. animadv. in Pomponium de Orig. Jur. cap. 6.*

XXI. Legislatoria potestas jus quoque Leges mutandi continet, nisi sint fundamentales. (*e*) Æquitas etiam illa, quæ est mitigatio juris scripti legum sanctionibus contraria, (*f*) solius est Majestatis; quia vim continet mutandi. * Sic etiam jus dandi privilegia (*g*) tam singulis personarum quam certis hominum ordinibus, ut mulieribus, minoribus, fisco, &c. non est diversæ facultatis à Legislatoriâ.

* *l. 1. C. d. Legib.*

(*e*) Nisi sint fundamentales. Non protinùs ubi Respublica inclinat vel mutatur, *etiam Leges abolitæ*, & non ampliùs nisi fallacia Statûs abjecti *simulacra* esse, putandæ sunt; quæ *Conringii* est traditio. *c. XII. de Civ. Prud. p. 241.* Quin potius deliquia illa *facto* imputanda, & semper inhærendum Legibus; donec ipsæ, *modo* congruô, & *auctoritate* debitâ, immutentur. Nec tamen omnia etiam *Jura publica* indistinctè, communi populi vel Imperantium, & in Imperiô Cæsaris voluntate, Statuum adhibitô consensu, *tolli* possunt: quoties *exteri* Constitutionibus Reipubl. *implicantur*. quô numerô venit *Instrum. Pacis* unum alterumve, & imò ipsa *Cæsaris Capitulatio*, quantum quidem ad

Capita

Capita illa cum exteris communia attinet. Sunt etiam *Leges* in Imperiis, quæ aliquando *emendationem* citiùs efflagitant, quàm *admittunt*. Et nonnunquam mutatio *moraliter impossibilis* est; aut si maximè quoad *actum*, non tamen quoad *substantiam actûs*, fieri potest. *Leges* autem *fundamentales* uti propriè Leges non sunt, ita nec *mutari* possunt, nisi ab his quos Conditores referunt, ùt est Princeps cum populi Primoribus; quorum alterum *de Jure* ab initio Imperii *quæsito* recedere oportet, & sic aliquat. *ad initia* illa *reverti*, ut locum habere queat mutatio. Nec tamen semper necesse est, coire populum universum: quin potiùs Princeps *cum parte illâ populi*, quam Lex aliqua Fundamentalis concernit, puta si istius partis solùm intersit, mutationem suscipere valet.

(*f*) Contraria. Intelligit *Auctor Cl.* interpretationem *authenticam*, eamque *expressam*; quâ dum aperta est Legis sententia, ipsa verò Lex *duritiem* præfert, quam emendare Judici vel interpreti non liceat: (vid. *l. 12. §. 1. Qui & à quib. manum.*) tunc quidem Princeps Legem illam immutet. Tum & Legem quamlibet adeò *obscuram* vel *dubiam*, ut Judex illam sequi ambiguus non possit, solus Princeps interpretatur. *l. 12. C. d. LL. l. 6. C. eod. Nov. 143. pr.* Nam *æquitatem* quidem hanc non ita dicere licet; quippe quæ legi illi nullatenùs inest, sed futuræ tantùm, sive immutanti, causam præbet. *Interpretationem* verò appellant rectiùs, eamque idcircò *Principi soli* reservatam volunt. *l. 1. §. 9. C. d. LL.* junct. *l. 32. ff. ad L. Jul. d. adult.*

(*g*) Privilegia. Hic *Auctor Privilegia* intelligit, quæ *Constitutiones Personales* dicuntur, unà etiam cum *specialibus personarum*. Sed specialia *causarum* præterit. Cæterùm rectè non solùm *Privilegia*, quæ personarum vel causarum sunt, *l. 196. d. R. J.* verùm etiam Constitutiones illæ *personales*, de quibus *§. 6. Inst. d. J. N. G. C. Legislatoriæ* potestatis sunt. A Privilegiis distinximus *Dispensationem*, in *Comment. ff. d. Const. Princip.* sicut etiam ab illâ differt *Licentia*, & ab utrâque *Interpretatio*. Nam *hæc* fit per Administros, secundùm æquitatem, & Legi inest; indeque eam declarat. *Dispensatio* autem est à Principe & à Legis nexu ac pœnâ eximit, ne quis dum ei subest, si eam non sequitur, pœnam ejus sentiat; factumque futurum respicit: ut *Aggratiatio* factum præteritum. *Illa* facit, ne quis contrà Legem facere censeatur, cui suppositus est. *Hæc*, ut cùm adv. eam deliquit, in reatu constitutus, saltim effectum ejus seu coërcitionem evadat. Denique *Licentia* est, quæ protinùs ab initio quem à Lege Immunem reddit, ut ne quidem eâ teneatur. Et hanc semel obtentam esse sufficit. Dispensatio, item Aggratiatio, toties requirenda est. Equidem quod facultatem dispensandi attinet, ea non ultrà, quàm ipsa Potestas Legislatoria, patet. Hinc *Papam* in aliquâ *Lege Divina* dispensare posse, Catholici perperam asserunt; quanquam quod gradûs in *Levit. 18.* attinet, prohibitiones illorum non omnes ne quidem moralis Juris esse existiment. vid. Bellarm. *d. Matrim. c. 27.* junct. Bachov. *II. Tr. Disp. VI. th. 2. c.* Faciliùs in Legibus *Ecclesiasticis* procederet Dispensatio. Et tamen ne quidem adv. has dispensatio, nisi magnâ de causâ, fieri debet: prout hoc per exempla taxat Hottinger. *Sec. XVI. Hist. Eccl. Part. 3. p. 139. seqq.* Agit verò pleniùs de *Privilegiis* seu Constitutionibus *specialibus Enenkelius*, aliquot Tractatibus; de *personalibus* autem Constitutionibus *Rumelinus* ad *A. B.* integrâ *Dissert.* & *Tabor.* in *Tr. d. Obligat. Success. in Officio.* Et quamvis *Imperatori R.* Jus concedendi *Privilegia*, sive beneficia personalia, ex Jure *Reservatorum* competat; (cùm quidem *Leges ferre* non possit, nisi Statibus adhibitis,) non tamen uti facultate illâ potest, nisi *salvo Jure tertii*: & in his, quæ *totum Imperium* attingere posse videntur, modum quoque eum servare debet, qui *Juribus* ipsius congruat. vid. *art. III. Capit. Leopold.* Quod verò effectum *Jurisdictionis* secundùm Privilegia illa concernit, Imperator quidem de *validitate* illorum & substantiâ, ut & *interpretatione* & sensu illorum, *solus* ex *Reservatô* cognoscit: Quod si verò de *Violatione* eorundem disceptetur, *Cameræ* quoque Jurisdictio fundata est.

XXII. Legum Ministri sunt Magistratus. Per quos cum universus Reipubl. ordo exerceatur, non possunt aliunde Magistratus quam à summa potestate proficisci. (*h*) Unde sequitur, adversus eum qui ha-

bet summam potestatem nihilo plus juris habere Magistratus, quam infimum quemque civium. Quemadmodum dispensator aut ordinarius in familiis privatis æque sunt servi, quam mediastini aut vicarii. Ideoque errant, qui Regem exorbitantem non à quibusvis è plebe, sed à præcipuis Magistratibus in ordinem posse redigi (*i*) arbitrantur. Id enim à nullo potest fieri, quam eo cui jure fundamentali (*k*) id liquet esse commissum.

(*h*) Proficisci. Habet uempe *Magistratûs*, ùt *Romanô* jure dicitur, *juris reddendi potestatem*, idque formaliter; ùt *Princeps* eam habet eminenter. Et quanquam Magistratus *Romanô more* dicatur jurisdictionem seu potestatem illam *suô jure* habere seu propriô; tamen & sic habet non nisi jure Magistratûs, *quà talis* est, & quòd essentiam ejus conficiat; in oppositione ad *Mandatarium* suum seu *Delegatum*, licèt hic *Principis* fuerit: saltim quòd hic non jure ordinario & perpetuo, nec inter Magistratus cæteros & officiô stabili, fungatur. Aliàs *Magistratus* non solùm eos, qui Jurisdictionem obeunt, sed & *Officiales* quoslibet, qui Imperium cujusdam rei, etiam præter judicium, tenent, designat. Indeque potestas *constituendi Magistratum* à potestate *Judiciorum*, (quæ tamen, etiam *Romano jure*, non unius Magistratûs *constitutione* ac *personâ* absolvuntur,) ubique discernenda est.

(*i*) In ordinem posse redigi. Adversus hos integrô *Capite IV. lib. I.* agit *H. Grotius.*

(*k*) Jure fundamentali. Nec tamen unquam videas illos, quibus Lege fundamentali commissum est sive relictum, ut *Regem in ordinem redigere* queant, simplici Magistratu defungi. Nam *Magistratui* quidem, *quà tali*, nullus est locus, ut quid circà modum exercendæ Majestatis suscipiat, invitô Rege; nec potest respectus illius *ad initia Regni fundandi* retrahi. Quocircà si quid monendum fuerit ex Legibus Fundamentalibus: illud suscipiendum est ab his, qui dum Regi Imperium deferretur, *populum* repræsentabant. At verò hi non sunt Magistratus: indeque illos, qui populum *ceu paciscentem*, etiam *post regnum stabilitum*, repræsentant, *Ordines* potiùs seu Statûs appellamus. Atque hinc inter alia elucescit, quarè non possint *Statûs* Imperii Germ. *pro Magistratibus* haberi.

XXIII. *Judicia* pertinent quidem maximè ad jus privatum. (*l*) Sed constitutio & ordinatio illorum sine dubio est juris publici ac Majestatis. Imò hac causa Principes maximè ab antiquissimis populis constitutos fuisse (*m*) accepimus. *

* *vid. Plutarch. in Demetrio. ubi de facto Demetrii, libellos supplices in profluentem projicientis.*

(*l*) Ad Jus privatum. At verò non minùs ad *Jus publicum* illa respiciunt. Quæ enim distinctio est Juris in publicum & privatum, quatenus *publicum* pro *civili* habetur: ita illa *ab ipsô Rege* pendet, indeque ad Jus *Regni* ipsius, sive ad *Imperii Jura* non respicit. Proinde quoties super Jure publico disceptandum est: illud aliter quam per *Judicia* fieri non potest; imò etiam *publica Jura*, quæ ex *Gentium* & *Naturali* Jure in Rempublicam recepta sunt, objecta fiunt *Judiciorum Civitatis*. Ex quo patet, nil quicquam ex Jure publicô superesse, quod in Judicia deduci non possit, præterquam *Jura Majestatis*; & quidem hæc etiam, ùt *in se* considerantur, & quatenùs super potesta-

potestate Regis, ipsi competat, judicium in civitate nullum cognoscere valet; quanquam super *applicatione potestatis* illius & exercitiô Jurium in cives, aliosque quibus cum civibus negotium est, Judicia illa omninò valeant. Utique non modò in cœteris Rebuspublicis, sed etiam in ipsô Imperio Romanô, Tribunalia media æque ac summa satis loquuntur, non tantùm eò deduci causas *eximiè* publicas, sed etiam illas, quæ cum privatorum æquè esse possint, indeque ad Jus privatum referantur, eô ipsô tamen quòd ad personas sive res publicas applicantur, & ipsæ *publicæ fiunt*. Itaque dici non potest, ad Jus privatum maximè pertinere *Judicia*; quin potiùs omnes causæ publicæ, quæcunque *ministerio Magistratuum* subjici possunt, & sic intrà sphæram civitatis sunt, ad judicia æquè rediguntur.

(*m*) Constitutos fuisse. Eò quòd *Justitia* unicè Reipubl. salus constet, nec extrà eam diu stare possit. Interim Principes illi Judicia *Majestatica* tenent, quæ ad causam Magistratuum referri non possunt. Imò Justitia *Principis* latior esse videtur, quam quæ unicè ad diremtionem *causarum controversarum* pertinet.

XXIV. Etsi verò pleraque judicia per judices ut ministros summæ potestatis expediantur. *Summa* tamen *Provocatio* (*n*) salva semper est ad illam. Sive appellandi, sive supplicationis vel revisionis aliove titulo. Item, jus avocandi certas causas (*o*) ad cognitionem Principis; quo quidem rarius utuntur boni Principes, separari tamen penitùs à summâ potestate nequit.

(*n*) Provocatio. Hinc quando Doctores Juris publici provocationem hanc *soli Cæsari* in Imperiô largiuntur: non apparet, quâ ratione *Jurisdictionem universalem* ei in Imperiô denegare queant. Et tamen *ad* ipsum *Principem* à sententiâ, secundùm Principis *Rescriptum* latâ, appellare licet. Scacc. *Qu. 16. lim. 1. n. 130. seqq. v. l. 1. §. 1. d. appell.* Quando verò ad ipsum Principem provocari vult, regulariter id *gradatim* fieri debet; nisi judex intermedius sit suspectus vel inhabilis, aut justitiam protrahat vel deneget: aliàs ne quidem id *utrâque parte volente* fieri potest? Scacc. *Qu. 7. n. 16.* Cæterùm Jus extremæ provocationis Principi nec per *præscriptionem* eripi, nec *statuto* potest. *Pactis* tantùm possunt *renunciare* in causâ *suâ* partes, quò minùs appellent; quod *privati* juris est. Unde nec *universitas* ita pacisci potest: hactenùs enim in omnibus causis, & totâ juris dicendi potestate, facie publicâ immutatâ, Principi præjudicatum esse oporteret. Interim *Ipse* Jus de non appellando *subdito etiam tribuere* potest; non tantùm quòd nihilom. hic secundùm LL. Principis judicare teneatur; & sic perinde sit, quasi ipse Princeps judicaret: *l. un. §. 1. d. Officio Præf. Prætor.* quin & Jus illud Principis beneficiô & *alienô jure* seu concessione tenet. Verùm etiam, quòd & *sic extremam provocationem* non abdicâsse Princeps putandus sit. Unde sicut ab eo, qui de non appell. Privilegium habet, *supplicare* licet. *l. un. C. de s.* quippe quòd supplicatio sententiam ne quidem iniquitatis arguat, atque ex iisdem actis justificanda sit. Quin & *Revisionem*, ùt & *Nullitatis* remedium, ille admittere debet. Ita ubi Privilegium quoque has provocationum species excludit; quale est *Seren. El. & Ducum Saxoniæ:* ibi ne quidem provocatio ex c. *deneg.* vel *protractæ justitiæ* ademta gravato censetur. Et repugnat omninò Majestati, *nullatenùs* ad Principem provocari posse. H. Grot. *II. IV. 13.* Est autem *Summa Provocatio*, quòd ad Principem quilibet provocare queat, sed ab ipso ad neminem provocari possit.

(*o*) Certas Causas. Et quidni *omnes*. Quòd enim Princeps non semper *avocatione* illâ utatur, istud non ad objectum sive causas ipsas, sed ad *modum* avocandi pertinet; ut avocatione non utatur in *præjudicium instantiæ inferioris*, quam fortè aliquibus in Republ. Jure *patrimoniali* sive *propriô* largitus est. Quapropter ab his qui *simplici Magistratu* funguntur, causas *liberiùs* avocat.

XXV. Denique Jus Comitia indicendi ſolvendique eſt in monarchiâ Jus Majeſtatis. Nam in regno, ubi comitiorum facultas aliter quam juſſu Principis (*p*) exercetur, ibi certum eſt Imperantis poteſtatem non eſſe abſolutam. In plurium Imperio jus comitia indicendi ſummæ poteſtatis eſſe nequit; (*q*) Quoniam in comitiis ipſa poteſtas ſumma reſidet. Ideoque nil ibi quam miniſterium eſt; etſi per artes politicas ſæpe fiat Magiſterium. At de his non agimus.

(*p*) Jussu principis. Talis non minùs *in Imperiô Rom.* reperitur; ut tamen Imperator *de loco* & *tempore* conſultationem *præambulam* cum Electoribus inſtituat.

(*q*) Esse nequit. At verò non apparet, cur non illa poteſtas *Majeſtatis* æquè ſit, ac in Regnô. Sive enim *Comitia* ipſam Majeſtatem *authenticè* habeant (ut *Magiſtratus*, velut in *Democratiâ*, exercitia Jurium *magis frequentium* & *minoris momenti* interim teneant:) ſive Comitia tantùm ineunda ſint, *amplioris conſultationis gratiâ*, idque *ex pactô*, quod cum Optimatibus cæteri de populo inierunt: utrobique *Jus* ipſum *indicendi Comitia*, juxta placita ejusmodi, non poteſt non penes eos reſidere, qui *ſummam poteſtatem* habent. Quoties verò in Democratiâ Magiſtratus *ad Comitia* devenire non patitur,, toties vitium capit Respublica; & tamen ibi populus ad Comitia *provocare* poterit: indeque & hâc ratione tam *jus provocandi* ad Comitia, quàm *vis* ipſa *Comitiorum*, *Majeſtatis* erit.

XXVI. Quæ plura de hiſce juribus eorumque œconomiâ dicenda ſunt, ad partem operis ultimam reſervantur.

Caput. XIX.

De Juribus Majeſtatis minoribus.

ARGUMENTUM.

Diviſio Jurium Majeſtatis minorum, quod vel utilitatem vel dignitatem ſpectent: & quæ ad hanc pertinent, rurſus ſubdividuntur, quod vel in publicis collationibus vel privatis diſpoſitionibus conſiſtant. Prioris generis eſſe jus creandi magiſtratus inferiores, nobiles, equites, etiam comites, principes ac duces; ratione redditâ, cur eorum creatio ad majora non pertineat. Item creandi Doctores, Comites Palatinos, Notarios, concedendi Nundinas & ferias. Diſpenſationis privatæ ſunt jus legitimandi liberos, famæ reſtituendi, veniam ætatis largiendi, ſolennia Legum remittendi, debitoribus inducias dandi, onus fideicommiſſi bonis auferendi, res minorum ſine decreto alienandi &c. Quæ ad utilitatem ſpectant, hæc ſunt: Jus monetæ cudendæ, confiſcandi bona damnatorum & mulctandi, ſucceſſiones auferendi indignis, bona vacantia occupandi, item res derelictas, velut theſauros, haud tamen jure, bona naufragorum; ſed & jus venandi, gabellas, portuaria, ripatica, angarias, parangarias, armandias & repreſſalias &c.

I. Mi-

I.

MInora Majeſtatis jura ſunt, quæ ad functiones (*a*) Reipubl. inferiores levioresque referuntur, nec tamen Magiſtratibus committi ſolent. Hæc ita diſpertimur, ut vel ad poteſtatem aut ad utilitatem Imperantium ſpectent. Quæ prioris ſunt generis, ea vel in conferendis honoribus juribusque publicis, aut in privatis diſpoſitionibus conſiſtunt.

(*a*) FUNCTIONES. Equidem nullum Jus Majeſtatis ad *functionem* quippe quæ *Magiſtratus* ſolùm & *ſubordinatæ poteſtatis* eſt, refertur. Quòd verò *Auctor* etiam *minora* quædam Jura Majeſtatis in cenſum illorum referat, quæ *poteſtatem* & *eminentiam Regis* arguunt, id utique agnoſcendum non eſt; ſicut *Cap. præcedenti* monuimus: quicquid ſit, quòd aliqua eorum Jurium ad *ſingulos* tantùm ſive *privatos* referantur; velut eſt jus dandi *moratorias*, aliaque *beneficia perſonalia*. De *Magiſtratibus* verò minùs conſtat, quare eos ad *minora Regalia* redigat, niſi quòd ille diſcrimen inter *minores Magiſtratus* & *majores* conſtituat: quod tamen quoad *ipſam vim Majeſtatis*, quæ non minor eſt in minoribus Magiſtratibus, nullum planè eſt. Idem Judicium eſto de cæteris.

II. Ad primam claſſem referamus primo, jus creandi *Magiſtratus minores*, qui per oppida & agros juri dicundo (*b*) præſint. Jus creandi Patricios, *nobiles* Equitesque. (*c*) Ut nobilium ordini Duces quoque, Principes, Comites, Barones alioſque Germanicæ originis (*d*) titulos accenſeamus. Quos quidem creandi jus mirabitur non nemo, ad minora Majeſtatis à nobis referri. Sed ratio conſtat, quod ad Imperii explicationem hæc res directè non pertineat. Verum hoc ſine illis (*e*) tam ſummum, quam integrum, facilè eſſe queat. Si quis tamen ita faciendum putet, ut jus conferendi illuſtres nobilitatis gradus ad majora, cæteros ad minora Majeſtatis jura referendum putet, nihil eſt quod refragemur.

(*b*) JURI DICUNDO. Strictè h. ſumit *Auctor* Magiſtratus. Nam & *Officiales* creandi poteſtas, eos ſcilicet qui Juri dicundo non vacant, ad Jus creandi Magiſtratûs pertinet.

(*c*) EQUITESQUE. Dantur verò *Equites* tum *Sacri*, qui omnes *Cruce* utuntur; ùt Johannitici ſeu Melitenſes, Teutonici, &c. tum *Civiles*, hique & *Clinodiorum* ſeu *Torquati*: ut Aurei velleris, S. Spiritûs, S. Michaëlis, Aureæ periſcelidis, Danicus, Suecicus ordo: & *Aurati*. Juri Dignitates & Officia conferendi proximum eſt Jus dandi *Inſignia*. Hæc verò ſunt tum *Familiarum*, tum *Officiorum*. Definiuntur *Figuræ* ſymbolicæ ſtatui deſignando adhibitæ. Continent *ſcutum* ſeu Campum, *Emblemata* in ipſo. *Galeam* cum *Clinodiis* impoſitis, ùt plumeo apice, corvo, cornubus, &c. tum & *ſuſtentacula* ſeu telamones, quibus ſcutum tenetur; quales ſunt Illuſtrium ferè, ut Angeli, Gryphi, Unicornua. &c.

(*d*) GERMANICÆ ORIGINIS. Equidem *nomina* pleraque ex *Romanâ* quoque *Republica* deſumta ſunt: Et tamen tituli *idiomatis Germanici* naturam illarum accuratius exprimunt; quippe quòd officia & adminiſtrationes in ſe debeantur *Francis*,

præci-

præcipuis in fundando Germanicô Imperiô populis. Limn. *lib. II. Jur. Publ. c. 9. n. 18. & Lib. IV. c. 2.*

(*e*) Sine Illis. Hoc verò asseri non potest: nam sicut non datur sinè *præmiis* & *pænis* Respublica, neque Magistratus vel alia potestas subordinata similis, citrà *Dignitatem*; non etiam Ordines Civium absque *Nobilitate*, saltim personali, si non familiarum, subsistere possunt: ita non potest dici sine Dignitatibus Imperium quoddam summum esse posse & integrum. Idem enim est, ac si *Auctor* assereret, jus conferendi Dignitates tale esse, quod ad *Majestatem per se* non requiratur. Videlicet abreptus est opinione eâ, quâ Jus illud *ad minora* redigendum censuit. Et tamen non modò *directè* illud pertinet ad Majestatem; quod Ipse *hoc §.* negat; (cùm tamen, sicut *personas* & *res* suas, ita etiam *Dignitatem* suam & *honorem*, cives à Principe recognoscant;) sed etiam inter *præcipua* & *majora Majestatis* Jura Potestatem conferendi Dignitates ideò referri oportere constat: quia Dignitas plurimum facit *ad Ordines* & *præstantiam civium*: Unde in crimine quoque *Majestatis* non absque summâ ratione constitutum est, ut non modò *liberi* reorum carere bonis, sed & *honore* destitui debeant, ne quid ab illis metuendum sit.

III. Largiri facultatem docendi Artes studiorum publicèque exercendi, id ubique etiam summæ potestatis habetur. Adeò ut Doctores autoritate eorum, qui superiorem agnoscunt creati, jure & ornamentis huic ordini debitis minimè fruantur. Ita necesse non videtur, jus condendi Academias huic numero adjicere. Quando in iis vix quicquam Majestatis proprium, præter istud jus conferendi honores (*f*) studiorum, cum effectu tam latè diffuso, reperitur. Tamen ita fieri solet, ut Academias sive Universitates studiorum constituere, juribus Majestatis adscribatur, nec satis est causæ, quare ab hoc more loquendi recedamus.

(*f*) Præter istud jus conferendi honores. Hoc vult *Auctor*, *Academias condendi* facultatem non pertinere ad Jura Majestatis, nisi quatenus alibi *Honores Doctorei* conferri non possunt, nisi in eisdem. *Gymnasia* verò in alio ab Academiis non discernantur, eò quod *Professiones omnium Facultatum* in Gymnasiis reperiantur. Et tamen licèt *in Germaniâ* videamus docendi facultatem posse impertire *Status*, & quandoque etiam *mediatos*, longô usu vel privilegiô. Quia tamen plurimum interest Majestatis, quidnam hi qui regimini publico aliquando admovendi sunt in re quâlibet, & *sacrâ* cumprimis, *erudiantur*. inde non potest non in se concessio facultatis docendi & honores literarios conferendi, *Jus Majestatis* censeri. Et hinc, quia potestate illâ uti permissum non fuerat aliis, quàm qui titulum *Doctoris* gerebant: Inde *Jus Academias condendi* de Majestatis Juribus *in Imperio* etiamnum habetur. Planè qui *in Belgiô* creati fuerant *Doctores*, priusquam *Libertatem* Status uniti ex Pacificatione cum Hispanis initâ consequebantur, extrà Belgium pro Doctoribus habiti non fuêre. Quid verò quòd *Papa* quibusdam Academiis Privilegia contulerit? scilicet quia *Jus Sacrorum* ei competere creditum est, *extrà Cæsarem*, atque eò integra *Jura Cleri* atque *Academiæ* referebantur, sive *Scholæ majores*. Ideò ex errore *Pontifici* in hôc summa Potestas delata est. Hodiè tamen Academiæ, quæ solius Pontificis auspicio fundatæ sunt, non nisi *tacitô consensu* & approbatione *Cæsaris*, auctoritate suâ constant. vid. Carpz. *II. Consistor. def. 396.*

IV. Prætereà homines constituere, qui legitimare natos contra

præce-

præcepta legum & creare Tabelliones aliaque juſſu ſummæ poteſtatis facere poſſint; quales in Germania Palatini Comites dicuntur, id haud dubiè Majeſtatis eſt. Nec ideò tamen minus ipſum jus ordinandi *ſcribas*, quorum fide inſtrumenta pro publicis à populo judicibusque habeantur, (*Notarios* vocant) ad poteſtatem ſummam referri debet. Solent quidem hæc modica jura plerumque per inferiores poteſtates exerceri. (*g*) Sed origo juris & modus exercendi ſeparatas habent rationes, ùt *cap. ſeq.* videbimus.

(*g*) Exerceri. Ut his ſcilicet permittatur creare *Scribas*, *Notarios* &c. Eſt verò notandum, quòd in *Capitul. Leopold. art.* 44. non dicantur Comites, ſed ſimpliciter *Palatini*, quibus hæc talia committi ſolent; & ibidem *poſtponantur Nobilibus.* Habent verò illi *plus poteſtatis*, quàm ipſi *Statûs* Imperii, quippe quòd his poteſtas Notarios creandi (nam quod *Scribas* attinet, eorumque officia, ad certas tantùm operas reſtricta, ut in his & non ultrà *fidem* ſortiantur, ſecùs eſt:) inter *Jura ſuperioritatis* non conferatur, & *Notarii* à Comite Palatinô creati, ob poteſtatem à Cæſare delegatam, *per univerſum Imperium* fidem habeant; indeque vim *Inſtrumenta* illorum à ſumma Poteſtate ſortiuntur. Unde etiam prohibere poteſt Princeps, ne valeat Inſtrumentum Notarii *alterius*, quàm ejus qui ab illo creatus eſt. Boër. *Dec.* 242. Cæterùm ſi inſtrumentum *in alienô territorio* conficiat Notarius, *inter ſubditos illius* territorii, non valet; quamvis partes in id conſenſerint: niſi inſtrumenti illius vis & *effectus* ſe *extendat* in territorium ejus, qui Notarium creavit; ùt quando in hujus territorio ex illo agendum ſit. Quòd ſi verò in alieno territorio *inter ſubditos illius Principis*, *qui Notarium creavit*, hic conficiat inſtrumentum, valet ipſum; nec non ſi confecerit inſtrumentum *inter ſubditum ſui & extranei Principis:* nam ita ob jus correſpondentiæ mutuæ valet, ne cum incommodo utriusque retorqueri poſſit, & ne contractus claudicet.

V. Denique & ad hunc ordinem pertinet jus conſtituendi celebriores mercatus, quos *Nundinas* vocamus. Cum enim privilegii vis (*h*) non uno ſenſu in illis contineatur, patet, ad ſummam quoque poteſtatem id eſſe referendum. Sed minores (*i*) peculiaresque nundinas (*k*) nihil vetat à Magiſtratibus ordinari. At in his tunc ea quæ nundinis alioqui tribuuntur, velut immunitas ab executione judiciali (*l*) ſimiliaque obtinere non poſſunt; Quia ſiſtere aut impedire vigorem juris publici eſt ſuprà Magiſtratum. Ex eâdem ratione conſtat, jus indicendi *ferias* (*m*) quibus judicia intermittantur, eſſe Majeſtatis.

(*h*) Privilegii vis. Nempe Privilegia non tantùm ea in *Nundinis* locum inveniunt, quæ *in ſubditos* valent; qualia quæ ſunt in privilegiato *ſubjectionem arguunt*, ſed etiam *Beneficia* varii generis, ad vigorem commerciis inducendum; cujus generis ſunt ea, quæ Civitates *Hanſeaticæ* v. c. in *Angliâ*, *Belgiô &c.* obtinuere. Hæc verò non aliter poſſunt haberi Majeſtatis, quàm jura cætera *tranſeuntia*, & quà vim Imperii exteris, quando in locô deprehenduntur, Princeps, ſecundùm illa beneficia, impertit. De Nundinis aliàs *Fritſchius* quædam congeſſit, & plura apud Saxones, *Berlich. t. concl.* 77. & *alios*, qui *praxin Nundinarum Lipſienſium* habent, reperiuntur.

(*i*) MINORES NUNDINAS. Wochen-Märckte intelligit *Auctor*, nobis *Jus Fori*, quod *Magistratibus oppidanis* in Germania, in sequelam *Juris Civitatis*, competit: unde etiam minutæ Civitates Marck-Flecken dicuntur. Sed *Nundinæ annuæ* Jahr-Märckte tantum à Principibus ex Jure *superioritatis Terr.* conceduntur. Denique de *Commerciis* integrarum *Gentium Lib. III.* agitur: conf. de *Monopoliis* Pufendorff. *L. V. J. N. G. c. 5. §. 7.* Tum & *restrictiones* commerciorum à *Majestate* pendent, cùm non omnis restrictio *libertati Commerciorum* Gentibus debitæ repugnet. Sic enim *exportationem* licitô jure potest prohibere Princeps, nummorum, annonæ, materiarum rudium, quas ipsi tractare possunt incolæ; ùt sunt v. c. lana, chalybs, ferrum. Quin & *invectionem* eorum rectè prohibet, quæ ad luxum pertinent, & quibus Resp. sua depauperari potest. Non etiam *Stapula* libertati illi adversatur: nam & breviori tempore & paratâ pecuniâ *peregrini* merces suas hac ratione vendunt. Quicquid non subducit necessaria genti alteri, ut vitam tolerare nequeat, illud Libertati Commerciorum non obest: sibi verò primò quælibet Civitas meritò prospicit, suæque securitati, quò & prohibitio *mercium contrà bannum* avectarum pertinet. Sunt autem Merces tales *Von Contrebande* non merces quælibet hostibus destinatæ, sed solùm eæ, quibus *hostilitas* exerceri potest: quales v. optimè designatas *art. XII. & XIII. Pacis Pyrenea.*

(*k*) AB EXECUTIONE JUDICIALI. Est enim hoc potissimum privilegiorum Nundinalium, quòd mercatores in Nundinis *arrestari*, sive in *bonis* sive in *personis*, nequeant; non modò non ob debita *anteriora* & aliàs, sed & ob ea, quæ *in ipsis nundinis* contracta sunt, quamvis *de fugâ* Mercator *suspectus* sit: quô casu jure communi arrestum obtineret; tantùm non fugam adornet. Idque etiam in *juratis* debitis obtinet. *Renunciare* tamen quis potest privilegio nundinarum. Denique *extrà locum earum*, quamvis in eâdem provinciâ, illud non obtinet; ùt nec in locô *extrà tempus* nundinarum.

(*l*) INDICENDI FERIAS. Huc pertinet disquisitio de potestate *Calendarii*, & acta modernorum Comitiorum. vid. *Diss.* D. Linckii *de Calendario.*

VI. Sequuntur ea, quorum effectus in dispositionibus atque dispensationibus (*n*) inter privatos locum habentibus consistit. Etenim sæpe fit, ut ordo legum ob circumstantias æquitatis haud semper ita præcisè custodiri possit. Quod tamen Magistratus, qui sunt ministri Legum, facere debent.

(*n*) DISPOSITIONIBUS AC DISPENSATIONIBUS. Præstat quà fieri potest, *distinctis* hâc in re, quàm generalibus, vagis aut ambiguis, uti *nominibus*. Nec etiam *Dispensatio* & *Privilegium* æquivalent; ceu nec Privilegium & *beneficium* ad paria redeunt. Sic enim communiter dicimus *privilegia* esse, si quæ jura, quæ in personis, *regali* dignitate valentibus, *regalia* sunt, privatis competunt; ùt vectigal, venatio, &c. Et tamen *privilegium* est *exemtio à Lege*: quò Jura illa eximia non pertinent. Cæterùm *latè acceptô privilegio*, pro *beneficiô* quod uni alterive cum exclusione cæterorum tribuitur, sicuti *Princeps* qui Privilegium tale alicui concedit, per hoc *juri suo*, & quò minùs ipse eâdem facultate liberè uti possit, *non præjudicat*; v. c. oenopolii, braxationis. vid. Surd. *Dec. 13. n. 11.* Ant. Fab. *I. Cod. Sab. T. 12. d. 8.* Unde non potest *retorquere* Concessionarius adversus Principem, quòd hic v. c. Salinis juxta ipsum uti nequeat. Non etiam possunt privilegia dari *in præjudicium tertii*: *l. 7. C. d. Precib. Imp. offer. l. 4. C. d. emancip. liber. l. 43. §. 2. d. V. & P. S.* Ant. Fab. *IX. t. 29. d. 6.* ùt quando ob *immunitatem* à collectis uni datam, reliqui tantò magis gravarentur; in *suum* verò *præjudicium* potest, ut Ipse Princeps detractum ferat. Ita *latissimè* est *interpretandum* privilegium, puta quod merum est beneficium, atque liberalitatem & largitionem continet. *Stricte* verò accipi debet, quatenùs derogat Juri communi, aut vergeret in præjudicium tertii,

tertii, vel saluti communi officeret, aut causa movens in casu proposito cesset: ceu nec potest ex *rationis identitate* ad alias personas vel causas extendi.

VII. Proinde iis qui extra matrimonium sunt nati, jus dare Legitimorum, id cum excedat manifestos ordinariæ jurisdictionis terminos, pertinet ad Majestatem. Sive id per rescriptum identidem fiat, seu Lex à principe lata modum, quo id immediatè peragatur, præscribat, cujusmodi modos Græci Imperatores subsequens matrimonium & curiæ oblationem (*o*) tradiderunt. *

* *l. 3. & l. 9. C. d. Natur. lib.*

(*o*) CURIÆ OBLATIONEM. vid. *L. III. & L. IX. Cod. d. Naturalibus liberis.* Ipsa quoque *Legitimatio per matrimonium* vim omnem habet à *Lege*, quæ matrimonium ad hoc actuat, ut *retrahi* possit; idque ad liberos inde natos. Nec enim si quis *spuriam* ducat, per hoc matrimonium ipsa legitima redditur. Liberis verò causam legitimationis præbet istud matrimonium, eò quod ex illô suscepti esse censeantur. Add. de effectu & discrimine specierum legitimationis *Knipschildum* de *fideicommiss. famil. cap. 9.*

VIII. Similiter jus restituendi natalibus, aureosve donandi annulos, quibus libertini homines fiebant ingenui, priscis Romanis pro Jure Majestatis habebatur. Eos, qui infamiâ sunt notati, causis non redditis, (*p*) integræ existimationi restituere, id etiam Principis opus est. Nam Magistratus & Judices non nisi per in integrum restitutionem certas ob causas id facere possunt. Præterea adolescentes potestati curatorum (*q*) subtrahere, *veniâque ætatis* datâ, rebus suis ante tempus lege constitutum præficere, hoc est, suprà ministerium legum, adeoque Majestatis. *

* *l. 1. §. 9. de Minor. t. t. C. d. his qui ven. ætat. impetr.*

(*p*) CAUSIS NON REDDITIS. Videlicet *potest* Princeps pro arbitrio *famæ* quem *restituere*; sed ratione *officii* non debet. Imò in *Imperio Germ.* Cæsar non potest, quando infamis *per judicia Statûs Imperii* quis redditus est: quia Imperator judicia, eorumque effectûs integros, semet relicturum esse Statibus promisit. Nec ergò aliter ejusmodi infamem restituere existimationi, nisi ex *causâ novâ*, aut si *judiciô* suô Status *debitô modo* in condemnatum *usus non fuerit*, potest. Ipsi verò *Statûs*, sicut gratiam *vi Superioritatis* condemnatis, vitæ etiam & bonorum, largiri valent: ita etiam quos ex Jure *Imperii sui* infames reddiderunt, infamiæ rectè eximunt. Interim, qui *Jure Communi* (sive lege) existimationis suæ imminutionem patiuntur; ùt sunt *spurii* & similes, & vel *levis notæ maculam* subeunt, quales sunt lictores, carnifices: illis ne quidem maculam hanc abstergere valet Princeps; sed hoc de *Reservatis Imperatoris* est, cujus exercendi potestatem ipse *Comitibus Palatinis*, vel etiam *aliis* pro lubitu, delegat. Exemplum notabile in *Recess. Imp.* occurrit, quando illos, qui *in seditione rusticorum*, im Bauern Krieg, *infames* declarati fuerant, *Cæsar*

famæ

famæ ſuæ reſtituit. Equidem quod *Auctor* hic tradit, *Magiſtratûs* reſtitutionem famæ dare poſſe per *reſtitutionem in integrum*: illud ad reſtitutionem *gratiæ* non pertinet, de quâ hic; ſed *juſtitiæ*. Hæc verò *Jurisdictionis*, licèt *extraordinaria*, (vid. *l. 63. C. d. furt. l. 23. C. de Nupt. & l. 1. §. 10. d. Poſtul.*) uti iſta *Majeſtatis*, eſt. Eſt verò *Reſtitutio* illa *gratiæ* amplior, nec ſolùm ad *Famam*, ſed & ad *pœnam* quamlibet, reſpicit, & faciliùs quàm *Aggratiatio*, item *Abolitio*, locum invenit. *add.* Dd. *ad tit. C. d. ſentent. paſſis & reſtitutis.* Tantùm hoc notandum eſt, quòd reſtitutus non reſtituatur in *Bona* jam à Fiſco *alienata*; niſi facta ſit reſtitutio cum *Cl. annullationis*: quâ rat. Fiſcus etiam *pretium* reſtituere debet. Fachin. *IX. contr. 18.* Nec tamen aliter, quàm ſi inde factus eſſet *locupletior*; non etiam quando Princeps aliis bona interim donâſſet. Perez. *d. t. n. 5. Fructûs* quoque Fiſcus non reſtituit, quos intereà percepit; quoniam reſtitutio non valet, niſi à tempore gratiæ. Cæterùm quando dicitur *Vitam & Famam pari paſſu ambulare*: illud non ſimpliciter accipi debet. Nam *Fama* poteſt deſiiſſe, ubi *Vita* adhuc ſupereſt! *Infamia* pœna minor quoque eſt pœnâ *mortis*. *Fama* ad Civilia, *Vita* ad naturalia pertinet. *Hæc* reſtitui non poteſt; *illa* poteſt. *Fama* ex civili principio pendet; eſtque donum Civitatis, indeque faciliùs impediri poteſt: *Vita* eſt à naturâ. *Famam* ſibi quis parat; *Vitam* alii. *Fama* augeri poteſt: *Vita* invitis imminuitur. *Fama* non definit *Vita*. *Vitam* adimens non poteſt *Famam* adimere. *Infamiæ* metus non eſt juſtus; *mortis* eſt juſtus. *Vita* omnibus æqualis eſt; non *Fama*. *Fama* itaque & *Vita* tantùm *Civilis* pari paſſu ambulant: & *Civiliter mortuus* eſt, cui fama erepta eſt.

(*q*) POTESTATI CURATORUM. Et tamen illi quoque adoleſcentes *veniâ ætatis* indigent, qui *Curatores* non habent. Quamvis de cætero venia illa *majores* eos ſolùm reddat, in his, quæ *Decretum Magiſtratus* nullum requirunt. Eſſe verò conceſſionem hanc veniæ *Jus Majeſtatis*, *d. l. 1. §. 9. d. minor. t. t. Cod. d. his qui ven. ætat.* & ipſa ratio innuit, eò quòd *diſpenſationem legis* contineat: Confer de eo *Mylerum* in *Etologia*, juncto *Simoncello*, *in Tr. d. Decretis in rebus Minor.*

IX. Eodem pertinet, concedere alicui, ut ſine ſolennibus teſtamentum condat, actumve alium præter legis præſcriptum celebret, quod utique Legum miniſtri permittere non poſſunt. Sed concedere, ut teſtamentum absque ſolennibus conditum (*r*) vim & effectum habeat, id ne Princeps quidem poteſt. Quia ſic heredibus ab inteſtato jus ſuum imperfecto teſtamento ſtabilitum interverteret, (*s*) quod extra uſum dominii eminentis jure facere non poteſt.

(*r*) ABSQUE SOLENNIBUS CONDITUM. Citrà Principis indultum antecedaneum, ut dum conderet teſtator teſtamentum, ſolennia adhibere debuiſſet. Quod cùm non fecerit, *ab inteſtato* deceſſiſſe videtur; indeque jus hæredibus ab inteſtato *quæſitum* Princeps evertere Jure *ordinariô* non poteſt: neque aliter id poteſt ex *dominio eminentes* niſi ubi hoc *ſalus communis totius Reipubl.*, juxta requiſita *ſuperiùs* exhibita, poſtulat. Si verò teſtamentum condendum fuerit, *teſtaturo* gratiam ſolemnium facere poteſt; quin & ab ipſo teſtamentum ſibi, remotis omnibus teſtibus ſive arbitris, *oblatum* ſuſcipere, ut effectum ſolennium hôc ipsô habeat. Quale quid ad Principes quoque Imperii, *Statûsque* ceteros, & non minùs ad ſimilitudinem Imperatricis, ad Principum Comitumve *conjuges*, ex uſu Imperii, teſte quoque *Tabore*, in *Tr. de Teſtam. Principi vel Comiti oblato*, perductum eſt.

(*s*) INTERVERTERET. Reſpicit huc Tr. *Anton. de Petra*; *de Jure quæſito per Principem non tollendo*: & quamvis nonnulli in eâ fuerint ſententiâ, poſſe Principem auferre jus quæſitum Civi *ex Jure Civili*, v. c. præſcriptionis, & vel ex ipsô teſtamentô, quatenus vim ſuam ex civili jure con-

re consequitur. Tamen & hæc sententia falsa est; ut ex his, quæ *superius* diximus, de Principe Legibus solutô, & ex *Brüningio*, de *variis Universitatis speciebus*, *th. 4. lit. a.* patet.

X. Sufflaminare & differre Jura hominum, quo minus aliquando possit, etiam præter ordinem legum, nihil impedimento est. Huc pertinet potestas debitoribus inducias dandi moratorias quinquennales, aut non multo longiores, aliasve dilatorias exceptiones, non peremptorias, (*t*) nec quicquam aliud quo vires principalis negotii exhauriantur. * Item judicis sui jurisdictioni aliquem eximere, (*u*) judicesque dare extraordinarios, (*x*) id manifestè summi Imperii est. Quemadmodum & bona fideicommisso subjecta hoc onere liberare; quia commodum posteritati subtrahitur, nemo alius potest, quam qui habeat summam potestatem, supraque leges sit evectus. Sed an potest hoc omninò summa potestas, si verum est, ùt modò diximus, Eum non posse cuiquam jus auferre suum? Jus quæsitum certè non potest; jus futurum, maximè eorum, qui nec dum sunt nati, potest aliquando præcidere, graves ob causas, quæ in fideicommissis, maximè dividuis, sæpè se produnt. ** Denique res immobiles pupillorum atque minorum permittere alienari (*y*) citra causam necessitatis, posito, quod hoc Lege prohibitum sit, est etiam Majestatis.

* *l. 2. C. d. precib. Imp. offer.*
** *vid. Grot. l. 2. c. 4. §. 10.*

(*t*) NON PEREMTORIAS. per *l. 2. Cod. de Precib. Imperat. offerend.* præterquam si salus publica per universum istud quoque efflagitet: quale quid in tribus quartis usurarum p. *Recess. Imp.* d. *anno 1654.* constitutum est. *add.* Hahn. *ad §. d. indaganda &c. Instrum. Pac. W.* Equidem *de rigore* posset creditor excutere debitorem, nullâ licèt sui culpâ ad inopiam redactum. Sed *Princeps dilationem* debitori indulgere potest, quia in *morâ* non est præjudicium; cumprimis si *restrictiones* admittamus, quibus Moratoriæ modum capiunt: tum & *Reipublicæ* interest, Moratorias tales non simpliciter denegari. Quid quòd *utrique* parti per illas, si requisitis debitis insistant, consulatur. Imò *Magistratus* quoque dilationem aliquam dare potest; *l. 45. §. 10. d. J. Fisc.* Sed non *prolixioris temporis*; quod ibidem dicitur ab Imperatore postulandum esse: tum & ad unam certam causam; non etiam, ùt Princeps, universaliter ad credita ejusdem regulariter omnia. Quin & dilationes Magistratûs nituntur auctoritate Principis. *l. 21. d. Judic. j. l. 31. d. re jud.* Nam utique invitis etiam Creditoribus *antehàc* à Magistratibus dilationes ejusmodi breviores (nunc non nisi *dispositiones* debitorum ex *auctorit. Magistratûs* admittuntur:) dari poterant. vid. Hillig. *XXII. D. E. c. 9. E.* ubi *lit. N.* non teneri, tradit, debitorem præstare *cautionem*, (in *Moratoriis* à Principe impetrandis:) nisi à creditore peteretur; quæ & juratoria esse possit. j. Ant. Fabr. *I. 1. C. S. def. 21.* Dantur verò Moratoriæ etiam multò longiores, quàm *quinquennales*. Sic enim 20. annorum indultum impetraverat *Elector. Palat.* in *Recess. Imp. d. anno 1654. §.* Nachdem aber ꝛc. & posthàc *Nassovia Comes Weilburgensis*, aliique. Et quod Cæsar. promisit, Moratoria se *ulteriùs* concedere nolle: illud alium

 sensum

ſenſum ex obſervantiâ ſubſecutâ, non habet, niſi quòd *promiſcuè* illud fieri non velit. jung. Myler. *c. 55. de Principib. & Stat. Imp.* ubi inter alia, quòd licèt *ad heredes* non pertineant Moratoriæ, *fidejuſſoribus* tamen proſint, (quippe quòd principalis priùs excutiendus ſit: *Nov. 4. c. 1.* nec poſſit fidejuſſor conveniri, antequam dies ſolutionis venerit:) nec *futuro* obſint *creditori*. *Vſuras* quoque interim currere, verior eſt ſententia: (præterquam ſi probare poſſit debitor, quòd intereà nullum ex bonis ſuis emolumentum percipere potuerit; *ex Nov. Deciſ.* Elect. Sax. *XXX.*) quamvis *exigi*, niſi finitis induciis, non poſſint; ſicut ad *Schwederum* notavimus. *add.* Wilhelm. *Anton. de Freundenberg.* tot. Tr. *d. Reſcriptis Moratoriis*, & *DD.* ad dict. *l. 2. Cod.*, qui ſimul docent, quòd Moratoriæ illæ non operentur in *creditis* Eccleſiæ, piæ cauſæ, pupillorum, alimentorum, atque pauperum, Fiſcalibus, opificum, & qui manu victum quotidianum quærunt.

(*u*) Eximere. In Imperiò quidem *exemtiones* ejusmodi ſe daturum non eſſe, Cæſar in *Capitul.* pollicetur. Sunt tamen hodientim *Exemti Imperii*, quibus Cæſar gratiam facit, ut ab *oneribus noviter imponendis* immunes eſſe debeant; quos tamen *neceſſitas ingens* nihilominus contributioni publicæ ſubjicit.

(*x*) Extraordinarios. Utique *Commiſſarii*, quos Cæſar dare ſolet, *extrà* vias *Auſtregarum*, ne quidem ad hunc locum pertinent: quia illos *vi Juriſdictionis* ſive poteſtatis *Ordinariæ*, & ad Regulas delegationis, conſtituit.

(*y*) Permittere alienare. Miſcet hæc variè *Auctor*. Cum enim nullius interſit, niſi ipſius *Minoris*, dum de bonorum ipſius alienatione quæritur. Ideò permiſſio illa Principis ad poteſtatem *ordinariam* referri poteſt; non ita *moratoriæ* aut *fideicommiſſi ſubtractio*: & *hæc* quidem omnium minimè. Accedit quòd hîc *decretum* Princeps impertiat, indeque modò ordinariò procedatur, tantùm quod in cauſa neceſſitatis diſpenſet: & tamen quod utile eſſe cenſetur minori, id ipſum Princeps in locum neceſſitatis ſubſtituere valet; quin & valet *Magiſtratus*.

XI. Poterant plura recenſeri ex Romanis & aliarum gentium inſtitutis. Sed reliqua ex his dijudicari poſſunt.

XII. Supereſt, ut ea quæ ad utilitatem Imperantium pertinent, breviter videamus. Inter quæ primo loco jus monetæ cudendæ (*z*) meritò refertur. Quâ in re quando commercii omnisque civitatis ratio ſumma vertitur, palam eſt, id nulli quam ſummæ poteſtati, vel cui illa hoc commiſerit, licere oportere.

(*z*) Jus monetae cudendae. Et hoc tamen hactenus, quà Principis non eſt, in cudendâ monetâ *emolumentum* pecuniarium fiſci quærere, ad *jura Majeſtatis majora* rectiùs refertur. *Statûs* quidem *Imperii* illud non habent *Jure Superioritatis*; ſed ex *privilegiô* & *inveſtiturâ*, *nominatim* eò directâ; nec non ex *præſcriptione* ſeu uſu diuturnô, cui annuerit Imperator. Quin & *exercitium ejus* ita in *Rec. Imp.* limitatum eſt, ut qui non habent *auri & argenti fodinas*: eos oporteat Jure monetandi uti in *Circuli* cujuslibet *urbibus monetariis*, denen ordentlichen Müntz-Städten. vid. de naturâ *nummi*, (qui, ut modus æſtimandi eſt, pleriſque gentibus receptus, imitatione & uſu *Juris Gentium*, & ſic inpropriè ſeu ſubjectivè, ſed inventione & conſtitutione, *Juris Civilis* eſt:) ut inde penitiùs, quâ ratione jus monetandi Majeſtatis ſit, cognoſcere liceat, *Lampadium*, in *Diſſert. Tractatui de Rep. Rom. Germ.* ſubjectâ; qui plurimum tribuit *materiæ*, ut tamen definitionem valoris *Majeſtati* adſcribat. (Nam communiter quidem valor de *extrinſecâ bonitate* eſſe dicitur; reſpiciendô ſcilicet ad hoc, quod ex ipsâ rorum naturâ jam ſubeſſe videtur, non quod ex hominum *impoſitione*:) Et ſanè nummus neque ex materiâ ſolâ, nec ex ſolô valore conſtat; verùm ex *materiâ & formâ*. Indeque moneta ex *corio*, papyro, tantùm *ſubſidiaria* eſt, eâque intentione con-

confecta, ut cessante necessitate aliud quid loco ejus surrogetur. Quòd si tamen terra quædam aurum vel argentum non habeat, etiam continuò *ferreâ* vel *stanneâ* monetâ uti potest. Planè Zieglerus *l. d. J. Maj. c. 49. n. 26.* minùs rectè *accidentalem formam* in valore & charactere ponit, *essentialem* in quantitate. Malè econtrario Horn. *II. Pol. Arch. VI. 3. 4.* essentiam unicè in *æstimatione* collocat, quicquid de *materia* fuerit: nec multò melius illi, qui essentiam nummi constituunt in *Valore fungibili*, qui talis sit *ex impositione Majestatis*; ut tamen plerumque ea *naturalem materiæ valorem* sequatur. De cetero vide Limnæum *c. II. A. B. art. 10. Obs. 9. seqq. Kizelium*, *Bocerum* & alios *de Jure Monetæ*, *Goldastum* in *Catholico rei monetariæ*, & de his, quæ in modernis Comitiis acta sunt, *Fritsch. cap. XVI. in Elect. Jur. Publ. p. 155. sqq.* & post eum pleniùs *Thomam*, peculiari *Tract. Actorum Monetalium*, nuper editum. Denique *Mediatis* in Imperio Civibus, qui concessione ab antiquo ad monetandum nitebantur, jus illud se ademturum esse, *Ferdinandus III.* in *art. 47. Capitul. suæ* promisit. De *pœnâ Monetariorum* suô locô. Incidunt verò etiam illi in Crimen istud, qui *perfectam* cudunt Monetam suô ausu: quod tunc *Majestatis læsæ* pœnam habet, *l. 2. C. d. fals. monet.* quando id fit hostili animô, vel studiô novandi status publici.

XIII. Jus publicandi bona damnatorum, eaque in fiscum vel ærarium condendi, sine dubio est Majestatis. Quia nec fiscum habere (*a*) dicitur, quam qui universæ Civitati præest, ideoque id inter Regalia est. Idem de mulctis pœnarumque compendiis, tametsi hæc non rarò Magistratibus minoribus applicentur. Sed lucra successionum, quæ ut indignis auferuntur, in solum Fiscum rediguntur, tam Jure Romano, quàm moribus Gentium.

(*a*) NEC FISCUM HABERE. Est tamen utique distinguendum *Jus Fisci* à *Regali Fisci*: nam *hoc* comprehendit omnia emolumenta, quæ in specificis Regalibus minoribus, eorumque numerô, non recensentur; indeque ad illud etiam nostris temporibus *Adespota* pertinent; *§. 14. b.* ùt sunt *inventa in littoribus maris*, & alicubi *Thesaurus*, cum similibus. *Jus Fisci* autem, in specie dictum, respicit ad confiscationem bonorum *ex delictis*; quoad illa in Republicâ obtinet: sicut fuit varia in eô genere *immutatio* in Repul. *Rom.* & dehinc etiam in Imperio *Germanicô*. Sic & confiscatio bonorum, quæ *indignis* auferuntur, ùt & *vacantium*, eò pertinent; olim quoque bona *incestuosorum*; quæ quidem juxta *Sixtinum* de *Regalibus* in Foro dudum cessavit. *add.* de Juribus Fisci, post *Sixtinum*, ùt & *Peregrinum*, integrô *Tractatu Knipschildium Lib. II. d. Jure & Privil. Civitatum Imperial. cap. XV.* Nunc quidem *Jura Fisci*, in pluribus Germaniæ locis, annexa sunt *mero Imperio*, indeque *Nobilibus* quoque & cæteris imperiô illô instructis, competunt: Sic & *mulctarum commoda* ad *Jurisdictionem* sive *mixtum* Imperium, tanquàm *fructûs* ejus, postquam *in patrimonium* cessit Jurisdictio, respiciunt. Equidem non potest *introducere*, ne Status quidem Imperii, *Jus confiscandi* bona, ob crimen aliud, quàm in *Legibus Universalibus*, *Recessuum* nempe & *Ordinationis Carolinæ*, expressum est. Quod verò bona *indignis* olim ablata concernit, quâ ratione ablatio illa hodienum obtineat, *apud* Mev. *V. Dec. 153. seqq. Sandium*, *Heigium*, *Klockium* in *Consil.* & *alios* disquiritur; sicut ad *ff. in Tit. d. his quibus ut indignis*, & in *Diss. de Bonis Ereptitiis*, sub nostrô Præsidiô, solidiùs excussum est.

XIV. Præterea pleræque nationes suis Principibus ea quæ Nullius erant privati, concesserunt. Quæ cum Jure Naturæ occupantium fieri deberent, vi Legis, id est, communi consensu, adeoque justè dominio

minio ſingulorum (*b*) ſubducta fuerunt. Talia ſunt bona vacantia, quæ dicuntur, eorum, qui ſine herede deceſſerunt. Agri inculti aut deſerti, (*c*) omniaque pro derelictis habita, inter quæ theſauri pro parte vel toti. Denique feræ beſtiæ, (*d*) volucres, piſces omniaque animalia, quæ cœlo, quæ mari atque terrâ continentur. Quanquam alii jus illorum ad Majeſtatem referri nolunt, nos contrà putamus. Hæc enim communia omnium deſinere eſſe non poſſunt, niſi omnes & ſinguli de jure ſuo in gratiam unius vel paucorum decedant. Atqui omnes cives nunquam ſuum jus pariter, niſi in eum, qui toti præeſt civitati, transferunt. * Secundum hæc ad principem pertinent argenti & auri venæ, (*e*) terræ viſceribus reconditæ, quæ etiam ſua natura Nullius in Dominio ſunt, nec non reditus ſalinarum. (*f*)

* *Grot. lib. 2. cap. 8. §. 4.*

(*b*) Dominia singulorum. Hypotheſin ſuam *Auctor Cl.* innuit, quâ *communionem* adſtruit *primævam.* At verò cùm non appareat, quâ ratione occupantis fieri poſſit, quod jam *actu aliorum* eſt. Ideò rectiùs innitimur traditis *Juris Romani*, quòd quòusque *Lege Civ.* aliud definitum non eſt, res ejuſmodi, tanquam actu nullius, occupationi pateant. Lex verò ejuſmodi *superveniens*, quæ Principis ea eſſe vult, non magis trahit ex *conſenſu populi*, quàm Leges cæteræ, nec quicquam detrahit ſingulis; quippe quòd his nullum ſit *Jus quæſitum* in res ejuſmodi, niſi quà in ſocietate *Gentium* ſeu *Naturali* poſiti ſunt; ita ut *meræ facultatis* ſit: de quô aliter decernere poſſit Civitas, vel qui Regimen civitatis tenet. Nam dominium quidem, vel potiùs *facultas* illud *acquirendi*, a Deo ſingulis hominibus conceſſa, latior eſt, quàm ut ad *modum* acquiſitionis pertinere queat.

(*c*) Agri inculti aut deserti. Ita ut ſi ipſos agros ſibi non vindicet Majeſtas, tamen quam primùm à ſubditis culturæ ſubjiciuntur, *novalia* inde vel *decimas* ſibi vindicent: de quibus vid. *integrô Cap.* Myler. *d. Princ. & Statibus Imperii.*

(*d*) Feræ bestiæ. Utique non poſſunt illæ *communes* dici *ſingulorum*, nec opus eſt ſingulos de *jure ſuô*, quippe quod nullum habent, in gratiam Principis decedere. Jus etiam illas occupandi, ſive Venatio, *juris* tantùm *Gentium* eſt *negativi*; h. e. non impedit Jus illud, quo minùs quilibet feram capiendô ſuam faciat: nec impedit, quò minùs Princeps *licentiam* venandi promiſcuam, quæ *facto* solùm, non *jure* nititur, *imperiô civili* reſtringat aut tollat; maximè ob juſtam *cauſam*, quales in ademptione venationis ubique à *Dd.* adducuntur. Ex quô *Auctor* hìc cum *Grotio Lib. II. c. 8. §. 4.* emendandus eſt; ſicut *alibi* quoque oſtendimus, minùs rectè nonnullos ademtionem facultatis hujus, à Principibus ſuſceptam, *Dominio Eminenti* adſcribere: neque enim feræ dominium vulgare habet dominus fundi, ne quidem circumſepti. Malè etiam *præſcriptione* dicitur quæſita eſſe facultas illa Principi; malè niti *occupatione*, quâ etiamnum utantur Principes, indeque prohibeant alios: nec enim *fundos* privatorum occupatione ſuos fecerunt, quippe non vacuos & acquiſitos; ut nec *feras* nec dum occupatas, ſed liberas.

(*e*) Argenti et auri venæ. Quâ ratione *Imperator Rom.* eò quòd terrarum nihil, quà poſſideat, nihilominus dici poſſit *habere Jura* ejuſmodi *Majeſtatis:* ex Tabulâ de *Communicat. Maj. ejuſve Jurium*, *ſuperiùs* exhibitâ, conſtare poteſt.

(*f*) Salinarum. Add. de his *Sprengerum* in *Lib. II. d. Jure publ.* & *Hohndorff.* integrô *tract. de Salinis Hallenſibus*; ſed ad *communia* rei hujus momenta, quin & *Imperii noſtri*, *Diſſ. d. Jure* Mine-

Minerarum, sub nostrô Præsidiô. (ubi inter alia ostenditur, non reditus, sed ipsas Salinas, Jus illud Majestatis constituere.) item Knipschild. *Lib. I. d. Jur. Civit. Imp. c. 21. n. 15. seqq.* ubi notat cum *cæteris:* Salinas etiam *privatorum* initiò fuisse, sicuti multa ejus generis etiamnum ad privatos plerumque pertinent: quæ tamen alicubi Principes *Superioritati*, ac Reges etiam cæteræque Respubl. *Majestatis* Juribus accensuerunt. vid. Fritsch. *de Jure Oenopolii.* Nec minùs in universum tenendum est, quòd Jura quædam in *Regno unô alterove in Majestatis Juribus* consistant, qualia non agnoscat *Majestas alia* quælibet in Regnô suô. Tale est *Jus Deportûs* apud *Anglos & Gallos*, penes Regem, in prædia *Beneficiaria Minorennium:* per quod Reges, ceu Tutores illorum, habentur, atque hinc ex bonis illis, durante Beneficiarii minorennitate, reditûs sibi vindicant.

XV. Denique per Europam ita frequenter obtinet, ut bona naufragorum ejecta ad littora, cujusque Principis fisco tota vel pro parte acquirantur. Sed non quicquid seculum (*g*) vocatur, id juris esse dicendum. Quod enim jus habet Fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosâ compendium sectetur? * Ne quidem tralatitia vis legis, quæ alioqui constet, huc potest applicari, sicut alia non pauca adversus singulos iniqua, publicæ utilitatis respectu sub hoc clypeo defenduntur. (*h*) Constat enim pleraque naufragia exteros affligere, in quos illa vis Legis aut Dominii eminentis non obtinet. Quare cum populus totus vel quisquam ex eo nullum jus habeat, res naufragas in suum agrum delatas aut à se repertas diripiendi. Sequitur, neque per Legem, quasi ex civium consensu & jure eorum translato, tale jus populo vel principi rectè adscribi.

* *l. 1. C. d. Naufrag.*

(*g*) NON QVICQVID SECVLVM. Adducit enim *Grotius Lib. II. c. 2. §. 1.* multa *Regna & Respublicas*, in quibus introductum est, ut bona naufragorum Fisco addicantur. Ipse autem meritò *Leges* ejusmodi *civiles* injustas dicit; & aversantur etiam confiscationem illam Jura *Romana*, in *l. 1. Cod. d. Naufr.*

(*h*) SVB HOC CLYPEO DEFENDVNTVR. Ex quô patet, Ipsum hic de *Dominio Eminente* disquirere: ad quod tamen, licèt *advenis etiam* incumberet, *Jus* istud *confiscandi*, quippe quod *necessitate* non nititur, nemo retulerit; quin potiùs respici posse faciliùs putabitur ad *concentum Gentium* magnæ auctoritatis, quibus illa ereptio placuit. Cui tamen non minùs respondetur, quòd nil quicquam *juris* ex consensu illô, vel errore potiùs seu rigore communi, proficisci queat: cùm non inde juris *ratio* constet, quando mores illi Gentium, *licèt moratarum*, ab ipsâ ratione æquitatis abscedunt. Sanè afflicto per naufragium non debebat addi, citrà factum culpamve ejus, nova afflictio. *Errorem* quoque *Jus facere*, eumque exemplô aliorum excusare, indignum est. Nec possunt præter hos reliqui exteri consensisse censeri in perversum morem hujus populi, qui confiscatione illâ utitur: nam inter *prædas* ejusmodi *mutuas* si vel maximè populus exterus similes quoque suscipiat, dum nemo naufragorum illas meretur, nulla est *æquabilitas*. Hæc verò inter Gentes omninò requiritur: cùm quidem intrà civitatem *inæqualitas*, *per Dominium eminens*, admissa ex *consensu liberô singulorum*, emendetur. Denique Dominium littoris, & potestas præstationem pro appulsu exigendi, non tuetur exactionem illam, &

 ere-

ereptionem immodicam, eamque in miseris exercendam; sed solùm æqua *Ripatica* & *Portoria*. Ulteriùs si dixeris: Fas esse eôdem Jure naufragorum uti adversus exteros, ex regulâ: *quod quisque Juris in alterum.* nil utique conficitur. Nam hoc ad Edictum illud pertinere non potest; sed ad speciem *Repressaliarum* respiceret. Aliàs enim *retributionem* oporteret fieri *Imperanti* ejus loci, qui iniquè bona alterius seu naufragi in Fiscum redegit, & *non civi innocenti*, qui nec *statuit* jus illud novum, nec *impetravit*.

XVI. Partem tamen rerum, aut aliquam quasi præstationem vectigalis, pro defensione & auxilio, quod Potestas loci Dominis rerum impertitur, ut exigatur, id ab jure non abhorret. Amplius, adversus eas gentes, quæ jus fisci contrà naufragos avarè exercent, fas esse eôdem jure uti, dictat regula juris. Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur. Denique ad hanc classem Jurium Majestatis referuntur etiam modica vectigalia. (*i*) Qualia à feudorum interpretibus telonea (*k*) seu gabellæ, portoria vel portuaria & Ripatica dicuntur.

(*i*) VECTIGALIA. Nam quod concernit *munera*, tam *patrimonialia* quam *personalia*, illa ob affinitatem materiæ ad Regale *collectarum* referuntur; & lucem uberiorem ex his capere possunt, quæ ad *Tit. π. de Muneribus & Honoribus*, docuimus. Omninò enim collectas à muneribus patrimoniorum suâ ratione peculiari, ut & à *censu*, distinguere licet. Neque *personalia munera* solùm in *Operis* consistunt, quarum ratio sub doctrinâ de Angariis vulgò haberi solet. Doctrinam verò illarum Scriptores de servitute personarum, Stammius, Erhardus, Bonacossa, Husanus, & pec. tr. Knipschildus, aliique illustrarunt.

(*k*) TELONIA. Hæc quidem à *Vectigalibus* propriè dictis, (quippe quæ à *tributis*, cùm hæc unicè *subditorum* sint, meritò discernuntur:) quia exteros æquè gravant, distinguere non solemus; & solùm *præstationem* pro mercibus importandis denotant. *Gabellas* verò dicimus præstationem quandam, quæ pro rebus *venditis* penditur, & quidem cujuslibet generis; sicut *accisas* strictè solùm appellamus præstationem de *consumtibilibus*. Est etiam nomen der Imposten ab *impositione*; Der Licenten, pro *licentiâ* transeundi per flumen, & quæ sunt *alia*: de quibus *ad Capitul. Imper.* & ad *II. F. 56.* agitur; sicuti nomina & distinctiones contributionum sive tributorum, *Klockius in Tr. de Contributionibus.* executus est.

XVII. Sed viæ publicæ, quas & Regias vocant, portus, flumina publica, non tantum huc spectant, quod attinet ad vectigalia, quæ ibi colliguntur; sed & quia protectione (*l*) supremoque dominio ad Principem pertinent.

(*l*) PROTECTIONE. Nec non ob *Jus conducendi*, das Geleit, ut & *Jurisdictionem*, das Straßen-Recht, quâ uti solet is quoque, in casibus, quibus *securitas viæ publicæ* temeratur, qui jus conducendi *peculiariter* habet: cum quidem *exteræ cognitiones* ad *Dominium Territorii* vi *Superioritatis* pertineant. conf. Carpz. *III. Cr. Qu. 110. sub qu. 3. & 4.* ubi de Jurisdictione in viâ publicâ, ut & *in confinio* terrarum. *add. Maulium de Jure Conducendi & Orthium Tr. integr.* cujus quoque pertinens esse tradit, *in Exotericis Strauchius*, Jus *indagandi*, inquirendi, das Streiffen und Rechtfertigen.

XVIII. Me-

XVIII. Memorant illi & Angarias & Parangarias, quæ videntur fuiſſe onera præſtandi curſus & jumenta ad publicos curſus (*m*) veteribus uſitatos, hodie jus poſtarum dixeris; quod tamen non, ùt olim, provincialibus imponitur. Ab his diſtinguuntur plauſtrorum naviumque præſtationes, ad transvehendos milites, arma, ſarcinas, impedimenta exercituum aliaque onera portanda.

(*m*) AD PUBLICOS CURSUS. Olim quidem *Curſus publicus* nec *velocitate* ſemper conſtabat, neque *certis* erat affixus *temporibus*; ſed pro diverſitate negotiorum diverſimodè ſe habebat: indeque etiam à *Poſtis*, quibus nunc utimur, (& quarum jura in doctrinâ *Juris Publ. Rom. Germ.* tradidimus,) diſtinctus. Videlicet *Curſus* ille, aut *velox* erat aut *clabularius*, h. e. tardigradus. *l. 62. C. Th. de Curſ. publ. Clavularc* enim erat currus onerarius, lentis & minutis itineribus, per boves, & coincidit cum angariis: de quibus *l. 4. eod.* ubi Jac. Gothofr. & *ad l. 13.* & de nomine earum Strauch. *c. 3. d. Imp. Maris.* Dicebantur Parangariæ, quando vehiculis quidem etiam & bobus, ſed extrà viam Regiam expedirentur, in canali aut viâ militari ac transversâ. In Jure autem *Feudali d. tit. 56.* ùt & *ſequiori ævô*, per *angarias* & *parangarias* deſignantur *qualibet operæ*, maximè vectoriæ, Frohnen mit Fuhren und Pferden, An-und Vorſpann. Quanquam in *d. t. 56.* non plenè recenſeantur omnia Regalia, ne quidem *Minora*; ſed tantùm illa, de quibus erat *Friderico I.* cum Statibus & Civitatibus Italiæ controverſia.

XIX. Hæc & ſi qua ſunt alia, fere ſunt ea, quæ vulgò Regalia, voce ſtrictius ſumptâ, (*n*) appellantur, in conſtitutione Friderici de Regalibus. * Tamen & Armandiæ, & jus muniendi, & jus Repreſſaliorum ad hunc ordinem referri poſſunt. Quippe neminem armamentaria, quomodo *armandias* interpretamur, neminem arces munitas, niſi ſumma poteſtas, aut cui ſpecialiter ab illa permiſſum fuerit, habere poſſe ratio Imperii manifeſtò dictat. De Repreſſaliis multo magis. Nam concedere civi ut alterius Imperii quemlibet civem, eo quòd ipſe id antea paſſus eſt, deprædari queat, hoc quidem proximè ad bellum accedit, ut alibi plenius. (*o*)

* *II. Feud. 56.*

(*n*) STRICTIUS SUMTA. Videtur *Auctor Cl.* innuere, quòd nomine Regaliorum *minora* tantùm veniant: & tamen in *d. t. 56.* etiam nonnulla ex *majoribus* referuntur; ùt eſt *Jus Armandiarum*: quô nomine licèt aliàs *Armamentaria* ſolùm indicentur, (vid. Tabor. *p. 17. & 66. Armam.*) tamen *Jus armorum* in univerſum ibi intelligitur. Illud verò non poteſt non ad jura Regalia *majora* referri; ſicut etiam *Jus Repreſſaliarum* ſeu *Repreſaliarum*, ùt alii à *ripreſa*, *iterum prehenſione*, Italorum. Sunt enim illæ Executiones violentæ Civitatis, ob juſtitiam, in causâ liquidâ, civibus ſuis negatam vel eluſam ab externâ civitate, contrà ejus ſubditos quoscunque. Quamvis autem eas *Juri communi*, tam divino quàm humano, adverſari putent aliqui. vid. Perez. *ad tit. C. ut nulli ex vicaneis.* Coler. *P. 1. d. P. E. c. 2. n. 324. ſeqq.* Tamen alii magis licitas eſſe, quàm bellum ipſum, exiſtimant; ſi modò legitimè exerceantur. *add.* Frider. *L. 1. d. Proceſſ. c. 84.* & H. Grot.

Grot. *III. 2. 4. seqq.* eò quòd singuli non considerentur ùt tales, sed ùt *partes Reipublicæ.* Interim Repressaliæ in Imperio non modò inter Cives & Status, sed & adversus exteros, *prohibitæ* sunt. vid. *Rec. Imp. d. anno 1570.* & Cammer-Gerichts-Ordn. *p. 2. t. 28.* Limn. *IV. 8. 315.* eò quòd *cives* jure agere oporteat: *exteri* vero irritari & imperium bellò involvi non debeant; nisi ex Decretô Imperatoris & Imperii. *add. Recess. Imp. d. anno 1595. §.* auch sollen wir &c. & Mynsing. *VI. Obs. 1.*

(*o*) Alibi plenius. *Lib. III. c. 10. §. 12.*

XX. Enumeratione atque probatione, quot (*p*) & quod singula sint (*q*) Jura Majestatis, quatenus huic instituto opus est, defuncti videmur. Inquirendum est, an & quatenus hæc jura ab Imperantibus alienari, vel quando communicari possint, aut alienata vel communicata præsumantur.

(*p*) Quot sint. At verò hoc *designari* non potest: Cum ne quidem *Jura Superioritatis omnia* adeò in numerum possint redigi, ut non, oboriente *novô objectô*, ad hoc etiam potestas illa exporrigi queat: Cùm tamen *Superioritas* illa concessiva & dependens sit, nec tàm ampla, ut *Majestas* sive summum Imperium, haberi queat.

Caput. XX.

De

Alienatione & exercitio jurium Majestatis.

ARGUMENTUM.

Majora Majestatis Jura non posse transferri irrevocabiliter & independenter salvo Imperio, sed in quos ita transferuntur, eos hactenus summam habere potestatem. Ne quidem exercitium juris ullius majoris in totum posse conferri, sed Imperantes id quod est ultimum retinere semper. Quatenus belli jus transferri soleat aut non, item Pacis & Legum & creandi Magistratus & res judicandi. Minora Majestatis Jura facilius tota transferri. Quid juris habeat is, cui generaliter vices summæ potestatis sunt delegatæ.

I.

JUra Majestatis vulgò dicuntur incommunicabilia; cum his scilicet, qui imperio subditi sunt, ac uti salva & integra maneat summa potestas in eo, qui jura quædam cum aliis communicat. Multò fortius dicendum, quod in totum alienari (*a*) nequeant. Tametsi exercitium aliis committi possit. Nam quod de DEO Tertullianus, *Imperium summæ dominationis penes unum; officia ejus penes multos esse*, suo modo non malè ad Principes transtuleris. * Quod igitur jura Majestatis alienari,

nari, cum aliis communicari non posse diximus, eò non pertinet, ut Regem vel Optimates, alios in partem Imperii accipere posse negemus: Sed quòd Rex & summa potestas, quà talis manens, illa jura cum aliis communicare vel alienare non posse intelligatur. Nam Magistratûs quidem exercitium Jurium Majestatis habent dependenter. Quin & in ipso exercitio discrimen majorum minorumque jurium, si rectè discernas, animadverti potest. Nam majora ne quidem exercitiotenus in totum aliis committi solent, quin semper quod est ultimum in illis sibi reservet Princeps, aut quicunque habet Majestatem.

* *Apologet. c. 24.*

(a) IN TOTUM ALIENARI. Imò nec *pro parte* alienari potest, ut non tota evertatur; idque ex natura totius *potestativi*. Non etiam sufficit dicere, *exercitium* aliis posse committi, non ipsam Majestatem: nec enim Majestas est citrà exercitium. Et oportet ergò posse Principem vel *exercere juxta* etiam illud Jus Majestatis, cujus exercitium quoddam alii indulsit; ùt v. c. quando Cæsar Notarium creat: licèt ejus quoque juris exercitium Comitibus Palatinis concesserit; aut oportet, ut *actus signatus* saltim penes Cæsarem resideat, ut ei exhinc exercitium in solidum imputetur: quâ ratione in Imperio *Status* habent Jura Regália in territoriis suis: quod quidem exercitium, quia est *irrevocabile*, non potest ad simplicem *delegationem* referri; (ceu quidem *Legatus*, qui tamen *communicatam* non habet Majestatem, sed alienam *repræsentat*, ergà Majestatem parem aliam, revocatur:) & tamen quia *dependens* est, & ut *alienò jure* hactenùs, quoad concessionem Imperatoriam, censeatur, tum & quòd non pertineat ad Universitatem *Imperii*; sed ad partes terrarum ejus: ideò nec ipsum *Majestaticum* dici potest. Videlicet adhuc Imperator, etiam in his, quæ universum Statum publicum Imperii concernunt, censetur retinuisse *vim Majestatis*; licèt ejus *effectum* procurandum dederit Statibus, v. c. in Magistratibus *Circulatibus* constituendis. Quæ verò ad Statûs cujusque *territorium* retulit, ea non minùs retinuisse Cæsar videri potest, etiam quoad *exercitium*; quà scil. Regalia majora omnia ad *modum*, eum exercenda sunt per Statûs singulos, sicut exigunt *Leges Imperii universales* & auctoritas ejus, quæ ad Cæsarem refertur: ac si scilicet etiamnum Ipse vi Majestatis suæ teneret regalia ista, quæ concedit Statibus, eosque in illis tuetur, & modum ea adhibendi, secundùm Jus & Observantiam Imperii regit; ceu ad Ipsum quoque circà illa, tanquam *Caput Imperii*, recurritur. Regalia verò *minora* non minus *Imperiò suò* tenere censendus est, quòd emolumenta Territoriorum suorum Principes, tam Imperio quàm Commercio Universi eòusque deferant, quò necessarium illud esse videtur, ad Universi salutem procurandam. Unde non tantùm effectûs hujus Juris Cæsarei putandi sunt occurrere in *Contributionibus*, quando illas pendere Status ad Universitatem Imperii tenentur; sed etiam si quis accuratiùs ea investigaverit, in singulis Regalibus minoribus non aliud deprehendetur: quàm quòd eorum emolumenta etiam ad Universitatem Imperii, & sic ad Cæsarem, in tantum deferantur, quantum ad hoc, ut possint dici ea penes ipsum *Majestaticè* residere, sufficiat. Nec etiam cum *Auctore* faciendum est, quasi *minora Regalia*, sive Jura Majestatis, possint *in totum* exercitiotenùs aliis committi; *majora* verò non possint. Nam hactenus par est ratio omnium jurium Majestatis; & nisi in minoribus quoque *ultimum* sibi reservet Princeps, ùt *Auctor* loquitur: (nos verò distinctiùs ea, quæ ultima sint, quippe quod variè se habet, in *Tabula* de *Communicatione Jurium Majest.* expressimus.) ne quidem Majestatem quòd

quòd teneat, dici potest. Sic & in §. *seq.* in *pr.* *Auctor* non debuit innuere, posse jura minora illa *irrevocabiliter* & *independenter*, secus ac *majora*, aliis communicari: nam in minoribus hoc ipsum æquè Majestatis naturæ adversum est.

II. Non inficiamur, posse etiam in totum transferri exercitium alicujus è maximis juribus; sed revocabiliter & dependenter, ut ita loquamur. Quod ita rursus comparatione Numinis, salvâ religione, illustratur verbis Hieronymi. * Deum solum, ait, naturaliter esse & immortalem & verum, cæteros ut angelos hominesque immortalitatem & veritatem ex illius largitione consequi; cum aliud sit, verum esse & habere quid per semet, aliud in potestate donantis esse quod habeas. Sed qui magna illa jura sic exercitio tota habent, ut revocari nequeant, illi magis proprietatem & jus summum (*b*) habere intelliguntur. Quia competit illis definitio summæ potestatis, quòd acta illorum infirmari nequeant. Quod diversam supponit Rempublicam. Tales sunt, quibus in feudum jura majora conceduntur. Nam & vasallis rectè tribui summam potestatem sub finem *cap. 15.* diximus. Exemplum non modò præbet rex Neapolitanus, qui à Pontifice Jura Majestatis accipit, sed & Principes, ut videtur, Imperii Germanici. Qui quatenus irrevocabiliter & irretractabiliter Jura Majestatis obtinent, summa potestate non immeritò prædìti dicuntur. Non obstante, quod Imperatorem dominum suum clementissimum, se verò Sacri Imperii fideles, appellent. Scilicet ratione feudi, & omninò integram eos non habere Majestatem conceditur. Quæ aliquo modo ex his, quæ de fœdere *cap. 15.* diximus, judicari possunt.

* *in epistol. ad Tit. in pr.*

(*b*) MAGIS PROPRIETATEM ET JUS SUMMUM. Sed hoc falsum est. *Quis* enim diceret? Statûs Imperii *proprietatem Jurium Majestatis*, & sic Majestatem ipsam, habere in suis territoriis, eò quòd revocari jura illa non possint nec infirmari actûs eorum. Adhuc enim Jura illa sunt *dependentia*, & quidem *cum subjectione personarum*, non solùm quoad constitutionem Jurium, sive *Legum Universalium* Majestatis Imperialis, quibus ipsi subsunt, unà cum subditis suis; sed etiam quod ad *Jurisdictionem universalem* Cæsaris in supremis Imperii Judiciis attinet. Quapropter etiam Jura illa Superioritatis non aliter, quàm secundùm Constitutiones Imperii, & sic juxta principium *externum*, idque *limitatè*, exercent: Nec ea *propriò jure* aliter habent, quàm in oppositione ad *Magistratûs*, qui cùm potestate suâ tantùm ùt Ministri funguntur, & *personali* quidem jure, eòque simpliciter ex nutu Superioris dependente, Ipsi quidem Statûs Superioritate suâ & juribus ejus, ùt *patrimoniô* gaudent, eandemque cum territoriis *in heredes suos in perpetuum* transmittere possunt. Equidem, quòd *adimi* illis nequeat Superioritas illa, non efficit, ut hæc propterea Majestatica dici possit:

fit: nec enim protinùs, quod cuiquam adimi nequit, penes ipsum est, ex *summô Jure*, eôque *Imperii*. Et si ipsum Imperium ordinariô Jure alicui eripi non potest, ac in causa fuerit *conventio* cum ipsô inita; ùt res se habet cum *Capitul. Cæsaris*, vel quòd Imperium istud, quod dependens & modificatum esse constat, ad alium referatur: non ideò potest dici, quòd ob firmitatem eam, in se & simpliciter spectatam *Majestatis* materiam consequatur. Similiter non facit pro *Auctore*, quòd *actûs* Statuum v. e. vel etiam aliorum similium, in Republicâ quâlibet aliâ, sicubi in eâ exercitia Jurium quorundam Majestatis, vel Jura Majestati analoga, translata fuerint, *infirmari* non possint: Siquidem istud non habent ex *potestate propriâ*, sed ex *dependente* & *concessivâ*; partim etiam ex *conventione* illâ Cæsaris, ùt si juxta Imperii leges illâ potestate fungantur, turbare in eâdem eos non posse velit: Indeque Majestatem utique non arguit, quòd actus alicujus infirmari nequeant; sed potiùs *causa*, cur hoc ipsum fieri non possit, & unde validitas actûs illius proficiscatur, attendenda est. Igitur illi etiam, quibus *in Feudum* Jura majora conceduntur, tunc quidem *Majestatem* habere dici possunt, quando non unà *in subjectionem* conferentis transière: siquidem Feudi ratio ad Jus personarum non pertinet; sed ex Jure *rerum*, dominii scil. & contractûs, Feudorum constitutio pendet: adeò ut *obligatio* quoque quæ per *Feudi* constitutionem *in personam* Vasalli dirigitur, etiamsi hanc exponere, vitamque periclitari pro Domino, obstrictus sit, ne quidem ad Jus personarum referri queat. Equidem hic quoque discernendum est, ut si Vasallo Princeps Jura tribuerit ea, quæ penes ipsum *Majestatis* sunt; quod fit in Imperio Romano: tunc quidem *proprietatem* illorum, omnimodam scil. habere dici non possit. (Ex hâc enim hypothesi *Auctor* loquitur.) Si verò Princeps terras cuiquam in Feudum ita tribuat, ut Jura illa Imperii, quæ in ipso Vasallus exerciturus est, non aliter referantur ad Principem, quàm ùt ipse eorum *Dominium directum* tenet: (quod quidem dominium per se *Majestatis* non est:) tunc utique *Vasallus*, eò quòd Jura illa majestaticè exerceat *vi propriâ Majestatis suæ*, non potest ille subditus Principis, neque possunt jura ejusmodi, in respectu ad Principem, Jura Majestatis hujus, censeri: quia potiùs Princeps tantùm *virtualiter* illa habuisse putandus est, non formaliter; aut si formaliter illa, dum terras feudales adhuc teneret, sustinuit: tamen postquam non nisi dominium utile terrarum & Jurium, ad Imperium illorum necessariorum, Vasallo contulit: non propterea censeri potest ipsi quoque Jura Majestatis formaliter talia concessisse: sed potiùs Vasallus, eò quòd Dominium utile, (quod simplici & nullâ recognitione ad Dominium directum spectat, de cætero verò liberum est,) consecutus fuit, characterem Majestatis, vel ex Dignitate Regiâ, quam ante concessionem aliunde tenet, vel nunc quidem, si terrarum amplitudo illud exigat, per delationem sive assensum aliorum potentium & populorum, propriâ virtute assumere potest, juribus istis per se ipsum imprimit. De cætero, quod *Regem Neapolitanum* concernit, ne ille quidem subditus est Pontificis, ùt Statûs Imperii Rom. sunt Cæsaris: indeque hi non tantùm *non integram* habent, sed *nec summam* potestatem; *Superioritatem* verò territorialem integram omninò tenent. Et si jura illa territorialia *Majestatem* arguerent: quidni possent dicere integram habere Majestatem? secus atque *Auctor* hic circà finem loquitur; cùm quidem præterea Majestas nisi *integra* sit, nulla sit penitùs; nisi verò *Auctor* Universitatem Imperii Romani cum potestate subalternâ territoriorum confundere velit: cùm tamen de universitate Imperii hic utique non disquiratur. Qui autem Principes Imperii cum Cæsare *Majestatem divisam* tenere, quoad Universalem Imperii gubernationem, asserunt; ita ut Cæsar quædam illorum Jurium Majestatis Monarchicè, reliqua cum Ipsô Statûs Aristocraticè teneant: Illi ne quidem inficiantur, Statibus singulis, in suis territoriis, quoad Jura illa terrarum suarum, Superioritatem tantùm, non etiam Majestatem, competere. Neque enim, utcunque Jura Superioritatis communicata dicantur, tamen *communicatio* illa *identitatem* cum Majestate communicante refert: siquidem communicatio *univoca* tantùm ejus generis est; eaque sive per indivisionem, sive per usurpationem: & hanc, sive delegandô fiat sive imputandô. Sed in communicatione *analogâ* aliter omninò se res habet.

VI. Æsti-

IV. Æſtimari quoque ex his poteſt, illius vulgaris axiomatis valor, quod tantum Dux, vel Marchio, vel Comes vel Civitas in ſuo principatu vel territorio poſſit, quantum Imperator in ſuo Imperio. (*c*) Nam in his juribus quæ ſinguli Principes ſine retractatione uſurpant, nullam habent concurrentem poteſtatem. (*d*) Nec quidem eorum reſpectu, in quibus (*e*) Imperatori & Imperio ſunt obnoxii, ſed in his eſt ſubordinatio, non concurſus poteſtatis. Si qua concurrentia dentur Imperia, quibus duo vel plures in una ditione pro indiviſo imperent, quos vocant condominos, ea eſt ſpecies πολυκοιρανίας, quæ à nobis ſuo loco (*f*) explicabitur. Atque hæc nonniſi de Imperiis, quæ ſeparatam habent conſtitutionem, non in iisdem Civitatibus, intelligenda.

(*c*) QVANTVM IMPERATOR IN SVO IMPERIO. Axiomatis hujus Auctorem Klockius *d. Contrib. c. 4. n. 134.* & *3. Conſil. 102.* Paulum *Caſtrenſem* putat; & tamen, cùm *Bartolus* & alii antiquiores, ita loquantur, anterior eſſe videtur origo ejus, ad illa tempora, quibus *Superioritas* exorta eſt, meritò referenda. Equidem nemo non videt, Regulam hanc ob latitudinem, quam præ ſe fert, *captioſam* eſſe; ùt eam appellat *Mylerus c. VIII. d. Princ. & Stat. Imp.* & maximè lubricam: cùm ſatis conſtet Imperatorem non tantùm *plura* poſſe quàm Statûs, ſaltim quoad *Reſervata*, quæ Statibus cum Superioritate in terris ſuis conceſſa non ſunt; ſed & *Statûs* eos, qui Ordinibus Provincialibus non utuntur, *plus* poſſe, quoad Jura cætera, ſaltim ratione *modi*, quàm poteſt Cæſar. Poſſunt quoque *Nobiles immediati* tantum ferè, quantum Statûs Imperii; licèt *Superioritatem* & hinc poteſtatem terrarum in eâ virtute, quam Principes ſeu Statûs, non habeant. Igitur poſſunt idem Statûs, (ſi Regulam quadantenùs recipere velimus,) non *identitate* poteſtatis *ſpecificâ*; (quò *Auctor* tendit:) ſed *analogica* quâdam & proportionatâ: ideòque posſunt idem ſecundùm quid & cum dependentiâ & *ſubordinatione*, non abſolutè: poſſunt ratione communis & *ordinariæ* gubernationis: ut licèt gaudeant Manu quoque extraordinariâ, & ſic Imperiô ac Dominiô *Eminente*; ſit tamen hoc ipſum quoque *modificatum*, & in quo ſubditi *recurſum ad Cæſarem* habere poſſint, & Manus illa modum inde ac judicium capere debeat.

(*d*) CONCVRRENTEM POTESTATEM. Videtur *Auctor* innuere, quaſi *ſubordinatio* poteſtatis cum Majeſtate conſiſtere poſſit; non poſſit *concurſus*. At verò ſubordinatio hæc *Statuum Imperii* non eſt ea tantùm, quæ in *Vaſallo* ſimplici reperitur: cùm quidem Status non tantùm *fideles* ſint Cæſaris; ùt *Auctor §. 3.* tradit, ſed etiam *ſubditi*: atque ſic ſubordinatio *Majeſtatem* Cæſaris reſpiciat, non unicè *dominium*. Illud tamen concedi poteſt ſanô ſenſu, quòd Cæſar *concurrentem poteſtatem*, ſcil. *territorialem*, non habeat cum Statibus, idque ex vi *Capitulationis*; habeat tamen concurrentem cum ipſis *Majeſtaticam*, ſeu potiùs eminentem Juribus ipſorum Majeſtatem; h. e. ut dum ipſi agunt vi Superioritatis: Cæſar hanc moderetur ſecundùm Leges Imperii, ex vi Majeſtatis ſuæ; indeque hactenus concurrere cum ipſis ſuô modô cenſeri poſſit.

(*e*) IN QVIBVS. Quod docet *h. l. Auctor Cl.* Imperii Statûs in *quibusdam* Juribus obnoxios eſſe Cæſari; in aliis non item: illud Legibus Imperii earumque vigori adverſum eſt.

(*f*) SVO LOCO. *Lib. I. c. 27.*

V. Cæterum, in ſimplicibus, quæ unum corpus animamque (*g*) repræſentant, civitatibus, nullum ex Majeſtatis Juribus, quæ majora dicun-

dicuntur, nec quidem ex reliquis, vim Imperii explicantibus, in totum aliis concedi poteſt; Niſi revocabiliter, (*h*) inquam, & ſub lege reddendi rationes. (*i*) Nec quidem ita, ut exercitium aliis competat ἀνυπευθύνως, h. e. independenter, (*k*) quia ſemper ſumma poteſtas τὸ κυριώτατον, id quod eſt ultimum & excellentiſſimum, in illis ſibi reſervat. Ita Magiſtratibus Curiisque merum Imperium, (*l*) ſive poteſtas gladii, ad animadvertendum in facinoroſos permitti poteſt ac ſolet. At ſemper poteſtas ſumma, ſi velit, habet jus avocandi (*m*) cauſas vel ignoſcendi damnatis, (*n*) adeoque retinet jus vitæ & necis, quod transferre ſalvâ quidem ſe ipsâ, h. e. ſummâ poteſtate illæsâ, non poteſt. Idque perinde in plurium ac unius Imperio, locum habere certum eſt. Etſi in illis, ubi plus Leges valent, (*o*) rarius uſurpetur. Quòd ſi Rex verè amiſerit eam poteſtatem architectonicam, ut ſanè fieri poteſt, intelligitur, eum hos, quibus ita tenetur, in partem Imperii accepiſſe, quemadmodum in Angliâ Rex in quibusdam cauſis ignoſcendi & diſpenſandi jus non habere creditur, & hactenus ſocietatem Imperii cum Parlamento habere videtur. Noli tamen credere, quòd ubicunque ſumma Poteſtas certum ordinem petendi remiſſiones & diſpenſationes præſcribit, huic immutabiliter adſtrictus ſit, ut ſi velit, aliter ſtatuere non poſſit. Nam in dubio talia prudentiæ & ordinis causâ, non ad minuendum jus ſuum, à ſummis Poteſtatibus conſtituuntur; quemadmodum Impp. Romani varia id genus inſtituta in corpore Juris ſanciverunt. *

* de quibus *in tit. C. d. Mandat. Princip. de Precib. Imp. off. in l. un. C. Quand. Imp. int. pup. l. 3. C. d. Legib. & paſſim.*

(*g*) UNUM CORPUS ANIMAMQUE. Et verò in *mixtâ* quoque Republicâ non eſt anima niſi *una*, unaque Majeſtas, cujus tantùm jura diviſa ſunt: eaque *Diviſio* malè cum *Communicatione* confunderetur; ſiquidem communicatio eſt, quando Princeps vel Respubl tenet jus communicatum originariè & primò: quà verò communicatum eſt aliis, ita hi tenent dependenter & alienô Jure: Quale quid non poteſt dici de uno alterovè, qui in Republicâ mixta jus quoddam Majeſtatis diviſum habet.

(*h*) REVOCABILITER. Hoc ipſum eſt, quod antè negavimus: cum utique poſſit fieri communicatio Jurium irrevocabiliter: quà ſcil. propriè eſt communicatio. Nec enim unquam communicari poteſt Jus Majeſtatis per diviſionem vel traductionem; quantumcunque revocabiliter hæ ineantur.

(*i*) REDDENDI RATIONES. Quô nomine ſi intelligatur *dependentia*, & ut Legibus Imperii congruat exercitium Jurium ejusmodi: poſſunt disjunctim quoque illa capi, quæ hic conjunctivè *Auctor* requirit; nempe ut conceſſio ſit irrevocabilis, & tamen ſub lege rationes reddendi.

(*k*) IN-

(*k*) INDEPENDENTER. Quâ ratione tamen id, quod ultimum hic appellat *Auctor*, non simpliciter collocandum est in *actu primò*, citrà exercitium; quasi totum hoc penes concessionarium reponatur. Debet enim omninò *exercitium* quoque *penes Principem* remanere in eôdem Jure, quatenus citrà illud Majestas consistere non potest; sicut *in Tab.* ostendimus.

(*l*) MERUM IMPERIUM. Hoc verò non est Jus Majestatis, sed potestas planè *subordinata*: cùm quidem Princeps *Jurisdictionem* non nisi *eminenter* habeat; quam hic *Jus vitæ & necis* appellat *Auctor*: id quod tamen latiùs porrigitur, quam ut objectum meri imperii exhauriat.

(*m*) JUS AVOCANDI. Hoc Jure Princeps quandoque per *Conventionem* uti non vult; maximè quando merum Imperium aliquibus in *patrimonii* vicem concessit. Unde & *Status* Imperii à Præfectis quidem suis, qui nudô *Jure Magistratûs* merum Imperium tenent, causas liberè *avocant*; non ita à *Vasallis*, quibus merum Imperium jure Feudi concesserunt.

(*n*) IGNOSCENDI DAMNATIS. Hoc uti *Jurisdictionis* non est in se: ita quoque Status Imperii, qui per Superioritatem imagine Majestatis funguntur, non solent potestatem mitigandi pœnas *Vasallis* suis indulgere in delictis, quæ pœnam *corporis* ingerunt; nisi quòd ratione *fustigationis* alicubi injungant Vasallis, ut super mitigatione vel commutatione illius in pœnam pecuniariam, *judiciô JCtorum* utantur, & tunc pœnam pecuniariam *in pios usûs* impendant. Licèt verò jus hoc *avocandi* & *ignoscendi* communicaverit Cæsar *Statibus*, tamen nec hi per hoc Majestate gaudent, nec Cæsar eâdem excidit.

(*o*) UBI PLUS LEGES VALENT. Id quod magis obtinet in Imperio plurium. Utique in Imperio Rom. Germanicô, ubi satis adstrictum est Majestatis exercitium Lege Fundamentali, nihilominùs Cæsari jus *aggratiandi*, quoad hos qui Jurisdictioni ejus sive Majestati immediatè subsunt, integrum relictum est.

VI. Belli jus in exteros (*p*) rarò ulla ex parte Magistratibus committitur; Nisi res moram consulendi summam potestatem non patiatur & periculum evidens subitis armis occùpari possit, ut fecit L. Pinarius Ennæ in Siciliâ, apud Livium. * Quandoque tamen in Imperio latè patente potestates inferiores jus habere possunt inchoandi bellum atque gerendi, nomine scilicet ejus, qui summam habet potestatem, cui rationem ipsi rerum gestarum reddere debent; hujusmodi jus datum est Gubernatoribus Indiarum à Regibus Hispaniæ & Lusitanorum. Nostræ etiam Societates Indicæ ab Ordinibus Belgarum hanc potestatem acceperunt, non tanquam Magistratûs, sed ut Rectores imperii subordinati, quale sub aliô sole cœloque possident. Alioqui, si princeps negligere malit injurias Reipubl. aut privatis factas, nemini licet eas armis ulcisci, adversus exteros nec contra cives. Ergo nec repressaliæ, ab iis, qui passi sunt injuriam, licet gravissimam, injussu summæ potestatis, exerceri debent. Et Cicero, qui in Philippicis, Brutos Cassiumque, non expectato populi mandato, arma in Antonios ac Dolabellam capientes tam magnifice defendit, causæ potius servire, (*q*) quam jure disputare censendus est, ùt quidem Grotius existimat;

ſtimat; vix enim eſt, ut præſumptioni voluntatis in tam gravi cauſâ locus eſſe videatur. Quanquam ratihabitione, quod minus jure fuit inchoatum, ſine dubio convaleſcere poteſt. Similiter jus fœdera pacemque ineundi, & tributa exigendi, dominiique eminentis, nec non Leges ferendi, creandique Magiſtratus majores, cum ſubordinatis poteſtatibus nunquam per omnia (*r*) communicantur. Hinc ſtatuta quidem, Leges verò nequaquam ab his, qui Majeſtate carent, condi poſſunt. Et Magiſtratus minores facile, non perinde majores, ab iisdem conſtitui ſolent. Aut ſi fiat, ea poteſtas ſemper revocabilis eſt.

* *lib. 24. c. 37.*

(*p*) In exteros. In Cives bellum haud unquam dicitur; in exteros verò Jure *Potentatûs* id Belli nomen habet, quod Proceres Imperii Rom. ſuſcipiunt. Dicitur verò intrà Imperium rectiùs *Jus armorum*, quod iisdem in ſubditos Jure Magiſtratûs ſeu Superioritatis, in Concives autem Jure defenſionis naturalis, permiſſum eſt. Simile quid huic juri habere cenſentur Magiſtratûs Summi Regum, ùt Vice-Reges Hiſpaniarum. Scilicet hi *miniſterium* tantùm Belli verſus alios, & vim Armorum in Cives ſuſtinent; *Jus* verò Belli ne quidem adverſus extraneos, nec Jus Potentatûs, habent.

(*q*) Causæ potius servire. Nam *Grotius* putat, populum Romanum credi potuiſſe in eâdem ſententia eſſe, cum aſſertoribus illis libertatis; qui non poterant confeſtim Senatum populumque ſuper hâc re conſulere: indeque defendit ipſos aſſertores libertatis, quaſi ad ratihabitionem non præcisè reſpiciendum ſit. Et ſanè in re maximi periculi cum *H. Grotio* exiſtimandum eſt, ſicut Princeps non poterat non credi ratihabiturus eſſe, quod Dux belli ſuſceperat, ita hunc omninò jure licitô egiſſe videri.

(*r*) Nunquam per omnia. Ad *objectum* hæc loquendi ratio pertinet, & tamen *per omnia* Princeps poteſtatem ſimilem alii tribuere poteſt; ſed non poteſt *omnimodò*, quoad dependentiam ſcilicet ſeu ſummitatem Juris; (de quâ unicè Majeſtati proſpiciendum eſt:) ſicut *in ſeqq* Auctor ſe explicat. Nec tamen debebat iterum inter *Magiſtratus majores* & *minores* diſtinxiſſe: nam & hi æquè ac majores ad Majeſtatis rationem referendi ſunt. Non etiam neceſſe eſt, ut poteſtas conceſſa *revocabilis* ſit; ùt idem autumat,

VII. Quam autem ſtulte & periculosè ſumma poteſtas hoc jus totum vel majori ex parte mandet aliis, ad politicos pertinet ut commonefaciant. Hoc verò & ad JCtos, quod pauci potentiores in plurium Imperio pactionibus mutuis officia Magiſtratuum & Imperia partientes, æquè in Majeſtatem, quam ſi id faciant in principatu, delinquere poſſint. Utique ſi privatâ conſpiratione tali modô inter ſe coëant. Nam ſi ex Imperantibus ſint, qui ſic agere atque paciſci inſtituunt, oligarchica duntaxat induſtria vocatur. Niſi in longius tempus quam delatum ipſis eſt Imperium coëant. Hactenus enim & privati ſunt &

tantò minus illa parte juris habent, quantò iis, quorum est primævum jus imperii, plus à præsenti potentiâ præjudicii metuitur. Præter quod nullum enormius in fundamenta civitatis commissum existat, quam actus summæ potentiæ ultra tempus dati Imperii producere.

VIII. Denique facultatem res judicandi facilius videri posset in Magistratus Curiasque sæpe totam transferri. Sed & potestas creandi judices supremos manet penes Majestatem. Nec omninò (*s*) potestate res judicandas avocandi exuit se princeps, ut superius (*t*) dictum.

(*s*) NEC OMNINO. Utique dum *in fine hic* potestatem avocandi res judicandas servat Principi, sive *Jus summæ Provocationis*: non apparet, quâ ratione *totam judiciorum civilium potestatem* in Magistratûs transferri posse, jam *antè* docere potuerit.

(*t*) SUPERIUS. *Lib. I. c. 18. §. 24.* Non satis rem expedit *Auctor*, dum ambiguis, quod in usu ipsi est, incedit terminis. Quid enim est, *non per omnia* communicat. ùt *§. 6. b. Mandarè jus alii totum vel ex parte*; ùt *§. 7. facultatem videri posse sæpè totam transferri.* ùt *§. 8. difficulter aut nullô modô communicatur. §. 9.* Firmius utique insistere licebit his quæ *supra* de *Communicatione Jurium Majestatis* docuimus.

IX. Quod attinet minora Majestatis jura, quo minus pleraque illorum revocabiliter aut in perpetuum cum inferioribus potestatibus communicentur, ratio juris non obstat. Unde & in feudum (*u*) concedi possunt iis, qui vere manent subditi. Sunt tamen ex illis, quæ difficultèr aut nullo modo communicantur. Qualia quæ majoribus cohærent aut affinia sunt, ut de repressaliis (*x*) dictum, & de his, quæ ad judiciorum ordinem mutandum petinent. Jus quoque majora nobilitatis insignia largiendi, nec non fiscum habendi, quæque similia sunt hujus naturæ. Sed aliquid ad fiscum pertinens facilius in totum alienari potest.

(*u*) IN FEUDUM CONCEDI. Et tamen etiam *qualibet Majestatis jura* sic concedi posse, atque sic *irrevocabiliter*, jam *antè* ostendimus.

(*x*) DE REPRESSALIIS. At verò & harum æquè ac *Belli* potestatem concedi posse Ordinibus, asserendum est; (quamvis quoad *Repressalias*, adversus exteros cumprimis, ea tenenda sint in Imperio Germ., quæ circà *Bella* ibidem constituta esse, reperiuntur:) Sic & *mutatio Ordinis judiciarii* penes Statûs est, salvâ Majestate Cæsaris: tum & *integra* penes illos sunt *Fisci* Jura. Quòd si tamen quis Jus quoddam *communicatum* dicere velit *Majestatis*: illud solùm procederet quoad *denominationem extrinsecam*, & quà *originem suam* respicit; tum & quatenùs *à Majestate* vel Juribus in Imperio *modum* capit,

X. Plane si summa potestas vicarium aut plures constituat, toto imperio vel certis locis, cui mandatum suis partibus fungendi dederit,

quid ille possit, facilius existimatur. Potest haud dubie talis Vicarius, quicquid expresse mandatis est comprehensum. Potest atque debet exequi omnia decreta summæ potestatis, quæ hac fine ad eum mitti solent. Disponere de his quæ in exercitio ordinis Lege constituti adsiduo occurrunt. Distribuere functiones Reipubl. ordinarias & inferiores. Compellere omnes, ut Legibus ordinique antea constituto districtè pareant.

XI. Sed in his, quæ excedunt modum quotidianæ administrationis, nihil novi ab illo sinè speciali mandatô vel magnâ necessitate constitui potest. Ne ullum quidem ex minimis Jus Majestatis, quod non in continuatione exercitii, sed actu singulari consistat, exercere posse videtur, (*y*) velut est remittere delinquentibus pœnam, evocare causas à judicibus ordinariis. Nisi id ei datum fuerit specialiter. Aut cohæreat ordinario alicujus juris, quod ei sine dubio competit, exercitio. Vicarius enim nihil est quam Magistratus. Et Magistratus est Minister summæ potestatis ac Legis. Atqui continuare functiones Jurium Majestatis, quæ in ordinario exercitio vertuntur, hoc est Ministerium. Sed actus extraordinarios summi Imperii motu proprio instituere, hoc est αὐτοκρατορικὸν & Magisterium. Exemplis abstinemus, inter explicandum daturi.

(*y*) POSSE VIDETUR. At verò sicut regula illa de *actibus continuati exercitii* vix est recipienda: ita simpliciter actûs reliqui non poterunt censeri Vicario Regis ademti esse; quatenus scil. privatorum tantùm commoda & jura respiciunt, & ut ne periculum publici involvatur, vel ipse ab ordinario jure citrà causam omnem abscessurus sit. Hactenus enim plus est Vicarius, quàm Magistratus: aut saltim *Discrimina Magistratuum* dari asserere oportet.

CAPUT XXI.

De Præscriptione Jurium Majestatis.

ARGUMENTUM.

Status controversiæ, an diversi ordines ejusdem civitatis contra se invicem Jura Majestatis per præscriptionem acquirere possint. Quod affirm. modo præscribens id faciat proprio nomine animoque sibi habendi. Hinc nullos magistratus aut judices contra Principem præscribere posse; cum hoc tamen effectu posse, ut subditi parere debeant, donec à Principe secus præcipiatur. Sed Principem, cui jura Majestatis non omnia data sunt, posse ea quæ desunt acquirere per præscriptionem, populum quoque aut optimates

mates jura eodem modo Principi subducere & sibimet acquirere posse. Utrumque rationibus probatur.

I.

VIdimus, ut summa jura in totum vel exercitio tenus transferantur. Sed modus alienandi unus, præscriptio, superest. De quâ primò omnium quæritur, habeatne locum respectu summæ potestatis. An, inquam, ex solo usu aut longissimi temporis, jura summæ potestatis acquiri possint. Eam quæstionem nos hic non tantum de Principibus aut populis diversis, sed etiam de ordinibus (*a*) ejusdem populi diversis, etiam & maximè de Imperantibus atque subjectis, intelligimus.

(*a*) De ordinibus. Sed *Ordines* nuncupare eos, qui imperant, insolitum est, & ne quidem *Optimates* eô nomine insigniuntur. Cæterùm in genere de *requisitis præscriptionis* agit Pufendorff. *L. IV. c. 12. §. 1. seq.* ubi inter alia, non esse eam *à potestate civili puniendi*, contrà *Hug. de Roy.* tradit *§. 6.* nec *Juri naturali* repugnare, aut Juri *Gentium, §. 7.* quin potiùs in *tacitâ Gentium consensione* positam, *§. 9.* cujus rationem in *tacitâ derelictione* collocet *Grotius*, quem *§. 8.* examinat, & in *§. 10.* subjungit, posse per præscriptionem etiam *nec dum natis* præjudicari; Vel potiùs, si quid jam præscriptum fuerit contrà defunctum, ideò isto præjudicium non fieri nascituris putandum esse: quoniam in hosce, quod amissum est, ne quidem transmitti potuerit. Sicut verò in his præcipuè, (cumprimis ad hunc locum, ubi multum refert, num *Gentium* Juri præscriptionem attribuas,) desiderandum est, quòd *Pufendorffius* præscriptionem *Gentium consensioni* adscribat. Neque enim sequitur: Placuit illa Genti vel civitati uni alterique, & vel omnibus, intrà Civitatem sive Rempublicam suam: ergò repertum hoc *efficienter* Gentium est. Ita si *fundamentum* Præscriptionis inquiramus, illud potiùs ex *Dominio Eminente* seu supremô illô, (ordinariô tamen,) arcessendum fuerit, quô Princeps ita disponit de rebus *singulorum*, etiam eorum, qui nec causam amissioni nec culpam præbuêre, ut exhinc universis bene sit; ceu quidem circà res etiam illorum, qui Studiosi sunt rerum suarum, & tamen nonnullas earum ab aliis teneri ignorant, præscriptio non minùs, (ita ut ne quidem *in integrum restitutione* uti possint,) valet. Interim ad *Hornii* hypothesin in *II. Architect. Pol. 6.* dilabendum non est, quando ille Principem, omnium rerum in Civitate *Dominum originetenùs* esse, & dominium omne *ab ipso* ad subditos *derivari*, docet: id quod facilè ex his, quæ *suprà* diximus, de personis & rebus singulorum, qui per pacta in civitatem coeunt, refellitur. Idem *Hornius lib. II. cap. 9.* repugnare tradit *Majestati & juribus ejus*, ut *præscribantur;* siquidem, cùm ipsa Majestas *à Deo* proficiscatur, ex hypothesi ejus, non subsit hominum commercio. Accedere, quòd *subditus, quâ talis*, Majestatem præscribere non possit. At verò hæc ipsa omnem, qualiscunque fuerit, Majestatis acquisitionem, quæ *ope humanâ* fieri possit, evertunt; quodque alibi *Hornius* tradit, si quando subditus Majestatis solium occupet, eum non habiturum Majestatem, nisi ex *Dei* unius constitutione: illud non nisi eò usque admittendum est, quatenus ad directionem divinam pertinet, vel etiam ad causam primam; *secundæ* enim hominibus in hâc etiam, summâ licèt, potestate, relinquuntur: indeque non adparet, cur non possit sensim acquirere jus quoddam Majestatis, & vel totam Majestatem, sive *exterus* aliquis, sive *subditus;* licèt hic, quà Jus illud Majestatis tenet, subditus ampliùs haberi non possit. Neque tamen ex hoc arguendum est, quasi jura illa *præscriptione* acquirantur: cùm quidem *Leges civiles*, quæ de *Præscriptio-*

ſcriptionibus conſtitutæ ſunt, niſi ad *res privatas*, aut quæ *in modum illarum*, habent, applicari queant; indeque Jura Majeſtatis (quicquid ſit de rebus, quæ *in patrimonio Reipublicæ* ſunt, per partes acquirendis,) à ſubdito *præſcriptione* acquiri non poſſint; *exterus* etiam ideò præſcriptione uti, & quod non minùs, *Grotiô* præeunte, Conring. *c. XIX. d. Finibus.* propugnat, Regnum alienum eô modô acquirere, nequeat: quoniam præſcriptio, quippe quæ tantùm *juris Civilis* eſt, *inter Gentes diverſas* nulla datur. Quocircà ſi quæ fiat Juris Majeſtatis acquiſitio, illa utique, ſi vel *tempore* invaleſcat, non tamen præſcripta, ſed *voluntate* populi vel cujus intereſt, (adeòque Principis etiam, ad evitandum majus malum & bella civilia, in communionem Majeſtatis ordines admittentis,) & vel *tacitâ*, acquiſita dici debet. Sic etiam quandò Princeps à jure quôdam Majeſtatis per uſurpationem unius vel plurium potentium in Republicâ arcetur, ut in communionem ejus juris Ordines e. g. admittendi ſint: utique non hoc per præſcriptionem fieri putandum eſt. Sic enim conſuetudo, obſervantia, & cætera, quæ uſu firmantur, à præſcriptione longè diſtant. Non etiam *bona fides* in uſurpatione illâ reperitur, non certum *temporis* intervallum, non *ſubjectum initiò habile*, cùm ſubditus Majeſtatis capax non ſit. Quòd verò ſubditus in civitate *immunitatem* acquirere poſſit, v. e. à collectâ quâdam, per temporis decurſum, ex eô non acquirit ille *Jus* ipſum, collectam talem indicendi; ſed ſolùm effectui illius juris, præſtationi ſcil., eximitur; idque non tam præſcriptione propriè dictâ, quàm potiùs Principis ſolius *voluntate* & conniventiâ: quæ ſi quando *ad tempus immemoriale* perdurat, *privilegii* inſtar & irrevocabilis habetur. Porrò non ſunt confundendæ *præſcriptiones Regalium*, quibus Status aliquis Imperii v. c. adverſus Con-Statum ſuum nitur: nam uterque horum *Juri civili Romano* ſubeſt; neque illa Majeſtatis jura, ſed *dependentia* & *particularia*, quæ ad Univerſitatem Imperii non pertinent, eaque *patrimonialia* jura, ſunt: quare etiam *eôdem præſcriptionis tempore* acquiruntur, quô *privati* invicem, in præſcribendis Juribus ſuis, uti ſolent: ipſe verò *Princeps* quoniam ſubditus eſt Cæſaris, in relatione ad hunc, ne quidem à *contributione Imperii*, niſi per *temporis immemorialis decurſum*, & tamen hoc etiam vi *Receſsûs Imp.*, eximitur.

II. Leges civiles de uſucapionibus & præſcriptionibus heic non habent locum, ne quidem in eodem imperio, quatenùs utique à Jure Gentium diſcrepant. Non obſt. ita quod habet Zieglerus. (*b*) * Nam ſi usquam verum, Majeſtatem Legibus eſſe ſolutam, id ſine dubio in iis, quæ ſummam poteſtatem qua talem ſpectant, obtinere oportet.

* *ad Grot. 2. 4.*

(*b*) ZIEGLERUS. Quamvis autem *Zieglerus* non rectè ſequatur ſcholam communem, quando hæc Præſcriptionem *Juri Gentium* acceptam fert: quam & *Auctor* probat. In eô tamen recipiendus omninò eſt, quando *§. 12.* ſubditum non poſſe præſcribere Majeſtatem, exiſtimat: ſicut ex jam *dictis* ſententiam ejus firmare licet.

III. Ratio Juris Gentium hic ſola valet. Secundum quam putamus, etiam in ſummi Juribus Imperii locum eſſe præſcriptioni. (*c*) * Modo adſit requiſitum ejus fundamentale, ** ut uſus ac quaſi poſſeſſio illorum jurium, nom ne proprio animoque ſibi habendi, ab eo qui in præſcriptione ſe fundat, habita & exercita fuerit. (*d*) Alioqui nunquam

quam initium habere potuit; quippe cum usucapio dominium sine animo domini per rerum naturam adjicere non possit.

* *Vid. Grot. lib. 2. cap. 4.*
** *Id. d. c. 4. §. 13.*

(*c*) Locum esse præscriptioni. Ex eo scilicet, quod in Præscriptione *Juris Gentium* esse putat *Auctor*.

(*d*) Exercita fuerit. Quò citant *leg. 2. Cod. d. Præscr. 30. vel 40. annor.* Est verò doctrina *Auctoris*, ut & *H. Grotii*, nec minùs Seldeni, *L. I. de Mari clauso c. 26.* (ubi præscriptionem malè Juris Gentium, sive Jure illô *res acquiri* præscriptione posse, probat, quia Leges seu *Jura* Gentium quædam *usu invaluerint*,) it. *Pufendorfi L. IV. c. 12. §. 7.* & *communiter* ferè omnium, falsa penitùs, quòd præscriptio ex *Jure Gentium* educta sit: quin potiùs tota quanta inventum *Juris civilis* est. Nec enim facit pro *dissentientibus:* illud esse Juris Gentium, quo *finis litium* inducatur. Nam & diffidationes, ipsæque stipulationes, finem litibus & dubiis conciliant; nec tamen Juris Gentium sunt. Videlicet non sufficit, *finem* Juri communi consentaneum esse, ut exhine remedium illi juri acceptum feras: quoniam hoc demum Juris naturalis aut Gentium est, quod tale esse potest per *omnes causas*. Deinde præscriptio non posset tollere lites inter Gentes; quin potiùs sereret easdem alcretque, eò quòd nullus inter eas judex detur; qui de *requisitis* præscriptionis cognosceret. Imò si vel maximè de illis constaret: adhuc tamen non foret juris ejus, nisi per Bella, *executio*; & tamen de *requisitis* ejus, quæ Gentes obstringant, *non constat*. Non etiam sequitur, *alienationem* esse Juris Gentium: igitur *modos* quoque alienandi quoslibet, (quorum aliquis è civilibus est Præscriptio,) ad Jus Gentium referendos esse. Sic & ut *regionum fines* terminentur, præscriptio necessaria non est; sicut quidem in Civitate: ubi facilior est finium confusio, & oportuna semper *reparatio per judices*. Unde admitti non debuit, ut in eâ dominia, ob culturam rerum & fines alios, *in incerto* essent; verùm ut ex *stato tempore* possessoribus firmari possent. Porrò iniquum foret, Rempublicam vel Principem quendam eò adigere, ut jus suum intrà tempora præscriptionis (si quæ foret inter Gentes præscriptio,) *persequeretur*, & per hoc intempestivè fortassis, reliqua suarum terrarum in periculum conjiceret. Nec verò inter Gentes ratio potest haberi vel *silentii* vel *negligentiæ*. Imò negligentiæ imputari nequit cessatio persecutionis: eum quidem privatis integrum sit omni tempore, quippe quòd judicium illis in civitate pateat, jus suum persequendi. Quin imò ne *protestationes* quidem inter Gentes consultæ semper aut tutæ sunt: & non sine causâ *Cæsar* ipse in *Capitulatione* circà Imperium *Romanum*, tantopere direptum, detentores Regionum avulsarum non exprimit. Ulteriùs, aut *à Verô Dominô*, quis Regnum vel ejus aliquid, tenet Princeps exterus; & si malâ fide aut invasione, æterna foret ejus recuperandi auctoritas; aut à *non Domino*, & sic cum vitio iterum res in ipsum transiret: secus atque *inter privatos*, ubi res vitium non nisi *ex invasione* capit. Quid etiam, quòd inter privatos *tempore belli* non currat præscriptio: nullâ aliâ ratione, quàm quòd tunc quidem *justitium* seu judiciorum copia non sit. Quod multò magis valebit in Principibus. Equidem *mala fides* vel sola præscriptionem impeditura foret, quippe quòd hâc prævia, ne quidem per mille annos in civitate valeat præscriptio, Franzk. *III. Resol. 1. n. 200.* Quæ omnia faciliùs obtinebunt, quando publicæ prætensionum *deductiones*, vel earum saltim commemorationes *historicæ*, reperiuntur. Et hæc quidem efficere videntur, quòd *H. Grotius* præscriptionem cum *tacitâ derelictione* confundat; quem incautè sequitur *Conringius cap. XIX. de Finib.* & ab utroque seductus est *Limnæus* ad *Capit. Caroli V. p. 574.* Et tamen nemo non videt distinctos esse modos acquirendi, per derelictionem & per præscriptionem: in eò saltim, quòd prior illa *statim* occupantem alterum reddat Dominum, & non nisi *à Domino* proficiscatur; præscriptio verò non nisi *tempore* inducatur, & in *re alienâ*, idque *etiam à non Dominô*. Denique si ad *Requisita* præscriptionis transeamus, nulla est inter Gentes definitio *temporis*, quæ ta-

men

men in præscriptione totam paginam facit; & si tempus *immemoriale* solum sufficere dixeris: undenam desumes exordium *memoriæ?* Quin potiùs illud unicè admittendum est, *diuturnitatem temporis*, per quod populus aliquis terras alienas detinuit, ad hoc proficere posse; (modò etiam præsumtione justitiæ aliquâ gaudere queat,) ut in *possessorio Judicio* superior Gens illa esse debeat, eique servari eòusque tuta possessio; donec causas *petitorii*, quippe quod *tempore* nullo absorbetur, altera gens apertis argumentis deduxerit. Atque hoc est, quod volunt *loca* illa, quæ partim ex *sacris*, partim ex *profanis Scriptoribus*, de antiquâ rerum possessione, in *lib. II. c. 4.* citavit *H. Grotius*. Denique *Conringius d. tr. de Finib. cap. 19.* in causâ exemptionis non utendum esse regulis *Juris Romani*, opinatur: quod quidem concedi potest, quatenus *eximens extrà Imperium illud* constitutus fuit; secùs in *Civibus*, qui semetipsos ab Imperio abstraxerunt. Cùm enim hi ejusmodi legibus tunc temporis subessent, *Rebellium* instar vel *hostium* habendi sunt; in quos, donec causæ suæ justitiam ostenderint, vel saltim voluntate Principis sui, vel populi, à quo abscessêre, dimissi fuerint, *perpetua* erit *auctoritas*. Equidem difficile est, ut causam reddere queant; & plurima habet *Conringius* totô illo *tractatu*, quæ abscedentibus ejusmodi indigne substernit; rationi Juris omni adversa. Nec etiam quisquam probaverit, v. c. quando *Belgas* putat ab Imperio abscedere propterea potuisse, quoniam *derelicti* fuerint, & *propria vi & virtute* adversus *Hispanum* semet vindicaverint: cùm tamen Imperium, quà potuit, ubique causam ipsorum defenderit, & si maximè suismet viribus sibi consuluerit Belgium, nil etiam per hoc à cujuslibet *subditi* officio alienum præstitisset; nec propterea dici posset à Dominio Principis sui aut Imperii, (licèt hoc succurrere ipsi non potuisset,) exemtum esse.

IV. Quare nulli Magistratus seu singuli seu collegia Magistratuum vel judicum quà tales, quicquam juris hoc titulo adversus summam potestatem adserere sibi possunt. Quia clarum est, illos nihil agere, quam nomine jussuque potestatis supremæ, atque ut ejus Ministros. Unde nihilo magis contra Principem præscribere possunt, quam hi, quorum ministerio in retinendâ possessione privatim utimur, ut coloni & inquilini, adversus quemque nostrum id est, dominos suos, usucapere nequeunt. (*e*) Proinde si quid tempore quantumvis immemoriali à potestatibus inferioribus usurpatum fuerit, hoc semper ab eo, qui summum habet imperium, absque injuriâ tolli potest.

(*e*) USUCAPERE NEQUEUNT. Videlicet ita *non possident* ipsi; & tamen nemo nisi qui *civilem possessionem* habet, usucapit. Quando autem colonus *intervertit possessionem* domino, quod fit si non amplius ut talis rem detineat, sive neget causam possessionis suæ, vid. *l. ult. C. d. acquir. vel retin. poss.* tunc adversus Dominum æque præscriptio induci potest, atque *Vasallus* dominium directum præscribit adversus dominum. jung. *Auct. §. 7. h.* Sic etiam, quod *Auctor* negat, *Magistratum* posse jus quoddam Majestatis adversus Principem præscribere: illud verum est, de *præscriptione* propriè dicta. Cæterùm superiùs, quòd ex Principis *voluntate* sive concessione, citrà præscriptionem, acquisitio illa fieri possit, luculenter ostendimus.

V. Quod tamen non impedit, quò minùs contrà multitudinem subjectam jus illud præscriptionis, quod Magistratus longô usu acquisiverunt,

ſiverunt, vim ſuam obtineat, atque ſi nihil ejusmodi à ſummâ poteſtate habeant in mandatis. Ita ut Magiſtratus & judices, quod illo titulo decernunt & exequuntur, hoc jure facere cenſeantur. Idque ex præſumptâ ſupremi Imperantis voluntate. Quo ſciente adeoque tacitè conſentiente, illa jura ab inferioribus collegiis uſurpata fuere.

VI. Ita ſe res habet reſpectu Magiſtratuum. Quæſtio eſt an Rex, cui Imperium non totum populus detulit uſu temporis integrum acquirere poſſit. Viciſſim, an Rex liber & abſolutus quædam jura uſu contrario populi vel optimatium amittere queat. Utrumque adfirmamus. Hobbes, (*f*) cujus principia hoc aſpernantur, nos jam nihil moratur. Nec illi, qui Principem populi faciunt Miniſtrum. Utraque deſtructa ſententia pati debet, ut populus capax ſit juris acquirendi, & princeps nomine ſuo, non tanquam miniſter, agere dicatur.

(*f*) Hobbes. conf. quæ adverſus hunc *l. I. c. 9. ſeq.* tradita ſunt, & quid repoſitum ſit his, qui Principem *miniſtrum* faciunt, *Lib. I. c. 12.* Hobbeſio quidem Populus eſt diſſoluta multitudo, quæ cum perſonam non gerat, etiam præſcribere quicquam non poſſit. Nempe quà *ſubditus* quis eſt, utique jus Majeſtatis acquirere non poteſt; & ſi acquirit, non ſit ea acquiſitio, ùt *Auctor* vult, per præſcriptionem; interim *Hobbeſio*, quoad hunc articulum, reſpondendum eſt ex *ſuperioribus*, quòd populus voluntatem non amittat, niſi quà ſubjectus ſit; retineat verò, quà pactus fuerit cum Rege, de imperio. Quidni igitur poſſet de pactô hoc Princeps ex Majeſtate quid deinceps quoque dimittere. *Bruti* verò & *Althuſii* ſententiam quod attinet, quâ Princeps populi mandatarius conſtituitur: ex illâ *Auctor* dubium ad aſſerendam præſcriptionem, videri poſſe exiſtimat; quoniam mandatarius ſ. Procurator non poſſidet, non magis ac colonus, quâ ratione Princeps â *populo*, penes quem Majeſtas reſideat; præſcribere quid exinde, ſibique proprium facere poſſit. Sicut verò etiam damnata eſt illa *Althuſii* ſententia: ita non minùs fruſtraneum eſt cum *Autore* de Regulis *præſcriptonis*, in hâc ipsâ doctrinâ *Reipublicæ immutandæ*, *h. l. & ſeq. §.* disquirere.

VII. Quanquam ſi quis Princeps legibus ſit ſubjectus, qualem Latini verè proprièque dicerent *Principem*, id eſt *primarium*, iſte ſummam diſſolutamque poteſtatem *præſcriptione* temporis acquirere poſſe dicendus eſt. Quippe animum abſoluti Imperantis induere poteſt. Quemadmodum Colonus & Emphyteuta noſtri, ſi per longum tempus rem ſuo nomine tanqûam Domini tenuerint, neque mercedem ſolverint, haud dubiè uſucapere poſſunt. Et Vaſallum contra dominum ſuum eadem ratione ex feudo prædium liberum, modò ſervitia non præſtiterit, acquirere poſſe, conſentiunt Doctores.

VIII. *Populus* etiam aut concilium *Optimatum*, quia Jus corporis ſive Univerſitatis habet, poſſunt ita animos inducere, ut Regem, licèt ab

cèt ab initio cum vera ſummâ liberâque poteſtate conſtitutum, deinceps in quibusdam aut plerisque negotiis nolint facere quicquam ſine ſuo conſenſu. Proinde ut ipſi *concurrentem* (g) *cum Rege poteſtatem* adepti, hactenus non ut ſubjecti per omnia, ſed ut pares conſiderentur.

(g) CONCURRENTEM CUM REGE POTESTATEM. Et tamen exinde, quod Rex negotia quædam vel pleraque, ſine conſenſu Procerum, perficere nequeat, non protinùs inferendum eſt, hos ipſos cum illo *concurrentem poteſtatem* habere. Cæterùm ex hoc quod *Auctor* hic tradit, populum poteſtatis quid ex Regiâ decerpere poſſe, remotis *præſcriptionis* requiſitis, ſatis colligitur, quàm ille præſcriptioni ſuæ in hoc articulo non inhæreat: quanquam præſcriptionem denuò in eo fundare nitatur, quod Ordines, ſi qualitatem ſubditorum excuſſerint, quaſi interversâ Regi poſſeſſione v. *§. 4. b.* uſucapionem jurium Majeſtatis incipere, & abſolvere queant: cui reſpondendum eſt, nec quemlibet uſum, nec quod aliàs tempore invaleſcit, præſcriptioni imputandum eſſe.

IX. Perſonæ igitur, de quibus heic quæritur, ſunt in terminis ſatis habilibus, ut *præſcriptio* illis applicari queat; modò *juſtitia cauſæ* (h) qua omnis uſucapio nititur, juribus ſummæ poteſtatis conveniat. Fundamentum verò uſucapionis & præſcriptionis eſt præſumpta *derelictio*, aut negligentia Domini rem ſuam non requirentis, aut jus ſuum non exercentis. Quibus accedit ratio, in quâ maxima humani generis Utilitas vertitur. Ut cauſæ litium aliquô tandem fine terminentur.* Atqui illa præſumtio derelictionis facilè in populum, qui jura quædam in Imperio deferendo excepit, cadere poſſe videtur; vel ob tædium confuſionis, quæ ſæpe de conflictu principis ordinumque populi ſolet oriri. Vel quia publicarum rerum adminiſtratio ſæpius ex mora vel diſſidio non leve diſpendium capit, ubi ſumma poteſtas communiter â diverſis Ordinibus exercetur. Præſumptio quoque neglectus *in multitudine* proclivis eſt; Cum quia nihil fit crebrius, quam ùt ſegniùs expediant commiſſa negotia plures. Tum quia ſingulis in promptu eſt, privatam principum gratiam mereri, & republica prodita ſubrepere ad honores, & commoda domeſtica. Denique tertia nusquam validior eſt ratio. Nihil enim favorabilius eſt, quam litigia de Jure Imperii aliquando finiri. Ne bella Civilia; quibus nihil gravius, & quæ non alium uberiorem habent fontem, æterna ex immortalibus rixis fiant. **

* *Grot. cit. lib. 2. c. 4.*
** *Id. d. c. 4. §. 6.*

 (h) Ju-

(*b*) JUSTITIA CAUSÆ. Hanc ipſam *Auctor* in præſumta *derelictione* collocat. Hæc verò ſicuti præſcriptionem conficere non poteſt, atque, ſi vera eſt *derelictio*, (aliàs enim *pro derelicto* uſucapimus *per tot. tit. ff*, quando ſcil. res derelicta non eſt, quippe quòd per derelictionem protinùs derelinquens dominio excidat; ſed ſolùm, quando rem à domino derelictam eſſe putamus) titulum uſucapioni præbere nequit, cùm nulla ſit neceſſaria in re derelicta uſucapio. Hinc potius eſt, ut totam juſtitiam acquiſitionis ad nudam & ſimplicem voluntatem Imperantis referamus: quæ ſimul efficit, ut ipſe populus habilis ad acquirendum fiat; quale quid per ſe fieri non poterat, per reſiſtentiam, vel uſurpationem *Jurium Majeſtatis*; ceu nec litium finis juſtitiam acquiſitioni conciliare poteſt: quò *Grotium* citat *Auctor* in *Lib. 2. c. 4.* quippe qui tantùm cauſam impellentem præbere poſſet Principi, ex juribus Majeſtatis quid dimittendi; cùm quidem aliàs præſcriptio non protinus hoc dicendum ſit, per quod tranquillitas ſive quies Reipublicæ inducitur.

X. Suffragatur experientia plurium in Europa Imperiorum, *Francici* nominatim. Quod hodie perfectum παμβασιλείας ſive pleni liberique Regni ſpecimen eſſe creditur. Cùm tempore Hugonis Pariſienſis; cujus præſentes Reges ſtirps ſunt, haud adductiùs, quàm nunc *Germania* regitur, gubernata ſit. Tam enormis mutatio nullo *quam præſcriptionis* (*i*) *jure* niti videtur, hoc eſt populi procerumque derelictione, mutuoque conſenſu vel patientia manifeſta.

(*i*) QUAM PRÆSCRIPTIONIS JURE. Quod negandum eſt: cùm illud, quod tempore convertitur, non ſtatim per præſcriptionem eò deducatur, ut antè monitum fuit. Nec idem eſt, quod *Auctor* putat, *præſcriptionis* jure, hoc eſt, populi procerumque *derelictione*, mutuôque *conſenſu* vel *patientiâ* manifeſtâ.

XI. Jam eædem rationes contra Reges ipſos, qui longo tempore, quibusdam juribus haud liberè ſunt uſi, præſumi poſſunt. *Derelictio* inde, quod ſæpe contingit, ut Principes non bellicoſi intelligant & experiantur, invitis populi Ordinibus, ægerrimè ſe rempublicam gerere poſſe. Proinde quod malit requirere conſenſum, quàm cum perpetuis colluctari difficultatibus. Neglectus, *etſi rarior* (*k*) ex ſocordia, quæ ferè magnam fortunam comitatur, venit, aut ex propoſito Principum Heroicorum, quos id operam aliquando dediſſe conſtat, ut ſceptra Legibus ſubmitterent; quod inſtitutum fuiſſe legimus Servii Tullii Marci Philoſophi, Helvii Pertinacis ac Ælii Trajani Cæſarum. Metus bellorum ex eâdem causâ, quàm modo in populo monſtravimus, colligi poteſt; Etiam vero metus ab æmulis, & competitoribus ſæpe dominantes ſubegit, ut remiſſius & indulgentius cum populis agerent, atque agere perſeverarent.

(*k*) Etsi rarior. Et multò itaque rarior derelictio videri potest integræ Regionis, ex quâ *Conringius* in *Tract. de Finib.* præscriptionem induci posse tradit, *Grotium* in eo cum *cæteris* secutus. Equidem nemo *JCtorum* derelictionem stare docuerit cum *necessitate*; sicuti qui naufragii tempore res suas ejiciunt, eas dereliquisse consentur *§. fin. Inst. d. R. D. L. 43. §. 11. de furtis &c.* Est quoque indignum *Conringio*, quando de *conjecturis* derelictionis disquirit, quod putet, quoniam Respublica citam curam desideret, ùt corpus animam; inde statim, ex quo tempore curare eam Princeps non possit ampliùs, eandem per hoc derelictam videri; & imò populo integrum esse, ut alterius tuitioni se subjiciat: quas doctrinas *ad Not. Bœcleri*, ubi de *Finibus Imperii* agitur, cùm *aliis*, quæ *in d. tr. Conringius* commentatus est, examinavimus.

XII. Sed hæ præsumtiones contraria probatione vel fortiori præsumptione, removentur. Nempe probatio liqueat è verbis factisque in contrarium, testandi jurisque servandi causâ ab alterutra parte interpositis, modò talia sint, ut ad notitiam ejus, ad quem res pertinet, dicta factaque pervenerint; Etiam ut specialia sint; nam infinita protestatio de Juribus Imperii non minuendis, qualem Imperator Romano-Germanicus præ se fert, *nihil ad interrumpendam* (*l*) singulorum, qui olim sub Imperio fuère, præscriptionem efficit. Præsumtio fortior ex metu, aliove justo impedimento oppositionis non factæ adversùs usucapiones illegitimas desumitur. Sed verba & facta, è quibus ejusmodi præsumptiones desumuntur, *evidentia esse debent*; (*m*) Nam hujusmodi argumenta in dubio adversus præscriptionem temporis obtinere non possunt. Verùm ad impediendam illam probationes perfectæ requiruntur. Quia præscriptio tribuit jus, non modò perfectum, sed etiam ad quietem salutemque humani generis necessarium, quod temerè subvertendum non est: tum & interruptio est facti, quod probari debet. Si verò metu ab illâ deterritus dicatur, vix est, ut per tantum temporis spatium, quod hæc præscriptio requirit, formido in voluntariam patientiam non abiisse videatur. Quâ autem ratione, præscriptio nondum natis præjudicet? explicantem vide Grotium.*

* *Lib. 2. cap. 7. n. 10.*

(*l*) Nihil ad interrumpendam. Quidni faceret: Si vel maximè *præscriptio* proprie dicta obesset Imperio *vid. §. 112. Instr. Pac. Cæsar. Gall. Monast.* cumprimis *§. 80.* ibi. *si in Cæsarea Capitulatione, pactio vel in Comitiis propositio, deinceps fiat de occupatis distractisve Imperii bonis ac Juribus recuperandis, ea non complectatur: aut complecti intelligatur, res supra expressas, &c. ex matricula expungi.*

(*m*) Evidentia esse debent. Et vicissim verba & facta, quibus contrà Principem inducitur, *dimissio Majestatis*, evidentia & ipsa esse oportet multò magis. Planè hæc ipsa ad simplicem voluntatem Principis citra præscriptionem reducenda sunt.

XIII. Cæterùm qui totum Civitatis imperium invito populo invasêre, an & hi, & quô pacto longi temporis beneficio legitimum imperandi jus consequi possint, *inferius* (*n*) videndum.

(*n*) Inferius. Ubi de Democratia agitur.

XIV. Unum hoc locô superest, quantum temporis ad implendam præscriptionem requiratur. Et quidem quod memoriam hominum excedit, sive id centum annorum, sive, ùt verius videtur, non paulo minus sit, haud dubiè in omnem casum sufficit. Quandoquidem longius pro conditione mortalitatis dari non potest. Sed & si præsumptio non vergat, in contrarium generationis humanæ intervallum, quod *tertiam facit seculi partem* (*o*) admitti posset. Suffragantibus autem circumstantiis, quibus judicia voluntatis adfirmantur, non est dubium, *quin & brevior* (*p*) decem vel viginti annorum decursus satis haberi queat. Tu vide sis *Grotium.* * Hoc tamen spatium inter immemoriale & brevius interesse videtur, quod in illo non requiritur bonum initium, cùm id negata memoriâ tollatur; in brevioribus bona fides requiri videtur, ùt rectè Canones, etsi aliter Jus Civile. Sed quantumcunque sit spatium implendæ præscriptioni sufficiens, id esse debet continuum, alioqui interrumpitur præscriptio Jure non minus Gentium, quàm Civili.

* *d. cap. 4.*

(*o*) Tertiam facit secvli partem. Nam *Aristoteles* generare quem debere, vel matrimonium suscipere anno 35. ætatis voluit.

(*p*) Qvin et brevior. Nulla habenda hîc temporis ratio, nisi quatenus voluntas ejus, contrà quem Majestatis jura acquiruntur, ex factis pluribus inducenda est: Sic enim tacitus ipsius *consensus* idem faciet, quod expressus. Et sicut præscriptio etiam contrà ignorantem valet, ita non nisi *sciens & volens*, utut etiam coactè velit, Majestate vel totâ vel pro parte excidit. Quod vero *Auctor* in *pr. §. de præscriptione immemoriali*, ejusque terminô, tradit, ad illud obiter notandum est, quod sicuti penitus differunt præscriptio *centum annorum*, & tempus *immemoriale*, ita hoc ipsum nonnisi de memoriâ hominum *superstitum* accipiendum esse, bey Menschen Gedencken, hoc est, ùt nemo eorum, qui supersunt, aliter sciat obtinuisse, nec à majoribus suis diversum audiverit. Nec enim præscriptio immemorialis excluditur per hoc, si quis forte antiquis documentis, vel ex historiâ, contrarium ostensurus sit. *add.* Victor. *Concl. 17. d. Exempt.* & Ant. Fab. *Lib. 7. Cod. Sab. Tit. 13. def. 2.* Fallitur tamen *Auctor*, quando putat hîc, non requiri in præscriptione immemoriali *bonum initium*. Est enim certissimum, quod in illâ quoque præscriptione *bona fides* exigatur; quippe quæ hoc ipsô conficitur, quod nemo superstitum aliter unquam servatum *meminerit*: eaque est memoria probi usûs, quæ & initium justum arguit. *Negatâ memoriâ* pravi initii, ponitur initium legitimum. De differentiâ v. Juris *Civ. & Pontificii ad Desselium* aliqua diximus: è quibus *Auctoris* tradita *de bona fide* examinare licebit. Planè Rex

nè Rex *in Regem* alium non potest alienare jus quoddam Majestatis, ut hæc *integra* maneat; potest ut imminuatur: at non hoc etiam per *præscriptionem*, sed vel tacitam prioris possessoris *voluntatem* usu inductam; ut tamen hanc *justè colligere* potuerit is qui eô nititur, & ut prior ille dimittendi juris *potestatem* habuerit. Maximè verò justa per diuturnitatem videbitur usurpatio, quando, qui jure illô diu usus est, eôdem se *quasi suô jure*, & velut *in suô* uti existimaverit; (quod faciliùs locum inveniret in jure, quod per se *communiter* vel *divisim* habendum erat.) Secus si probari queat, quod animum talem habere non potuerit: Sic enim justâ acquisitione destitutus censeri debet. Quoties videlicet *injusta occupatio* ei ostendi potest, nil nisi *possessionem* adeptus videri potest; quæ facti est, nec jus rei perpetuum conciliat. Si non potest, præsumtione quidem nititur, nec jus nobis deficit, (de quô hic quæritur,) sed probatio; quæ non minùs utut diverso modo, *in facto* consistit. Quod si ad *imperium Romanum*, prout nunc se habet, ejusque *jura Majestatis* respiciamus, in relatione ad hos, qui in eô *parendi* conditionem habent, ut sunt Status cæterique immediati, eorumque subditi. Dicendum est, non quidem *præscriptione*, sed modis aliis quos ad *concessionem* liberam Principis, ex actibus inducimus, & *ad privilegia* rediguntur, ea Jura, etiamsi *majora* sint, non quidem hôc *contra* Cæsarem, sed *ab ipsô* potiùs, idque & usu diuturnô, indeque *tacitâ concessione* acquiri, atque hanc acquisitionem fieri ipsis immediatis *patrimonii* jure: (Secùs atque *de Magistratibus* suprà *apud Auctorem*, §. 4. & 5. qui officio suo talia jura acquirunt; quæ tantum adhuc â nutu Principis pendent) adeo ùt Cæsar acquisita illa *revocari posse nolit;* ceu voluntas ejus Statibus exhibita pro *libertate* eorundem irrevocabilis est; nisi publica *totius imperii salus* diversum postulet: de quâ concessione, quâ ratione fiat, illæsâ Majestate Cæsaris, ex his definiri potest, quæ alibi de *Communicatione Jurium Majestatis* in universum diximus; Nunquam scil. abdicativè & citra *dependentiam*, utque jura talia quomodocunque acquirentes iisdem utantur, *suô & propriô planè jure:* Eô ipso, quòd usurpationem illam *privilegii* jure tueantur. (Nec enim nunc de Juribus Majestatis, â Cæsare in Statûs abalienandis, quô iisdem vel soli vel unà cum Cæsare ad Imperium universim gubernandum utantur, disquirimus. Id vero *temporis immemorialis* exercitium requirit, utut nulla *Cæsaris scientia* probetur; modò non ostendi possit *mala fides*, saltim in *uno* inter possessores succedaneos, ex quô interrupta videri possit justa opinio, quod suô jure id exerceat. Ipsam verò dependentiam f. *subjectionem* nullo unquam tempore quis præscribere, ùt & jura, quæ subjectionem arguunt, eô ipsô non potest, quò usque *subditum* se esse profitetur: ceu *adversus Principem* invitum quippe & ex Lege *civili* haud unquam valet præscriptio; imò nec libertas immemorialis ratione eorum, quæ quis debet *uti subditus*, adversus illum allegari potest; ut sunt professio fidei, præstatio ejus & operarum; (nisi quòd in *contributionibus* & ad exemptionem ab eis stabiliendam, conventione inter Cæsarem & Status, allegari eò posse *immunitatem temporis immemorialis* placuerit: R. A. *1548. §. 56. 64.:* haud dubiè quod præstatio illa ad expeditionem Rom. die Reichshülffe, originem & ipsâ traxerit ex *conventione* Statuum *liberâ*.) Quæ verò *de Cæsare* in Regimine summô diximus: eadem quoque ad Status *in Regimine* terrarum suarum *subalternô* congruè applicari poterunt, ut tamen possit *Status à Statu*, (cùm uterque subsit Legibus *Civilibus* Imperii *Romani:*) *propriè præscribere* Regalia vel Jura Superioritatis, idque *cum titulô*, ùt plerisque videtur, longô tempore. v. Rosenthal *C. V. de Feud. concl. 17. n. 1. finè titulô*, tempore longissimô. Pruckm. *c. 5. de Regalibus n. 112.* Quinimò Regalia hactenùs instar *Servitutum* habent; indeque ex harum præscriptione ad Regalium quoque illam acquisitionem arguere licet. Ast *Subditus contrà Principem suum* non potest *Regale* acquirere aliter, quàm *usu immemoriali;* ùt est Jus Fodinarum, Heig. *1. quæst. 30. n. 3.* idque dependenter: (nec enim ille capax est superioritatis vel juris cujusdam, ex quô constat Superioritas:) imò ne quidem ea, quæ *subjectionis* præcisè sunt, & ad recognitionem superioritatis pertinent; ùt est præstatio *collectæ Provincialis*, quæ in locum *sequelæ* successisse videtur, immemoriali tempore â se excutere potest, quò minus iis supponi queat. *L. 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 6. C. de Oper. publ. l. 23. C. de SS. Eccles. Nov. 30. c. 7.* Manz. *Dec. Pal. 149. n. 11. seq.* Wesenb. *Cons. 303. n. 126. 1.* Cons. Marp. *9. n. 5.* quippe quòd subjectio quotidiè

tidiè conſtituatur *v. l. 10. pr. de Uſu & Habit. l. 10. de Cap. minut.* Et tamen ſi quem ſubditum v. c. de contributione interpellatum, aut in cataſtra relatum, exemptionem ſuam allegâſſe, & Principem in hoc acquieviſſe, conſtet: indignum omninò fuerit, eum poſthàc, eâ Principis indulgentiâ non frui debere, *v. l. ſ. C. de fund. patrim.* Roſenthal *d. c. V. concl. 84.* Cæterum *adverſus legem Principis prohibitivam*, v. c. Ordinationem Provincialem, (quippe quòd in eâ ſalvâ ſubjectione princeps uni vel alteri citrà aliorum præjudicium, *diſpenſare* ex juſtâ causâ poſſit:) non quidem præſcriptio, ſed tamen *uſus immemorialis*, ex quô privilegii quid colligi queat, locum habet; ùt ſi quis diverſorium â ſe propriâ autoritate contrà illam erexerit. Videlicet *titulum* non deſiderat alium iſtud *privilegium temporis*, quod tamen ipſum, quia Jus ei reſiſtit, *immemoriale* eſſe oportet. (Aliter atque ſi quis, *Jure communi non reſiſtente*, tantùm contra libertatis præſumptionem adverſus privatum præſcripturus ſit. Nam ibi *titulus* quidem neceſſarius non eſt, ſed tamen *longô tempore* abſolvitur, *l. 10. ſi ſerv. vindic.*) Eſt autem faciliùs, ut quis *jus ſuum*, uſu ſcil. immemoriali, ad ſimilia, adverſus Principem *extendat*. v. c. juriſdictionem quâcum inveſtitus eſt, in via publica, ad jus ipſius viæ publicæ. Denique an quid ex *Patrimonio* Principis, ſeu bonis ejus *Cameralibus*, præſcribere poſſit *ſubditus*, & quod ſaltim *Jura Domaniorum* in Germaniâ perperam eò applicari velint, aliis locis pleniùs oſtendimus.

CAPUT XXII.

De

Jure humanæ poteſtatis circa Sacra; & primò de Eccleſia. E variis opinionibus de Jure Majeſtatis in Eccleſiam, una eligitur.

ARGUMENTUM.

Jus Sacrorum pertinere etiam ad Imperantes. Quid quantumve, id controverſum. Primam eſſe Pontificiorum ſententiam, qui totum hoc jus Papæ ſubjiciunt: Alterum eorum, qui presbyteriis omnia vindicant. Tertiam diſtinguere inter jus Eccleſiæ internum & externum, quaſi ex mente Conſtantini M. Quartam Eraſtianorum, qui nihil quam confeſſionem fidei Eccleſiaſticis concedunt, poteſtatem omnem Imperio adſcribunt. Quintam Hobbeſii, à quô nullum jus ſacrum, niſi Imperio Civili ſubjacens, agnoſcitur. Ex his media, quæ eſt tertia opinio præfertur.

I.

INter Jura Majeſtatis majora, Politici omnes, & Juriſpublici ſcriptores, referunt Jus rerum Sacrarum. Adeò ut & ſummam faciant diviſionem illorum jurium, in Civilia & Eccleſiaſtica. Quod etiam *Ulpianus* * JCtus velle videtur, quando jus publicum conſiſtere ait in Sacerdotibus & Magiſtratibus, hoc eſt, officiis illorum, plura enim jura

jura dari singularia nescire non potuit. De hoc nos adhuc agere distulimus, quia rectiùs post cuncta Civilis Imperii Jura secuturum videbatur.

* *in l. 1.* §. *2. ff. de Justit.*

II. Esse aliquod jus sacrorum penes eum, qui summum tenet Imperium civitatis, ferè inter scriptores convenit. Et ratio, quæ in omnium oculos incurrit, idem svadet: Eò quòd absque aliquo jure circa sacra, Reipublicæ Imperium, & quies Gentium nullo modo teneri possit. Id quod historia omnium gentium, Pontificumque Romanorum, & hujus seculi Protestantium, abundè probaverunt. Sed quænam illius juris capita, quinam sint limites, intricatissima *disputatio est*. (*a*) Nos diversas sententias, primam, ut quæque minimum tribuit summæ potestati, tum eas, quæ plurimum ei vindicant, proponemus.

(*a*) DISPVTATIO EST. Hic *Auctor* in Editione *media* integrum fere *caput XXIV. à §. 7. ad finem usque* inserit, ubi maximè de discrimine *Civitatis* & *Ecclesiæ* agit, (quod & in *novissima* Editione *Sect. IV. c. 1.* majori curâ instituit,) & hujus iterum discrimen exponit in *visibilem* seu publicam, & *invisibilem*, (qualis est non per absolutam negationem potentiæ passivæ, sed per comparationem. *Ebr. II. v. 38.*) *Invisibilis* sive Electorum, nullô scil. loco palam congregatorum, (quæ & hinc *universalis* quoque dicitur,) Regimen *Christum* sibi servâsse, nec *Vicarium* Christi, Universalem aliquem dari, aut dari *posse* tradit. Tum & de factis agit Ecclesiæ *externa*, ante & post diluvium, ad tempora propiora. Velle Deum, ut fideles in corpora *coeant*, in quibus voluntas ejus prædicetur & imò *segregari*, qui malè de rebus sacris sentiant. Hæcce fieri posse insciis etiam & invitis *Rectoribus* cujusque *Civitatis*. Sed tamen Ecclesiam auctoritate eorum sæpè indigere. Et cùm Rectores Civitatis ipsi alicubi *Ecclesiæ membra* sint, hinc *in fin.* disquisitionem aggreditur, quænam eorum vel eô casu vel aliàs etiam *in sacris Potestas* sit. Equidem distinctio summa est, apud alios quoque *Juris Sacrorum Doctores*, inter Potestatem sacrorum *internam*, quam dicere licet ex ipsorum hypothesi *ministerialem*; quoniam prædicationem verbi divini, cum administratione Sacramentorum, complectitur: *&* *externam*, quæ versatur circà gubernationem, quoad personas & res Ecclesiasticas, ùt & judicia sacra. Hinc eò referunt *Vocationem* Ministrorum, *Reformationem* exercitii Religionis, *decisionem* controversiarum, *dispositionem Rerum* Eccles. & *Judiciorum* administrationem. Hæc potestas tribuitur *Principibus* etiam, quà *seculares* sunt; ideò quòd Princeps esse debeat Custos utriusque tabulæ, qui & promovere cultum Dei *Psalm. II. v. 12. & Ps. XXIV. v. 7.* & protegere *Ps. XLVII. v. 10. Esaiæ VI. v. 16. ib.* debeat, tantò majori curâ, quòd ipse Dei vicem gerat. *Exempla* hanc in rem plura depromuntur ex *Vet. Test.* ùt & *Historia Græcâ*, tum ex *Constitutt. Imperatorum*, *vid. l. 3. 5. 6. C. de Summâ Trinit.* cum suffragiis *DD.* Veteris Ecclesiæ. Sed abscedunt ab hâc sententiâ, quam & *Grotius* de *Imperio Summarum Potestatum circa sacra* latè exequitur, Pontificii, *Baronius*, *Sanderus*, *Bellarminus*, quorum argumenta hæc ferè sunt. (1) Regem Usiam *2 Chron. 26.* leprâ percussum fuisse, quod suffitum fecerit. (2) *Ovium* non esse, judicare de pastoribus. (3) Politicum Magistratum *tempore Apostolorum* Jus circà sacra nullum habuisse. (4)

se. (4) Principes *Protestantes* per Passaviensem Transactionem demum *adeptos esse* jus sacrorum. (5) *liberos* à potestate seculari *Clericos*, & *sacra* non minùs; quorum curam illi habeant. (6) Carere posse Ecclesiam *Imperiô superiorum*, cùm & Christus Pastorale Munus instituerit; cui idcircò, vel Vicario ejus Pontifici, pastores subesse oporteat. (7) Denique Episcopos longissimi temporis *praescriptione* potestatem hanc sibi firmâsse. Quibus tamen facile respondetur: *Usum* ad interna manum extendisse, Regem quoad hæc etiam ovem esse; in *externis* verò ipsum *pastorem* haberi: *Es. XL. v. 11.* Nec tamen propterea *domini* sunt animarum Principes, *vid. §. 5. h.* sed *capita* solùm societatis *civilis*, quibus meritò ex *necessitate* architectonicâ & Clerum & sacra subesse oportet, 1 *Sam. XV. v. 17.* Quamvis autem *seculares* Principes *Apostolorum* tempore jus circà sacra, non ita ùt Principes Christiani exercuerint, cùm potiùs Christianos persequerentur; Jus tamen habuêre *suæ religionis* & aliarum, ipsumque potestatis *exercitium* circà Christianam Religionem, licèt eò malè usi fuerint. *Protestantes* quod attinet, sicuti ante Reformationem hypothesis Pontificia Germaniam occupaverat: ita plerique statuunt, eos potestatem sacrorum per injuriam Pontificis eò usque detentam *recuperasse*. Quanquam rectiùs asseratur, quoniam hîc de jure *Majestatis*, (eique analogô, *Superioritatis*) agitur, cùm nec ipse Imperator Jus Sacrorum ex debito sibi assereret, ideò nec Status Protestantes, quippe quòd Statuum jura *paulatim* ex indulgentia Cæsarum extructa sint, Sacrorum potestatem (quâ *Episcopi* hactenùs utebantur, Imperatori verò debitam Potestatem sibi sumpserat *Pontifex*,) anteà habuisse, ceu nec dum eam habent *Status Seculares Catholici*: sed potiùs sub tempus Reformationis ex hypothesi *Confessionis suæ*, quæ seculari potestati plus tribuit, saltim *Pontificis & Episcoporum* potestatem in sacra sua agnoscere non potuit, sibi de novô *acquisivisse*. Quòd si verò *Imperator* Jus Sacrorum, tanquam alteram partem summæ potestatis, debitô sibi modô non exercuit; illud *infelicitati temporum* imputandum est. Asserunt sanè Scriptores illi omnes, quos compegit præ cæteris in Monarchiam suam *Goldastus*, Jus Sacrorum *Imperatori*, adversus usurpationes Pontificis; eoque pertinet evolutio *libertatis Ecclesiarum Germaniæ*, quam post alios *Schilterus* instituit. Utique non potest carere Ecclesia, vel saltem non debet, *Superiorum Imperiô*, ne dicamus, quemlibet Statum eò carere posse. *Exemtos* autem *Clericos* esse â Regimine seculari, sacris adversum est, *Rom. XIII. v. 1. & 7. Matth. XVII. v. ult.* ut ad *§. 9. cap. seq.* ostendetur. Et sicuti omnes *Status* (non modò Clericalis,) *Christum auctorem* habent, nec tamen Pontifici subsunt, cùm & *Princeps* DEI *vices* gerat: ita Clerus cum reliquis capiti Reipublicæ & ipse suberit. *Præscriptio* verò adversus Majestatem in Republicâ nulla est, ùt nec contrà instituta, quæ divini Juris sunt. *adde* Lentul. *L. V. Apicis Rom. Gloriæ cap. 2. & seqq.* Quamvis autem hâc ratione Principi Jus Sacrorum rectè asseratur: Distinctio tamen illa: quòd Principi *externa* potestas competat, rem satis explicatam dare nequit. Nam *interna* illa, quam vocant, unicè *Ministrorum* est, & ad actûs formaliter & internè Sacros, quos virtute Christi obeunt, pertinent: eòque respicere constat non minus *benedictionem* tàm *Ordinatricem*, quàm *consecratricem*, & *maledictionem excommunicatricem*; eò modò, quem inferiùs attingemus. Quantum verò ad Potestatem *externam* attinet, reperimus in personis Ecclesiasticis Pontificiorum actûs plurimos *exotericos* sive merè & formaliter *politicos*, qui in civili objecto ad civilem finem diriguntur, & ad externam illam â nobis nullatenus referri possunt: qualis est potestas *gladii* cum terrenis cæteris. Deinde exotericos, qui *objectivè Ecclesiastici*, sed tamen *virtualiter politici* habendi sunt eò, quod radix eorum in Magistratu politico resideat: Tales autem iterum vel per Magistratum civilem geruntur, ùt sunt exauctoratio, vocatio personarum, dispositio de bonis Ecclesiasticis, & judicium de Religione. Atque hæc sunt, quæ partem potiorem potestatis illius conficiunt. *Reliqua* quidem eò non minùs respiciunt, nec ad interna redigi debent. *Interni* verò per *Ministerium* propiùs administrari solent: ùt sunt investitura Clericorum, audientia causarum, censuræ illatio; quasi hæc ipsa *ex delegatione Magistratûs secularis* teneant. Eò pertinet dictum Constantini, quod *extrà Ecclesiam Ipse Episcopus* sit, videlicet, quoad actûs *exotericos*, quos vel per se ipsum Princeps, vel *per Clericos*, auctoritate principali exerceat. Unde nomine quoque *Pontificum* in Synodo *Chalcedonensi* appellantur *Valentinianus* & *Martianus* Imperatores, &

res, & curæ *Theodosii Apostolicæ* dicuntur, *apud Theodoretum*. Quare & *Baronius in Annalibus, ad Annum 312.* auctoritatem *Pontificatûs* Imperatoribus Christianis necessariam fuisse inculcat. Distinctiùs adhuc illa percipiuntur, quando *Principem* tùm *infidelem* tùm *fidelem* consideramus: *hunc* iterum, ùt est *Caput Reipublicæ*, quòd etiam *manu* sive potestate valeat: & ùt *membrum* est: hocque rursus vel *præcipuum*, vel *æquale* cum cæteris omnibus. Ita facilè apparebit, *Christianorum Principum* potestatem, quà videlicet ùt Principes considerantur, (cùm aliter *potestatem* in Republica non habeant,) non esse merè laicalem & Civilem, verùm etiam *Ecclesiasticam*, (quò nomen *Juridictionis Episcopalis* pertinet; aut portio ejus, in complexu sensûs *Pontificii* acceptæ) juri *Ordinis* contradistinctam: idque tam quoad *Regimen externum Ecclesiæ* e. g. particularis sive provincialis; ùt in convocatione Conciliorum, erectione templorum & ædificiorum sacrorum, institutione Presbyterorum, Festorum, Visitatione, Jejuniorum, Exequiarum, Litaniarum, Ordinatione, ùt & Ceremoniarum, & quæ ad *Statuta* Ecclesiæ ulteriùs pertinent; Verùm etiam (quod *Triglandus* & *Voetius* soli Statui *Clericali* vindicant,) quoad suspensionem, remotionem, restitutionem, Ministrorum Ecclesiæ & Scholarum, ùt & excommunicationem majorem. Porrò quatenus Princeps *præcipuus* haberi potest *membrorum* in Ecclesia: ita directionem tenet in *Presbyterio* Laico, *1 Timoth. V.* quale moribus externis Christianorum intendit, ipsique ordini ac doctrinæ publicæ: Non enim *jurisdictionem* habet Presbyterium Ecclesiasticum, sensu Canonum, h. e. *internam* solvendi aut ligandi, nisi quòd judicium *Ecclesiæ* per repræsentationem ipsi deferatur: non etiam habet partem externæ in Ordinando & consecrando Ministros (quam aliàs potestatem internam dicimus, eamque asserimus ministerio.) Interim *Jurisdictionem* habent eam, quæ tertiam partem conficit Hierarchiæ *Christianæ*. Et hactenus Princeps non aliter, quàm *præcipuus* in *Ecclesiâ* pressâ, sub capite seu Principe paganô, spectatur.

III. Qui magnum Præsulem Romanum colunt, hi sic omnia ad Ecclesiam spectantia pedibus ejus subjiciunt, ut Imperantibus non modò nihil relinquant, sed & ipsos Imperiumque eorum, seu directò *sive per consequentiam* (*b*) Pontifici submittant. Alii totum jus sacrorum pendere docent à *collegiis presbyterorum* (*c*) nec Imperantes aliter, quàm è fidelibus singulos, aut omninò extraneos reputant. Nisi quòd defensionem Ecclesiæ, & executionem eorum, quæ presbyteri decreverunt, quatenus *manum* requirunt, Imperio civili committunt. Quæ sententia â priori, in terminis quidem, & in eô, quòd Pontifici jus *totô orbe* (*d*) tribuitur, vehementer discrepat; genere tamen doctrinæ, quatenus utraque civili Imperio ferè tantundem relinquit, haud magnoperè abhorret. Nempe sic ut Aristocratica potestas particularis differt â Monarchia universali. Tertia est eorum sententia, qui internum Ecclesiæ & Sacrorum jus civili potestati negant; Externam vero administrationem ab illâ dependere *eique subjacere volunt.* (*e*) Hujus Auctor sententiæ Constantinus Magnus laudatur, cujus hâc de re convivalem ad Episcopos sermonem memorat Eusebius. * Quartò, sunt, qui confessionem fidei nudam & solam Ecclesiæ concedunt, sed pote-

ſtatem animadverſionemque vel audientiam foris ſe exerentem nullô modô, niſi â Majeſtate dependentem. Proinde poteſtatem ejiciendi è communione Eccleſiæ & arcendi a ſacris, quam prior ſententia ſub internis comprehendit, ſimiliaque Eccleſiaſticis niſi cum eadem *dependentiâ*, (*f*) negant. Denique Hobbes, & qui ſunt *Hobbeſiani* (*g*) quicquid religionis aut Juris Eccleſiaſtici in hôc mundô eſſe queat, id omne ad Imperium Civitatis pertinere, contendunt. Ipſum quoque jus (& hoc vel inprimis,) ſtatuendi de dogmatibus fidei Chriſtianæ: nulla re excepta niſi hac una, quod *Jeſus ſit Chriſtus Dei.* Reliqua *credendi capitula*, (*h*) quæ in Eccleſiis proponuntur, non eſſe fidei, ſed obedientiæ. ** In quibus ſi erretur, Imperantes, non ſubjecti, rationem reddere debeant.

* Lib 4. de Vitâ Conſtantini M. c. 24. *Vos quidem eorum qui vel quæ ſunt in Eccleſiâ, ego verò eorum qui, vel quæ, ſunt extrà Eccleſiam, Epiſcopus â Deô conſtitutus eſſe videor.*

** Hobb. *cap. 18. de Cive* §. *6. & 14.*

(*b*) SIVE PER CONSEQVENTIAM. Dum ſcil. cum *Bellarmino L. V. de Pontif. c. 6.* Pontifici poteſtatem *indirectam* temporalem in omnes Reges & Principes tribuunt; quatenus illud ſaluti animarum neceſſarium eſt. At verò adverſa eſt unio iſta ſub unicô Paſtore mortali inſtitutioni Ordinis Eccleſiaſtici: *Epheſ. IV. v. 11. 12. 16. 1 Corinth. XII. v. 14. 15. 24. 25. 27. 28.* nec ad Communionem internam neceſſaria, ſiquidem *Schismata* impedire ſatis poteſt ſubordinatio multorum, ad ſe invicem, non etiam requiritur dependentia iſtorum ab unô capite. vid. Calixt. *in Diſſ. de Pontif. Rom. in Tr. de præcipuis Religionis Chriſtianæ controverſiis.* Quicquid diſſentiat cùm Bellarminô *Sanderus L. V. de Monarchia Eccleſ. cap. IV.* & ipſe *H. Grotius in Conſult. Caſſandr. art. 7.* Utique ex quô motivô *Bellarminus* illam poteſtatem indirectam Papæ concedit, ex eôdem Regi *in Pontificem* tribuenda eſt, quando *Concilium* cum hôc contendit. Sanè Reges *Galliæ* nunquam induci potuêre, ut hanc poteſtatem admitterent, ſtetitque firmiter in hoc *Sorbona* contrà *Jeſuitas.* vid. Gramond. *in Hiſt.* & Richer. *in libb. de conciliis generalibus.*

(*c*) A COLLEGIIS PRESBYTERORVM. *Presbyteros* eosdem eſſe qui ſeniores. Olim erant duorum generum; *unum* docentium, qui honorabiliores fuerant Regentibus, Clerici videlicet; *alterum* Regentium, qui curam gerebant diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & aliorum externorum in Eccleſiâ *1 Tim. V. v. 17.* Qui verò Presbyterorum collegio poteſtatem omnem tribuunt, illi detrahunt *Principi*, quæ ipſi, ùt tali, competunt. Nec enim illa unicè in defenſione eorum, quæ Presbyteri, maximè regentes decreverunt, pertinent.

(*d*) TOTO ORBE. Scilicet *Presbyterium* particularibus Eccleſiis finitur, & Auctores presbyterialis illius poteſtatis univerſale & monarchicum caput repudiant.

(*e*) EIQVE SVBJACERE VOLVNT. Hanc diſtinctionem non agnoſcunt *Pontificii*, quibus ampliſſima eſt *Epiſcopalis Juriſdictio*, dum eam diſtribuunt in illa quæ ſunt aut *Ordinis*, aut *Legis Diœceſanæ*, aut *Status*, ut Jus Epiſcopale partim internum haberi poſſit, partim externum: idque poſitum vel *in officiô* vel *in beneficiô*. *Officiô*, in audientia & diſciplina, quam utramque voce *Juriſdictionis* ſpecialiter appellant. *Beneficium* verò ſit tum *Dignitatis* ſive Conditionis, quò & privilegia Cleri pertinent, illi *Statum* vocant; tum Reverentiæ & *obedientiæ*, quam Epiſcopo ſuo debent Diœce-

Diœceſani. Quapropter etiam apud ipſos *Lex Diœceſana* audit. Ex his apparet ſatis, quantum illi abſtrahant Imperatoribus, quaſi *incapacibus* ejus poteſtatis, & ad Epiſcopos, eorumque Jurisdictionem, redigant.

(*f*) DEPENDENTIA. Eſt tamen quod circà dependentiam hanc diſtinctè habendum ſit, de quô *§. 2. cap. ſeq.* dicemus.

(*g*) HOBBESIANI. Quos inter etiam eſt ex Remonſtrantibus *Simon Epiſcopius*, qui omnem curam & Imperium ſacrorum *ad Magiſtratum* refert; quanquam non penitùs *Hobbeſium* approbet.

(*h*) CREDENDI CAPITVLA. Equidem *H. Grotius II. cap. 20. §. 45. de Jurè B. & P.* capita *quatuor* & ipſe prodit, in quibus Religio conſiſtat; quem tamen ibi refutat *Oſiander*. Profanus eſt magis *Herbert*. de Cherbury in Tr. *de Religione Gentilium*. Quadrigam quidem & Ipſe *capitum Religionis* conſtituens.

IV. Ex his ſententiis eligere aliquam aut improbare, ei, qui in univerſum excuſari mallet, juris duntaxat ſcientiam profeſſo, grave & anceps, neque temerè, videtur. Faciendum tamen eſt, quando & operis inſtitutum & exempla aliorum, & neceſſitas refutandi pernitioſa principia, id nobis imponunt. Si quid errati obrepat, veniam JCti haud gravatè ſperemus.

V. Extrema vitabimus, ſequemur ὑπόθεσιν ex omnibus mediam, loco tertiam, quæ *Conſtantino* Magno adſcribitur, ſanô ſensu *intellectam*. (*i*) Neque enim adhuc ſatis conſtat, quomodò Conſtantinus ſuam diſtinctionem rerum, quæ intra Eccleſiam ſunt, intellexerit. Accepit verò Epiſcopatum ſuum de Officio boni Principis in convertendis ad reſipiſcentiam, fidem pietatemque Civibus ſuis extrà Eccleſiam, hortatu, legibus, exemplô. Non igitur de regimine Eccleſiæ *externo*, ſicut vulgò putant & putavit Clariſſ. *Vedelius*; nec etiam contrà *Paganos* ſolos, ut deſtitueret eos, ſicut *Perronius* Cardinalis * loquitur. Etſi verò Conſtantinus Epiſcopatum ſuum iis verbis ita non intellexerit, ut Regimen externum Eccleſiæ ſignificarent; nihilò ſecùs tamen id ipſum ſibi competere ſemper aliàs ſenſit, neque deſtitit ipsô actu exercere. Ejusmodi autem Regimen ad ſummam poteſtatem pertinere, probamus hâc ratione, quia ſumma poteſtas omnia rerum hominumque (de actionibus, non de animi ſententiis loquimur) in civitate ſuo Imperio complectitur: Præter ea, quæ Deus nominatim ab hominibus exegit, & immediatè ſuo ſolius tribunali addixit. Cujus generis non omnia, quæ ad Eccleſiam pertinent, & ab Eccleſiaſticis aguntur, eſſe exiſtimamus. Quoniam multa ex illis reperiuntur, quæ eſſe & non eſſe, quæque aliter eſſe poſſunt. Quæ autem Deus

Ff 3 ſine

sine medio & expressè postulat, ea non posse aliter se habere, manifestum est.

* in Sermonibus *Pithœanis*.

(*i*) INTELLECTAM. Quippe quòd dubium exortum fuit circa sensum distinctionis illius *Constantini M.* rerum, quæ *intrà* & *extrà* Ecclesiam sunt: Quam quidem ex *Eusebio* pluribus recenset Auctor *in nova Editione cap. XXV. §. 16. usque ad fin. & in §. 1. c. 26.* ubi rejicit *Vedelium*, quem hîc in notis quoque citat, quando is de regimine *externô* Ecclesiæ istud intellectum voluit; cùm tamen *Episcopatum* sibi vindicet *Constantinus* in officiô boni Principis in convertendis ad Resipiscentiam, fidemque ac pietatem civibus suis præeundô, extrà Ecclesiam hortatu, legibus, exemplô. Quò respiciunt ea, quæ superiùs diximus, attendenda esse, ut *Principem* quemlibet, etiam Paganum seu *infidelem*, qui Episcopatum eiusmodi *non omni ex parte* tenet, & *fidelem* discernamus. *Vedelius* ille disputationem scripserat *An. 1638. Daventriæ*, de *Episcopatu Constantini M.* quam cum refutarent *Triglandus* & *Revius*, inde Contentiones de limitibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ & cognitionis de Rebus fidei, exortæ sunt: quantum ex istis attribui oporteret *pastoribus*, quantum *Magistratui seculari*, & quantum simul etiam auditoribus, adeòque cœtui universo junctim sumto, competeret. Et quidem *Triglandus* & *Revius* ipsi in terminis variant, discordes & imò dubii; ut tamen cumprimis res *fidei* cum rebus ad *mores* & regimen pertinentibus confundant. Nec verò dissensiones illæ in *Belgio* fortuitæ sunt, postquam Provincia quælibet Majestatem sibi servavit; ex quô factum est, ut subinde contraria Decreta publica ab Anno 1570. in Rebus Ecclesiæ emanaverint.

VI. Propositionem, quod omnia, in Civitate, præsertim quæ ad universos spectant, summæ potestati absolutè consideratæ subjiciantur, ita ut juberi prohiberique possint: Et rursus, quòd ea, quæ Deus necessariò exigit, suæque cognitioni verò sine medio reservat, humanis imperiis mutari nequeant, neminem prævideo negaturum. * Quare ad approbationem sententiæ, quam suscepimus, duæ res explanatæ sufficient. Prima quænam sint ea, quæ Deus necessariò exigit, suoque tantùm obnoxia vult esse judicio. Dein, quæ res ad sacra pertinentes non sint ejus naturæ, verùm abesse aut diversimodè se habere possint.

* *Ratione Clariss.* Vedelii: *quòd potestatibus Ecclesiarum Jus in Ecclesiam competat,* eò quod plerumque præcipua sint Ecclesiæ membra, (†) *quod ille passim urget, in tract. de Episcop. Constant. M. nos non utimur; quia de jure quod potestati, jure potestatis, & quà tali, adeoque & infideli, competit, agimus. Ecclesiæ membro utcunque præcipuo, quatenus pars totius est, nihil juris, quàm ex consensu Ecclesiæ, adscribi potest; Eminentia autem ad illud jus ex consensu acquirendum ratio magis suasoria & probabilis est, quam sua vi efficax & necessaria.*

(†) EO QUOD PLERUMQUE PRÆCIPUA SINT ECCLESIÆ MEMBRA. Loquitur autem *Vedelius* de potestatibus *Christianis*. Et quamvis *Auctor* respectum illum, quô Princeps *fidelis* est, penitùs seponendum esse velit; tamen hoc cum ipso agnoscendum non est: Siquidem Princeps

ejusmo-

ejusmodi in his, *quæ poteſt ampliùs quam infidelis*, non modò unicum illum reſpectum habet, quô ùt *membrum* Eccleſiæ conſiderandus ſit, ſive *præcipuum* inter reliqua, ſive, in nonnullis, ùt *quodlibet* eorum *aliud* (quamvis & in hôc diſcrimine, Principis, ùt *capitis*, diverſam rationem eſſe ſatis appareat,) verum etiam quà *Princeps* eſt *Chriſtianus* & *manu* valet; unde ratio *Vedelii* rem totam non conficit. Re ipsâ tamen verum eſt; (ſecùs atque *Auctor* opinatur,) *Principem Chriſtianum*, in eo tantùm ab infideli differre, quod Chriſtianus *membrum Eccleſiæ* ſit, quò infidelis neutiquam referri debet.

VII. Neceſſaria Dei præcepta ſunt vel naturalia vel revelata. *Naturalia* de quibus actum ſupra *cap.* 2. videlicet, quæ neceſſitatem aut turpitudinem habent moralem. Cujus rei *diſcretionem* (*k*) Deus cordibus noſtris, quod indubitatò ſentire queamus, impreſſit. Quam Legem non ſcriptam, Legem cordibus inſcriptam, & Gentiles & Chriſtianorum Doctores, audivimus locô citatô, prædicantes, & utrosque *Deum Auctorem* (*l*) laudantes. *Revelata* ſunt, quæ Deus benignè, ſalvâ juſtitiâ ſuâ, ad ſalutem corrupti & perditi generis humani per filium ſuum procurandam, miniſterio Prophetarum & Apoſtolorum manifeſtavit, & ſacris utriusque fœderis libris comprehenſa voluit. Quorum capita credimus â Deo eſſe, non ex auctoritate cœtûs præſentis fidelium, quem *Eccleſiam vocamus*: (*m*) neque ex hiſtoricâ *fide miraculorum*, (*n*) quibus olim illa in terris obſignata leguntur. Quoniam efficacia rationum illarum fundamento humanæ auctoritatis carere non poteſt, inque eam reſolvitur; ita ut *credulitas* magis quàm certa fides eſſe videretur. Neque etiam ſolis nitimur indiciis & argumentis veritatem ſanctimoniamque ſcripturæ ita perſvadentibus, ut naturali quoque rationi convincendæ ſufficere poſſint. (*o*) Fieri enim vix poſſet, ut infirma rationis conſcientia adverſum cavillos impiorum ſine perturbatione ſe contineret, quin ſæpiùs vacillaret.

(*k*) DISCRETIONEM. Ut non habeamus illam ex ſolâ informatione vel exemplis aliorum. jung. *Auct. d. cap. §. 14.*

(*l*) DEVM AVCTOREM. Quod illuſtrat *Auctor. d. cap. 15. - 18.* ubi diſcernit probabilia, (quæ appellat:) hoc eſt, præcepta remotiora â neceſſariis.

(*m*) ECCLESIAM VOCAMVS. Maximè *repræſentativam* univerſalem, quam videlicet DD. vel etiam delegati Eccleſiæ, in Concilio univerſali, quà haberi poteſt, repræſentant. *Syntheticam* etiam Eccleſiam vocant, internam & externam ſocietatem fidelium, in unâ, etiam particulari, Eccleſiâ. Uſurpat verò *auctoritatem* Eccleſiæ *univerſalis* in particulares, ratione objecti *realis*, in negotiis gravioribus de fide & moribus univerſarum; ratione *perſonalis* in homines, quorum dicta & facta ibi judicantur. Ipſa autem Eccleſia & *auctoritas* illius hâc ratione primariò & radicaliter ſe exſerit per omnes omninò fideles, dum hi partim præſcribunt, ùt DD. & Epiſcopi: partim ratihabent, ùt cæteri omnes. Sed an *Eccleſia errore* poſſit,

possit, ex eô facilè definitur, quòd promissiones divinæ de conservandâ doctrinæ puritate in Ecclesiâ *conditionales* sint. Nimirum si in sermone Christi perseveraverit: *Joh. VIII. v. 31. c. X. v. 24. 27.* id quod maximè obtinet in Ecclesiâ quâlibet *particulari*; qualis etiam *Romana* est. Quòd enim plures talium defecerint, exempla satis loquuntur: quare, quod *Matth. XVI. v. 18.* de portis inferorum non prævalituris habetur, accipiendum est de Ecclesiâ *universali*, & exhinc particulares quidem *divisim* deficere, sed conjunctim non possunt; etenim *Spiritum veritatis* Christus promisit primò Apostolis. *Joh. XIV, v. 16.* id quod ad Ecclesiam *universalem* quoque secundariò pertinet, si normam Apostolicæ doctrinæ secuta fuerit: nam ita non recederet ab ore nostrô *Es. LIX. v. 21.* Interim de Ecclesiâ *universali* quoque tenendum est, quòd illa *errare* possit tanquam aggregatum omnium particularium; sed ita tamen, ut haud unquam possit amittere *fundamentum doctrinale & reale*, cui salus fidelium superstructa est. Denique locus *Joh. XVII. v. 17.* de Ecclesiâ *invisibili*, sive cœtu electorum, loquitur.

(*n*) Fide miracvlorvm. Nam hæc ad Ecclesiam *constituendam* prædicuntur *Es. XXXV.* Succedaneis opus non est, quin potiùs circa illa cavendum esse monetur *Matth. XXIV. v. 24.* Maximè quòd propria non sint miracula veris Doctoribus; sed & Pseudoprophetarum sint *Matth. VII. v. 2.* & Anti-Christi: *2 Thess. II. v. 9.* qualia per præstigias quoque & magiam confici possunt; quæ quidem mirabilia rectiùs quàm miracula dixeris.

(*o*) Svfficere possint. Quoniam ratio naturalis res spirituales percipere nequit, ut Auctor *in novâ Editione* monet *cap. 26. n. 22.* Interim sicuti cum *Pontificiis*, qui ad externum Ecclesiæ testimonium provocant, faciendum non est; ita nec cum *Reformatis*, & sic Auctore h. l. ad internum Spiritûs Sancti testimonium simpliciter confugere oportet; quin potiùs utrumque & cum eô insita sacris ipsis criteria, quæ divinam circà scriptum hoc providentiam arguunt, jungenda sunt: qualia apud *Nostrates* ibique tradita reperiuntur.

VIII. Quod *Hobbesius* * cum superciliô negat, id nos adserere, quatenus Christiani sumus, non est quod pudeat. Scilicet si dixerimus, largiri Deum verè credentibus *testimonium Spiritus sui*, quo de veritate eorum, quæ sacris literis ad salutem suam necessaria, continentur, prorsùs sint certi ac adseverati. ** Qua de re plura dicenda erant, quibus hoc tempore collocandis supersedemus. Nisi quatenus contra *Hobbesium* mox nonnihil subjungemus. Saltem id è sacris adfirmare non dubitamus, esse illam ejusmodi gratiam, quæ non tantum comitetur & adjuvet naturalem judicii vim, ut capita fidei recte apprehendat; quod tamen omninò etiam præstat; *Sed insuper quæ â rationali demonstratione* (*p*) ac apprehensione, nec non à rectæ conscientiæ gaudiô plane & perspicue diversa totôque genere distincta ac evidenter sine medio mentibus affusa sit. *** Videlicet præter motûs ordinarios, hodieque dantur sæpe motûs *extraordinarii*, â motibus *Enthusiastarum* discrepantes, quòd hi discedant â declaratione Spiritus in verbô scriptô, eique sæpe contrarientur, contra quam inspirationes piorum. Frustrà exceperis, quod imaginarium esse queat hoc testimonium; siquidem

quidem ad tempus nec verè credentibus tale quid evenire dicitur. Cum enim consistat hoc testimonium in πληροφορία, id est certitudine animique persvasione penetrantissimâ, scrupulus de veritate fallaciave non cadit in illos. Præter quod minimè desunt rationes, quibus ludibria mentium, passionesque animi ferventiore motu spirituum animalium concitatæ vel imposturæ geniorum â sanctis motibus discerni queant. Jam si certitudo scripturæ sacræ & norma credendorum divinitùs præscripta in cordibus tam efficaci testimonio obsignetur, palàm est *fidem* nullo, quàm solius Dei judicio Imperioque esse subjectam, Idque non modò quod ad illam summam regulam attinet, *Jesus est Christus Dei*, ùt Hobbes vult, sed respectu omnium, quæ in Scriptura traduntur: siquidem ea Deum habent Auctorem, qui omnem suam voluntatem â singulis fidelibus vult percipi & impleri; quòd hi certò nolunt, etsi non omnia singulaque pari certitudine perspiciant.

* *c. 18. §. 6. & 14.*

** Vid. *Epist. ad Rom. c. 8. v. 10. 16. 1. ad Corinth. 2. v. 4. 9. 12. 13. & 1 Johann. c. 5. v. 10.*

*** Calvin. *l. 3. Inst. c. 2. §. 14. Johannes testatur*, inquit, *fideles scire, se esse filios Dei, & sanè certo sciunt, sed divina veritatis persvasione confirmati magis, quàm rationali demonstratione edocti.* Et mox: *unde statuimus fidei notitiam certitudine magis quàm apprehensione constare.*

(*p*) SED INSVPER QVÆ A RATIONALI DEMONSTRATIONE. Videlicet *Reformati* nimium interno testimonio tribuunt, etiam quod *certitudinem salutis* attinet; de quô nos ita statuimus, quòd habere quis certitudinem possit de *prædestinatione* infallibilem in hâc vitâ, ante finem vitæ, conditione quippe nunc in actu positâ, etiam *absolutam*. Discrimen verò *Pontificiorum* à nobis in eô est, quod illi *hypotheticam* quidem certitudinem habeant, ante finem vitæ, & in ipso fine *absolutam*: attamen solùm *probabilem*: sed â Calvinianis, quòd hi ante finem vitæ *absolutam* esse asserunt, sed solùm *probabilem* & *fallibilem*: & tamen illi nil nisi *hypotheticam* probant; siquidem textus *ad Rom. VIII. v. 29.* de separatione loquitur, quòd illam Deus *ex parte sua* non facturus sit. Sicut etiam electionis pœnitentia Deum non capit *Rom. II. v. 29.* Et certum est, illum nihil ad salutem nostram intermittere, *Philipp. I. v. 6. 1 Cor. I. v. 8. Rom. VIII. v. 39.* Interim penes nos situm est, an perseveraturi simus, & hæc est hypothesis ante finem vitæ. vid. *Matth. XXIV. v. 13. Apoc. II. v. 10. c. III. v. 11. v. 17. 26. c. III. v. 5. & 12.* In *fine* autem *vitæ* possumus, ex requisitis fidei, notitia & assensu, inprimis *fiducia*, meritum Christi apprehendente, *absolutam* habere *certitudinem* beatitudinis, & hinc in *Matth. XXIV. v. 24.* electi dicuntur *non posse seduci finaliter.* Utique *Reformati*, currente vitâ *absolutam* certitudinem ex *internô* testimoniô suô non tantùm ideò habere non possunt, quoniam fidei & virtutum futuri seculi gustus etiam *reprobis* tribuitur; *Ebr. VI. v. 4. & seq.* Verùm etiam an *persistituri* sint, certi esse nequeunt. De persvasione enim omninò docere non licet, eam per se fallere posse; idque rectè hactenùs cum *Auctore*: ne hoc ipsum quoque ad instantem vitæ finem quis applicet. De eo quid addere nunc non vacat, quid *vires naturales* circa divina possint: satis enim hoc ipsum â *Nostratibus* adversus *Pelagianus* munitum est.

 IX. In-

IX. In universum igitur, quicquid ad internum jus conscientiæ pertinet, seu naturale sive revelatum, cùm immediatè subditum sit Deo, ipsius duntaxat jussio prohibitioque in illis spectari debet. Ideoque nulli Imperio civili vel Ecclesiastico quicquam juris est in illis vel prohibendis, vel augendis, vel mutandis.

CAPUT XXIII.

Quo usus sententiæ electæ explicatur.

ARGUMENTUM.

Quæ ex naturalibus præcepta sint immutabilia honestate morali, quemque satis conscientiam docere. Ex Sacris propriè dictis, primo, confessionem fidei ad intrinsecum jus conscientiæ pertinere, quæque ad cultum Dei præterea spectant, jus quoque clavium, & Doctores statuendi. Circa illa tamen omnia verti jus civilis potestatis, modo quæ divinitus præscripta non mutentur: specialiter quid faciendum, si de capitibus fidei non conveniat. Modum gubernandi Ecclesias videri externum; proinde Imperio subjectum, idem fortè de electione pastorum, sub cautionibus certis. Personas & res Ecclesiasticorum non eximi Imperio civitatis. Bona tamen Ecclesiarum alienari non posse ab Imperantibus. Quid Juris habeat Princeps, qui à civibus suis in rebus sacris dissentit.

I.

PErtinet igitur sine dubio ad jus illud internum *confessio fidei*, quæ ex sacris literis petenda est, & cujus ratio soli Deo debetur. Quam proindè Imperium civile nec imperare, nec prohibere potest, ùt dictum.

II. Hinc cohæret facultas exercendi *cœtus* fidelium, eô numerô, qui ad excitandam religionem credentiumque communionem sit necessarius. Eòdem spectat judicium de fugiendo illorum consortio, qui fictam fidei adseverationem morum improbitate detegunt. Nam ratio unionis inter fideles & metus contagionis è peccatis ad internum jus conscientiæ pertinet. Hinc sequitur, *jus clavium* (*a*) quod dicitur, esse merè Ecclesiasticum. Et â cœtu fidelium contrà cujuslibet hominis conditionis, sibi aggregatos, rectè exerceri. Non quod juris aliquid coactivi habeant, sed quatenus se illis duntaxat, quos sciunt esse pollutos, subducunt. Quam ad rem necessum est, competere Ecclesiæ aliquod

aliquod jus cognoſcendi de moribus & pronunciandi indignos gratiâ cœleſtium rerum. Idque etiam ratione *doctrinæ*; non quòd eam alii imperare queant, ſed denunciare poſſunt diſſentientibus, ſe non poſſe cum illis habere cultum eundem, & ſigna communis gratiæ; Quamdiu ita ſentire ſe profitentur, ut in ſummam doctrinæ ſalutaris impingere videantur. Denique *Doctores* ſibi & *Rectores*, qui in omni cœtu ſunt neceſſarii, præponere poſſunt Eccleſiæ.

(a) JVS CLAVIVM. Hoc *paſtoribus* tribuitur *Joh. XX. v. 23. Matth. XVIII. v. 18.* & hinc ad forum *interius* refertur; ſiquidem ad ſententiæ dictionem & executionem ſpiritualem brachium ſeculare non requiritur. *1 Cor. V.* Interim quoad cognitionem & ſententiam, circà innodationem publicè flagitioſorum, & enodationem illorum, pœnitentium, hoc eſt excommunicationem, & abſolutionem â vinculô excommunicationis, requiritur unà, quoad exercitium, conſenſus & ſententia plurium, ſcil. totius Eccleſiæ *Matth. XVIII. v. 15. 16. 17. 1 Cor. V. v. 8. 2 Cor. II. v. 6. 8. 10.* Quantum autem ad *vim executivam corporalem*: ita nec paſtorum eſt illa, nec præcisè Eccleſiæ: ſed ad poteſtatem *civilem* pertinet. *Conſiſtoria* verò repræſentant in his, quæ conſenſum publicum deſiderant, Eccleſiam, indeque *excommunicationes* etiam ratione exercitii miniſterium ſuſcipere non poteſt. Ex quibus conſtat, non rectè *Auctorem* jus *Clavium* in ſolidum ad *merè Eccleſiaſtica* referre; quamvis volvi dubius videatur in hôc articulô.

III. Atque hæc omnia, ignaris quoque ac invitis Imperantibus, fieri poſſe, conſentaneum eſt; Sicut ab Apoſtolis primiſque Chriſtianis, ex mandato Domini, contrà voluntatem Imperatorum inſtituta ſunt. Quamvis autem hæc Eccleſiæ ab imperantibus adimi & interdici nequeant: inde tamen non ſequitur, nullas in his rebus eſſe partes Summæ Poteſtatis, quæ eſt in quâque Republica. Nam in ſumma verum eſt, Principes habere jus exercendi quoslibet jurisdictionis imperiique actûs in ſuos cives eorumque actiones, omniaque dirimendi, quæ ad conſtituendum, augendumque Dei cultum pertinent; modò nihil inquam derogent iis, quæ a Deô determinata ſunt. Ut per partes eamus, primo quod ad fidei confeſſionem attinet, ſi hæc imperantibus ad animum pertinet, jus habent eos, qui evidenter ſecùs, quàm fert publicus Eccleſiæ conſenſus, docere inſtituunt, ultrò cohibendi atque coërcendi. Si de conſenſu Eccleſiæ dubitetur, partes utrimque ad ſilentium de controverſiis adigendæ: diviſiones interim molientibus pœnâ pro modo commiſſi ſtatutâ, donec deciſio (*b*) ab iis, qui numero in Eccleſia prævalent, interponatur. Siquidem in hoc mundo alius controverſiarum exitus non datur. Juxta hunc conſenſum

poteſtas edicta condere & leges quibus concordia ſervetur, ipſique Eccleſiæ Doctores pareant, præſcribere poteſt. Convictis aut conſenſu reliquorum ſuperatis ſeparatisque, tantum libertatis ſeorſim dabit, quantum expedire judicabit: quæ res ad conſcientiam cæterorum, quibus integra cauſa eſt, ſpectare non videtur. Quod ſi inferiores publicæ quieti non ſint adverſi nec apertè blaſphemi, pœnis nec corporalibus nec pecuniariis mulctari poſſe videntur. Nec quidem ob cœtûs modicos, ſacrorum causâ duntaxat celebratos; niſi contra Schismaticos ſecus videatur, maximè ſi diſcrimen adeo modicum ſit, ut contumaciæ, quàm religioni, res propior videatur.

(*b*) Decisio. conferantur ea, quæ de exitu infelici *Synodorum* habet *Lentulus L. IV. Apicis Rom. Glor. c. 9.*

IV. Alioqui jus celebrandi ſacrorum communionem & divini *cultus* civili poteſtati non eſſe obnoxium, anteà diximus: quemadmodum nec eſt cenſura & animadverſio morum atque doctrinæ, unde nec appellandi facultas ad ſummam poteſtatem harum rerum causâ datur. Quod tamen non impedit, quò minus huic advertere liceat, ne quid enormiter hac occaſione committatur, neve ſub prætextu religionis aut cenſuræ, factiones inimicitiæque exerceantur.

V. Siquidem conſenſu Chriſtianorum, ſalvâ religione & fidei concordiâ, hæc res aliter atque aliter ſe habere poteſt. Nec in literis ſacris quicquam per omnia certum & immutabile conſtitutum legitur. Quod autem in illis primitùs obtinuiſſe liquet, hodie nusquam exactè ſervatur. Ratio igitur regiminis Eccleſiaſtici a poteſtate ſumma præſcribi *poſſè videtur*, (*c*) modo nihil a Domino prohibitum inſtituatur.

(*c*) Posse videtur. Hic verò commodum *de ceremoniis* eſt in Eccleſiis disquirere. Videlicet illæ pars cultus divini non ſunt; ſicuti *in Vet. Teſtamentô*: quæ quidem exhibitô Chriſtô penitùs ceſſarunt. Nempe cultus *electitius* â Deo rejicitur. *Matth. VII. v. 13. Coloſſ. II. §. ult.* & exhinc ceremoniæ, quibus nunc utimur, ex *Chriſtianâ libertate* inſtituuntur, & retinentur. *vid. Galat. II. v. 3. ſqq. c. IV. v. 10. & 11. c. V. v. 1. Coloſſ. II. v. 16. Epheſ. II. v. 14. Ebr. IX. v. 13. c. X. v. 1.* maximè quòd ſcriptura Novi Teſtamenti ſolum *ordinem* in genere commendet. *1 Cor. XIV. v. 40.* junctô *Cor. XI. v. 34.* Sicut igitur ordo aliquis ab Eccleſiâ vel Ceremoniâ præſcripta *conſcientiam* ſecundariò obſtringit; *Matth. XVIII. v. 17.* & imò *neceſſitatis* eſt, in ſtatu confeſſionis: ſicut in *Exorciſmô* inter ritus baptiſmi in hoc conſenſum fuit, quoniam *Crypto-Calviniani* in terris *Saxoniæ* eundem non ſimpliciter, ùt externum quid, ſed quò ſimul *virtutem baptiſmi* ſubverterent, tolli volebant, in Eccleſiâ retinendum eſſe: ita non approbantur *adiaphora* cujuslibet perſonæ, quippè quòd Eccleſia tantùm talia ordinare poſſit. Non enim *pro adiaphoris* vendenda ſunt, quæ ad ea non pertinent.

nent. Aliqua etiam eorum, licet mandatum non habeant in sacris, habebunt tamen *exemplum*, ut est privata confessio & absolutio, item ordinatio Ministrorum per manuum impositionem: & hinc firmiùs cœteris retinentur. Porrò ad dispositionem *Liturgiæ Sacræ* pertinet ratio *Calendarii*, Festorum scilicet & Dierum; quæ quidem potestas itidem summi est Imperii *Civilis*. Quocircà Pontifici nequaquam debetur. vid. *Fritsch. in Elect. Jur. Publ. c. XIII. p. 444.* Speidel *in Notabil. voce* Calender, & quæ in modernis Comitiis hac de re tractata sunt.

VI. Prætereà modus & tempus aliæque circumstantiæ exercendi illa jura, hoc est, edendi confessionem fidei, instituendi conventûs atque censuram, adeòque tota ratio gubernandi cœtus credentium, non est ita proprius Ecclesiæ, ut Summæ potestati hâc parte nihil juris aut inspectionis sit comparatum.

VII, Multò magis in consiliis & conciliis Præsulum Legatos Reipublicæ adesse, tàm juris quàm politices ratio permittit, & sæpenumero postulat. Proinde & in illis quæ ad jus externum spectant â Collegiis presbyterorum ad potestatem civilem appellari posse, manifestum est.

VIII. Facultas eligendi Doctores rectiùs quidem omninò cœtui fidelium ipsi totum relinquitur. Non tamen videtur ad internum & inseparabile jus conscientiæ referendum; modò non admittantur, quàm qui â peritis rerum sacrarum idonei ad docendum sint judicati; omnibusque potestas conquerendi refutandique libera detur. Quibus servatis, conscientiæ satis consuli, nec absurdum esse videtur jus eligendi ab Imperantibus exerceri. (*d*)

(*d*) Exerceri. Equidem moderni *Batavi* plerique seducti ab Episcopis *Anglicanis* soli clericali Statui asserunt *jus vocandi & removendi pastores*. Ita *in refutatione Vedelii Revius* & *Triglandus*, ùt & *Apollonius de Juribus Majestatis circà res Ecclesiasticas;* quasi Magistratus & plebs postquam Consistoria constituta sint, nihil juris in eo sibi reservaverit. Et tamen hi nihil aliud probant, nisi quòd *substantia Ministerii* ad Deum referenda sit. Ex quo tamen non sequitur, Statum secularem & Principem cumprimis, ab externis circumstantiis excludendum esse; Iidem *Batavi* defendere nituntur â judiciô Ecclesiasticô ad summum Status totius Magistratum *provocari non debere*. Equidem cùm in *Anno 1640.* de Reformatione Ecclesiæ, *in Anglia*, ageretur, aliquibus pro *Presbyterianismo*, cœteris pro *Independentismô* nitentibus; tandem quidem *Episcoporum regimen* abrogatum est, & Independentes facti superiores, siquidem *presbyteriale* illud re ipsâ Episcoporum potestatem in Ecclesiis sibi asserebat; nomine tantùm, & pompâ *Episcopali* sublatis: ex quô deinceps *Presbyterianismus* ille collegia quoque Ecclesiastica in *Belgiô* eâdem hæresi, quam nunc diximus, infecit, *add.* Horn. *Period. III. Histor. Eccles. §. 49.* Rem ipsam quod concernit, *vocatio* si passivè respiciatur est *totius Ecclesiæ 1 Petr. II. v. 9. Apoc. I. v. 6.* generalis videlicet; *personalis* verò est certarum personarum, ad docendum & Sacramenta administrandum: atque *ministerii* est unius, seu ad *Statum Ecclesiæ* respicit. *Activè* ratione objecti, est vel *indeterminata* vel ad certum auditorium *restricta*. Ratione *formæ* vel *immediata*, quò refertur etiam exemplum *Act. I. v. 26.* quod ex

ſorte cum obteſtatione Dei peculiari contigit; vel *mediata*, quæ tamen & ipſa divina eſt. *Hæc* verò adſcribitur meritò *toti Eccleſiæ*, & ſic *tribus ſtatibus* ex quibus illa conficitur; maximè quod omnium tangat animos, ut idoneum Doctorem habeant. Illud volunt textus Sacri *1 Cor. XVI. v. 3. 1 Tim. III. v. 7. Act. VI. v. 3. c. XIV. v. 23. c. XV. v. 2.* & quod tota Eccleſia *claves* regni cœlorum habeat, unde & praxis Eccleſiæ primitivæ in conſtituendis Eccleſiæ miniſtris iſtâ ratione inceſſit, vid. Reinking *Lib. 3. de Regim. Secul. & Eccleſiaſt. Claſſ. I. c. VI.* & Carpz. *Lib. I. conſiſt. tit. 3. defin. 27.* Licet autem Pontificii ſimpliciter illam conſtitutionem *Pontifici* & *Clero* tribuant; tamen nos vocationem *Lutheri* etiam iſtô modô legitimam fuiſſe aſſerimus; cùm *presbyter* fuerit, ordinatus ab *Epiſcopô* ſuô, Marchione Brandenburgico *Anno 1507.* ætat. 24. & ad Profeſſionem Theologicam Wittenbergenſem â generali Auguſtinianorum, *Staupiſio*, Electoris Saxon. adnutu & confirmatione *Anno 1504.* dehinc etiam *Anno 1512.* in *Doctorem* promotus, & ubique ad *doctrinam ſalvificam* profitendam religione jurisjurandi adſtrictus fuerit. In noſtris Eccleſiis & jam ante reformationem, actus illi, quibus *Miniſtri* conſtituuntur, varii ſunt. Sic enim *præſentatio* perficitur ab eô, qui jus *Patronatûs* habet, *vocatio* quandoque ab ipsô eôdem, quandoque ab alio, & vel ipsô cœtu, cui Miniſter præficiendus eſt. *Scrutinium* ſuſcipitur ab Epiſcopô, vel quem in hoc Conſiſtorium deputat. *Ordinatio* non eſt ſolius Epiſcopi, ut Pontificii volunt, verùm *bresbyterii* ſeu aliorum, qui ad miniſterium ordinati ſunt, indeque Pontificii ordinationem ad *jurisdictionem* quandam ſeu poteſtatem, & ſic ad jus Epiſcopale, perperam referunt. Non enim ordinatio pertinet ad *vocationis* eſſentiam, ſed ad *capacitatem vocandi declarandam*, licèt exemplo in ſacris prodito conſtet, atque ſic *neceſſitatis* quid habeat. *Act. XIII. v. 2. 1 Tim. IV. v. 14. Mareſius* quidem etiam *per Laicos* illam fieri poſſe cenſet, cui & *manuum* illa *impoſitio* ſolùm *votiva*, ſed non ordinis collativa habetur. Interim ille nimium abſcedit, nec ſimpliciter ad *votum* ordinatio referenda eſt, quemadmodum nec *poteſtas* Miniſterii per illam confertur: interim locô *declarationis* eſt, quam Eccleſia primitiva per miniſterium fieri voluit. Denique *confirmatio* per *principem* accedit: & ad hæc, quæ *poteſtatis Epiſcopalis* habentur, pertinet; quò etiam referendum eſt, quòd licet *Paſtorem* aliquem *primarium* non minus *vocet* tota Eccleſia; tamen Ephoriam ſeu *Superintendentiam* illi Paſtori jam conſtituto ſolus committat *Princeps*, ut hactenus *Epiſcopi* cujusdam locum ſuſtineat. *De exauctoratione* miniſtrorum Eccleſiæ conf. Carpz. *Lib. III. Juriſpr. Eccleſiaſt. tit. 10. defin. 109.*

IX. Perſonas & bona Eccleſiaſticorum Imperio Civili nullo jure *ſubduci* extra controverſiam collocamus; ut & publicis præſtationibus ac pœnis propter commiſſa Legum ſine dubiô ſint ſubjecti. Etiam ut ob malos mores, causâ cognitâ, non tantùm ſtipendio, quod è publico capiunt, ſed & munere docendi *certô locô* (e) privari poſſunt.

(e) Certo loco. Et tamen non apparet, cur non ubique depoſitio hæc locum invenire debeat? De cætero *exemptionum* una reſpicit *forum*, altera munera civilia ſeu *immunitatem* in ſpecie dictam. De utrâque *Arniſæus in tract. de exemptione Clericorum* adeundus eſt. Equidem *Clerus* communiter Auditores quoslibet notat *1 Petr. V. v. 2. ſeq.* Pontificii autem id nominis perſonis Eccleſiaſticis, quaſi in *ſorte* Domini peculiariter conſtitutis, vindicarunt. Sunt autem Clerici, quoad perſonas & res ſuas Principibus ſeu *Magiſtratui ſeculari* ſubjecti. vid. *Rom. XIII. v. 1. & 5.* etiam infideli *dict. loc.* & malo. *1 Petr. V. v. 12. c. II. v. 17. & 13. 1 Reg. II. v. 26. Matth. XVII. v. 27. Act. XXVI. v. 32.* Et inſipidus planè *Papa* in *cap. ſollicitè. de Major. & obed.* Utique exemptio *Juris divini* nequaquàm, ſed humani eſt. Et quamvis Principes exercitio poteſtatis ſuæ exuere ſe potuerint; *habitu* tamen haud unquam id potuêre, cumprimis quòd etiam *damna* plurima exemptionem Cleri inſequantur; ceu oſtendit *Arniſæus dict. Tract. c. II. p. 18.* conf. etiam *Lentulum L. IV. Apicis Rom. Glor. c. 6.*

X. Bona

X. Bona tamen Ecclesiæ in usus Reipubl. convertere non possunt; nihil magis, quàm res cujusque privati: quia Ecclesiam esse cœtum à civitate distinctum, secùs ac vult Hobbesius, nobis indubitatum est, & ex dictis jam liquet. Quatenus tamen Respublica & Ecclesia aliter servari nequit, aut ob causas valdè pias, *alienari possunt*; (*f*) quoniam ad tales usus vel maximè comparata esse videntur. Bona autem corruptæ Ecclesiæ, modò Christianæ, dicata, licet additô fine superstitiosô, fuisse & manere Ecclesiastica, etsi professio religionis emendata fuerit, dicendum putamus.

(*f*) ALIENARI POSSVNT. Solet tamen apud *Nostrates* super hâc re cognosci *per Consistoria*, quippe quæ funguntur illis omnibus, quæ ad Principis potestatem *externam* attinet, ut & *internis* illis, in quibus Principem Christianum versari oportet. Illud certum est, quòd *bona Ecclesiastica ex Papatu* ad Protestantes allata, in usus privatos regulariter converti non potuerint: non obstante *L. 5. C. de Paganis*, ex quâ diversum non sequitur. vid. Perez. *ibid.* Licèt ex his, quibus abundare videri poterat Ecclesia, Reipublicæ omninò succurri potuerit, cùm nec subsistere Ecclesia, nisi salvâ Republicâ, possit. vid. tract. nonnullos de *Secularisatione bonorum* apud *Hortled.* & quæ strictim monet *Buschius* in *tract. de natura & jure bonorum Ecclesiasticorum*, nec non Hornbeckius adv. *Bullam Innoc. IX.* adv. Instr. P. Westphal. & Diss. *Mauritii* d. *Secularisatione Bonor. Eccles.*

XI. Ex his & quæ similia sunt potest colligi, quonam sensu principes *capita Ecclesiarum* (*g*) dici queant. Solum jus externum huic titulo, si bonus est, facultatem tribuat oportet. Cæterùm esse liberum summis potestatibus *dissidere à cultu receptô* (*h*) non minùs quàm privatis, res ipsa loquitur. Nec ideò cives principi obsequium negare possunt, quod de sacris aliter, quàm prævalens populi sui multitudo, sentiat. Quin imò jus habere Summas Potestates suis symmystis publicum cultus exercitium permittendi in universum quidem indubitatum videtur. Quia etiam jus prohibendi aliter sentientibus habet, ne publicos solemnesque conventus habeant, ne majoris corporis unionem stabili regimine forment. Sed ne omninò conveniant, ne Doctores ullos habeant, ne libros legant, *ne Deum suo more colant,* (*i*) id abscisè prohiberi nequit. Quia hæc res sine mediô pertinent ad necessariam conscientiæ administrationem, quæ non est subjecta Imperio. Multò minus externis pœnis ob hæc novissima sævire licet; quia sanctio quæ pars legis est, non potest habere locum, *ubi lex ipsa cessat.* (*k*) Sed interdicere civitate heterodoxos, salvis vitâ atque fortunis, si expedire judicet, eum posse existimaverim. Quoniam

niam hoc præmunimenti adversus propagationem potiùs, quàm supplicii, rationem habere potest. Etiam ut effectus aliqui juris publici illis præcludantur; velut ne munera publica singuli, ne cœtus eorum è testamentis capiant, similiaque decernere nil vetat.

(*g*) Capita ecclesiarum. Licèt Ecclesiæ addicti non sint, vid. *Esr. c. II. v. 1.* & *c. VII. v. 27. Nehem. c. XI. §. 15.* & *c. XIII. v. 7*, ut tamen rectius dicatur, Imperatorem caput in Ecclesiâ, quam caput *Ecclesiæ* esse.

(*h*) Dissidere a cultu recepto. Quò pertinet quæstio: num *plures unâ religione* in Republica *tolerari* possint? Hoc verò *asserendum* est (1) exemplo *Davidis* & *Salomonis*, qui subactos populos â fide suâ alienos, reliquêre sacris suis; imò (2) Deus ipse in Orbe nunc diversas religiones Gentium tolerat. (3) in forô Politicô indecisum habetur, quænam religio vera sit; & sicut Reipublicæ admissio religionis diversæ sæpius expedit; aliter quàm si suppressio ejus tentari velit: ita religio non est ex eorum genere, quæ cogi possunt, cùm & Deus populum *spontaneum* requirat *Psal. CX. v. 3.* Nec *obstat*, quòd *heretici* vitandi sint *Tit. III. v. 10.* Nempe singuli & seductores; non Universitas & heterodoxi. Quamvis etiam nulla sit lucis & tenebrarum communio. *2 Cor. VI. v. 14. seqq.* Non tamen hoc ad conversationem trahendum est. vid. omninò *Rom. XIII. v. 5. 7. 1 Tim. II. v. 2. 16.* Utique Magistratus hôc ipsô contra conscientiam non peccat, quasi plures religiones veras esse posse confiteatur. Jam antè enim dictum est, in *forô Politicô* de hôc ipsô non constare; ceu nec ea semper obtineri possunt, quæ optanda sunt. Sic & inter tolerantiam diversarum religionum in *thesi* & in *hypothesi* discernendum est, cum non *qualibet* religio stare potest cum salute Reipublicæ, & quamvis eò *Pontificia* non minus referri queat, tamen etiam prospectum est in Imperio Rom. Germ. malis illis, quæ ex hypothesibus ejus in Republica metui poterant. conf. de beneficio *emigrationis* Blumium *Tit. XVIII. Process. Cameralis §. 41. seq.* ubi *art. V. Instr. Pac. §. 33. seqq.* explicat, junctô Tabore *de Metatis*, *pag. 143.*

(*i*) Ne deum suo more colant. Nec enim ea, quæ religionem concernunt, cogi possunt, aut prohiberi; quoniam *conscientiæ* Imperium solius Dei est; sicut hostis spiritualis, arma quoque *spiritualia*, & non mundana exigit; *2 Cor. X. v. 4.* Deus autem cultum spontaneum. *Ps. CX. v. 3.* Interim aliud est, cogere; aliud *reformare* religionem: Posterius admittunt exempla *Hiskiæ* & *aliorum*, qui idola detraxerunt. Sed & distinguendum est inter *invitationem* & coactionem; prioris alii modi sunt humani alii divini Juris, ad hos media tum *directa*, ut verba & Sacramenta, tùm *indirecta*, ùt crux, calamitates pertinent. Utrosque videtur indicare locus *Lucæ XIV. v. 23.* Denique *seditiosi* non tàm ob religionem quàm ob *crimen* capitale puniri possunt; quale quid per Judicium quoque *Westphalicum* Carolus M. exercuit. Locus vero *Matth. XXII. v. 7.* alienus est, quia non de contemptoribus religionis, sed de *homicidis* agit.

(*k*) Ubi lex ipsa cessat; Et verum est, *hæreticos* pœnis externis & vel ipsâ *morte* ùt *Pontificiis* placet, affici non posse; idque ex *Matth. XIII. v. 30.* ubi *de Zizaniis*; quorum evulsio absque periculo boni tritici fieri nequit; *v. 29.* quare & *spes* superest, abscedentes illos ad meliorem frugem redigi posse. Pugnat etiam hoc cum *praxi Apostolicâ Tit. III. v. 10.* ùt & vetustioris *Ecclesiæ*, quæ ad summum *exilio* usa est. Sicut autem resolutio hujus quæstionis ex priori illâ, de non cogendô religionem, pendet. Non facit pro *contrariâ* sententiâ, *Deut. XIII. v. 5. seq.* nam animadversio quidem in hæreticos fieri potest, diversô modô, & imò etiam *capitaliter*, quando ad Rempublicam turbandam quid movent. Cæterùm *textus* ille forensis est, & ad *Politiam Judaicam* æque ac facta *Jehu*, *Josiæ*, *Eliæ* & *Nebucadnezaris*, pertinet; quanquam hic blasphemiam magis puniverit. Ulterius in *Act. V. v. 5.* Deus ipse coërcuit, non hæresin, sed *criminalia:* saltem ad *homines* ea trahi non possunt, indeque *Apostoli executores* tantùm nudi fuêre pœnæ divinitùs constitutæ; *jung.* Auctor *§. 12. in fin. hic.*

XIII. Ex

XIII. Ex his judicare licet, utrum Ecclesiæ Præsulibus competat legislatio, competat jurisdictio, circà sacra, an summæ Potestati illud potiùs tribuendum. Posterius affirmatur, quatenus nihil, (hoc toties repetendum) in his quæ à Deo præfinita sunt, mutatur. De rebus ad sacra intrinsecè pertinentibus nemo mortalis habet jus ferendi leges: quia in hisce jus ligandi *conscientias* Deus sibi soli reservat; denunciatione, quæ ministerii est, commissâ duntaxat verbi ministris. Tamen etiam περὶ τῶν ἔξω, de rebus quæ aliter habere se possunt, & circà ordinem rerum sacrarum utiles sunt, Ecclesiastici rectè canones faciunt, quorum ea vis est, quam præstare queant cœtus, qui ἀναγκαστικῇ facultate carent, ita ut propriè vim obligandi a Potestate civili accipere debeant, à qua etiam abrogari possunt. Quemadmodum & Ecclesiis usurpata, quæ ad similitudinem Jurisdictionis aut Legislationis accedunt, habere speciali aut generali delegatione summæ Potestatis, sic ut ex principiô hujus doctrinæ semel stabilitô colligi potest.

XIV. Cæterùm hæc nos de eo, quod jure, non quid usquequaque in hypothesi justè fieri possit, aut quid summæ potestates facere vel sentire debeant, intelligimus. Atque in unversum, agimus de eo, non quod jure fundamentali in unaquaque civitate de religione queat esse constitutum. Etiam de potestate verè summa, non de Principe, qui Imperium habeat imminutum, loquimur. Denique non de seditiosis, *nec schismaticis*, (*l*) neque blasphemis, nec improbioribus *hæreticis*, (*m*) in quos graviùs omninò animadvertendum.

(*l*) NEC SCHISMATICIS. Et *schismaticos* quidem Auctor *dict. §. 14.* accensuit his, in quos animadvertendum sit; quos tamen in *nova edit.* omisit. *Luthero* autem malè imputatur *schisma*, quod Protestantes à Pontificiis sejunxit. Nec enim ille *communionem* deseruit sive internam sive externam; sed *Leo X.* utramque potiùs per illegitimam *excommunicationem* Lutheri (*vid. Bull. de Anno 1520. 16. Junii* in *Bullario Romano* Cherubini *Tom. I. fol. 614. seqq.* juncto *Strauchiô* in *Exotericis*) rupit, *pendente* scil. *appellatione*, ad *concilium universale* interpositâ. Videlicet *internam* fidei & charitatis communionem servavit *Lutherus* cum Ecclesia universali, ipsâque *Romanâ*; quantum ex *Scriptoribus* (ut *Augustana confessio* habet) id est, Conciliis, Patribus Orientalibus, Ecclesiis Æthiopicis, Græcis, & Testibus veritatis, in Ecclesiâ ab antiquô receptis, nota est; ceu nec per *rituum diversitatem* communio illa censeri potuit: neque enim ab *unitate charitatis* secessit. Equidem quod ipsam *unitatem fidei* attinet, contradictio nuda schisma non facit: aliàs enim plura haberent Schismata ipsi *Papæi*; nequidem si contradictio *matri* fiat: *Oseæ II. v. 2.* Quid enim aliàs de *Apostolis* & de ipsis *Pontificibus* dicendum foret, qui *Orientalibus Ecclesiis* se opposuerunt: & falsum est, quòd Orientales & Occidentales Ecclesiæ inter se *conveniant*; Nam & *Leo Allatius* in *Tract.* suô, *de perpetuâ Orientalium & Occidentalium consensione*, & alii dudum hôc nomine refutati sunt; cum hodienum

Orientales rejiciant ***Primatum Rom. Pontificis, Transsubstantiationem,*** & ***Purgatorium***, ipsamque Ecclesiam ***Romanam*** quotannis, tanquam ***apotacticam*** anathemate feriant: quin & ***communionem sub utrâque*** & ***conjugium Clericorum*** servant, ***Liturgiam*** quoque in ***vernaculâ*** obeuntes. Non etiam contradixit ***Lutherus*** Ecclesiæ ***Romanæ***, quà pura erat; imò non tàm Ecclesiæ, quàm ***Curiæ Romanæ***. Potiùs Episcopi ***Papæi Lutherum*** & ***adhærentes*** deseruerunt. Hi verò ministerium novum non instituerunt, sed ***abusus*** potiùs reformarunt.

(*m*) HÆRETICIS. De his, qui verè hæretici dici possint, ad *Tit. C. de hæreticis.* dictum est, & simul ibi admonitum, ea quæ in *jure Canon.* circa eos disposita sunt, ad *protestantes* applicari non posse; saltem, quoad effectûs Civiles, illud *Pace religiosâ* & *Instr. Pacis* sancitum esse. Intereà, quod *Lutherani quôlibet sensu* hæretici malè habeantur, ostendit *Ludov. de monte sperato.* sub quo *Conringius* latere putatur in *Differt.* ad *Instrum. Pac.* Reformatos autem Nostrates pro hæreticis habent, ùt ex his constat, quæ ad Collegium *Rintbelense*, in quô super fundamentali dissensu Nostratium ab illis disputatum est, â Wittenbergensibus & aliis animadversa sunt. vid. Kronmayer *in Scrutin. Relig. disp. V. in append.*

CAPUT XXIV.

Quo refelluntur diversæ opiniones.

ARGUMENTUM.

Ex eo quod antea dictum sub Imperio civitatis comprehendi omnia, quæ divinitùs non sunt determinata, evincitur, Pontifici Romano in externis nihil esse juris neque Presbyteriis. Rursus ex eo, quod dictum, omnia quæ ad conscientiam intrinsecè spectant, eximi imperio, refelluntur Erastiani & Hobbesiani, quorum hi ipsa fidei dogmata, omnemque religionem Imperantibus subjiciunt. Rationes Hobbesii tres refelluntur, & methodo ipsius ἐπιχείρησις.

I.

EX fundamento distinctionis inter externum internumque regimen Ecclesiæ, quam ùt caput superioris doctrinæ posuimus, patet, quid de reliquis a mediô recedentibus sententiis existimandum sit. Si enim circa Ecclesiam non pauca vertantur, quæ Imperio civitatis subduci nequeant, quemadmodum probavimus: perperam potestas earum rerum alii extrà civitatem constituto adscribitur.

II. Quare *Pontifex Romanus*, si maximè esset Vicarius regni, quod Christus habet in terris; quod nimium procul abest a vero: tamen nihil haberet juris, nisi in his, quæ Deus suo solius judicio addixit. At jus Imperii nullô modô neque directè neque per consequentiam, concessô licèt illo Vicariatu, adficere posset; adeòque in omnibus iis, quæ præcedenti capite enumeravimus, Imperio cujusque Reipublicæ *obnoxius esset*, (*a*) nedum ut cives *vinculo subjectionis*, (*b*) quod immani teme-

temeritate audet, nullo rationis prætextu exſolvere poſſet. Sed hujus rei argumentum conſtat immenſa diſputatione, qua dudum alii pleniſſime ſunt defuncti. Nobis ſufficit, quod *ſuprà* oſtendimus, univerſalem Eccleſiam viſibilem totius terræ nullam unquam fuiſſe nec eſſe; proinde nec ejus Præfectum in mundo dari poſſe.

(*a*) OBNOXIVS ESSET. Satis enim conſtat, Chriſtum ſolum & caput & ſponſum & fundamentum Eccleſiæ eſſe, nec ferendam diſtinctionem *Pontificiorum* inter caput *principale* & *miniſteriale*, (quippe quod de hoc non quæratur, nec vitam ſpiritualem communicare id poſſit membris, quod ipſum mortale eſt;) ut nec diſtinctionem alteram inter fundamentum *primævum* & *ſecundarium*. Nam ſi hoc ſuperſtruitur alii, quomodo ipſum fundamenti locum habebit? Non enim pertinent ad Pontificem Romanum, quæ *de Petro* in Sacris habentur, quem & *Romæ* unquam *fuiſſe* dubium eſt; imò & Petrum *Matth. XVI. v. 18.* Chriſtus fundamentum Eccleſiæ non conſtituit, ſed *petram* & confeſſionem Chriſti: *paſcere* verò alios quoque juſſit Apoſtolos, iisque omnibus *poteſtatem Clavium* conceſſit, & tamen â poteſtate Clavium, ne quidem ad *externum* & mundanum regimen, quod ipſi Pontificii Primatui Pontificis ſuperſtruunt, argui poteſt. Pertinet huc opus præclarum *Salmaſii* de *Primatu Papæ*, & quæ in ſummâ *Calixtus* in Tr. *de præcipuis Religionis Chriſtianæ controverſiis* tradidit, quâ ratione Monarchia Eccleſiæ, quo ad miniſterium ſcil. ejus, non congruat. *Primatum* quidem *ordinis* in *Epiſcopô Romanô* agnovêre quædam *Concilia* ob ſedem ſcilicet Imperatoriam, & morem hactenùs obſervatum; ſed non etiam quoad ordinem poteſtatis.

(*b*) VINCVLO SVBJECTIONIS. Utique Pontifex *excommunicationem*, quâ utitur in Reges, ad eum quoque effectum extendit, vid. Gramond. *Lib. XV. p. 654.* Sicut autem Papæ ſolius non eſt excommunicatio, ſed totius Eccleſiæ; quemadmodum ex profeſsô contra *Bellarminum Wilhelmus Barclajus* evicit, eumque denuò vindicavit filius *Johannes* in Tract. *Pietas in patrem*, quæ ſcripta *Goldaſtus* in *Monarchiam ſuam* retulit: ita ad *Deſſelium* oſtenſum eſt: Excommunicationis effectum ad ſecularia, & cumprimis, ut ſubditi vinculo ſubjectionis, quô Regi excommunicato tenentur, eximi poſſint, non reſpicere.

III. Propius a verô abeſt altera ſententia de *Presbyteriis*, quorum & ſaluberrimus & neceſſarius eſt uſus; modò non nimium ad ipſa quoque jura Imperii poteſtas eorum, obtentu regendi conſcientias, extendatur; Cujus rei ſpecimen in Belgica Leiceſterano tempore, neque minùs poſteà luculentum habuimus, in *magnâ Britanniâ.* (*c*) Certum eſt, nihilo plus juris habere presbyteria, quàm ipſe habet cœtus credentium, a quô ſuum, ad ea curanda, quæ a multitudine commode adminiſtrari nequeunt, adipiſci debet. Proinde cuncta, quæ Summæ Poteſtati circà ipſam Eccleſiam competere diximus, eadem ſine dubio adverſus *Presbyteria* inſtitui poſſunt. Imò ſtabilis & legitimus ordo, habendi conſiſtoria, exercendi audientiam & diſciplinam, lege certi collegii, Paſtores & Presbyteros eligendi, omnemque Eccleſiam gubernandi, ſinè venia & auctoritate ſummæ poteſtatis, conſtitui at-

que teneri non poteſt; multò minus diœceſium Provinciarumque conventûs generales. Quia talis ordo non poteſt dici nominatim a Deô imperatus & Eccleſiæ præſcriptus; unde manet ſub iis, quæ a diſpoſitione ſummæ poteſtatis pendent, modumque ab ejus arbitrio accipiunt. Ad hujus igitur ſententiæ exceſſum referemus eos, qui negant, Imperantibus quicquam rei eſſe cum Eccleſia, qui vim putant ſibi fieri, cum legati politici conventibus eorum interſunt, quando Summæ Poteſtates decreta Synodalia negant eſſe Leges, niſi a ſe confirmentur, qui gloriæ ſibi reputant, quod imperia Poteſtatum, de non concionando certis locis & temporibus, audeat contemnere, qui ſe ingerunt in conſilia Principum, bellique & pacis negotia ſuæ quoque cenſuræ eſſe arbitrantur, & id genus alia multa, nimis uſu atque opinionum conflictu nota.

(c) IN MAGNA BRITANNIA. Videlicet poſt fata *Wilhelmi Auriaci*, conciliatis Hiſpaniæ Regi, & ad deditionem coactis plurimis Belgii urbibus, totaque Flandriâ & Brabantiâ retractâ, Ordines reliqui, fruſtrà ſubſidiô Gallorum imploratô, Robertum Dudlejum *Leiceſtriæ* Comitem â Reginâ Angliæ, cum aliquibus ſubſidiis *Anno 1585.* impetraverant, qui *Uliſingâ* atque *Brûla* in poteſtatem redactis, cùm provinciam majoribus præſidiis vellet communitam, Ordinibus ejus conſilia non probantibus, paulò poſt deſertô Belgiô in Angliam rediit: ex quô *Mauritio* Wilhelmi filio, ex Annâ filiâ Electoris Saxoniæ, cùm annum is vigeſimum ætatis ageret, cum titulo *Præfecti Generalis* demandata eſt, Angliæ Regina conſentiente, Provinciarum gubernatio. Hôc itaque tempore *Presbyteriani* ad ſe pertrahere jus ſacrorum anniſi ſunt: Deinceps *in Angliâ* Sectæ cuidam ſimili obſiſtere cœperunt *Independentes* & *Puritani* (id eſt, rigidiores Calviniſtæ:) qui peculiarem excudêre jurisdictionem, cujus vi cœtus, etiam minimus, qui ad ſacra ſua in unâ etiam æde coit, ab harmoniâ doctrinæ & morum cum aliis cœtibus, utut ejusdem civitatis, liber habeatur. Ab hisce duabus ſectis tertia quædam diſtincta fuit, *Politicorum* ſcilicet. Sicuti enim *conformitas rituum* juris divini eſt. *1. Cor. XII. v. 24. ſeq.* ita quantum ad *Jurisdictionem* attinet, meritò iſta toti illi Civitati vel Eccleſiæ tribuitur; juxtà diſtinctionem ſuperiùs adductam. Adde quoad Hiſtoriam Sectarum ejusmodi *Georg Horn. period. 3. Hiſtor. Eccleſ. lib. III. art. 3.* & *Hornbeck* in *Summâ Controverſ.* Planè *Robert. Scharrock c. IV. de Offic. ſecundùm Jus naturæ n. 7. pag. 276.* nil hâc in re Jurisdictionis ſcil. Eccleſiaſticæ ex principiô neceſſariô ſtatui poſſe, tradit, indeque ad *conventiones* ſeu pactiones in quôlibet locô deveniendum eſſe; ſaltim de aliquô non fiat pactio, quod *Juri divino* repugnet. Et tamen ex neceſſariis principiis *Jus ſacrorum* citrà pactiones conſiſtere *ſuperiùs* evictum eſt.

IV. Sequuntur duæ poſteriores ſententiæ, quarum prior eorum, quos *Eraſtianos* (d) dicunt eſſe, videtur, qui Eccleſiæ nihil juris, quàm docendi mutuumque monendi officium, ſine ullo vigore diſciplinæ aut animadverſione concedunt. In quâ ſententiâ quid deſideretur, ex his quæ ſuperiùs dicta ſunt, intelligi poteſt. Jus enim præcludendi à communione fidelium eos, qui de fide malè opinantur, doctrinæque profeſ-

professionem moribus prostituunt, credentium cœtui non posse negari, nec conseqenter ejusmodi causas cognoscendi, existimamus. Nihil equidem *coactionis* esse penes Ecclesiam ultrò concedimus; sed audientiæ, notionis & pronuntiandi jus, sine confusione, salvâque Ecclesiæ integritate suâ, non potest negari; quin dolendum, quod hæc res, etiam ubi in usu est, pene redacta sit ad imitamentum *civilis censuræ*, (*e*) quâ homines intrà terminos vulgaris modestiæ tolerabili modô contineantur.

(*d*) Erastianos. Primus sectæ hujus conditor in Palatinatu fuit *Thomas Erastus* Medicus, ut ex *Historiâ Ecclesiasticâ Heidingii* constat. Orta fuit illa *Anno* 1565. *Heidelbergæ* occasione controversiæ de excommunicatione, quòd *Erastus* doceret, non esse necessariam excommunicationem majorem in Ecclesiâ; & commentum purè humanum, Scripturæ utriusque Testamenti inauditum, & meram Cleri tyrannidem: quin nec eum, qui in vitâ & moribus scandalum præberet, excommunicari posse, sed solùm illum, qui in *fide* & quidem fundamentaliter erraret. Præcipuum v. *Erastianorum* Dogma fuerat, quòd à potestate Sacrorum, omnes, etiam ipsum Ministerium, excluderent, eamque soli tribuerent *Magistratui Politico*; sicut postmodùm Erastianos secuti, *Colemannô* quôdam Duce, *Colemanniani* in *Angliâ*, Regi uni, cum omnium aliorum exclusione, potestatem illam tribuentes. Enimverò in ipsâ Reformatorum Ecclesiâ *Erastum* refutarunt Theod. *Beza*, editô adv. ipsum Librô *de verâ excommunicatione*, & *Christianô Presbyteriô*: cùmque doctrinam Erastianam Libellô *d. Idololatria* & *superstitione*, in Belgiô, Lambertus *Velthuyssius* novis pigmentis incrustare niteretur: Johannes *Broun*, Scoto-Britannus, editis prolixis *Anno* 1670. *Amstelod. Vindiciis* eum repressit. Sunt etiam, qui in nostrâ *Evangelicorum* Ecclesiâ, *Principem* non esse subjectum excommunicationi *minori*, quæ in suspensione â Sacramento consistit, disputarunt, quos inter fuerat *G. G. Titius*: quem refellit D. Jo. *Fechtius*, in *Tract. d. Excommunicatione Ecclesiasticâ ejusque indole & æquitate. p.* 47. *atque* 59. ubi, non esse excommunicationem actum imperii Civilis, neque externâ & Politicâ vi, sed *verbô* exerceri; idque ex civilis potestatis concessione & tuitione: neque enim cogi impœnitentem ad pietatem, sed ad revertendum *flecti* ac commoveri. Adde eund. *Fechtium* in Diss. citato Tr. annexâ *d. Clave ligante & solvente*. Et perdurat etiamnum *utraque* Excommunicatio in Nostrate Ecclesiâ: nec quoad *majorem* aliena est à Lenitate Christianismi Traditio Satanæ, *1. Cor. V.* 5. *1. ad Timoth. I.* 20. v. d. Excomm. laud. *Fechtium pag.* 7. *seqq.* ubi d. sententiâ *Espencæi*, *Dannhaueri*, & *alior.*

(*e*) Civilis censvræ. Ad illa hic redeundum est, quæ hâc de re ad *Desselium* Tit. *de sententia excommunicationis*: dicta sunt, cumprimis quòd videatur *Auctor* nimis constringere fines excommunicationis, quippe qui tales sunt, ut non possit excommunicatio carere in Ecclesiâ, (cumprimis ubi Princeps Christianus est,) *externô Imperiô*. Quòcirca *superiùs* quoque evictum est, quâ ratione *Clavium potestas* non tantùm soli Ministerio non competat, verùm *toti Ecclesiæ*, quod plenissimè firmat *Dannhauerus P. II. Theol. Consc. p.* 1138. *seqq.* Verùm quòd peculiare quid circà excommunicationem illam, summa seu secularis potestas, quà talis, (& Christiana quidem) est, obeat.

V. Sequitur quinta *Hobbesii* sententia, qui omnem sacrorum & religionis causam Imperio subjicit; quanquam hæc cæteris faciliùs improbatur, est tamen operæ pretium audire aliquas hominis subtilissimi ra-

mi rationes. Has ego potissimùm tres reperio, quarum primam ipsius verbis collocamus ex *cap. 19. de Cive* §. *18. Tantum juris cives in Imperantes transtulerunt, quantum potuerunt. Atqui potuerunt transferre jus decernendi modum, quô Deus honorandus sit. Ergo & transtulerunt.* Sed propositionem hujus argumenti sæpiùs refutavimus. Nec minùs adsumptionem esse falsam, ex iis quæ dicta sunt, apparet. Siquidem modus Dei honorandi in sacris literis â Deo præscriptus est. Quarum fides non auctoritate, sed *dictamine* evidenti *spiritûs sancti*, in animis fidelium obsignatur. Idcircò etiam *Hobbes* animadvertit hôc fundamentô, de *immediatâ* operatione spiritûs Dei in cordibus regenitis, opus esse quò destruatur, atque in *humanam* auctoritatem cuncta resolvenda; ne ampliùs nefas videatur, causam immortalis Dei subjicere mortalibus.

VI. His igitur verbis in rationem *alteram* se effundit, quam passim pluribus inculcat. *Sanctitatem & fidem non supernaturaliter hominibus inspirari, sed studio & ratione naturali duntaxat acquiri cap. 12.* §. *6.* Quod, opinor, post ea, quæ protulimus *suprà cap. 26.* nihil opus erit, ut ampliùs probetur in contrarium. Cautio est, ne quis putet, hæc malè â nobis imputari *Hobbesio*; quoniam in *locis citatis* agat *de regno naturæ.* Verùm si cui hoc incidat, is ad sequentia respiciat, ubi idem *Hobbes* judicium de supernaturalibus, & verbo *revelato*, fidemque & sanctitatem, *naturæ viribus* tribuit, ac â *ratione* pendere docet. Item quod *cap. 16.* §. *16.* jus admittendi libros sacros pro verbô Dei, jus interpretandi scripturas ab auctoritate Regum in Veteri Testamentô, pependisse, contendit, idemque de his qui Christianis imperant; modò sint Christiani, tradit in *Cap. 17.* §. *17. & 28.* Ex quibus palàm est, eum nihil hâc parte diversi ponere inter statum Naturæ & revelationis, sed duntaxat quod vult, hoc eum probare per partes. Quinimò contrariam opinionem inter fundamenta seditionum periculosissima refert, Auctoresque illius, svavi convicio *Apostatarum rationis* increpat. Hinc colligit, in causa fidei, ùt in aliis omnibus institutis, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, si quid certi ab universâ civitate servandum, hoc a summo Imperio esse præscribendum.

VII. Ad hoc, nostra sic est ratio: Non esse admodùm in homine *Christiani nominis* insolentem hanc animi sententiam, neque raram,

licèt indignam, concedimus. Nec eſt quòd miremur ita colligentem, *ſi fides & ſanctitas ſupernaturaliter hominibus infundatur*, nihil eſſe cauſæ, *cur non ſit propheta quisquis verè Chriſtianus eſt.* Mirari potius liceat, quamobrem *Hobbeſius* caput ſummum doctrinæ ſacræ, *quod Jeſus ſit Chriſtus Dei*, ab Imperio civili exceptum voluerit. Nam ſi fides naturali ſtudio duntaxat acquiritur, hoc ipſum, in quo ſumma fidei conſiſtit, ex eadem cauſa proficiſci oportet. Quicquid autem a cujusque ratione, & arbitrio pendet, hoc in Poteſtatem civitatis vult eſſe translatum. Quidni igitur & hæc eredulitas, an aliquis & quis ſit *Chriſtus cœleſtis?* Scilicet, pudor eum retinuit, ut ſaltem non traderet, populum cogi poſſe ab Imperantibus ad Muhamedismum. Quod tamen ex ejus doctrina tàm clarè ſequitur, quàm quod eſt manifeſtiſſimum.

VIII. Quanquam verò, quod ore *Hobbes* impurô de rebus ſacris docet, a nobis conſiderem poſſe refelli, idque hujus inſtituti ratio videri poſſet exigere, neque nihil in hanc rem ſcriptum haberem, præter ea quæ *ſuperiùs* allata ſunt; ſubſiſtimus tamen. Tu vide omninò Calvinum *l. 1. Inſt. c. 7.* §. *4.* ubi cùm divinitatem ſcripturæ ſacræ multis rationibus probaſſet, fatetur, inde non *imprimi cordibus talem certidinem, qualem pietas requirit; ſed teſtimonium Spiritus Sancti excellentius eſſe cunctis rationibus. Nam etſi Deus*, pergit, *ſolus ſit teſtis ſufficiens ſui in verbô ſuô, tamen hoc verbum non faciet fidem in cordibus hominum, niſi per interius teſtimonium Spiritus Sancti obſignetur. Ideòque neceſſum eſt, ut idem Spiritus, qui locutus eſt per os Prophetarum, intret in corda noſtra; alioqui Spiritus noſter fluctuat inter ſcrupulos, & dubitationes, donec illuminetur.* Denique *d. n. 5. ſub fin.* Talem ait *hanc eſſe perſvaſionem, quæ nullam requirit ratiocinationem, ſed tamen ejusmodi notitiam, quæ* optima *ratione nititur, ſcilicet, in quâ noſter animus longè certius & adſeveratius acquieſcit, quam in ullis rationibus.* Denique, *ait, talis hic eſt ſenſus, qui non poteſt, niſi ex divinâ revelatione naſci*, ſubjungit. *Nihil aliud dico, quàm quod ſinguli fideles in ſe ipſis experiuntur; niſi quod verba longè ſunt infra efficaciam rei.* Ita è Gallico. Hæc ideo ut appareat, nimis humiliter eos ſentire de hôc teſtimoniô, qui volunt id eſſe tantùm neſcio, quod adjumentum ratiocinationis circà res fidei examinandas judiciumque defœcandum excitandumque.

IX. Unum

IX. Unum obiter ad id quô idem *Hobbes* urget ſententiam de cauſâ fidei & ſanctitatis ſupernaturali; hôc ſcilicet incommodô, *ſi vera eſſet*, inquit, *non video*, *quare rationem fidei noſtræ reddere juberemur*, *aut quare non unusquisque quid faciendum ſibi ſit*, *ex propria potius inſpiratione*, *quàm ex præceptis Imperantium aut rectâ ratione*, *æſtimaret*. Facillima ad ineptam objectionem reſponſio eſt; ſcil. *rationem minimè excludi* (*f*) ab his, qui in rebus fidei neceſſariis lumen ſpirituale prædicant; Neque enim *dogmata*, quæ ratione non perceperint, ſibi dicunt revelari. Proinde nihil ex illis eſt, cujus non rationem poſſint & debeant è *ſcripturis* reddere apud eos, qui in dignitate ſcripturæ acquieſcunt. Obſignatio & perſvaſio ſpiritualis nihil *ad alios* pertinet; ſed ejus lapis lydius hic eſt, *ſi cum literis ſacris conveniat*. Quod autem ad *facienda*, *fugiendaque* attinet, ex communi dictamine rationis ea maximè ad honeſtatem moralem adeoque ad dictamen rationis ſpectant; Quæ tamen nihilo magis ad nutum Imperantium mutari poſſe diximus, renitente quamlibet incaſſum *Hobbeſio*.

(*f*) RATIONEM MINIME EXCLUDI. Equidem *Socinianorum* dogma eſt, nihil credendum eſſe, niſi quod cum ratione conveniat: quod tamen adverſum eſt *2. Cor. X. v. 4. & 5.* & quòd hac ratione myſteria omnia, item miracula, tollerentur; atque Dei omnipotentia vel in dubium vocetur, vel intellectus noſtri capacitate menſurari vellet. Interim in *Conſequentiis nectendis* ratione, ut inſtrumentô, & ſic non etiam ùt *argumentô*, utimur. Sic &, præſertim in *Theologiâ exegeticâ*, Philoſophiâ universâ ceu Miniſtrâ utimur tantisper, donec *ſcriptura* excipiat, & ſublimius quid doceat. In extremum alterum prolabuntur, qui *Philoſophiæ* penitùs in ſacris locum non faciunt; quæ factio *Hoffmanniana* olim fuerat, nuper â quibusdam reſuſcitata. Hinc etiam Paulus *1. Tim. VI. v. 20.* non poteſt tantùm intelligi de Philoſophiâ reſpectu *Myſteriorum* fidei: Nam Philoſophia, ſi in cancellis ſuis maneat, donum Dei eſt; cujus principia tàm formalia, quàm materialia, & hæc quidem abſolutè neceſſaria, magnum in Theologia uſum habent, atque adeò per ſe myſteriis fidei non contrariantur. Nempe falſum eſt, poſſe aliquid in Philoſophiâ verum eſſe, quod in Theologia falſum ſit, e. g. ex nihilo nihil fit, virgo parit: Nam quicquid verum eſt in Philoſophiâ, illud quoque verum eſt in Theologiâ & viciſſim; quia utraque *veritas* â Deo proceſſit. Falſum quoque eſt, Apoſtolum ad *Coloſſ. II. v. 8.* dehortari â verâ Philoſophiâ, cum potius â falſa dehortetur, quæ tunc temporis invaluerat, aut ſaltim de abuſu veræ Philoſophiæ. Sic & quando illi volunt *1. Cor. III. v. 19.* Philoſophiam appellari *ſtultitiam* coram Deo, perperam locum interpretantur, quoniam *Paulus* ibi reſpicit ad *πανουργίαν*, und auf die Argliſtigkeit der Welt, daß GOtt die ſtoltzen Weltgeſinnten erhaſche in ihrer vermeinten Klugheit. Denique *myſteria fidei*, ut illi putant, non ſunt contrà rectam rationem, ſed *ſupra* illam: quia recta ratio eſt particula quædam ex reliquiis imaginis divinæ naturalibus, & non minùs abs Deô, quàm lumen gratiæ & revelationis.

X. Quem nunc videmus, quô fine in operis initio dixerit, *nihil eſſe fas & nefas*, *bonum aut ſceleſtum*, *niſi quatenus â Lege civili pro tali habetur*,

betur, ùt *cap. 3.* notavimus. Scilicèt ut non modò conſcientiam in revelatis, ſed etiam in naturalibus, Imperio Civili ſubjiceret.

XI. Denique *tertiæ* ex *Hobbeſianis* rationi paucis faciendum ſatis. Scilicet, ex noſtrâ ſententiâ duplex in unâ civitate imperium ſtatui; à quibus contingat, more humani ingenii, contrarios canones, præcepta contraria, populo injungi. Exiſtimamus, ſi termini à nobis anteà poſiti & ſtabiliti cuſtodiantur, quàm minimum ab hôc incommodô periculi futurum. Nihil quippe in iis Eccleſiæ adſcribitur, quod Imperium coarctare poſſit; imò huic etiam contrà illam fortè plus adſcripſimus, quàm boni Principes & Poteſtates utendum arbitrentur. Nec metuenda colliſio præceptorum, modò Imperantes in jus Dei non invadant. Neque nos *reſiſtendi facultatem* (g) populo ob religionem preſſo damus; niſi quatenus jure communi competere poſſit. Eat *Hobbes* ſuamque doctrinam *atheiſmi* nota tam bene liberet, quàm noſtra ſeditionis abſolvi poteſt.

(g) RESISTENDI FACVLTATEM. Dum hôc locô quæritur: an Miniſterium unà cùm illis, qui tutamen Eccleſiæ habent, *reſiſtere* poſſint *ſuperiori*, qui vel Religionem illorum exſtirpare nititur. Notandum eſt *in genere*, propter religionem *bellum offenſivum* ſeu quô aggredimur alios, ſuſcipere ne quidem Regi licere, in *defenſivo* autem quod hujus loci eſt, *diſtinguunt* DD. noſtri, etiam Theologi, inter Magiſtratum ſuperiorem & inferiorem: ut *ſuperiori* quidem liceat armis defendere ſtatum præſentem, quò citant *Deut. XXIII. v. 18. Job. XXII. v. 12. & 1. Macc. III. v. 3. 17.* Quin & *religionem* in abſtracto quidem non defendi armis; ſed potiùs eos, qui religioni *addicti* ſunt. Hisce non *obſtare*, quod Principi reſiſtere non liceat, ſcil. quum *animis imperare* volunt, magis Deo eſſe obediendum dicunt, quàm hominibus; *defenſionem* quoque non habere ſpeciem ſeditionis; modò non primus tentetur jactus, ſed vis expectetur, niſi mora periculum augeat. Equidem exemplum Judæorum *1. Macc. II. v. 35. 36.* ſibi non obſiſtere, tùm quòd ex exemplis judicandum non ſit, tum quòd circumſtantiæ ibi certæ (ſcil. ſuperſtitio Sabbathi) reperiantur: ex circumſtantiis verò defenſionis ipſam defenſionem negari non poſſe. *In ſpecie*, ſi ad *Imperium Romanum* reſpiciamus; (cui demum congruere poteſt illa inter Magiſtratum ſuperiorem & inferiorem diſtinctio) ſicut Magiſtratui cuilibet *inferiori* reſiſtentiam omninò quis denegaverit, cùm precibus potiùs aut fugâ, ſi fieri poſſet, ſubditos qualicunque uti oporteat. Ita *Status Imperii Rom.* ab antiquô magnâ libertate gaviſi ſunt, & quoniam *Libertas Eccleſiarum Germanicarum* ſtabilita â multis retrò ſeculis fuerat, multò majori ratione Proteſtantes ad *defendendam* Libertatem illam adverſus Pontificios, & ſic quoque adverſus Cæſarem, procedere potuerunt, imò illi pro defenſione fidei pugnantes poſtquam *jus armorum*, ex ratione Imperii conſtituti, ſuæque ſuperioritatis, habent, non aliter conſiderari poſſunt, quàm privatus quilibet, quando Principi in conſcientiam ſuam imperare volenti reſiſtit; licèt ob potentiam Statuum oppoſitio hæc *Belli faciem* accipiat. Faciliùs autem hoc tueri licet, quod Proteſtantes, poſt *Pacta* cum Cæſare & Catholicis inita, pro aſſerendâ religione ſuâ moliuntur. Nam hactenus Cæſar cum Catholicis locum *Principis*, quòusque ſcil. jus religionis, ſeu potiùs libertas ejus, Proteſtantibus relicta eſt, non ſuſtinet; verùm in *partem contrahentem* abit; & huc reſpiciunt illa, quæ *Hortlederus* Libris ſuis von Urſachen des teutſchen Kriegs pleniùs executus eſt, ut ſcil.

ut ſcil. ex his, quas prodit Conſultationibus, Juſtitia cauſæ Statuum Proteſtantium, qualis fuerat *ante Religioſam Pacificationem*, inſtrui poſſet. Intereà ſicut à primordio Romani Imperii etiam *Pagani* jus ſacrorum, & dehinc Chriſtiani Epiſcopatum, tenuerunt: (vid. inter alios *Lentul. L. IV. Apicis Rom. Gloriæ c. 2.* ita in hâc etiam fundatam intentionem adhuc tenet Imperator, etiam quà *Proteſtantes* attinet, quantum Jus illud Sacrorum per Conventiones & LL. publicas *reſtrictum* non eſt: quæ quidem reſtrictio, quàm non adverſetur *integritati Majeſtatis ſuperiùs* ex *Tab.* oſtenditur: ut adeò malè id ipſum detrahant Imperatori *Diſſentientes* exinde, quod quilibet Statuum maximè Proteſtantium, *Papa* ſit in ſuo territorio. Omninò enim ſuſpenſa quidem eſt *Pontificis Romani* Juriſdictio, quam eò usque uſurpaverat, in terris *Proteſtantium*; ſed nullibi ſuſpenſa eſt *Juriſdictio Cæſaris*: utcunque ſit modificata, ne videlicet imperium ejus, ſive quoad fidem & confeſſionem, ſive quoad Politiam Eccleſiaſticam Proteſtantium, impingat, pacemque turbet unà *profanam*, ceu quidem Pax illa *religioſa* ſimul pacis *profanæ* nomine in Jure publicô non immeritò venit.

XII. Atque jam tranſitum ad jura trium civitatis ſpecierum, quos totidem *formas* vocant, parabamus, quando unum axioma *Hobbeſianum* adhuc incidit, quod ex *ſuprà dictis* ſolvi quidem poterat, evolutum tamen non eſt, monituque dignum videtur, ùt ad jus ſummæ poteſtatis univerſæ pertinens. *Cognitionem de bono & malo ſpectare ad ſingulos, ſeditioſa*, inquit, *oratio eſt. Cap. 12. §. 1.* Alibi explicatiùs & quidem, ait, *illa quot rebellionum cauſa fuit, quâ docetur, Imperata Regum juſta an injuſta ſint, congnitionem ad privatos pertinere? vid. cap. 6. n. 9. c. 11. n. 6. in fin. Leviath. Cap. 13. 29.*

XIII. Si de conſiliis publicæ adminiſtrationis loqueretur, parum abeſt, quin admitti poſſet, *imperata Regum exequenda civibus eſſe, non interpretanda.* Idem de iis, quæ per facultatem dominii eminentis aut voluntate civitatis mutari & ex nefariis licita fieri poſſunt, judicandum. Sed in univerſum, ùt *Hobbes* poſtulat, intellecta ſententia, ne exceptis quidem moraliter neceſſariis aut voluntati divinæ repugnantibus, intolerabilis eſt. Utique, ſi de turpitudine, meritisque cauſæ manifeſtò conſtet; Nam alioqui in dubio pro civitate præſumendum eſſe facile conceditur, quemadmodum de cauſis belli à Republica ſuſcepti, de quibus vid. *Grot.* * At ille nullam admittit exceptionem: quod nobis admittere religio eſt.

* *L. II. c. 26. §. 3. & 4.*

XIV. Commentum, quòd honeſtum & turpe, bonum & malum ſit juris civilis, pridem refutavimus. Nec alterum ei prodeſt figmentum, eſſe illud peccatum non obedientis, ſed imperantis. Aliter

Scri-

Scriptura & notiſſima generis humani conſcientia dictat; ut refutatione ſit indignum.

XV. Quicquid autem diximus, de iis quæ â Deo præſcripta non ſunt in verbô ſuô vel in cordibus hominum, eſſe videlicet illa Imperio Civitatis obnoxia, de *animorum* ſententiis minimè, verùm de actionibus externis intellecta volumus; Enimverò *cogitationes* ne quidem de rebus naturalibus & indifferentibus ad Imperantes ullô modô pertinere poſſunt, verùm declarationes & expoſitiones ejusmodi ſententiarum publicæ prohiberi poſſunt, iisque interdictis parendum eſt â civibus; etſi *libertas* moderata in hoc genere laudabilis eſt.

XVI. Iſta ſunt quæ *Hobbes* ſe non diſſerere, ſed computare, ſed *demonſtrare* ſcribit, cæterosque juris & politices Magiſtros omnium ſeculorum in alia omnia deſcendentes vehementer contemnit, *quaſi nemo eorum qui hanc materiam tractarunt, commodo uſus ſit docendi principio; ſe filum rationis inveniſſe*, ait, *in ipſis dubitandi tenebris*, (*b*) unde ſe gloriatur *in lucem evaſiſſe clariſſimam.* Ita ſcribit *in præfat. tract. de Cive & in epiſt. dedicat.* At ex his tenebris quam lucem eduxerit, videmus, Rempublicam adeò immanem, ut monſtrum potiùs, quàm Civitas, videatur; Portentoſius quam illud hominis fuit, ex cujus latere alius homo enaſcebatur; cum quo ille regnum, in quô populus aliquid juris retinet, *alicubi*, comparandum cenſet. Aut ego vehementer fallor, aut dicam ei grandem ſcriberent *dubitationis* magiſtri, κατηγορίας τῆς σκεπτικῆς, vel in eo, quod minime vacuus præjudiciis ad meditationes ſuas acceſſerit. Dum haud obſcurè nec uno loco, indicat indignatione atrocium in *Angliâ* & *in Scotia* turbarum, quibus ſpeciem juris Brutina dogmata neotericis Theologis crebrò adoptata circumdabant, ſeſe in alia omnia excogitanda fuiſſe compulſum. Id uti ageret, ne unquam populus juſtam adverſus Reges belli gerendi cauſam habere poſſe diceretur. Quod ſe conſecuturum deſperabat, ſi quicquam publici privatique, ſacri aut profani, ſummæ poteſtati ſubtraxiſſet. Proinde in omni meditatione hanc ſecutus videtur *cynoſuram*, ut Imperantium poteſtatem ubique faceret infinitam. Quod cum repugnare conſenſui gentium, & communi rationi videret, principiis opus ſibi fore animadvertit inuſitatis *videlicet.*

(*b*) In ipsis dubitandi tenebris. Idem hoc est, quô ducitur *Renatus des Cartes*, gente Gallus & Nobilis, natus Hagæ Turonum *Anno 1590.* & denatus Holmiæ *1650.* in *Part. I. Philos. §. 1.* unde ex *primâ* hypothesi suâ semel in vitâ de omnibus & vel de ipsô *Deô* dubitandum esse, tradit *ibid. §. 6.* Quocircà illum *Atheis* accenset *Voëtius* in *Lib. de Philosophia Cartesii;* quod tamen invidiæ imputat *Maresius*, cùm Cartesius difficile tantùm esse tradat, *Atheos* solidè refutare, & existentiam Dei probare. Videlicet instantias plures dari: nam si argumentemur (1) ex contemplatione *creaturarum:* excipere licere, juxta *Scholasticorum* doctrinam, quòd Deus ab æterno mundum producere potuerit. Si (2) quòd res quædam *corrumpantur*, quædam generentur; illud saltim ad *mundum* referri non posse, dicturos: Si (3) res universas *virtute* agendi Deum instruere & conservare: objici posse, *spiritum universi* ab *Helmontiô* commendatum. Si (4) negetur progressus in infinitum: excipere licere *cum Benedicto de Spinosâ:* dari talem progressum in divisione partium *materiæ*. Si (5) ex *conscientiâ* Deum quis arguat: reponi, etiam hanc ejurare homines perfrictæ frontis. Et sanè *Voëtius* ipse confitetur, refutationem *Atheorum* esse difficilem; quam tamen *Cartesiani* ex principiis *Doctoris sui* omninò exstrui posse ostendunt. *Altera Cartesii* hypothesis sequitur, *primum cognitum esse, ego cogito, ergò sum.* Quâ ratione *naturam substantiæ intelligentis*, etiam Dei, in *cogitatione* constituere censetur; indeque negare *animam* brutis, ceu quidem omnes *formas substantiales* ille rejicit, unâ exceptâ animâ humanâ: quoniam si dentur, aut oportere *cogitationes* esse, ait, aut *extensas;* quorum neutrum fieri possit. Hinc potiùs esse, ut animæ brutorum e. g. nihil aliud sint, quàm sanguis, nempe ille, qui in eorum corde calefactus, & quasi attenuatus in spiritum ab arteriis, per cerebrum, in nervos, se diffundat: vid. *Deut. XII. v. 23.* Et huic tribuendas esse *actiones* brutorum, cognitionem videlicet seu cogitationem aliquam, visionem &c. *Tertia* est, quod ait, *cognoscendi facultatem esse, nullum unquam posse objectum attingere, quod non sit verum; quatenus ab ipsâ attingitur*, hoc est, quatenus *clarè & distinctè* percipitur: proinde *errorum* originem *à voluntate* procedere. *Quarta* posse â Philosophô, qui sit Christianus, assumi *præsupposita falsa & fidei Christianæ adversa.* Atque in his subsistere *Cartesium*, ostendit *Valent: Alberti* in *diss. Lipsiæ Anno 1687. habita*, De *Cartesianismô* & *Coccejanismô*, *Belgio molestis;* qui etiam exhibet examen *principiorum* utriusque *sectæ*, ut & quæ *factiones* illas subsecutæ fuerint: quarum & *Historiam*, cum *documentis*, exhibet *Cyriacus Lentulus*, in *Cartesio triumphato;* idem qui *Cartesii Philosophiam* peculiari *tractatu* refellere annisus est. Quanquam fateri necesse habeant *Antagonistæ Cartesii*, cumprimis illi, quibus posthàc doctrina *Cartesii* accuratiùs â Sectatoribus ejus exposita est, quàm plurima *Cartesium* prodidisse in *naturalibus*, quæ multùm faciunt ad emendanda scita Veterum. Et licèt ratio docendi, quâ ipse utitur, dissimilis sit *Aristotelicæ* seu Peripateticorum, in eô quod horum ductus facilis & regulis invictis munitus sit, ad veritatem quantumlibet rerum custodiendam; ita ut magis *instrumentalis* illa Philosophia dici queat: sicut etiam Logicam & Metaphysicam eò ipse Aristoteles *applicuit;* tamen in rerum argumentis & *ipsam veritatem dogmatum* attinentibus, utut hæc non minùs etiam prodat in naturalibus & civilibus ipsa Philosophia *Aristotelis*, tamen in plurimis *Cartesius* cum asseclis suis emendationem doctrinarum ejusmodi attulit.

*** *** ***

De cætero, cùm & in *Disceptationes* alias, quæ ad *Potestatem Sacrorum* non pertinent, sed *fidei Christianæ principia* respiciunt, cum *Theologis* incidisset *Auctor*, nec sua in his dimittere vellet, collubuit ei, cogitata sua, licèt hinc aliena, aliquot *capitibus*, in *novissimâ Editione*, Libris hisce suis *d. Jure Civitatis*, inserre: dum post Caput, d. Universitatibus DEi, ante Caput d. Ecclesia visibili externâ, Rubricam *capiti II. Libr. I. Sect. IV.* præscripsit: *d. Testamento DEi, quo Jus Ecclesiæ fundatum est:* Cui deinde hæc summaria subjecit:

Tran-

Transitus. Quid Testamentum quâ voce designetur in Sacris. Διαθήκη *significare dispositionem tam inter vivos, quàm ultimam voluntatem. Testamentum sinè mortis respectu nullum intelligi. Dispositionem Patris DEi, quâ Filio dedit electos in hereditatem, non esse Testamentum. Removentur objectiones. Refelluntur alia Testamentorum DEi specimina. DEum Abrahamo non fecisse Testamentum. Nec in deserto Sinaitico Testamentum esse factum; remotis objectionibus. Non esse, nisi unicum in verbô DEi Testamentum, Christi morituri. Testamentum vetus & novum specie non differre; sed vetus esse clausum & mysticum: novum esse idem apertum & clarum. E Testamentô Christi hereditatem credentibus, sinè ullâ conditione, & absque fœdere deferri.*

QUâ occasione *Huberus* in hanc discussionem inciderit, in *Actis Eruditorum* de Anno 1688. *p.* 472. recensent *Lipsienses*, ubi & *Summaria* ista plenius habent ex *Tractatu*, quem iste adversus duos patriæ Academiæ, ipsum oppugnantes, ediderat, quem *h. l.* pluribus deducit. Equidem inter *Nostrates* doctrinam de *Fœderibus* ad hominum salutem *Jagerus* evolvendam post *Cocceji*, *Burmanni*, *Braunii*, aliorumque *heterodoxorum* studia, suscepit. Nec unâ cautione opus est, ne ab unâ alterâve Sectâ in devia dilabamur. Est verò discrimen ingens inter *Fœdus* & *Testamentum*. *Hoc* enim est unius: fœdus, inter duos paciscentes. Testamentum non nisi morte Testatoris invalescit; ast fœdus morte unius expirat. Bona Testatoris per mortem demum ejus in heredem transeunt; secùs in fœdere. Testamentum repudiare quis impune potest, & non adire hereditatem: non ita fœdus dimittere. Quæ tamen ipsa in *humanis* facilè & per omnia admittuntur. Sed Paulus *ad Ebr. VIII, 10. seq.* fœdus novum, in *c. IX. v. 16. seqq.* Testamentum, esse, cujus ibi significatum vox Διαθήκη habet, insinuat: quòd sicut in Testamento mors Testatoris intervenit, atque inde bona in heredem, ex gratiosâ Testatoris voluntate, citrà pensationem, devolvantur: ita & Mediator *fœderis* Christus morte suâ nobis bona per *fœdus* promissa acquisiverit, citrà pensationem nostram. Et sic hereditas nobis obveniat per Filium, cujus nos ipse fecerit participes & coheredes suos, ex voluntate Patris, ad Gloriam, quam per mortem suam intravit. Quòd si Legem divinam respiciamus implendam nobis, quæ est norma perfecta, fœdere (ceu Sponsione) mutuô obsignata: *viam* ad hoc geminam esse constat, ipsam sc. *legalem*; quæ verò nobis mortalibus impossibilis, & per accidens mortifera est; & *Evangelicam*, quæ per Spiritûs S. gratiam ad Cœlos ducit unicè. Sicuti igitur Διαθήκη quodcunque notat pactum ad mutua officia præstanda, externô signô firmatum, & *fœdus* magis notat; ùt est inter DEum & hominem: *illum* promittentem, & id signis stabilientem; *hunc* se ad cultum debitum obligantem; quod nec in *Novô Testamentô* desiit: ita συνθήκη propiùs est *Ultima Voluntas*, ut sicut Διαθήκη ex justitiâ constat indeque fœdere magis quàm Testamentô sancita sit: ita συνθήκη ex liberali libertate constet: atque cùm *illic* sufficiat qualecunque signum: *hic* mors Testatoris requiratur: quæ tamen per victimas in fœdere Testamenti, ùt dicitur, *præfigurata* est. Quid verò ad hæc *Socinus?* ille quidem utilem putat, ob causas plures, lectionem Testamenti Veteris, hisce qui novum recipiant; nec tamen necessariam: quia Religio Christiana ad novum fœdus s. Testamentum pertineat, & doctrina ejus apertè in eo, in Veteri autem Testamento obscuriùs, tradita sit. Equidem Mysteriorum Christianæ fidei lux major est in Scripturâ Sacrâ Novi Testamenti; vid. Buddeum *in Diss. d. Prærogativâ Novi Testamenti præ Veteri.* Est tamen utraque ejusdem auctoritatis usûsque. 2. *Tim. III, 16.* 2. *Petr. I, 20. 21.* indeque utriusque necessaria lectio. Imò ad confirmandam Religionem Christianam & fidem ei faciendam conducit: quia & Articuli sunt Religionis Christianæ, quorum uberior cognitio ex veteri potiùs quàm novô Testam. petenda est; quales sunt de Creatione, imagine DEi in homine, lapsu primorum Parentum, Ecclesiâ priorum temporum, & alia. Et rectè *B. Lutherus* Novum Testamentum vetustissimum esse & ab Origine Mundi extitisse: Proinde *B. Dannhauerus*, in *Hodosophiâ Christianâ*, *Phænom. VI. p.* 491.

p. 491. seqq. vocem *Testamenti* utrique Scripturæ convenire, ait; & duplex Vet. & Nov. Testamentum Evangelicum esse. *Vetus* sc. Abrahamo firmatum, legatâ ei hæreditate terræ Canaan, .f. terræ promissionis; *Novum* verò, quod *Jeremias* præsagiit, *c. XXXI. v. 31.* Utrumque, Legale & Evangelicum Testamentum suâ & Vetustate & Novitate constare.

Altera, quam totâ *Sectione VI.* intulit hisce suis *de Jure Civit.* Libris, *Huberus*, *de principio cognoscendi divinitatem Scripturæ & fidei Christianæ*, Tractatio, pariter Digressio quædam, (*v. n. 20. seqq. c. 1. h.*) & abhinc aliena est. Originem ejus, cum *Theologis van der Wayen* & Al. *Roel.* obortæ, super hoc Controversiæ *Auctor* ipse enarrat *c. 1. dictæ Sectionis. n. 15. seqq.* & ampliùs *Lipsienses* in *Actis Eruditorum* ad *annum 1687.* Prodit autem ille Sententiam suam hisce positionibus, *n. 23. seqq.*

Divinitatem Scripturæ Sacræ & simul veritatem fidei Christianæ persuaderi Auditoribus electis vi Spiritûs sancti, mentibus speciali gratiâ cœlitùs adfusâ, juxtaque verbum illis insinuatâ; Auditionem & rationem esse causas instrumentales, sine quibus persuasio non sedeat animis; sed instrumenti modum non obstare quò minus efficiens causa fidei, cœlestis immediata sit ac irresistibilis, etsi voluntaria & cum ratione conjuncta: quæ fides animis recepta testimonio Spiritûs Sancti in fidelibus obsignetur, idque testimonium, à fide ratione perceptâ, realiter esse diversum & discretum: Dubitantes v. seu Adversarios Deum ita facere auctorem fidei, ut ratio sit unicum principium cognoscendi divinitatem scripturæ & quæ cum eâ conjuncta est, Veritatis Christianæ.

CUm verò nec *Huberiana* omnia agnoscere liceat. Hinc quæ recipienda sint, nutantibus tot sententiis, ex sequentibus, constare poterit. Equidem *ratio humana* non modò in *naturalibus* valdè debilitata, quoad perspicaciam intellectus, est & soliditatem judicii, ut absolutum circà veritatem Imperium habere non possit; quippe quòd in rebus etiam sibi subjectis sæpè deficiat, ut ex lumine *revelationis* quandoque supplenda & perficienda veniat: *2. Cor. II, 24.* & *c. X, 5.* item *Rom. VIII, 7.* nec solùm corrupta est & corrumpitur affectibus & præjudiciis, sed & in ipsis *facultatibus* ejus est corruptio. Quoad *Spiritualia* autem homo animalis, seu carnalis, & irregenitus *quilibet* (nec v. stultitiam rationis fidei de hominibus tantùm illis intelligere licet, cum *Rationariis*, qui glebæ & voluptatibus addicti sint.) (v. d. Carne *Dannhauer. Hodosoph. Phænom. V. p. 456. seq.*) ad ea cognoscenda & recipienda, non habet *ex se* facultatem: cùm in rebus fidei cœcus planè & perversus sit, *Eph. IV, 18. V, 8. 1. Tim. VI, 5. 2. Tim. III, 8.* & divina pro stultitiâ reputet. *1. Cor. II, 14.* ut in his, nisi aliô principiô adhibitô, nil veri statuere possit, *2. Cor. III, 5.* Neque etiam Scriptura in his ad *rationem* nos remittit. Imò ratiocinatio humana fideles turbat potiùs & confundit. Indeque *mortuus* planè dicitur irregenitus s. naturalis homo ad spiritualia, *Ephes. II, 1. 2.* ut nullæ ei *quà tali* facultates ad recipienda fidei dogmata remanserint: de quibus distinctè agit *Jo. Musæus* in *Apologiâ* pro Facult. *Theol. Jenens. Qu. 62.* Non ergò imago DEi solùm *imminuta* & suô modô *recta* dici potest: quæ principii rationem ingredi posset, circà Spiritualia. Nam licèt in *abstractô* à nobis recta ratio concipiatur, non tamen hinc necesse est, ut etiam in homine *actu* & sic in *concreto* reperiri debeat: estque possibile, ùt justitia, virtus, doctrina, in concreto non detur. In *rationalitate* aliter habet, quousque *homo* existit, quia omnis homo actu est rationalis; sed nullus est qui post lapsum recta ratione, negante id ipsum Scripturâ & docente experientiâ, præditus sit. Estque reproba *Cartesii* & illorum, qui eum sequuntur, doctrina, quòd magis insufficiens quàm corruptus sit hominis intellectus, aut si hic corruptus sit, eam corruptionem à corruptione *voluntatis* & affectuum procedere: nam ita *Fabricius* quoque *Bassecurtius*, in Defensione *Cartesii*, non vult vitium quoddam in intellectu,

lectu, sed ex abusu libertatis, esse, & pravum ejus exercitium. Indeque cum sequacibus suis Regulam *Cartesii* de *clarâ* & *distinctâ perceptione*, h. e. tali, quæ demonstratione nitatur, (id *clarum* volunt,) & solius rationis ope cum alio communicari, eique ad rationis ductum explicari queat, (quod ipsis *distinctum* est,) si ad *Theologiam* quoque applicetur, ne quidem in eâ ipsam fallere propugnant. Sic & vana doctrina habenda est, quòd in *spiritualibus* Scriptura *instrumentum*, ad ea cognoscenda, *ordinarium*; ratio v. *extraordinarium*; in *humanis* autem & ad felicitatem terrenam *ratio* ordinarium sit, *Scriptura* Sacra extraordinarium principium: & falsa sunt *Wayeni* & *Roellii* Dogmata, quòd ratio humana non in habitu, sed solùm in usu corrupta sit; nec divinitas Scripturæ aliunde, quàm ex ratione, adstrui possit & debeat: adeò ut Lumen omne divinæ gratiæ ad rationem, h. e. ad *claram* & *distinctam* perceptionem reducendum sit. Proinde *Rationarii* illi *Ideas* Mysteriorum ex meris *notionibus communibus* à nobis componi volunt. Planè *Bened. Spinoza*, audacissimus inter Rationalistas in *Tr. Theol. Polit. c. 15.* (& *cum ipsô* Auctor *præfat. Operum ejus posthumorum*,) absolutum à ratione & solitarium in sacris Veritatis *imperium* poscit, & *Scripturæ* seu revelationi solam *obedientiam* relinquit; neque enim Scripturam conciliari cum ratione posse, eò quòd Scriptura inepta sit ad veritatem ex eâ discendam. Itaque Theologiam merè *naturalem*, nec fidem nisi humanam dari, ut Scriptura non nisi humanam inter nos auctoritatem habeat. *Hobbesius* autem fidem Imperio summarum Potestatum subjectam esse, perhibet. Quòd si ex his, qui rationi humanæ vim principii in sacris tribuunt, disquiras, quem illa locum in *causandô* habeat: *Hulsius* in *Libr. 1. d. Principio credendi.* Rationem præmittit Scripturæ. Rationem esse assensûs & convictionis *universale* principium; revelationem verò, in credendis etiam, non nisi principium cognoscendi esse *secundarium*: Cui *Baylius* accedit, propterea factam revelationem, ut rationem corruptam emendet: hinc quia ejus causâ detur, oportere ut Scriptura sanæ rationi famuletur: quasi v. sensibus ratio inferior dicenda foret, quæ eos corrigat. Imò quem locum ratio in negotio *conversionis* habeat, accuratiùs *deinde* constituetur. Wolzogenius in *Tr. contra Librum d. Philosophia Scripturæ Interprete*: Internum lumen, ait, nil aliud esse posse, quàm mentem expurgatam. Hanc detersam à squalore peccati, (affectibus & præjudiciis,) recipere instar *speculi* distinctissimè rerum imagines. Scilicet *fracti*, & quas caperet *imagines* in *spiritualibus* ratio mortua? indeque lumen S. Spiritus ne quidem expurgans mentem, ut *hæc* principium fidei esse queat, rectè dicitur. Et num mentem expurgatam, ùt volunt, sibi & ductibus suis, ùt principium relinquit Spiritus Sanctus, in negotio fidei? Utique *Reformati* dum nimium rationi, idque variè, tribuunt, ceu fluctuantes, securi non sunt nec firmi *adv. Socinianos*, *Arminianos* aliosque *Rationarios*. Sic & ex Reformatis videas, qui nolunt rationem *unicum* esse fidei principium, neque etiam *primarium*; esse tamen eam principium *aliquô* modô, (& quônam tandem?) & Dignitatis inferioris. Iidem, esse *instrumentum*. At v. hoc non est *principium*; esse principium instrumentale,imò esse,quod & *Taurellus*, *Vedelius*, *Massovius* voluêre, secundarium. Debere enim Religionem esse rationalem. *Rom. XII, 1.* Quid inde? de *Cultu* loquitur Paulus, ùt *Mosaicæ* Religioni contradistinguitur, quæ externo & carnali apparatu sic erat involuta, ut rationalis qualitas in eâ vix appareret; non quòd fides rationalis sit, multòque minus quòd à ratione pendere debeat; Idem qui *1. Cor. I.* & *2.* de suâ etiam docendi ratione ait: se non usum excellentibus & suasoriis humanæ sapientiæ rationibus. Interim per hoc non abjicitur mens humana à *conversione* hominis, ùt nec homo abinde abesse potest: tantùm quòd *principium* esse non possit conversionis, seu Spiritualium, adeòque nec subordinatum; quippe quod *activum* esse oportet, mens v. nostra non nisi passivam habeat potentiam, ad lumen divinum recipiendum. Ex *Rom.* verò *c. XII, 1.* & *1. Petr. II, 2.* tantùm sequitur, fidem non esse contrariam sanæ rationi ipsô factô; non autem quòd fides juxta rationem institui debeat. Proinde à januâ aberrant, quibus Ratio humana *unicum* est cognoscendi *divinitatem Scripturæ Sacræ*, & quæ ei conjuncta est *veritatis* Christianæ, *principium*. Nihil, ajunt, Wayenus & consortes, in mento esse, quàm ratiocinationem. Causalitatem v. cœlestem esse *decretum* DEi, ex quô homo ratiocinetur, ùt è dubitatione, collectione & comparatione ideorum, concludat, Scripturæ divinitatem & veritatem fidei Christi-

Christianæ. Hinc Testimonium, quô fides *obsignari* dicatur, præter rationem, esse nil aliud, quàm *Enthusiasmum*. Impotentiam credendi Evangelio esse à desidia, præjudiciis & affectibus: his detersis, vim mentis puram esse ad accipiendum fidem, per ratiocinandi methodum. *Wolzogenus*: rationem, ait, quicquid in Scriptura extat, examinare, & quod ei repugnat manifestè, id ipsam rejiccre debere. Sic & *Pajonus* mentem hominis non posse moveri tradidit, nisi impressione rationali: ideòque *Enthusiastas* esse, qui operationem extraordinariam aliunde rationi superaddere velint. Quantum verò *impotentiæ rationis* ad recipiendam fidem attinet, quam illi causentur: eam quidem habitualem esse & acquisitam, quæ quidem suô sensu originalis dici queat; Sed tamen eam *sanabilem* esse vi rationum & motivarum, quibus mens humana moveatur. v. Spanhem. *in Elencho controversiar. p. 320. seq.* Nec tantùm isti *Rationarii* non servam esse rationem volunt Revelationis divini; sed imò illam *dominam* hujus constituunt, saltim minorem & amicam: utique dominium revelationi tribuendum non esse, quin potiùs hæc priùs rem offerat rationi, ceu dominæ, ejusque judicium expectet, antequam ipsa dominium obtineat. Similiter ùt *Wayenus*, quòd revelatio rationi famuletur & *Roellius* in *Diss. d. Religione rationali*: Fundamentum Religionis Rationem esse, ut dijudicet divinitatem revelationis & mysteriorum: Fidem ratione niti oportere. Nec verò juvant *Rationarios* eos, hi qui *rectam* rationem supponunt, ut congruentia Scripturæ cum illâ, principium cognoscendi veritatem doctrinæ Christianæ conficere possit; eò, quòd Scriptura quicquam, quod rectæ rationi adversum sit, continere nequeat: Nam & *recta* ratio, si quæ daretur, h. e. sinè labe mens humana, quam illi fingere nituntur: humana tamen & adeò naturalis est, quæ *supernaturalia* nec capere, nec multò minùs dijudicare potest. Dat tamen DEus rationi humanæ *ideas* debitas per *Verbum*, rectè tractatum, ut cognoscere illa *clarè* & *distinctè* mysterium possit; & tunc admittitur ratio ùt *organum* ferendi de ideis ita revelatis judicium, quòusque illa pertingere potest, *spiritualiter* scilicet, *1. Cor. II, 14.* intellectum captivandô, ut verbum DEi in dignitate *principii* ad credendum *unicè* custodiatur. Neque enim libertatem habet nullam mens humana in spiritualibus, eò ipsô quòd hæc *supra captum rationis carnalis* posita sunt; & ob hoc ex naturæ lumine, nec investigari nec intelligi possunt. Talia sunt beatitudo æterna, Trinitatis mysterium, Filii DEi incarnatio, Christi passio, mors, resurrectio, adscensio in cœlum, peccatorum remissio, nobis unicè propter Christi meritum obtingens, &c. circà quæ *post lapsum* mens humana ne minimas quidem vires habet, ut ea *salutariter* cognoscere sibique *salutariter* applicare queat; nec tamen *Enthusiasmus* est ea credulitas, sed à Spiritu Sanctô, cui se per *Verbum* s. Scripturam S. ratio humana subjicit. Et maneat igitur à principio credendi exclusa ratio, & falsum maneat, quòd hoc quod rationi humanæ adversatur, in Spiritualibus, falsum sit. Dannhauer. *Hodos. Christianâ Phænom. 1. pag. 13. seq. & Hodom. Calvin. fol. 35.*

Equidem *Mysteria* fidei non *absolutè* sunt *suprà captum* hominis: neque enim homo lapis est; sed sunt suprà captum hominis, ex suo lumine *naturali* captantis s. capere volentis: neque etiam homini non renato denegantur *vires naturales* ad audiendum verbum: nam hoc ad actiones externas sive externam *pædagogiam* spectat, quâ ne quidem inchoatur interius conversio hominis; sed *lapis* est in ordine & respectu ad Conversionem, & quidem *initium* quoque ejus, quippe quòd ita non nisi *passivè* se habeat; i. e. aptitudinem s. capacitatem habeat gratiæ Spiritus S. passivam, ut omnes vires in homine, ad *incheandam* & *absolvendam* fidem in solidum Spiritûs S. fiunt. *Phil. II, 13. Eph. II, 8. Joh. VI, 44. 2. Cor. III, 5.* Non etiam *principii* appellatione quodvis h. l. intelligimus, quod quocunque modô, ad inferendum Conclusiones in spiritualibus, concurrit: quippe quòd *principia* rationis dentur & *Philosophia formalia*, h. e. quæ ipsam argumentandi *formam* concernunt: quorum usus ab argumentis Theologicis abesse non potest. Dantur etiam *materialia*, h. e. ipsam Syllogismi materiam ingredientia, quæ, cum aliis ex Scripturâ S. petitis & Theologiæ propriis principiis, tanquam principia *communia* ad Conclusiones Theologicas inferendas concurrunt, & plerumque *majoris* propositionis locum habent, quæ & ipsa à Controversiis Theologicis, ad eruendam Veritatem fidei, abesse non possunt. Porrò etiam *Prosyllogismi*, quibus Syllogismi principalis propositio major, ex ratione humanâ, desumpta confir-

confirmatur, nam & hi necessariò in eum finem adhibendi sunt; modò rationis illa *principia* sint *absolutè* & simpliciter *necessaria*, ita ut oppositum evidentem involvat contradictionem, non tantùm probabilia, aut de ordine naturæ tantùm necessaria, ut oppositum *DEi potentiâ absolutâ* fieri non repugnet. v. c. Omne corpus naturale est in unô locô. Nullum corpus finitum simul esse potest in pluribus locis. Nullum finitum est capax infiniti. Jo. Musæus *Lib. II. de Usu principior. ration. in divinis s. Theologiâ. c. XIV. seq.* junct. *Sam.* Maresiô *d. Usu & Abusu rationis in Theologicis.* & Spanhemiô *in Elencho Controversf. p. 635.* ubi ait: Rationem posse esse judicem falsi contradictorii, quale quid non revelatum sit; sed non posse judicem esse *normalem* veri revelati. Hoc esse suprà sphæram rationis longissimè evectum. Nam & Spiritus S. motibus suis efficit, ut per humana illa homo in veritatem divinorum inducatur. Neque verò denegatur *rationi* judicium de *formâ argumentandi* & applicatione notionum *humanarum* ad invicem; quod tamen organicum & formale tantùm est. Judicium v. de *rebus* divinis & contradictione rerum, quod *materiale* est, ad rationem non pertinet: quoniam id non nisi ex revelatione pendet, quam agnoscere & recipere debet homo per gratiam DEi, cùm humana ratio quippe finita & corrupta ad hoc nullas plani vires habeat. Habent tamen in articulis *mixtis* principia quoque rationis usum *aliquem* materialem, qui non minus se exserit, quando mixti illi in puros influunt. Tunc adoptantur illa principia à revelatione, inque hunc usum admittuntur. Nec tamen principia Philosophica, ùt sunt Metaphysica adduci possunt contrà enunciatum divinum, clarum & perfectum, sed intrà terminos finesque suos reducenda sunt: nam aliter *principia Theologica negativa* ne quidem dici possunt. Vicissim *Huetius* in *Libb. de Concordiâ rationis & fidei*, (contra *Naturalistas*,) fidem & Scripturam planè non interponendas esse docet Disputationibus *Philosophicis*; nec in illis decidendis locum habere. *Lib. I. c. 8.* Sed *Lockius*, cujus Versio Gallica, *Amst. 1703.* prodit: *que la Religion Chrestienne est tres raisonnable*, ingentia *Paradoxa* producit; quem Partum *Poiretus* effectum esse arbitratur rationis humanæ ludentis.

Præcipui inter *Rationalistas* sunt *Sociniani*, qui & ipsi ultimum cognoscendi divina principium in *ratione* constituunt, & tunc demum, quæ *Scriptura* continentur, admittunt, & in *credendis* habent, quando *rationi* consentanea sunt; ut verò eam rationi quovis modò consentaneam reddere possint, ejus verba & sensum quâlibet ratione corrumpunt, & sic quæ rationi adversantur, in eâ non reperiri contendunt. Imò auctoritatem Scripturæ in dubium vocant, eamque corruptam esse volunt. Cùm v. Christus & Apostoli in *Novô*, & Prophetæ in *V. Testamento* nos *ad Scripturas*, tanquam unicum & adæquatum credendorum principium, & nusquam ad rationem humanam, remittant: *Joh. V, 29. 2. Petr. XIX, 11. II. ad Tim. III, 14.* quippe cui disertè Paulus facultatem detrahit judicandi ex se & suis connaturalibus principiis, de his, quæ spiritûs sunt. *1. Cor. II, 14. ad Rom. VIII, 7. 2. Cor. V. Ephes. V, 8. & IV, 17. 18.* resque fidei occultæ sint rationi humanæ & *suprà* captum ejus; quapropter etiam *mysteria* dicuntur; *1. Cor. II, 7. 1. Tim. III, 16.* & rationem nostram, quæ contrà ea, quæ fidei sunt, se opponit, sub obsequium Christi captivam ejusque verbo subjicere jubemur. *2. Cor. X. 5.* Inde Secta hæc longè pejor est cæteris. Imò *Sociniani* ad negandum mysteria fidei eas adhibent assertiones, quæ vera rationis principia non sunt; qualis est: Quot sunt personæ, tot sunt essentiæ. Unius essentiæ tantum una est subsistentia, & plures similes: cùm tamen recta etiam ratio veritatem docere non possit, nisi de sibi subjectis; nempe de creatis & finitis rebus, personis & essentiis; an v. divinæ essentiæ infinitæ possint unâ plures esse subsistentiæ sive personæ, id rationi sibi relictæ ignotum sit. Sic etiam docent illi: quamlibet naturam intelligentem & completam habere propriam subsistentiam & esse personam; indeque negant, quòd duarum in Christo naturarum una possit esse subsistentia: Cùm tamen recta ratio aliud docere non possit, quam quod de lege & cursu naturæ per causas secundas atque *ordinatâ* DEi *potentiâ* obtinet. An v. per DEi potentiam *absolutam* possit aliqua natura intelligens & completa conservari sine subsistentia: de eo ex principiis rationis humanæ constare non possit. Plura talia, expendit *D. Lungershausen*, in *Disp. Jenensi.* Utique mysteria fidei per rationem non sunt, ne *rectam* quidem, quæ in hominem cadere potest, s. quæ ex genuinis suis principiis convenienter docet. Cùm verò æquè ratio ac Scriptura & quæ in hac continentur mysteria fidei Christianæ, Deum auctorem habeant

habeant, à quo non nisi verum provenire possit. Hinc quod recta ratio de rebus sibi subjectis, ex suis naturâ sibi insitis principiis vel argumentis, ritè deductis docet, falsum esse non potest; & quæ Deus in Scripturis patefecit, itidem falsa esse repugnat. Velut autem inter verum & verum pugna esse non potest: ita nec quæ recta ratio docet mysteriis fidei, nec mysteria fidei his, quæ ratio docet, contraria esse possunt: nec dici possunt rationi contraria, quæ suprà rationem in sphærâ subliminiori constituta sunt; indeque perversè ratio ad eam ùt telescopium se habere dicitur. Et ineptè *Baylius*, quòd enunciatio in Theologiâ vera, non saltim possit videri, sed & sit falsa judiciô & solidô quidem Philosophiæ. Ad quæ expendere juvat *William* Sparcke *Christianæ Religionis Ratiocinarium*, *Oxoniæ 1628. 4. Anglicè* editam: Nil reperiri in Scripturis, quod rectæ rationi repugnet. Denique semel obsignatâ fide per Spiritum S. in corde hominis, introspiciens homo in *mysteria* fidei, dignam in illis DEi *sapientiam*, indeque cum ratione *vera* convenientiam, *soli* rationi impenetrabilem agnoscit. De cætero, cùm *Sociniani* divina omnia rationi subjiciant, *notitias* tamen homini *innatas*, tam in genere, quàm notitiam DEi in specie inficiantur. Has notitias dicimus esse *Lucem* & perfectionem *habitualem*, potentiæ cognoscenti connatam seu naturâ insitam: & proinde notitiam de DEo insitam naturâ mentibus hominum, non simpliciter & secundùm se totam, sed secundùm quid & quoad vim ac lucem cognoscendi, cum insitâ quâdam in Deum inclinatione conjunctam, quâ, apprehensis terminis, intellectus, citrà aliquam aliunde assumptam rationem cognoscendi, ad *assensum* determinatur. v. *Rom. I, 18. sq. & II, 14. 15.* Quod ipsum prodit Conscientia, accedente quoque Veterum s. Patrum Ecclesiæ doctrinâ. add. *Jo.* Musæum *in Introduct. in Theologiam natural. c. 2.*

Ex his cognoscitur, quem locum *ratio* in *interpretatione Scripturarum* habeat: nec enim *Lud.* Wolzogenius Tractatum: *Philosophia Scripturæ Interpres*, condignè refutavit: imò hypothesis ejus, oportere Scripturam Sacram non aliter exponi, quàm *qualibet* scripta alia sive de *stylo* id sentiat, sive de *sensu*, cùm utrumque falsum sit, & in adversantium castra transeat. Imò ipse perperam negat, dari *immediatas* Spiritûs Sancti in mentibus fidelium *operationes*: quàpropter & ipsum proditorem causæ habent, *Jo. Broun. Amst. 1670. 8.* & Reinerus *Vogelsang. 1671. 8.* Equidem *verborum* profani alicujus scriptoris sensus *literalis*, ope humanâ, ex eô hauriri potest: quia res per illa significatæ humanæ sunt; indeque plenum ex verbis illis profanis sensum ratio humana haurire potest. *Revelatæ* autem res divinæ absque gratiâ divinâ, *salutariter* intelligi non possunt: ideòque nec *signa* illarum, seu verba, sensu literali debitô ac plenô, sinè gratiâ divina intelligi: licèt aliquis sensus ex iisdem humanô tantùm modô tractatis erui queat. Nam *patientis* solùm conditione, in summâ rei vel sensu DEi, in fidei rebus capiendis, homo utitur; ut Scriptura secundùm rationem intelligi non possit, *Job, V, 39.* indeque Scriptura ex parallelis locis, quibus ex se ipsâ & ideò ex *divinô principiô*, constantem habeat unius sensum Auctoris, qui ipse *sibi contradicere* nec voluit nec potuit. Etenim scriptura non solùm quoad *formale*, sive sensum verborum & doctrinam, verùm etiam quoad *verba* à Spiritu Sancto indita est Scriptoribus: quanquam inspiratio Idiomatis *primigenii* res inevidens sit, neque per sensûs externos pateat, sed oculis internis fidei sit percipienda, & ex revelatione implicitâ, & per consequentiam, â primitivâ Ecclesiâ conclusa & concludenda: *Locutum esse DEum*, ac ad scribendum Prophetas & Apostolos adegisse. Quanquam igitur notiones communes rationales, rectè adhibitæ ceu *organum*, in explicandis Scripturis, assumi queant: quoniam tamen hypotheses divinorum pleræque à notionibus illis digrediuntur, vel non satis comperta eisdem addunt: inde nec in talibus idoneum per se in scripturis exponendis organum constituere possent: nec disposita est ratio, ut sola & per se ipsam sibi persuadere, & alios convincere de revelationis divinitate, per conclusiones, ex principiis suis humanis, possit. Neque enim, quod irregenito in mentem venit, divini verbi enunciatum est; Sed quod homini per actûs pædagogicos rectè *præparato*, & nihil in Scripturam inferenti, sed *sensum in eâ* quærenti & exspectanti, ultrò ex verbis DEi elucet: hoc divinum intellectum gignit. Utcunque enim *verba* Scripturæ sint humanis similia: non tamen illa ex aliis verbis humanis, sed *ex se ipsis* & aliorum verborum Scripturæ & quæ etiam ipsæ, quòd divinæ sint, colla-

collatione dijudicari debent; pariter ut *idea divina* per verbum datæ, suô modô similes sunt humanis; sed tamen ex analogiâ *fidei* accipiendæ sunt: *1. Cor. II, 13. seq.* sicuti omnia quæ ad *salutem* nostram conferunt, ex *gratiâ* pendent; citrà quam ne quidem vera divina à falsis doctrinis humana ratio secernere potest: nam falsum habent sensum *Sociniani* & *Arminiani*, qui non rationi & sensibus humanis conformis sit. Videlicet principium agnoscendi, Scripturam esse divinam, est revelatio *interna* Spiritûs Sancti, qui fideles, per interiorem afflatum, in cordibus eorum, docet ac convincit, ut firmiter credant, eam indubitatò esse verbum DEi, eaque *fides divina* est, qua enunciata ejus, & ex illis deducta, divinâ fide creduntur, nihil ad hoc contribuente ratione humanâ, quà talis est. *Joh. XIV, 16. 1. Cor. II, 12.* ibi: accepimus illum: at v. ille ab humanâ mente distinctus est; *v. 10.* quippe in quem agit Spiritus Sanctus, eumque nisi resistat, fide divinâ imbuit; ut cùm suprà rationem sint veritates illæ, non possint intrà sphæram rationis collocari, & nec ei conformia, nec contraria, haberi. Quòd si claram & distinctam cogitationem *Cartesiani* in divinis exigant, *scientia* quidem *fidei* in se clara est, sed *evidentia divina* est longè altioris indaginis; cùm quidem in humanis & naturalibus evidentia detur *objectorum* fori humani, secùs ac in divinis. Est etiam fidei scientia *distinctè* in Scriptura revelata. At verò distinctio illa à DEo est, cùm eam ratio comprehendere non possit: proinde assentiendi Sacris principium est ipsa scriptura, f. verbum DEi scriptum vel prædicatum, DEi concursu supernaturali elevatum; quod hominis intellectum in supernaturalem sui assensum trahit: inque se habet vim divinam eô modô, vel inter hasce à Spiritu S. sibi communicatam; *Eph. I, 19.* sed humana ratio ne quidem *organum* est, relicta sibi, in divinis, verùm illustrata divinitùs, ut non dictitet, nisi ex verbo rectè percepto. Et sic operatur Spiritus Sanctus per actûs cognitionis reflexos, non absque verbo & extrà illud, sed per Scripturam, cum eâ & in eâ, per vim divinam, quâcum per liberam DEi ordinationem unita est, in cordibus hominum, ut verbum *ceu divinum* agnoscant & doctrinis ejus, ceu divinis, firmiter credant. *1. Theff. I, 13.* Persuasio autem claræ perceptionis divinæ, ad præjudicia pertinet, quando interpretationem verbi divini in hôc vel illo prævertunt aut pervertunt: quæ non est, nec esse potest à Spiritu Sanctô, si non regulis bonæ interpretationis, ex verbo Divino, & secundum illud, conformis sit. Quemadmodum verò cognitio illa divinorum non est comprehensio, qualis est eorum, quæ sub sensum humanum cadunt: ita dum rationi nulla ne quidem *concurrens* cum Scripturâ in divinis jurisdictio tribuitur: non negatur simpliciter locus esse rationi, & ratiocinationi circà divina, sed solùm negatur, quòd ei locus sit *in principiis*, & quàm non aliter de divinitate Verbi, nisi per rationem constare possit: ut proinde *scrutari* debeamus Scripturas, nec tamen aliter nisi adspirante Spiritu Sanctô, & ut etiam Spiritus S. *absque Scrutiniô tali* possit certum reddere credentem de divinitate Scripturæ; ideoque sinè methodô dubitandi, ratiocinandi, quod abesse non posset, ubi ratio est principium. Inde quando *Lockius* in *Libris d. intellectu*, inter perversa alia, cum his, qui eum tantoperè suspiciunt, *Enthusiastas* esse scribit, eos, qui rationem omnem in sacris esse volunt, in hos injurius est. Neque enim, ex assertô *principiô* unicô fidei, in *Spiritu S.* Enthusiasmus inferri potest; dum Spiritus S. motûs *non nisi verbo* per Scripturam Sacram, consentaneos, intelligimus. Quin & notitia verbi generalis, & nuda credendorum & agendorum, in *irregenitum* quoque & *infidelem*, ut & qualiscunque assensus verbo, qui charitate omni caret, *1. Joh. II, 11.* in *hypocritam* cadere potest. Sed Spiritus Sanctus actione subliminori excitat in intellectu cognitionem salutarem gratiæ divinæ, cum firmô hominis assensu conjunctam, ut se credat divinæ gratiæ participem; & ex parte *voluntatis* non tantùm *suasione* suâ concurrit, bonitatem objecti, mediante cognitione intellectûs, voluntati exhibendô, hortatu, promissionibus; sed virtute & actione longè subliminori, quâ vires novæ voluntati conferuntur ad desideranda & amplectenda bona spiritualia. Hinc interpretationis, ab *irregenito* f. infideli susceptæ, usus *salutaris* non est, quando non ad Scripturam, ex eâ & secundùm eam, instituitur: quô casu frustrà de fide quæritur. Secùs, quoniam Spiritus verbo suo adest, ista veritas secundùm istud non à ratione, sed ab ipsô S. Spiritu ejusque motibus procederet in viam Veritatis. Etenim notæ, quas adducere solemus, pro divini-

divinitate Scripturæ, f. *figna motiva credibilitatis*, tam externa quàm interna, probabilia quidem admodum & majoris momenti funt apud hominem merè rationalem, fed non convincentes finè Spiritu DEi, quò minus cavillis & argumentis, ex ratione petitis, impeti poffint. Neque enim notiones divinæ menti *infitæ* funt, fed radiis propriis lucent ad convincendum omnes confcientias. *2. Cor. IV, 2.* quamvis cognitæ fint res ipfæ, quæ demonftrandæ funt, & effe veræ: quippe quòd nec videntes miracula, iisdem omnes convincantur. Nam & *efficacia Verbi* pro Criteriò externô credibilitatis declaratur, quat. illa à pofteriori fe exferit, & in effectu confpicitur. Internum verò eft, quat. in virtute divinâ Scripturæ internâ confiftit, inquè cordibus hominum operatur. Nam vis illa convincendi non ineft Scripturæ ex neceffitate *Phyfica*, ut fit *proprietas* ejus *effentialis*, nec ex neceffitate abfolutâ, fed ex liberâ DEi voluntate & ordinatione: indeque non originaliter nec infeparabiliter.

Quando igitur *rationem* ultimam, in quam reliquæ credibilitatis divinorum caufæ & motivæ tandem refolvuntur, quæque unicè, ut in ea acquiefcamus, ad credendum Scripturæ, *fide divinâ*, movet, in folâ DEi auctoritate, tum *externè* veritatem & voluntatem fuam revelantis, tum *internè* confcientias de eâ convincentis, eamque in cordibus pignore Spiritûs S. (*Ephef. I, 13. 14.*) *obfignantis*, conftituimus: eò non pertingit præfumptio de veracitate caufæ *Minifterialis*, non præfentis *Ecclefiæ* a. *Doctoris proponentis*, ùt nec conformitas *cum intellectu humano*, ùti nec confenfus notorius *Ecclefiæ*, à quô dogmata fidei non pendent, fed unicè ab auctoritate revelantis DEi, cujus verbum *abfque teftificatione Ecclefiæ* præviâ, folò Spiritu S. per iftud in corde hominis de veritate illâ teftificante, agnofci fide divinâ, eique credi poteft; ut fruftrà *Papæi* communiter teftimonium internum Spiritûs S. pro *commento* habeant. *Add.* Dorfcheum, *d. Auctorit. Ecclefiæ.* Equidem funt, qui nil incommodi verentur, quando confenfus *Antiquitatis Ecclefiafticæ*, qualis hodiè haberi poffit, principium dicatur ad hominem, vel etiam ad rem, fed fecundarium, probabile, & quod in ratione certitudinis atque auctoritatis Scripturæ fubordinandum fit & ab eâ dependeat. Cùm v. facilè talia captentur, ideò in principio unicô, rejectis *fecundariis*, rectiùs fubfiftimus, & quod confenfus unanimis primitivæ Ecclefiæ habeat *fe* ad Veritatem credendorum per modum *teftimonii*, ex quô conftet, Veteres eôdem fenfu intellexiffe & explicâffe fcripturas, quô à nobis hodiè intelliguntur & explicantur.

Sicut igitur nemo ex propriis naturæ viribus de myfteriis fidei veros conceptûs formare, multòque minùs plenum & idoneum fenfum literalem, in locis Scripturæ, qui de *myfteriis* divinis agunt, apprehendere poteft; neque enim *Salutaris* cognitio in quâlibet divinorum myfteriorum cognitione f. notitiâ cum qualicunque affenfu conjuncta confiftit, fed in agnitione gratiæ ac mifericordiæ DEi in gratuitâ remiffione peccatorum propter Chriftum, cum certô & immotô affenfu conjunctâ; idque non in genere, fed *in fpecie*, ut credat, *fe* habere DEum propitium propter Chriftum, & fe aliquando confecuturum vitam æternam: ceu quidem voluntas à naturâ vires habet ad eliciendum actum circà bona Spiritualia *confufe*, fub ratione boni & *convenientiæ* five fimplicis *complacentiæ*, ùt in *Marci VI, 20.* fpectata, fed non ùt fpiritualia, five *falutari* appetitu; non enim voluntas in ordine ad fpiritualia, diftinctè fpectata, efficacem elicere poteft actum, h. e. ferri in ea, ùt obtinenda, & ut pium defiderium *gratiæ* divinæ habeat, fiduciâ in Chrifti meritô pofitâ; ità ut *converfionem*, fui inchoare, vel in ejus progreffu Spiritui S. cooperari pofsit. Ita *Converfionis*, regenerationis & renovationis, five inchoandæ five abfolvendæ *principium* f. caufa efficiens eft *folus Spiritus Sanctus*, ut tamen reliquæ perfonæ, *Pater* & *Filius* non excludantur, quanquam in his caufæ *fociæ* non fint; cùm in caufis fociis requiratur, ut aliâ aliâque virtute vel potentiâ ad effectum concurrant. At in perfonis divinis non fit alia atque alia, fed *eadem numerô potentia*, indeque una numero caufa fint, tum in fpecie converfionis, regenerationis & renovationis: quas non *fuadet* moraliter, cùm fuafio talis non conferret vires fpirituales, fed *operatur* verè & realiter per verbum & Sacramenta, quæ tamen *coactio* dici non poteft, quia non eft contrà voluntatis naturam, nec libertatem ad oppofitum homini adimit; fed eft *media* actio inter fuafionem moralem & coactionem, ut tamen fides Spiritûs Sancti opus fit, nullâ noftrum ratione, nifi *fubjectivè*, propter folam receptionem & exercitium

cifum, quô fit, ut Spiritus S. non dicatur credere, sed *homo*: quia actus fidei est activè à Spiritu Sancto, qui nos trahit, illuminat, disponit, impedimenta aufert, & convincit ad sensum & assensum etiam eos, qui præter suam intentionem ac citrà intellectus operationem in ordinem divinum inciderunt, denique obsignat, ut fides in homine terminetur. Quanquam enim *virtus* illa non fit *in S. Scripturâ* intrinsecè, h. e. formaliter, subjectivè & inhæsivè; sed DEi infinitâ potentiâ, *Eph. I, 21.* quæ secundùm rem est ipsa essentia DEi: Scriptura tamen in se habet vim illam *communicativè*, etiam extrà actualem sui usum, nec demum, ut ab extrà ei inferatur, sed continuè cum ipsa *unita* sit: cùm Spiritus S. conversionem & fidem in homine non operetur absque Scripturâ & extrà illam, *1. Cor. I, 21. Rom. X, 17. Matth. XVII, 5.* indeque Scriptura immediatè per vim divinam ei insitam operetur, ut adeò conjunctìm operentur supernaturalem assensum & fidem in cordibus *Spiritus & Verbum*, sed non æqualiter, verùm ùt causæ subordinatæ. Neque verò Scriptura in hoc negotio rectè *instrumentum* dicitur, (v. in simili d. Baptismo ceu Sacramento *Hülsem. in c. X. §. 15.* Breviar. ibique *Scherzerum.*) Sed causa potiùs media conversionis, siquidem non habet se ut *instrumentum passivum*, instar securis, cui vim secandi externè imprimi & per hanc elevari oportet; sed ut cooperativum, velut oculus vivus vel manus, vim videndi & prehendendi in se etiam intrinsecè habet, sibi ab anima communicatam. Et hinc Scriptura *Ebr. IV, 12.* vivum & *efficax* verbum dicitur: non quòd vis illa sit qualitas quædam verbis a. sensui Scripturæ inhærens; sed quòd, vi liberrimæ suæ voluntatis, DEus suâ gratiâ Scripturæ semper adsit, & quando illa legitur a. docetur, cum illa ad movendos homines concurrat; non secùs ac si subjectivè illa Scripturæ inesset. Videlicet semper ei inest Spiritus S. actu *primô extrà usum*; *secundô* autem, quando in usu constituitur, legendô vel prædicandô, unâ indivisâ actione, DEi quidem, ut causæ principalis, verbi, ùt causæ instrumentalis, virtute *causæ principalis* sibi *communicatæ* influentis. Nil iu eô humanis viribus debetur, & ne quidem si quid veri ex rebus divinis in *Impio* reperitur, quamvis id ex divinâ gratiâ non habeat, quippe quòd is eâ destituatur, cùm eidem resistat. Nam gratia quidem divina excitans & *præveniens* etiam impiis non denegatur, nec iis deest, qui quamvis gratiæ salutariter, applicanti *resistant*, non tamen rejiciunt gratiam salutaria explicantem. Datur etiam *gratia* oeconomica *generalis*, quæ in servandis *mediis* salutis, nempe sacrâ doctrinâ eamque proponente ministerio versatur: quæ etiam resistentium animos, ne resistant, vincere potis est: nec illa media ab hominum pietate pendent. Deinde potest quis *naturalibus* viribus assequi *verba* Scripturæ & memoriâ tenere, sed coecô intellectu, nec perspicere mysteria modô debitô, ut illis verè & seriò, adeoque *salutariter* assensum præbeat. Cæterùm *Conversio* hominis non fit in instanti; nisi *extraordinariè*, ùt sub initium *Novi Testamenti* exempla in *Paulo*, item *Latrone* & in conversis aliquot millibus in *Actor. II, 41.* ex Concione *Petri* habemus; ut tamen interfuisse potuerint, qui initia solùm conversionis acceperint, successivè aut planè non conversi. Nam fides non est habitus adultis *infusus*, sed mediantibus actibus nostris acquisitus, *Rom. X, 17. Joh. XVII.* qui â facultatibus animæ nostræ eliciuntur quidem, sed non per vires naturales nostras, sed per gratiam Spiritus Sancti, quasi per verbum se exserit, & facultates animæ ad tales actûs eliciendos elevat: quò & actûs *pædagogici* pertinent, quibus accedunt *notiones* nostræ *communes*, aliaque *ideæ* legitimæ tum & usus *disciplinarum* & *Philosophiæ* biblicus, in quibus ratio & facultates humanæ se exercere possint; modò *principia* conversionis non aliunde quam *ex verbo Dei* petantur, nec aliter nostris utamur notionibus, axiomatibus & methodis, quàm *instrumentis*, & ut applicentur, quòusque norma seu verbum Scripturæ divinum permittit. Nam *actûs verbi Divini* immediati sunt actûs *supernaturales*, in intellectu & voluntate eliciti, quibus magis magisque perficiuntur, ut in illis dispositio oriatur, quæ tandem in habitum abit, & sic fides est verbi divini effectus mediatus. Verbum sc. divinum auditu perceptum proximè est causa motuum & actuum doctrinæ s. informationis, consolationis, &c. qui omnes immediati, & distincti, & simultanei sunt, & hisce mediantibus, causa ipsius habitus fidei, *Rom. X. 17.* quam & Spiritus Sanctus, qui & inde pignus & sigillum dicitur, *2. Cor. I, 21. Ephes. I, 13.* obsignat. Concurrit ergò bono ad Conversionem sui tantùm uti subiectum *passivum* & ut fractione Spiritûs Sancti se

ali se permittat: quippe quòd ea non violenta, nec physica, ùt nec merè moralis, sed supernaturalis, & suavis tamen & amoriflua sit. *Post conversionem* verò voluntas & intellectus hominis *instrumentum* sunt Spiritûs Sancti, ut gratiâ viribus sibi cœlitus concessis apprehensâ utantur, & in fidei exercitiis Spiritui Sancto cooperentur.

Proinde, sicuti falsa est doctrina eorum, quibuscum collisus est *Huberus*, quasi *vis* immediata luminis *absolvatur* quod loquuntur, *decretô*, quòd homo tales cogitationes salutares inire debeat, & tunc *in mente* non aliud sit fides quàm collectio *rationalium* argumentorum; & imò aliud non possit in eâ absque *Enthusiasmo* statui. Ita quando *Huberus* in hâc positione mentem suam exponit: Divinitatem Scripturæ Sacræ & simul veritatem fidei Christianæ *persuaderi* Auditoribus *electis*, vi Spiritûs Sancti, mentibus *speciali* gratiâ cœlitùs *adfusa*, *juxtaque* verbum illis insinuatâ. Auditionem & rationem esse *causas* instrumentales. Efficientem causam fidei esse cœlestem, immediatam & *irresistibilem*. Fidem animis receptam *testimoniô* Spiritûs Sancti in Fidelibus obsignari, idque testimonium à fide *ratione* perceptâ realiter diversum & discretum esse: *ex superioribus* facilè apparet, quid in assertis ejus desiderandum sit. Saltim hoc denuò inculcamus, Spiritum Sanctum Conversionem operari per verbum *non* vi *irresistibili*, sed ut homo impedire eam eive resistere possit: Sunt autem in hoc negotio considerandi primi *motus* sancti, & motûs subsequentes. *Priores* isti solùm *irresistibiles* sunt, quatenùs deliberationem nostram antevertunt, ut in potestate nostrâ non sit, ne oriantur: posse verò *resisti* illis, postquam orti sunt, ne radices agant, & ne boni motûs ulteriores subsequantur: sicut etiam illi, quos Spiritus Sanctus, post inspiratam per Scripturam cogitationem sanctam & desiderium, ulterius excitat, non inspirantur homini irresistibiliter; sed ut resistere illis eosque impedire, omninò possit.

CAPUT XXV.

De variis Rebuspublicis.

ARGUMENTUM.

Tres dari formas civitatis. Earum quæ sit præstantissima quæstionem esse politicam. Obiter tamen pro Aristocratiâ & quidem laxiore disputatur, hac inprimis ratione; quod in eâ liberrimum imperium sine periculo tyrannidis & confusionis haberi posse videatur &c.

I.

DIversitatem Rerumpublicarum, ad quas post Imperium in genere transeundum, optimè *ex numero imperantium* (*a*) distinguimus. Nam cunctas nationes & urbes populus aut primores aut singuli regunt. Delecta ex his & constituta Reipubl. forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. * Nempe si jura majestatis ita inter diversos ordines distribuantur, ut sua singuli non obstricti alteris seorsim exerceant, quâ de re dictum.

* *Tacit. l. 4. anal. c. 33.*

(*a*) EX NUMERO IMPERANTIUM. Sed non ut à subjecto proprio; ceu quidem Pufendorffius

dorffius *VII. J. N. c. 5. §. 1.* Utique *administratio* in formâ ipsâ Rerumpublicarum nil mutat: Id. *d. §.* si quidem v. c. in Democratiâ Aristocraticè pleraque, nonnulla & Monarchicè, administrantur, & administrari necesse est. Cæterùm ex tribus illis Formis compositam plerique præferunt. v. tamen Hesenthal. *Cl. 3. Athlet. Polit. q. 2. & 4.* ubi de præstantiâ *mixtæ* Reipublicæ, quam non dari existimat *Pufendorff.* Sed tamen irregularem. *VII. 5. 2. & 13. sqq.* item *Systemata.* Tales non protinus esse, quæ Provincias habeat. *§. 16.* vide *Eund.* de his, quæ habent *communem Regem*, ut & qui *fœdere* coaluerunt. *§. 17. 18. 19.*

II. Tres igitur sunt formæ civitatis: *Monarchia*, *Aristocratia*, *Democratia.* Quarum quæ sit *præstantissima* (*b*) disputare Politicorum est. Forte in universum, nihil, quod singulis applicari queat civitatibus, determinari potest. Quando quæ forma uni populo saluberrima videtur, ea sæpius alteri anceps aut gravis est. Scilicet, præstantiam non ex nobilitate aliave excellentia, *sed ex solâ subjectorum utilitate* metiendam esse, ultrò intelligitur. Uti & illud, non quæri, quæ sit perfectissima, ut omnibus careat vitiis, *sed quæ incommodis laboret minus gravibus & crebris.*

(*b*) PRÆSTANTISSIMA. Pro quâlibet earum habet argumenta Hesenth. *d. qu. 2.* & Junius *Qu. 4. Polit.* Monarchiam præfert *Forstnerus* ad *1. ann. Tacit. p. 30.* & Pufend. *d. c. 5. §. 22.* ubi ad ea, quæ habet in contrarium Auctor der Politischen Wagschale, facilè respondere posse, putat.

III. Ita sine præjudicio faciendæ applicationis ad singulas in hypothesi civitates, videmur nobis optimatium merito præferre posse Rempublicam. Non quamlibet, sed ita constitutam, uti *nemo sit ex populo*, (*c*) qui non in tempore & loco secundum ordinem legis Imperantium numero aggregari possit. Insuper ut non nimis exiguus sit numerus, sed pro magnitudine civitatis amplior quam restrictior. Rationem adducemus quam forte novam dicere possis. Quia quanto quæque civitas absolutius imperat, cum periculo quam minimo tyrannidis & seditionum, tanto Respublica præstantior habenda est. Hoc autem nos de ejusmodi Aristocratiâ, quam modò descripsimus, adfirmandum putamus.

(*c*) NEMO SIT EX POPVLO. Sed hoc *Democratici* quid habet. (v. tamen *c. 33. §. 4.*) Sicut v. *Aristoteles* in *Aristocratiam* proclivis est, cum Popularibus *Græcis*, qui Monarchicum imperium aversabantur: ità & *Belgas* videas eò propendere, interque eos cum Auctore *Grotium*; *&c.* cumprimis citatum Auctorem *Bilancis Politicæ*: Quantumvis autem sibi Auctor *Aristocratiam* singularem effingat, cui præstantiam hanc addicere queat; tamen vix apparet, cur non absolutè magis imperare posse debeat *Rex*, quàm Optimates; quorum studia nunquam non diversa, consilia magis lenta & impedita; nec promta in illis, ut ab uno, executio: ita ut nil quicquam sit ad absolutum imperium

perium necessarium, quod non semper in *Rege* reperiatur. Vix autem, ut in aliquâ *Aristocratiâ* absolutâ omnia constitui possint. Est quoque faciliùs, ut inter Optimates ad *Principatum* quis contendat, quàm Rex ad *tyrannidem*; imò & *Oligarchia* tyrannide s. Dominatu gravior est. Neque etiam ob hoc Regnum minùs præstantius Aristocratiâ, si Regni oppositum deterius Oligarchiâ æstimari posset, quia potius eò magis bonum censendum est, & contrarium excellentius arguit *Tyrannis*. Quæ verò in *extraordinariis* Imperiis Aristocraticis *Auctor* admittit mala, quidni multò faciliùs admitteret in *perpetuis*, quæque abrogari optimatibus non possunt. Denique non ita Regem turbant aut turbare audent cives, ùt Optimates singulos illi, qui præcipui sunt de populo, & imperium habere quàm expectare malunt: ad quod quidem in Principatu nullum alii patet aditus ac Principem majori Religione, ceu *personali Dignitate omni* unum & solum munitum, venerantur.

IV. *Absolutam potestatem* (*d*) duobus illis incommodis liberatam civitati salutarem esse, neminem rectè æstimantem censeo negaturum. Quippe cum ad expeditam efficacemque rei communis administrationem sine dubio utilissimam, nihil quam soluta impedimentis agendi libertas est convenientius. Sed in regnis ideò cordatioribus populis displicet absoluta potestas, quia tam proclivis inde est in tyrannidem lapsus, ut à multis, etsi perperam, pro tyrannide habeatur. Sed hoc in *Aristocratiâ* periculum, ubi aliorum bonitas malitiam aliorum refrenat, nullum aut perexiguum est. Quò pertinet, quod Cicero, collegium consulatus ita cohibuisse impotentiam singulorum testatur, ut præter *Marium* & *Cinnam*, denique *Pisonem* & *Gabinium*, nunquam mali Consules extiterint ambo, etsi de *Pisone* plus affectui quam judicio tribuisse videatur. Decemviros aut Triumviros Romæ, Triginta *Athenis*, non est quod mihi quisquam objectet. Extraordinariæ enim illæ potestates fuere, quas ratio & experientia imprimis periculi plenas testatur.

(*d*) Absolutam potestatem. De hâc vid. Pufend. *VII. 6, 7.*

V. Præterea in regnis absoluta potestas suum finem haud perinde adsequitur. Quia populi & proceres sæpe Dominantes in exercitio αὐτοκρατείας suæ turbant, & ab nutu unius omnia pendere pati non possunt. At in laxiore optimatium Imperio, non videmus ægrè ferre populum, omnia cum liberâ potestate agi ab his, quibus summa imperii suo jure competit. Aut si ægritudo non absit, motus tamen & destructio civitatis non facilè contingit. Quia præcipui è populo, quorum ductu seditiones oriri debent, sunt vel participes Imperii vel futuri sperantur. Quæ ratio est, quod nec de honoribus tam facilè tumultus nascan-

nascantur, ut in veteribus Rebuspubl. ubi plebs & patricii perpetuâ familiarum notâ discreti, seorsim ad honores, altero ordine excluso, grassabantur.

VI. Plane & facilius credunt populi, à se ipsis gestum videri, quod est actum ab his, qui ex ordinibus cunctis suique medio ad Imperium evecti sunt. Adeò ut non pauci Democraticam formam jure primævo esse putent, ubi promiscuè è populo sumuntur Imperantes, quod tamen erroneum esse *in loco* (e) videbimus.

(e) IN LOCO. c. 34. Antiquissimam utique Auctor *suprà* habuit, & *Pufendorffius. d. c. 5. §. 4.* idem sentit: de quô *superius* visum est.

VII. Haud temerè alioqui sunt qui arbitrantur in Imperio enormiter magno, quale fuit Romanum, vix aliter pacem, quam sub *unius Imperio* (*f*) posse servari. Sed hujus rei disputatio plenior, quæ non tam juris, quàm prudentiæ rationibus constat, à politicis petendam relinquemus.

(*f*) UNIVS IMPERIO. Et multum adferunt commendationis *Pontificii* ad *Monarchiæ* formam, ut *Papæ* Regimen tueantur: quò tamen ea non pertinent.

CAPVT XXVI.

De Monarchiâ & Condominis.

ARGVMENTVM.

Speciem primam Reip. esse Monarchiam, sive Regnum, à quo distinctum non videri condominatum, cum plures in eodem Imperio singuli summam habent potestatem, quia pro plurium Imperio id haberi non potest, cum non sit collegium, nec pauciores plurium sententias sequi cogantur. Variæ condominatus species aut magis modi enumerantur. Esse & inter eos, cum Regina virum Imperii facit participem, quod tamen in voluntario Imperio sine consensu populi fieri non posse. Quot modis uxor Imperatrix maritum habere possit. An fœminæ summis Imperiis rectè admoveantur.

I.

MOnarchiam esse unius imperium solo satis vocabuli argumento constat. Quod tamen ita præcise captari nolim, ut quotiescunque *plures in uno regno Domini extitere*, toties Reipubl. formam mutari statuamus. Neque enim rectè existimaturus videtur, qui in Romano

imperio, si quando *plures* Augusti fuere, Principatum desiisse contenderet. Cum enim longius illa societas Imperantium ab *Aristocratiâ* quam a *Monarchiâ* distet, consentaneum est, ut ab eâ specie, cui proxima est, appellatio petatur. Ita *Lacedæmoniis* duo Reges fuerunt, idque Regnum vocabatur, nec non verum fuisset Regnum, si potestas verè summa fuisset. Præter quod extraordinarius atque, ut ita loquar, *accidentalis* ille plurium concursus plerumque habetur. Unde formas *peculiares Dyarchias* (*a*) aut *Triarchias* in Artem introducere nec congrueret neque expediret; tametsi fatendum, Monarchiæ vocabulum tunc esse minùs commodum. Accedit, quòd isti *Condomini*, ut hi vel his similes à Germanis ICtis appellantur, non constituant *collegium*, adeoque nec unus plurium sententiam sequi compellatur. Nam ut hoc juris sit, opus est pacto. Condomini autem Imperium civitatis habent eodem jure, quo plures eandem rem sine tractatu societatis pro indiviso tenent. Quo casu notum est, quemque liberum suæ partis arbitrium, nec reliquorum consensui obnoxium, retinere *l. 28. π. Comm. divid.*

(*a*) PECULIARES DYARCHIAS. Hinc quoniam subsistere non licet in Tribus illis Rerump. Formis, nisi quòd *Regulares* illæ sint: *irregulares* admittere oportet plures, ut tamen illæ ad Regulares istas à potiori deducantur. Quocircà nec *Pufendorffius V. J. N. c. 8. §. 15.* Dyarchiam aut Triarchiam distinctas formas conficere voluit. Equidem *Monarchiam* fuisse quando duo vel plures Imperium Rom. tenuerunt, *Besoldus* negat *c. 3. d. Monarch.* & *Bodinus II. d. Rep. c. 2. n. 188.* Sed affirmat *Arnis. Lib. 1. d. Jurib. Maj. c. 4. n. 1.* & sanè *Aa.* Monarchiam appellarunt. v. Dion. *L. 59.* nec dubium est, Imperium Rom. saltim Monarchiam dicendam fuisse sensu sacro, quô *Catholicum* notat. Cæterùm *dist.* oportet, an Terras diviserint vel dividant imperantes nec ne. *Ibi* vel bimembris est divisio, ùt quando olim imperatorum unus Orientem alter Occidentem tenuit, quæ & trimembris esse potest: ut Orbem s. imperium ingens tripertitò teneant, quô casu cùm nullus eorum ab altero pendeat, duo quidem Regna dari asserendum est, ut tamen quando Legibus eisdem & fœdere ac consanguinitate perpetuâ populi, ut tunc quidem in Rom. Imperiô, utantur, sitque substitutio quasi mutua Imperantium, nihilominus pro Monarchiâ haberi debeat. *Administratio* v. si unicè divisa fuerit: sive simultanea sive per vices, (*add.* Auct. *§. 2. b.*) ad Regni divisionem nil facit. *Indivisas* terras si duo vel tres teneant indivisim, ne sic quidem forma Aristocratiæ accenseri potest. Nam duobus existentibus, si dissentiant illi, nil conficitur, nisi quòd pacto in certos casûs vel capita convenire queant: cùm quidem si plures Optimates sint pares numerô, tamen non ita frequens dissensio parium Votorum occurrat. Proinde *unum* præpollere oportet, & sic ad Monarchiam irregularem spectabit. Quando autem *Ludovicus* Bavarus cum *Friderico*, post diuturna bella, convenit, ut quidem communi Regis titulô Fridericus uteretur, sed de cætero imperiô abstineret, Monarchiam regularem fuisse minus dubium est, nil officientibus pacti verbis: das Röm. Reich, dazu wir beyde erwehlt, miteinander gleich als eine Person. In *Tribus* verò Imperatoribus nullibi reperimus hoc actum fuisse, ut duo tertium, ùt in Aristocratiâ necesse

necesse est, vincere posse deberent: quin potiùs esset Imperium reverà penes eum, qui cæteros admitteret, aut ùt Vicarios generales, aut ùt Successores; nisi pactô aut factione jungerentur: sic vel utrobique *irregularis* Monarchia conficitur, cùm non æquô jure Triumviri Imperium teneant: quale quid si fiat, dubium iterum non est, quin species ejusmodi (quam & *Triarchiam* nuncupare licet,) ad statum Optimatum s. Aristocratiam referri debeat: (secùs ac *in §. 1. h.*) ad quem quidem unicè congruit, quod Rumelin. *III. ad A.B. c. 2. th. 17.* opinatur, Triarchiam Dyarchiâ meliorem esse: nam de Majorit. votorum in Triarchiis Romanis non agebatur.

II. Ex quo apparet, quàm sit fragile & anceps hoc genus Imperii, quoties verè summum est, ùt fuit apud Romanos, cum duo tresve simul imperaverunt. Nam ubi superior potestas penes populum aut senatum residet, ibi salubre institutum, videtur esse, duos quàm unum præficere summæ Reipublicæ, quod exemplo, Spartanorum Romanæque civitatis in Consulibus egregie approbatum est. In exiguis quoque jurisdictionibus, sicut plerumque accidit in Germaniâ, hoc genus communionis periculo magis quàm incommodo caret. Alioqui in magnis summisque Imperiis, oportet Condominos alterumve ex illis summâ moderatione vel industriâ præditos esse; veluti *Marcus* cum *Vero* comparatus fuit; Aut Imperium in partes subjectivas dividi necesse foret. Quod vel ita fieri potest, ut secundùm administrationem duntaxat partitio fiat; quod fecêre *Diocletianus* & *Maximianus*; Vel ut Civitates omninò distinctæ constituantur, sicut postea Imperium Romanum in orientale & occidentale discessit; quanquam hi tum desinunt esse Condomini & tantisper singuli, verèque monarchæ sunt. Vices quoque imperandi constitui possent. Aut si nihil horum, tum fieri debet, quod *Pyrrhus* ad filios suos; regnaturum dicebat eum, cujus acutior foret gladius, *teste Plutarcho in ejus vitâ.* Quomodo Caracalla & Geta, fratres, cùm viam concordiæ divisionisque frustrà tentassent, diremti leguntur; *Getâ* per fratrem in sinu matris *Juliæ* confosso, cum quidem illud divisionis consilium in orientale & Occidentale magno nisu turbasset, oblato corpore suo, ut id prius partirentur, filiis eâ de re seriò cum amicis deliberantibus, *narrante Herodiano. lib. 4.*

III. Porrò *Condomini* fiunt *primò* hereditate, cum in ditione patrimoniali plures liberi pariter succedunt; idque ab intestato vel dispositione ultimi regnantis, ubi hoc jus principibus competit; Secundò

 electio-

electione, quando plures cum summâ potestate singuli constituuntur, eaque vel est à populo, vel à Principe Collegam adsciscente, ùt in Imperio Romano sæpius accidit. Vel denique *mixtô jure*, ubi Primogenitura quidem obtinet, sed primogenitus ad regnandum ineptior â Proceribus aut à populo extrà ordinem fratrem aliumve Collegam accipit, ùt his diebus usu venit in *Moscovitis*. Etiam, etsi diversâ ratione mixturæ, apud Anglos & Scotos, ubi *VVilhelmus* & *Maria* singuli summam potestatem in solidum acceperunt, jure quidem electionis, successorio tamen haud procul. Habent, inquam, singuli summam potestem; in hoc quippe diversitas hujus regiminis à *polyarchiâ* consistit, quòd optimates ut universitas Imperium accipiunt; Unde singuli pro subjectis habentur, & sunt reverà *è numero subditorum.* (*b*) Quod de *Condominis* istis nullo modo intelligi potest. Proinde cum ab *Aristocratiâ* sint prorsus alieni, non est, quòd aliò quàm ad Regnum referantur.

(*b*) E NUMERO SUBDITORUM. Quòd si etiam partem definitam non teneat is, qui inter plures Condominos electione populi constitutos reperitur, non minùs videri potest cujuslibet Optimatis locum sustinere. (v. Auctor. §. 4. *b.*) ibi: ùt *universis*. Quòd enim inter Condominos inferiores jurisdictionis partem suam pro indiviso quoque vendere possit liberè, *l. 3. 4. C. d. Comm. Rer. alien.* illud inde procedit, quia certam habet & definitam partem regionis. Ut tamen quoad *Administrationem* in illa Regione nil possit, ne quidem pro parte disponere, nisi concurrentibus Condominis. *L. 9. pr. d. Pact.* Kylling. *Disc. 8. de Ganerbin. n. 87.* Adeò ut prohibentis regulariter melior sit conditio. Christin. *1. Vol. Dec. 210.* A. Fab. *3. Cod. Sab. tit. 26. def.* 1. Unde & *suffragia* in Comitiis oportet à Condominis Regionum in Imperio Rom. pactis & conventione in *unam* sententiam constitui, ut dehinc communi nomine proferantur. Non etiam unus Condominorum in alterum habet Jurisdictionem, estque falsum penitùs, quod vulgò traditur, quasi delinquendô Condominus Dignitate suâ excidat.

IV. Oportet a. in Electione diserte exprimatur, singulos fore Augustos: Nam Imperio simpliciter pluribus delato, non singulis, sed *ut universis* summa potestas *delata* (*c*) intelligitur; *Decemviris* Legum condendarum, & *Triumviris* Reipubl. constituendæ causâ; utrisque apud Romanos.

(*c*) UT UNIVERSIS DELATA. Nec interest, si pluribus, sive ut Magistratibus, *delata* fuerit â populo, sive à pluribus *occupata* & agnita à populo vel tolerata fuerit summa potestas.

V. Eadem fere species per feminæ regnatricis nuptias contingit, Quando maritus ut particeps & *collega* (*d*) imperandi adsciscitur. Quomodo

modo *Ferdinandus Arragonius* (e) cum *Elisabethe Castellanâ* fuit conjunctus. Quod tamen non aliter quàm populo consentiente in regnis voluntariis fieri potest. Excedit enim id notissimos præsumptæ voluntatis terminos, & quidem magis quam si Princeps post mortem de imperio disponat.

(d) ET COLLEGA. Quô casu nec maritus in uxorem, ut nec hæc in maritum *Jurisdictionem* habet. v. in simili Mylerum.

(e) FERDINANDUS ARRAGONIUS. Filius *Sanctii III.* Majoris, *Arragoniæ & Navarris Regis.* Is enim *Ferdinandus* Castellam Navarræ per matrimonium cum Elisabetha junxerat. Nostris temporibus eò Regnum *Wilhelmi Henr.* Auriaci cum *Mariâ* in Angliâ pertinuit.

VI. Multò fortius dicendum, *populi consensum esse necessarium*, si Regina se exercitio Imperii exuere totumque viro committere velit. Utroque enim casu Vir summam potestatem *verè consequitur*, (f) illic ut socius, heic etiam solus. Quanquam utroque casu revocabiliter, sub conditione morientis ante ipsum Conjugis. Maritus enim ubi esse desiit, jus quoque tanquam marito delatum finiri consentaneum est. Cujusmodi tamen conditio temporalis non impedit, quominus imperium æquè sit summum, ac si perpetuum foret, quemadmodum *antea diximus*. (g)

(f) VERE CONSEQVITVR. Neque etiam *temporalis* ea est conditio, quando maritus per totum vitæ suæ tempus Regnum gesturus est; tantùm *Regina* Imperiô vacat, receptura illud, quando Maritus vivere desierit. Quòd si verò eidem ùt Marito imperium concessum fuerit, ut solutô etiam ex parte Uxoris matrimonio deponere debeat Imperium: ita quidem non potest asseri Maritum, superstite Uxore, Regem verè fuisse, quippe temporarium, & quod ex personâ Reginæ seu Conjugis suspenderetur: quin potius vis Imperii *radicaliter* penes Uxorem constitisse putanda est, ut id ipsum nunc etiam cum vitâ hujus expiret. Idem est, si Reginam diceres Imperium per essentiam, Maritum v. per participationem tenuisse.

(g) DIXIMVS ANTEA. *L. I. c. 14. §. 12.*

VII. Cæterum, potestas maritalis, quæ juris Gentium fertur, in priore casu, *vix est ut effectum habere possit*; (h) Nisi quatenus mulier, etsi jus imperandi non abdicaverit, administratione tamen, honore contenta sponte abstineat, ut ferè *Elisabeth Philippi* juncta *Alberto in Belgis*. (i) Aliquando *Condominatus* ita ab initio constituitur, ut actus primus & signatus utriusque sit in solidum, actus secundus & exercitus apud unum: quod singulari exemplo placuit in *Angliâ*, ut Rex præ-

ſens habeat ſolus facultatem ſummæ poteſtatis, eandem Regina, dum Rex abeſt, ſola jure teneat.

(*b*) VIX EST VT EFFECTVM HABERE POSSIT. Quaſi publica Poteſtas, Regia videlicet, in Muliere, videatur impedire effectum privatæ poteſtatis, h. e. maritalis. Et tamen quoniam hæc ab ipsô Jure *Naturæ*, (quod hîc Gentium eſt Auctori,) procedit, tanquam firmiori; Poteſtas v. Regia ex *Gentium* Jure cenſeatur. Hinc ab hâc ipsâ tolli poteſtatem Maritalem in Uxorem, quippe quæ Divinô etiam jure nititur, aſſeri non poteſt; quicquid etiam *J. Frid. Hornius* contradicat *L. 2. Polit. Archit. c. 11. §. 4.* Neque enim per ſe actus Imperii privati, (quod vel in Domô Viri Magiſtratum ſuſtinentis cum Republicâ comparatâ elucet,) adverſantur actibus Regiminis Publici, quin potiùs Conſiſtere juxta poſſunt. Idemque *ad §. ſeq.* obſervandum eſt.

(*i*) ALBERTO IN BELGIS. *Auſtriacus* erat, frater Rudolphi II. Imper. ex ſtirpe Maximil. II. ultimus, hactenùs Cardinalis & Archi-Ep. Toletanus. Ille ductâ indultu Papæ *Iſabellâ* Clarâ Eugeniâ, Philippi II. Filiâ, Phil. III. ſorore natu majore, Belgii Gubernator, cum hereditariâ in Belgium jure per Iſabellam acceptô, factus erat. Anno 1596.

VIII. Multo evidentius ceſſat matrimonii Lex, cum Regina totum & jus & exercitium Imperii ſola reſervat, nec aliud quàm Regis titulum viro impertitur. Quomodo *Johannæ Neapolitanæ*, (*k*) & forſitan *Mariæ Britannæ* (*l*) ſuos maritos habuerunt, utique Scotica. Nam de *Maria Angla* paulò aliter videtur. Tali caſu, maritus non diſpari jure utitur quàm Auguſtæ apud principem Romanum, eſtque ſubditus uxoris ſuæ Vir, quod aliquando malè cedit iis, ùt Andreæ Neapolitano & Henrico Stuarto, qui uterque ab uxoribus non modò à regiâ poteſtate, ſed & è medio vitæ ſunt ſublati; *ſi fides Hiſtoriæ. dixi in Hiſt. civ. Tom. I. ad ann. 1250, c. 3. & tom. 2. ann. 1588. c. 13. n. 4.*

(*k*) JOHANNÆ NEAPOLITANÆ. Hæc *Johanna I.* quæ anno 1343. imperare coepit, *Andream*, Caroli Roberti Regis Hungariæ filium, maritum ſuum laqueô ſuffocavit, & dehinc Ludovicum Tarrentinum duxit. Adv. hanc Papa Urbanus VI. Ludovicum, & defunctô eô *Carolum*, Hungariæ Reges Neapolis Reges conſtituit; Ipſa verò Johanna Ludovicum Johannis Galliar. Regis filium adoptavit, eique Jus Regni conceſſit. Sed Carolus Neapoli potitus *Johannam* cepit & ad ann. usque 1381. regnavit.

(*l*) MARIÆ BRITANNÆ. Henrici VIII, ex Catharinâ filiæ. Hæc ſuperatâ fortunæ invidiâ, Regni ſceptra ſucceſſione hereditariâ cenſecuta eſt, & Philippi Hiſpaniarum heredi, Caroli V. filio, eâ conditione nupſit, ut ſi liberi non naſcerentur, Philippo nihil juris in Angliam eſſet: eaque videtur *Philippo* Imperium permittere voluiſſe, ſaltim ut non ille nomen tantum Regis haberet. Ipſa regnare cœpit anno 1553. & ætatis anno 40. ſine liberis deceſſit: quam Eliſabetha ſoror ex Bolenia 1559. excepit. Diverſa eſt ab hac Maria Scotiæ Regina ſub Eliſabethæ Imperio anno 1587. ſecuri percuſſa.

IX. Sed eſtne juris, ut *fœminæ* ſummis Imperiis admoveantur, quas DEus & homines ab omni publicâ adminiſtratione tam in Eccleſiâ, quàm in Republicâ, voluit excluſas, & quas naturalis pudor ac infirmitas

firmitas ad parendum potius quàm ad imperandum creâsse videtur. *Respondeo*, jus naturæ & Gentium non excludere fœminas simpliciter ab omni imperio, ùt apparet in matribus familiarum, quæ in liberos & servos utcunque magnô numerô, habent potestatem, item in pagos ditionesque hereditarias; sed ubi cum viris *concurrunt*, cæteris paribus, *excluduntur*, ut in Imperiis domuum, viris existentibus, & magistratibus, ad quos viri semper haberi possunt. Eodem modô, in summis Imperiis, *postponuntur viris*, (*m*) cæteris paribus. His in familiâ regnatrice deficientibus non excluduntur, nisi lege positivâ.

(*m*) POSTPONVNTVR VIRIS. Eas ab imperio exclusas vult *Lipsius*, sed tuetur eas *Danæus* & operosè *P. Gregorius Tholos.* De *vidua* Reginâ, quòd maritô extraneô citrà populi & procerum assensum nubere non possit, Vid. Knichen. *in Op. Polit. Lib. 1. c. 1.*

CAPVT XXVII.

De

Speciebus Monarchiæ, ubi de Dominatu & Imperio violento.

ARGVMENTVM.

Regnum heroicum, Æsymneticum, Laconicum, non esse distinctas regni species, quod ad juris rationem attinet. Non nisi duas esse tales, Regnum παμβασιλικόν & dominatum βαρβαρικόν. Definitio utriusque & differntia. Posse & justum esse dominatum. Quo jure subditi bello victi ad obsequium obligentur. Nullà in re Despotas videri populis obligatos, nisi, ne totam perdant civitatem.

I.

SPecies *Monarchiæ* plures numerant ex *Aristotele* Politici, sed plerasque *ad juris diversitatem* (*a*) parum pertinentes. *Aristot. l. 3. polit. c. 10. & 11.*

(*a*) AD JVRIS DIVERSITATEM. Videlicet duæ tantùm eò faciunt, Regnum plenum f. παμβασιλεία, & Regnum *Barbarcum* f. Despoticum, quô plerumque *Orientales* utebantur. Itaque *Heroicum*, *Laconicum* & *Æsymnetarum* apud Græcos, nil ad rationem diversam Regni pertinent; ut tamen Auctor *Dictatoribus* Majestatem non rectè tribuat, quibus pares in hoc *Æsymnetæ* fuerant, quòd & ipsi haberent *ad tempus* Potestatem: quos quidem *Aristoteles III. Politic. c. 4.* inter maximos *Tyrannos* retulit. Regnum *Hebræorum* quod attinet, *Hugo* Grotius *l. d. J. B. & P. c. 3. §. 20.* minùs rectè illud ad hæc nomina retulit, ab *Osiandro* in *Annot.* ad ipsum meritò reprehensus, cùm

potiùs

potiùs Regnum hoc ad *plenum* referre debuerit; ceu ex *Jure Regis* apud *Samuel.* & ex *Psalmo. LI.* eluceat. Etenim potuisse Regi *verbera* infligi, commentum esse *Rabbinorum*, ùt & quòd Regibus judicia aliqua adempta fuerint. Et *Synedrii* quoque originem ad Statum regium inclinantem referri oportere.

II. Nam *heroicum* Imperium, quô ad regnum evehuntur hi, quos spectata inter bonos moderatio & valoris ac virtutis reputatio commendat, quales initio rerum hominumque Reges creatos volunt antiqui, jure potestatis nihil ab reliquis discrepat.

III. Nihilo magis *Æsymneticum* regnum, quando ad tempus aliquis summæ Reipubl. præficitur. Quia pridem diximus, durationem temporis non variare speciem summæ potestatis, modò acta imperantium intra suum tempus nequeant infirmari. Quare & *Dictatores* (*b*) magis est, ut nos pro *Monarchis* habeamus, non minùs quam *Decemviros* pro *Aristocratiâ* summâ, quanquam eorum potestas non semper integra conservata est, partim facilitate ipsorum, partim importunitate populi.

(*b*) Dictatores. Idem, quòd Majestatem habuerint illi, propugnat operosè *Jo. Jac.* Müllerus, *tribus Dissertat.* Quantæcunque v. Potestatis illi fuerint, non tamen inde *Majestatem* quis exstruat, quippe, licèt *summa*, tamen non nisi *Magistratûs* & vicaria, à Populo illis delata, haberi potest, sive illis in *tempus* definitum sive ad tempus *vitæ* demandata fuisset; ne de cæteris, quæ in illis occurrunt, majestati, (quam Imperii summitas per se non infert,) minùs congruis dicamus.

IV. *Legitimum* Regnum, quod Legibus subjectum & Spartanæ civitatis exemplo *Laconicum* dicitur, tale duntaxat est nomine tenus, reverà constituit *Aristocratiam.* Non quia Reges erant duo, sed quia domi magis Præsides Senatus, foris nihil quam Duces belli erant. Prorsus, ut hodie dux Venetorum, aut potius ut Arausionenses in Belgio Principes. Qua comparatione liquet obiter, ejusmodi Ducatus quamvis perpetuos cum libertate Aristocraticâ non male convenire, posito habili situ Reipublicæ; nam est etiam, ubi res secus evadit.

V. Nobis igitur plures Monarchiæ species non sunt considerandæ, quàm hæ duæ, *Regnum* & *Dominatus*, sive Imperium, ùt Aristoteles, loquitur, παμβασιλικὸν aut βαρβαρικόν. (*c*) *Regnum* verum & plenum est, ubi princeps habet summam & liberam potestatem, faciendi in civitate, quod è re communi videbitur, *salva tamen* (*d*) *civium libertate & proprietate rerum.* Plane de his illa omnia prædicare licet, quæ *su-*

perius

perius de efficacia Imperii voluntarii & ſimpliciter delati, denique de jure ſummæ poteſtatis, nullis legibus obſeſsô, fusè diſputavimus.

(*c*) ΒΑΡΒΑΡΙΚΟ̃Ν. Originem Vocis inquirunt *Voſſ. Martinius*, *Druſius*, *al.* Græci per eam vitium *Sermonis*, inculti ſcil. notabant, extensâ etiam poſtmodum ad *mores* rudes peregrinorum, & aſperos. Sic & *Romani*, cùm Gens utraque linguis ſuis & inſtitutis præſtare ſibi viderentur aliis, qui non in ditione eorum aut amicitiâ eſſent. Denique in *peregrinos*, licèt Romanorum Imperio adjectos, eandem denominationem retinuerunt. Briſſon. *d. V. §.* cum *inſertis*. Ut jam non amplius convitii nomen, ſed diſcriminis, fuerit. Bœcler. *II. Diſſ. in Theodorico OſtroGothô. p. 124.* In Sacris linguam eorum, qui nec intelligerentur, ùt & morum ruditas notat Barbaries. Rechenb. in Hiero Lex. Inde ab aſperitate, unius Imperium durum Ariſtoteli Barbaricum dictum eſt.

(*d*) SALVA TAMEN. Neque verò libertati Civium aut bonis ullatenùs detrahit, quòd pro communi Reipubl. bono *perſonas* ſuas & *bona* impendere ſingulos oporteat, ut ipſi cum *univerſis* ſerventur: Jam enim *Imperii & Dominii eminentis* in civium perſonas & bona, quâ poteſtate extraordinariâ nullum carere recta Reſpublica & Imperium etiam *Polyarchicum*, in rectô juſtôque ejus uſu, poteſt, ea eſt conditio, ut quod civium unus alterve ſub eâ ſuſtinent, iisdem quà fieri poteſt, ex communi, quandocunque reſarciatur.

VI. Exiſtere igitur hanc regni ſpeciem putamus, ubicunque poteſtas civitatis uni homini *ſinè modo*, *ſinè conditionibus*, (*e*) voluntate civium ſimpliciter defertur. Quemadmodum Lege Regia in Cæſares Romanos, ut Juriſconſulti tradunt *in l. 1. ff. de Conſtit. Princ.* & noſtro tempore Danicum Regnum ex electivo & legitimo factum eſt abſolutum & arbitrarium ſolenni Ordinum populi conſenſu. Nec aliter hodieque regnum Francorum haberi videmus, præſcriptione tamen magis, quàm jure primævo, quô id etiam legitimum fuiſſe docuit Hotomannus in Franco-Gallia. Cæterùm promiſſio Regum, quòd juſte imperaturi ſint, nihil juris addit civibus, ex quo poteſtas regnantium mutetur aut reſtringatur, ſed hoc ſpeciale & exceptum eſſe oportet; Generalis ejusmodi promiſſio regnantium animos duntaxat obſtringit; ùt ante-hac demonſtratum eſt.

(*e*) SINE MODO, SINE CONDITIONIBUS. Nec tamen *Lex Regia* ſinè modô aut conditione fuit; ùt *ſuprà* oſtendimus. Cæterùm univerſam Regni naturam his duabus ſpeciebus, *Pambaſiliâ & Dominatu* non exhauriri facilè conſtat, ſaltim quòd ad illas, etiam anomalas & irregulares Monarchias ſuô modô referre liceat.

VII. *Dominatus* finitur, quod ſit Imperium, quo Princeps ſibi ſubjectis ut paterfamilias ſervis imperat, omniumque tam quod ad res quàm corpora Dominus exiſtens, actiones publicas *ad ſuam præcipuè utilitatem dirigit.*

VIII. *Differentiam* (*f*) ejus à Regno ex definitione triplicem colligimus. Primam, quod *proprietas bonorum, quæ ſinguli poſſident, ad Imperantes pertinet.* Alterum, quòd *perſonæ ſubditorum dominio Principis ita ſubjectæ* ſunt, ut ſervitio illarum uti, deque vita ac nece diſponere poſſit; Idque promiſcuè, arbitrariâ poteſtate, cauſaque etiam indictâ. Non quod vitâ immerentem juſtè exuere poſſit, ſecundùm id quod juſtitiæ ratio intrinſecus dictat: Sed quod ex causâ jure Gentium validâ habeat externam ita agendi facultatem, de quo diſcrimine juris diximus in cap. 4. Ex his tertia reſultat differentia, à fine diverſo petita, qui eſt in Regno civili originaliter, *utilitas ſubjectorum*; Quanquam illa ſine commodo Imperantium obtineri non poteſt. In Dominatu originalis ſcopus Imperii ſtabiliti, eſt *utilitas Regnantis.* Quæ nec ipſa tamen absque commodo ſubjectorum poteſt cuſtodiri. Ex his reliquæ differentiæ, inter dominum & Rectorem, ſervos ac cives, de quibus *Claudius* ad Meherdatem apud *Tacitum*, *12. annal. c. 11.* quæque ſimilia per ſe intelliguntur.

(*f*) Differentiam. Et *ſpecificam* quidem, vel ex ſolô *fine* ſepoſitæ ſalutis communis. Neque etiam ſi Rex *de facto* ea perpetret, quæ herilis imperii ſunt, hoc ipsô Regnum, quod jure eſt & eſſe debet, in *Dominatum* abit. Non *factis* definitiones, quibus jura, (de his enim in hac *diſciplinâ* diſquiritur,) firmari oportet, enervandæ ſunt.

IX. Cauſam hujusmodi Imperiorum primam vix aut raró, nec tamen nunquam eſſe, voluntatem liberam populorum, ſed plerumque vim aut neceſſitatem diximus *in cap. 7.* Nec tamen pro injuſtis habenda eſſe id genus Imperia, ibidem probavimus: Si vel juſto bello vel deditione voluntaria tali formâ conſtituantur. Non magis quàm privata ſervitus ex hac cauſa olim injuſta fuit, quam ſcimus niti ratione ſuppeditatâ à Juſtiniano *in §. 3. Inſt. de jur. Perſ.* ſcilicet ab ipsâ ſervorum etymologiâ, quos ait appellatos à *ſervando*, quia cùm victores bello captos occidere poſſent, eos *ſervant* ad ſerviendum, quod multò magis eis facere licet: eodem argumento, quo *Cicero* ſcripſit, non eſſe injuſtum ſpoliare, quos occidere juſtum & honeſtum eſt *lib. 3. off.* Et quidem Dominantibus ratio ſui juris ita ſatis conſtat. Etiam ſubjectos qui ſe neceſſitate ſubacti dediderunt, ex pacto ad parendum eo modo teneri manifeſtum eſt.

X. Sed

X. Sed an bello victi, & *quô jure* in tantum hi *obligentur*, (g) & an ſtatus belli adhuc duret illis, quando ſub ſtabilem dominatum ſunt redacti, quæri poteſt. Plerumque ſuperfluum facit hoc quæſitum mos omnium victorum, qui nihil prius habent quàm pacatos armis in verba ſua adigere, fidemque ſtipulari. Aut ſi nullam expreſsè promiſſionem fieri contingat, quando victor parcit dediticiis armaque & vis præſens utrinque ceſſant, ita ut populus gaudeat ſub certo jubendi parendique ordine vita bonisque frui; non eſt dubium, quin ex re ipsâ conſenſus eorum ad obſequium ſatis eluceſcat; quanquam jus dominantis omninò ſit evidentius per promiſſionem diſertè factam. Promittere autem videntur, ſe tantum poteſtatis Domino conceſſuros, quantam ipſi jus Gentium & belli tribuit. Atqui hoc ſine controverſia eſt libera rerum hominumque poteſtas. *Grot. lib. 3. cap. 7. & 8.* Cui ſe libenter ſubjicere intelliguntur, ut præſenti vitæ bonorumque jacturæ eximantur. Qui proinde actus cum ſit voluntarius non poteſt non obligare promittentes. Quippe cum certum ſit, eum qui vi metuque injuſto coactus *promiſit*, (h) naturaliter teneri, quatenus voluntas cogi nequit; ut tamen verum ſit, æquè naturaliter, metus injuſti auctorem, teneri ad alterum obligatione rurſus liberandum. Quod ſi juſtus fuerit metus, ut in bello ſupponimus, nihil eſt, quod aut naſci obligationem impediat, aut infirmari natam requirat. Quippe Jure Gentium in bello *ex causâ licet injuſtâ ortô*, (i) ſi modò externa ſolennis belli requiſita adſint, juſtam intelligi cauſam, quod ad externos obligationis effectus attinet, indubitatum eſt. *Grot. l. 3. c. 19. §. 11. d. Jure B. & Pac.*

(g) QVO JVRE OBLIGENTVR. *Jo. Frid.* Hornius *Lib. II. Polit. Architecton. c. IX. n. 1. & 2.* conſenſum debellatorum non requirit, ſed *Wilhelmum Barclajum* eô nomine impugnat, quaſi videl. credendum ſit, Deum nullô intuitu cauſæ juſtificæ victori imperium in eâ Gente concrediddiſſe. Enimverò non ita occupamus imperia, ùt res alias, quæ nullius ſunt; Nec *titulum* conficit Bellum, ſi interna cauſa ſibi non conſtet, ſed *modum* acquirendi, quem tamen per externam juſtitiam inſtar tituli Gentes habendum, in causâ dubiâ, voluerunt. Quoad verò durat ſola vis, absque *pactô* interveniente, durat etiam *ſtatus belli*, in quô nulla poteſt eſſe ab initio Majeſtatis ratio in eô, qui populum inimicum devicit. Quinimò ſi pactum vel maximè intercedat cum populo, cujus Regem victor ejecit & in fugam vertit, ſubditi quidem pactô ſuô obligantur; ſed *Regi* tamen jus ſuum adh. ſalvum manet. Faciliùs autem, quando populus anteà Democraticus fuit, ex patientiâ, etiam non longâ, ſubjectio illius populi tacita colligitur.

(h) PROMISIT. Et quis dubitet, metûs licet *injuſti* auctorem promiſſum, quod *voluntarium* habe-

habetur, indeque promittentem *naturaliter* obligat, acceptari posse.

(*i*) Ex causa licet injusta orto. v. H. Grot. *Lib. III. d. jure B. & P. c. XIX. §. 11.* & Forstner. *ad I. Annal. Tacit. p. 219.*

XI. Non audimus igitur illos, qui Principes *hoc herili Imperio* (*k*) utentes indistinctè *Tyrannos* appellant. Nec qui sic tradunt, victorem Principem posse quidem delere vel dissipare populos; si autem formâ Civitatis conjunctos sibique obligatos retinere velit, esse quod juri armorum renuntiet, populoque nonnisi liberè consentienti imperet; Proinde jus idem patiatur, quod in voluntariis Imperiis, illi cunctis Principibus incumbere docent.

(*k*) Hoc herili imperio. Nam & *absolutum* Imperium Rex justè habere potest; quod tamen *herile* non est. Et herile non minus justè haberi ex se & instituto potest. At verò hoc *Tyrannis* non est.

XII. Nobis ratio dissentiendi constat, ea quæ exposita est, omniumque seculorum exemplis firmatur. *vide sis Grotium d. lib. 3. c. 7. & 8.* Porrò talis olim notissima Persarum & sueta Dominis Syriæ totiusque Orientis consuetudo fuit. Nec aliter hodie omnes ab ultimis Sinensibus ad usque Russos in *Europam*, populi à Despotis suis administrantur, idemque in *Africâ* omnique barbarie servatur. Quæ res cum in iisdem gentibus ab omni seculorum memoriâ pari tenore servata fuerit, ut oblatum quoque remissius Imperium sprevisse legantur, *parum abest* (*l*) quin *Aristotelis* sententia de servitute sive aptitudine ad serviendum naturali, quam *antehac* indicavimus, vera & evidentissimis exemplis confirmata sit, ac ita dominatus in illis gentibus etiam οἰκείᾳ φύσει, propria populorum voluntate niti videatur. An & Israëlitæ petentes ab Samuele Regem ejusmodi, qualem habebant vicinæ gentes, suâ quoque voluntate se dominatui submisisse videntur: quemadmodum ex oratione Samuelis, quâ illos erudivit de jure Regis, qualem petierant, intelligi possit? equidem in eâ cernuntur duo κριτήρια despotici Imperii, dominium in personas, *accipiens filios & filias vestras*, atque in res, *agros vestros, &c.* Attamen *de voluntate populi* (*m*) istius aliter existimandum esse *suprà* probavimus. Quemadmodum & hoc satis constat, labefactatâ Regum potentiâ post Salomonis excessum, non tenuisse Reges Judæ eandem potestatem, in longitudinem. Tu dices, nihilne igitur tales dominos suis civibus promittere intelligimus, ut nunquam juris externi

externi ratione, Imperio abuti possint? Existimo, præter quod in præsenti, cum in statu belli fuerunt, incolumitatem pollicentur, eos ad universæ quoque multitudinis salutem in perpetuum procurandam esse obligatos. Proinde, si tam immanem ostendant animum, ut ad omnium perniciem contendant, tum verè perfidi atque tyranni dicantur; Natura enim negotii, quod geritur, constituendæ civitatis, sine hac, tacita duntaxat, obligatione, consistere non potest.

(*l*) PARVM ABEST. Non itaque *Hubertus* Aristotelem probat aliter, quàm quòd *apta* magis sit ad serviendum natio una præ aliâ: cæterùm aptitudo talis per, se quà *naturalis* est imperium nulli civile parere potest; in *hypothesi* tantùm, posito herili imperio, justum *magis* istud est in natione, quæ, ob imbecillitatem intellectûs aut stupiditatem, ipsa sibi prospicere *ad Rempublicam* non potest.

(*m*) DE VOLVNTATE POPVLI. Quænam vera sit de *expetito* ab Israëlitis *Rege*, sententia, ad §. 1. diximus.

XIII. Cæterum, haud temerè patrisfamiliàs in definitione posita est comparatio: Siquidem hujus in servos & in liberos potestas evidenter Regni & Dominatûs differentiam exhibere videtur; utique sicut Patria potestas jure Gentium & recentiori Jure Romano comparata est.

CAPVT XXVIII.

De causis constituendi Monarchiam.

ARGVMENTVM.

Modos deferendi regnum ordinarios, Electionem esse & successionem. Refutatur Althusii doctrina, ùt & eorum, qui statuunt, DEum esse causam Majestatis immediatam. Successionem solùm in patrimonialibus obtinere. De voluntariis quaritur, si nihil sit dictum, utrum prasumatur, electivum esse, an successivum Imperium. Prius contrà Hobbesium affirmatur. Argumenta in utramque partem ventilantur, Concluditur, hoc argum. Successio aut ex Lege fit aut expressâ vel tacitâ voluntate defuncti. Lex nulla heic esse potest, quia casum ponimus, quo nihil fit dictum Voluntas ultimi defuncti in patrimonialibus quidem regnat imperiis, in voluntariis nullo modo; cum ibi voluntas fundatorum attendatur, hoc est, primæva populorum: adde, si in dubio, est successivum intestati imperium, poterit etiam testamento de eo disponi; si hoc, tum & inter vivos alienari: atqui hoc absurdè de imperio libere à populo statuto affirmatur.

I.

POst Species Monarchiæ sequuntur modi, quibus Regna acquiruntur. Hi sunt vel ordinarii, vel extraordinarii. Priores duo sunt,

Electio & *successio*. Extraordinarii perinde duo, matrimonium, & jus belli. De jure belli & matrimonio dictum quod satis sit, *in superioribus*; de sorte nihil quidem, sed hæc rarissimè in usu est, *aut pro electione* (*a*) fungitur; ùt olim apud Persas in Dario Hystaspide.

(*a*) AUT PRO ELECTIONE. Quam sc. vel insequitur, vel modus ejus est: ùt in *l.* 47. *C. de Episcop. & Cler. Accessorium* v. est Electionis quando electio præcessit, aliquorum, qui virtute & meritis pares sunt, ut deinceps, ad invidiam & cætera mala evitanda, per *sortem* exitum reperiat electio.

II. Utrum autem imperia meliùs per electionem, *an per successionem* (*b*) deferantur, id à politicis disquirendum. Verum sitne Imperium aliquod electivum, an successivum; & penes quem sit eligendi facultas, ea juris est quæstio; in hypothesi tamen potiùs, quàm præceptis generalibus determinanda.

(*b*) AN PER SUCCESSIONEM. Præferunt in thesi *Electionem*, quamvis enim frequentior sit successio, & naturalis, neque turbis interregni exposita; tamen huic per designationem successoris vivô Rege, ùt & per Vicarios consuli potest. Ista v. ad præstantiam modi *per se* nil faciunt.

III. Planè, origine cujusque civitatis *inspectâ*, *nullum non Regnum ex voluntate populi ortum*, *fuit electivum*. Sed diversitas electionis & successionis deinceps orta est, cùm quædam ex Imperiis ita sunt delata Principibus, ut identidem sedes vacua per *electionem* repleretur. Quædam ita, ut succesio secundùm ordinem certum propinqui sanguinis ab uno in alium devolveretur, ex præscripto Legis. Hanc quidem vocant electionis speciem; quomodo *Althusius* in *Polit. suâ*, *c.* 19. *n.* 78. *seqq.* qui negant, ullum dari imperium jure familiæ hereditarium, sed totum à populo dependens, quod & in *Angliâ* multi opinantur. Si dicerent, succesionem esse nihil, quàm electionis primævæ continuationem, nihil errarent. At si jus Imperii nunquam à populis alienari velint, res redit ad statum disputationis *suprà* aliquoties peractæ. Quà per electionem, ipsum jus imperii independenter alienari posse probavimus, ad vitam, vel etiam pro heredibus; Quæ tunc est *Successio*, non ampliùs à primis eligentibus dependens, sed familiæ propria, per actum alienationis. Planè quò minùs etiam succesio posit ita constitui, ut successores inferiorem populo & ephoris habeant potestatem, dubitare non patitur aut ratio, aut exemplum Lacedæmonorum & similia passim.

IV. Aliter

IV. Aliter è diametro instituunt, qui Imperium *immediatè à DEo* esse volunt. Hi negant, Imperium ullô modô à voluntate populi pendere, nec à civibus quicquam juris ad imperantes manare, nec adeò causam Monarchiæ aut ullius in civitate potestatis esse populum, quos inter *D. Zieglerus* ad *Grot. L. 1. c. 3.* & *c. 4.* Et hi dictum *P. Apostoli* à nobis aliquoties adductum, quòd imperium sit *humanæ creationis*, interpretantur, quòd sit hominibus proprium, vel ratione causæ instrumentalis, quia per homines exercetur. Utuntur argumentis è sacris, de *potestate* solvendi ligandi & Sacramenta administrandi, quæ ministro *Ecclesiæ* competit. Quemadmodum igitur populus eligendò pastorem non confert potestatem illam nec conferre potest, quia non habet eam ipse, nihilque agit, quàm ut personam electam potestati à DEo *immediati* proficiscenti applicet: sic etiam populus, quando eligit Regem, non confert potestatem imperandi, sed personam electam producit eamque adhibet exercitio potestatis illi à Deo immediatè conferendæ vel collatæ. Nec sequitur, ita pergit *Zieglerus*, homines ab initio spontè adaucti in societatem civilem coierunt, & ex hoc ortum habet potestas civilis: Ergò talis potestas *origine* est *humana*: Sic enim perinde liceret argumentari; Adam & Eva sponte adducti coierunt in matrimonium. Ergò matrimonium institutione non est divinum.

V. Sed ego ita existimo, rerum moralium & civilium naturam maximè ab effectibus æstimandam. Si DEus certam imperii formam & tenorem, cujus limites excedere non licet populis, præscripserit, electionem personæ fatemur ejus juris vim infringere non magis posse, quàm cœtus fidelium potest auferre jus ligandi & solvendi suis pastoribus, aut uxor viro principatum domûs invito adimere potest. Sed hoc de imperio Civitatis à DEo non legimus esse determinatum. Hactenùs quidem, debere aliquem esse ordinem imperandi atque parendi, cui omnis anima debeat esse subjecta, non tamen, qualis & quanta in ordine ejus esse debeat; nec quò minùs populus imperium retineat, si id expedire judicet, Deus intercessit; multò minùs quo partem aliquam imperii reservaret, unquam prohibuit; quod de ministerio Ecclesiæ institutoque matrimonii nullô modô affirmare licet.

VI. Tu-

VI. Tutior igitur inter has extremitates est media via. Nec populos à causæ *secundæ* jure in Imperiis condendis excludi posse; nec eos semper Rectoribus suis esse superiores. Sed imperium simpliciter delatum censeri verè & irrevocabiliter esse alienatum: cui deferentes non modò singuli, sed & universi subjicientur: idque vel certis legibus, vel absolutè, ad vitam, vel etiam in heredes; ut prior species electiva, posterior successoria sit. In illâ imperium identidem Rege mortuo relabitur ad populum; in hac non nisi ordine successorum extinctô.

VII. Cæterùm in *patrimonialibus Imperiis* non voluntas populi aut Lex, verùm sola voluntas expressa vel tacita postremi Regnantis in Imperio propagando spectatur: Prorsus ut quisque privatus jure Gentium de suo patrimonio disponit. Idem in plerisque herilibus, quæ ferè simul sunt patrimonialia, dicendum; nisi quòd aliquando Lex quoque in illis ordinem præscribit, ut jam *suprà* innuimus.

VIII. Sed in voluntariis meritò dubites, quid juris sit, si populus Regem simpliciter constituerit, non expresso, *Electivum* in posterum, an *successivum* foret Imperium; utrius conditionis sit futurum, quemadmodum Romæ species illa fuit & in Regibus & in Cæsaribus, juxta hypothesin Legis Regiæ. *Hobbes* non dubitat adfirmare, successorium non modò, sed absolutè hereditarium illud Regnum esse habendum *de cive cap. 7. §. 14. & cap. 9. §. 13. & seqq.* Adeo ut cuilibet Imperanti suo arbitrio successorem declarare liceat. Idque etiam tunc vult obtinere, cùm populus disertè Imperantes ad tempus & ad vitam duntaxat suam constituit, tempus tamen locumque non præfinivit, quô rursus eligendi causâ convenire deberet.

IX. Nobis hoc improbandum videtur, & quidem ad posterius primò respondemus. Esse quidem factum illud imprudentissimè, statumque illius Imperii lubricum esse fatemur. Sed casus, quando Imperium uni vel pluribus est delatum, nullâ surrogationis mentione factâ, bifariam considerari potest; Aut enim imperio delato tempus adjectum est, vel certi spatii, vel ad vitam, aut nullum tempus adjicitur. Certo tempore præfinito putamus hanc esse rationem: quòd populus fœdere civitatis, cujus perpetua est obligatio, conjunctus, unique Imperium sui *ad tempus* deferens, hoc ipso tacitè, at validè, stipulatur,

latur,

latur, *ut antequam tempus exſpiret, Imperantes comitia de Imperio habeant.* Quod ſi negligat facere præſens Rector, acta quidem Imperii, quæ poſt lapſum temporis exercet, ipsô jure nullius momenti ſunt, eamque ad rem nullâ poteſtate ſuperiori opus eſt. Neque verò tunc adhuc populum in ſtatu naturali eſſe dicemus, *quia manet fœdus æternum civitatis*, quod omnes ſingulique contraxerunt. Sed quilibet civium jus habebit populum vocandi, deque his quæ ad ſalutem communem pertinent, referendi, ùt olim Romæ factum à *Virginio & Icilio* contrà Decemviros apud *Liv. lib. 3.* Idemque neceſſarium dictu eſt, ubi ad vitam Imperium uni delatum eſt, *nullo in anteceſſum ordine conveniendi præfinito.* Nam tunc à Rege non poteſt exigi, ut is ante mortem ſuam populum hac gratiâ convocet; propter incertum vitæ humanæ, & periculum deſignandi ſucceſſoris, quod *Eliſabetha Angla* tantumdem eſſe dicebat, ac involvere ſe vivam linteo mortuali. Quanquam tamen rectiùs faciet talis Princeps, ſi in tempore ſucceſſorem deſignari ſibi curet, ex Hobbeſii vel potiùs Naturali regula, *de reddendo bono pro bono.* Falſum igitur liquet eſſe, quòd Rex, cui diſertè ad tempus vel ad vitam datum eſt regnum, id aut ſibi retinere, aut alium pro lubitu ſurrogare poſſit, quando cum definitione temporis & vitæ conſtitutum eſt. Regem poſt annos expreſſos, vel in tempus poſt mortem nihil juris habiturum; & ejusmodi conditionem privare Principes jure faciendi contrarium *abunde probatum eſt.*

X. Secundum hæc cogitandum, an id liceat Principi, cui ſimpliciter data eſt *ſumma poteſtas*, (*c*) nullâ futuræ Electionis aut ſucceſſionis Lege ſtabilitâ, non adjecto quoque, ad tempus vel ad vitam; Sitne tum, inquam, *electivum an ſucceſſivum* Regnum, haud levis dubitatio eſt. Argumenta pro ſucceſſione haud ſpernenda ſe offerunt. Populus Regem creans exuit ſe Imperio totumque jus ſuum transfert in Illum; utique ubi nihil excepit, præter id cujus gratia civitatem condit, ſcilicet incolumitatem, *eo ſenſu, quo pridem diximus.* Atqui diſpoſitio de ſucceſſione, à libertate dominioque rerum; quibus ſalvis incolumes ſumus, evidenter aliena eſt. Quid obſtat igitur, quominus & hæc poteſtas in principem ſimpliciter conſtitutum translata dicatur? Jam ſi de præſumptâ voluntate judicandum, quid faciendum ſit, ubi

Nn expreſ-

expreſſa nulla eſt: quid proclivius ad credendum eſt, quàm populum, qui tædio ſuæ poteſtatis, regnum inſtituit, nolle rem ad ſtatum priorem reduci, quod tamen fieri oportet, ſi Rege mortuô alium ſint electuri? Præſumtio eſt anticipatio judicii, ex eo quod plerumque fit in ſimilibus, præſenti cuique negotio applicata, *ut JCti tradunt.* Plerisque autem populis, qui regnantur, placuiſſe videmus *ſucceſſionem*; Proinde & hanc in dubio noſtri caſus, populum in conſpectu habuiſſe, præſumendum videtur. Quibus addere licet ea, quæ de ſalubritate ordinis ſucceſſorii, præ incertitudine & ἀταξίᾳ Electionis à politicis cumulantur.

(c) SVMMA POTESTAS. Videlicet diſponere poſſe de ſucceſſione in Imperio, non eſt *Jus Majeſtatis*; ſed ad modum eam habendi pertinet. Ille verò non ad ipſam Majeſtatem per ſe reſpicit, eive ineſt; verùm de eo oportet convenire cum his qui *modum* gubernandi definire poſſunt, ipsô Populô aut Primoribus ejus.

XI. In diverſam tamen partem inclinat ſententia, prævalente hac ratione; Quod in dubio, ſi electivum non ſit Imperium, non modò oporteret ſucceſſivum ad liberos eſſe proximique ſanguinis reſpectus, ſed & abſolutè hereditarium; Ut ultimus Princeps teſtamento quoque extraneum ſurrogare poſſit. Imò ut & vivus Imperium in quemlibet alium transferre valeat. Nam quod eſt Hereditarium, æque teſtamento quam ab inteſtato poteſt ordinari, & de quo licet ultimâ voluntate conſtituere, de eo non minus facultas inter vivos diſponendi competit.

XII. Hæc ita cohærere nemo juris gnarus negaverit nec quidem Philoſophus. Hæreditarium enim nihil eſt, niſi quod perfectè proprium eſt, ſicuti non modò Jurisconſulti ſed etiam Plutarchus docet, in *vitâ Solonis*; *ubi* narrat Athenis olim non viguiſſe jus teſtandi, Solonem id iis dediſſe, Qua re factum, (eſt ἐπίκρισις Plutarchi,) ut fecerit τὰ χρήματα κτήματα τῶν ἐχόντων, *uti quisque Dominus ac arbiter rei ſuæ perfectus fieret.* Atqui vis perfecti Dominii maxime conſiſtit in facultate alienandi. *Ariſtot. lib. 5. Rhetor. c. 5.* ὅρος τοῦ οἰκεῖον, inquit, ὅταν ἐφ' αὐτῷ τὸ ἀπαλλοτριῶσαι; *definitio Dominii eſt, ubi penes ipſum eſt alienandi poteſtas.* Jam verò, ut cujusmodi libera alienatio competat Imperantibus, quibus Imperium ſimpliciter voluntate populi delatum eſt, utcunque *Hobbeſio* indubitatum

tum sit, nobis minimè de voluntario, inquam, Regno concedendum videtur. Non, (per partes ibimus) ut Rex Imperium suum vivus transferat in alium; Quia tantùm id juris habet, quod datum est ipsi. Populus autem dedit jus imperandi, à quo alienandi potestas toto genere diversa est. Populus *ipsi* dedit jus imperandi, non *alii.* Proinde ùt ipse non habet, nisi quod populus dedit: manifestum est, nec alteri plus competere posse. Jam si vendere vel donare suum regnum vivus, simpliciter electus princeps non potest, clarum est, ne testamento quidem disponere posse. Nam & hæc donatio & alienatio quàm maxime est, secundùm memoratam Plutarchi notissimamque juris sententiam. Si testamento extraneis relinquere nequeat successionem, dicimus, nec ab intestato ad sanguine proximos, ab ipso posse devolvi. Quoniam hæc fundamentum suum habet in absoluta proprietate defuncti, cui potestas adsit alienandi. Item in præsumpta ejusdem voluntate, quâ successio illis datur, quibus eam defunctus, nisi mors prævenisset, daturus fuisse creditur. *Dix. in prælect. ad Nov. 118. lib. 3. in pr. Instit.* Proinde, cui expressa voluntatis declaratio negatur, hujus tacita vim nullam habere potest. Plane, ejusmodi successio, qualis in plerisque regnis voluntariis obtinet, ut ad sanguine proximos ordine certo deferatur, ea Legem expressam manifestò requirit. Ideo talis in nostrâ hypothesi, ubi nihil de successione dictum, nullo modo obtinere potest. Rationes oppositæ ex his quæ modo & pridem sunt dicta, facile refelli possunt.

CAPUT XXIX.

De Electione Monarchica.

ARGUMENTUM.

Jus eligendi competere originaliter iis, quorum Imperium fuit primævum, vel quibus eorum jus datum est, expressè, vel per præscriptionem, quâ maximè Electores Germanos niti videri & Cardinales, qui Pontifici dant vere summam potestatem in urbem Romam subjectasque ditiones. Inde sequi, Imperatorem nihil habere juris in illam urbem cum annexis: nec proinde ad Pontificis creationem requiri illius consensum, nec Imperatori faciendo, Pontificis voluntatem. Digressio de Origine Principum Ecclesiasticorum in Germaniâ. Species electionis à latitudine eligendorum desumptas vix

usum habere. De modo & effectu electionis. Posse populum, Rege mortuo, mutare formam Reipubl. Quæritur, an & hoc liceat, cum jus eligendi contulit in certas personas: Distinguitur, utrum in hos ut ministros, an veluti jus proprium translata sit eligendi facultas. In quibus Regnis & quibus casibus Successio locum habeat. Natura & effectus Pactorum Gentilitiorum.

I.

IGitur Electivi & successivi Regni differentia principem unum imperio vitave jam functum præsupponit; siquidem originaliter nullum non regnum ab electione habet ortum suum, ut *præced. capite* diximus.

II. Porrò jus eligendi, sive surrogandi principem in vacuam sedem, naturaliter iis competit, quorum jus imperii primævum est. Adeoque penes eos, quibus populus suum jus concessit. Sive identidem Legatos ad eam rem constituant vitandæ confusionis ergo; sive jus hoc in perpetuum certo hominum ordini dederint, ut hac parte locô universitatis fungeretur. Veluti possessoribus immobilium rerum, ut in Frisiâ, vel *Nobilibus*, ut in Poloniâ, denique certis *Principibus*, (a) ùt in Germaniâ. Sic tamen, ut immemorialis temporum usus sæpè tacito omnium consensu fungatur, quo fundamento niti videtur jus Electorum Germanicorum; nec enim satis constat, unde horum numerus & facultas originem habeat, nisi quod paulo ante annum à Nato Christo millesimum id institutum cœpisse videatur, quod novissime ex Abbate Stadiensi probat Mainburgius *Decadenc. de L' Empir. lib. 2.*

(a) NOBILIBUS. PRINCIPIBUS. Comparatione inæquali: Nam omnes *Nobiles* & *soli* in *Polonia* jus Comitiorum s. disponendi de negotiis publicis habent: in *Electoribus* Imperii secùs est. Hactenus tamen comparatio procedit, quat. in *Imperio constituendo* plebis etiam ratio haberi potest: Nam ita videtur ad Nobiles *Polonos* diuturnitate temporis potestas eligendi Regis deducta esse; & in Imperio nostro cùm illi, qui Comitiis intersunt, totum populum *Romanum* repræsentativè constituant, ad Electores solos eôdem modô facultas eligendi Cæsarem pervenisse; Quanquam, quòd tacitô consensu populi vel Statuum cæterorum Imperii, non invaluerit, *Collegium Electorale*, ùt quidem plerique docuêre, satis ostendi possit ex Traditis *Freinshemii* in *c. 3. de Electorum & Cardinal. præcedentia, §. 23. 24.* indeque cautiùs auctor immemorialem usum pro firmamentô rei supponat. Multa enim sunt, quæ vigorem Collegio Electorali conciliarunt, donec invalescente consuetudine per *A. B.* roboratum fuerit. Videlicet juvit (1) Segregatio officiorum Summorum in Aula (v. g. Archimarschallatús &c.) (2) Productio illorum ad cujusvis Heredes, (3) Assumtio officialium ejusmodi in interiora Consilia Cæsarea. (4) Necessitas, Statûs per classes, in re ambiguâ, qualis erat electio, distingvendi, ut qui in classe primâ constituti essent, paulatim rem totam ad se trahere facilius

ciliis potuerint; maximè postquam ultimis temporibus illi, qui *Officialium* nomine censebantur, reliquos ex aliis, sive familiis sive Ordinibus, velut Episcopis, aliquando unà assumtos, amolirentur. (5) Decretum *Pontificis* in concilio *Lugdunensi*; quanquam hoc non simpliciter receptum fuerit. (6) Brevi post subortum diuturnum illud cum morte Friderici II. *interregnum* (7) denique stabilimentum Caroli IV. pro A. B.

III. Eodem fundamento præscriptionis, si non & expressâ populi voluntate, *sacerdotes Cardinales* (*b*) Pontifici *Romano dant summam potestatem.* (*c*) Quod cum usu tot seculorum in vim juris externi invaluerit, clarum est, nullum hodie principem præter *Papam* habere imperium populi Romani ditionumque ei subjectarum. Quod tamen non impedit, quòminus *Imperator Romano Germanicus* in reliquas extra *Germaniam* civitates, quæ se pari jure præscriptionis non exemerint, antiquum jus retineat. Quandoquidem à pluribus seculis Germanorum Genti jus hoc quæsitum fuit, *ut Reges ipsorum Imperatores Occidentis essent.* Sed ut plerique populi ope præscriptionis sui juris facti sunt, ita id ipsi, inquam, Romanæ civitati accidit; cæteris, quibus id non contingit, (hi quidem extra Germaniam sunt pauci) subjectis Imperatori manentibus.

(*b*) SACERDOTES CARDINALES. De *Cardinalibus* confer Lehman. *Lib. 2. Chron. Spir. c. 5.* ut & de Antiquitate ac Origine eorundem Freinshem. *d. l. c. 1. §. 23.* ubi notat, quòd antiquior mentio Cardinalium in Historiis non fiat, quàm anno 960. verùm aliô planè sensu, quàm qui Cardinales nunc vocantur: scil. omnes ii, qui fixam in Ecclesiâ habebant sedem, hoc nomine insigniebantur; prout & quilibet Episcopus *Papa* vocabatur: ut proinde verum sit, quod Marcus Antonius de Dominis *lib. 4. c. 5.* dicit, quem & *Fuesling* probat, in *Conclavib. Romanis reseratis. Diss. V. Sect. 2.* hodiernos Cardinales, (quorum initia ad tempora fere *Caroli M.* referunt, postquam Græcor. Imperium Pontifices excusserunt, siquidem in Synodô Rom. A. C. 768. Cardinalium non Episcoporum modò fit mentio, sed disertè constitutum legitur: nemini viam patere debere ad culmen Pontificium, nisi anteà Diaconus a. Presbyter Cardinalis fuerit:) non esse veros Cardinales, cùm nullam prærogativam vel dignitatis vel potestatis præ aliis Episcopis, neque omnes fixam in Ecclesiâ Romanâ sedem habeant, dum non omnes degant Romæ, sed eorum alii in Hispaniâ, alii in Galliâ, vivant. Idem tamen vult *§. 45.* in Concilio *Constantiensi* primum jus eligendi *Papam* ipsis concessum esse, & quidem auctoritate Scholæ *Parisiensis*. Equidem *Sec. XI.* adhuc Populi & Cleri suffragiis Papa electus fuit. Sed Onuphr. *Panvinius* in notis ad *Platinam* in vitâ Innoc. II. qui sedit anno 1130. *Innocentium* hunc à solis Cardinalibus electum, & sic porrò servatum esse, scribit. Dehinc sub Innocentio IV. plurimum auctoritatis & potestatis nacti sunt, isque primus illis rubros pileos gestandi licentiam concessit, prout etiam equis eosdem jussit incedere, v. Petav. *Rationar. temp. p. 568.* & Bzovium *Contin. Baron. ad ann. 1245.* Coccineum v. vestitum Paulus II. instituit, sec. *Platinam* in vitâ ejus. An v. *Paribus Franciæ* præferendi sint? vid. apud Gramond. *lib. 1. Hist. Gall. p. 54. seqq.* Ferrandus Pallavicinus in Tract. *de Divortio Cœlesti*, multa de *Cardinalium* fastu omnique vitæ ratione habet. Sed in carcere Romæ hanc scriptionem capite luit.

(*c*) DANT SUMMAM POTESTATEM. Ut Principem secularem auctor Pontificem respicere videtur, sive ut Principem Italiæ; quô axiomate etiam

jam patrimonio Petri & quibusdam Ducatibus, v. g. Urbini, Spoleti &c. in Italiâ fruitur: nam ita communiter adscribunt eidem summam potestatem, & non minùs in Principem talem à Cardinalibus, (non etiam à Populô ampliùs,) quàm Pontificem eligitur. Admittunt etiam, saltim si possessorium attendamus, cultum Papæ deberi; sed non προσκυνήσι cum illum & ad oscula pedum demissum. Hinc *Crimen læsæ Maj.* à subditis ejus in ipsum committitur: quale utique non est, si *Antichristum* dicamus alii, qui Majestatem ejus non ùt subditi veremur. Vid. Vertheidigung des Augspfelb. *c. 68.* Cæterùm quàm Papa *de jure* supremum sibi dominium frustrà asserat in terras prædictas Italiæ, (quas tamen nomine *Imperii* populi Romani ditionumque subjectas insignire non debebat *Auctor:*) satis deduxit Conring. *c. 20. seqq. de finib. Imperii*, & *c. 13. de Imperatore Rom. Germ.* Unde auctor & hic §. 3. Principatum Pontificis vim juris externi habere ait: & nos alibi Præscriptione uti non posse Pontificem, & quâ rat. aliæ Provinciæ pleræque adversus imperium nullô jure exemptionis suæ utantur, ostendimus.

IV. Jam facile constat, quâ ratione Romanenses negent, Cæsaribus esse jus creandi vel *confirmandi Pontifices*; (*d*) Et vicissim, cur *Cæsares Romani Germanorum*, spernant Pontificem, jus *sibi arrogantem* (*e*) approbandi Imperatorem, quatenus extrà Germaniam Romano præsit Imperio. Nam quatenus ille Rex est Germaniæ, nihilo meliorem juris *habet prætextum* (*f*) Pontifex quàm adversus Regem Francorum aut Britannorum,

(*d*) CONFIRMANDI PONTIFICES. Alia etiam ratio subest, quia juxta doctrinam Pontificiorum Episcopus maximè à potestate seculari dependere non potest: de quo tamen judicium fieri debet ex *suprà* dictis, de jure Sacrorum.

(*e*) SIBI ARROGANTEM. Vid. Dietericus *ad A. B. p. 15.* Et sanè pontifex non tantùm Imperatorem confirmare vult, quat. extra Regnum Germaniæ Imperio Romano præest; sed simpliciter & in universum; quâ de re latè diximus ad *Notit. Beclerianam.* Confer. *Dissert.* Strauch. *ad capit. Venerabilem. §. 9. & 17. cap. 3.* item Lentulum *lib. 5. Apicis Rom. Glor. c. 3. add.* Lehman. *lib. 5. Chron. Spirens. cap. 68.* ubi protestatio quam Status & Principes Imperii rat. Coronationis Pontificiæ, tempore *Friderici* ediderunt.

(*f*) HABET PRÆTEXTUM. Prætextus ille est, quia Pontifex ùt Vicarius DEi indirectam potestatem habeat in omnes Reges terræ. Conf. Conring. *de Constit. Episcopor. Germ. th. 21. & seqq.*

V. Cæterum, quod alii per Germaniam Præsules sunt etiam Principes, ejus rei non tam *à Populis* (*g*) origo, quàm à Carolo Magno repetitur. ita Cranzius *lib. 1. Saxon. C. 23.* Scip. Gent. *de Regal.* §. *25. & 26.* Grotius *in lib. de jure summ. pot. circa sacra* Ottonibus hoc institutum adscribit *cap. 10. n. 25.* Institutum hoc, ratione præsentis utilitatis, ut feræ gentes sacerdotali Imperio mitescerent, haud inutile; attamen fatendum est, synceritatem & humilitatem Christianismi lapsu temporis inde non parvam labem contraxisse; nec enim cum institutis Christi illa conjunctio litui & gladii idoneo modo concilari *posse videtur* (*h*)

(g) A populis. Nec à populis origo illa peti poterat: siquidem populi provinciarum Germaniæ, eô tempore sub capite, Imperatore videlicet, fuerunt. At vero populus non exemtus Principem sibi constituere non potest. Neque Principes nostri in Imperio summi sunt: Hinc minùs recte in exemplum Principum à populo electorum adducuntur. Deinde à *Carolo M.* frustrà petitur Episcopis origo potestatis secularis in imperio. Utcunque enim Carolus ille Episcopos in partem Concilii inter Proceres adhibuerit; tamen Principum titulus & multò minùs jura secularia illis tunc temporis nondum concessa fuêre; quin & sub *Ludovico Pio*, licèt sensim honoris causa Principum titulos adipiscerentur, (Lehman. *lib. 2. c. 25.*) tamen non nisi lapsis Francorum rebus præcipuè post *Arnulphum* aliqua potestas secularis Episcopis obtigit; donec uni alterive plenam superioritatem *Otto M.* Saxo tribueret, post quem deinceps paulatim reliquis, & tandem Abbatibus etiam & Abbatissis, secularis Jurisdictio acquisita est. vid. omninò Mylerum in *Archologia cap. 12.*

(h) Posse videtur. Contrarium asserit Lampad. *lib. de Republ. Rom. Germ.* & impertinens esse ait omne illud, quodcunque ex *Matth. XX.* vel aliunde ex Sacris pro sententiâ *Auctoris* adferatur: cùm longè alia sit facies eorum, qui fixâ sede præsunt. Ecclesiis, & cleri directionem obeunt, quàm Apostolorum, qui orbem peragrare & ministerium Evangelio præbere debebant. Etenim moderni Episcopi nec concionantur, nec docent, & unâ tantum alterâve Missâ annuatim defunguntur. Unde si dicendum sit, quod res est, non quidem simpliciter sunt Principes Seculares, nec etiam jure tantùm Episcopali unà funguntur eô modô, ùt Principes nostri Seculares, sed simul etiam ministerium ex parte obeunt, ùt Experientia docet; & sic potestate etiam internâ funguntur: adeò ut hactenus veri sint Episcopi, saltim quòd si *Lampadium* sequamur, in eos non congruant loca scripturæ, & possint adeò Episcopatu suo unà fungi, locis illis non obstantibus, cùm omninò gradus sint ministrorum Ecclesiæ, maximè Evangeliô nunc plantatô, secundum quæ doctrina Carpz. *lib. 1. Consistor. d. 2.* it. Reinkingii & *aliorum*, quos Dannhauer. sequitur, *part. 2. Theol. Conscientiar. Dial. 3. q. 3.* examinanda est. Præterea hoc etiam observari debet, quando Episcopi Jus Episcopale exercent, eos jure illô non uti ceu Principes seculares: nam ita verum esset, ipsos non esse nisi seculares Principes, prætorquam dum actus non nullos in Ecclesia obeunt, qui ad potestatem internam Sacrorum respiciunt; quin potiùs illi Jus Episcopale ex hypothesi Pontificiorum sibi vindicant, quà Episcopi: quasi illud in Principem secularem quà talem cadere non posset. Quocircà vel hôc saltim intuitu non possunt cum *Auctoribus* jam citat. pro Principibus tantùm Secularibus haberi.

VI. Vulgo tres electionum species memorantur; quarum prima intra certam *familiam*, cujus tamen exemplum habeo nullum, altera ad *nationem* unam restringatur, tertia nullo termino circumscripta sit. Hujus autem posterioris generis electio quælibet, simpliciter instituta esse intelligitur: Limitationes disertè exceptæ probari debent. Alioquin ex usu potiùs & facti quàm juris esse videntur electiones intrà certam familiam agentis ambitum factæ: ut plerumque videmus, electiones etiam illimitatas haud facilè egredi familiam ultimi Regis defuncti; quæ res tamen diversum in jure modum non infert. Sed & aliæ limitationes non desunt, qualis *in diplomate* (i) sive *aureâ bullâ*, CAROLI IV. ne infra *Baronum* dignitatem *Cæsarea* electio demittatur, & ad Germanos restringatur, ut Electores ap. Sleidanum. *Lib. 1.* In *Polonia*

nia nemo quidem eligi prohibetur, *neque ad Mœnum*, (*k*) nec *in Conclavi* (*l*) nationes diſcerni ullâ Lege ſancitum, & exempla ſunt in contrarium. Tametſi Pontifices fere *Itali*, ob politicas rationes creentur, ſed jus non eſt ita præciſum; exempla quoque non deſunt in ſecùs.

(*i*) IN DIPLOMATE CAROLI IV. Quodnam intelligat Auctor non liquet. In *A. Bulla* tale quid non extat, nec alibi Lege publ. quid ſimile cautum eſt: ne quidem ſpeculum Suevicum eò trahere licet. *ap.* Limn. *II. 2. 79.*

(*k*) NEQUE AD MOENUM. Falſum hocce. Nam utique ad Nationem *Germanicam* reſtricta eſt. Extat integrum in hanc rem Reſponſum *Beringeri*, Bremæ editum anno 1653. Saltim an Lege aliquâ diſertè id prohibitum ſit? dubitari poteſt? Limnæus *d. l. n. 83.* item Strauchius *in Exotericis p. 92.* id aſſerunt, item Reinkingius & *alii*: Utique de *Obſervantiâ* certi ſumus: ſiquidem ad exempla in contrarium allata, velut *Richardi* & *Alphonſi*, facilè reſponderi poteſt. Vide Limnæum in *Adidit. prioribus* ad dict. *cap. 2. pag. 211. & 213.*

(*l*) IN CONCLAVI. *Conringius* aliqua edidit Conclavia, tum & *Fuesling* & Sprengerus in Roma nova *lib. 1. c. 1.* electionem Papæ deſcribit. Quamvis autem Pontifices eligi ex omnibus poſſint nationibus. Hodiè tamen vix alios quàm *Italos* evehunt. Hadrianus VI. ultimus fuit ex *Germanis*, præceptor Caroli V. vir integræ vitæ & conſummatæ eruditionis, ut Cauſinus eum appellat. Is vero Epitaphio ſuo inſcribi curavit: Nihil ſibi infelicius contigiſſe in hac vitâ, quam quod imperaſſet.

VII. In eligendô ſecundum prærogativam numeri concludendum eſſe res loquitur, nec enim alius datur exitus: Numerus autem præſentium initur; abſentium ratio haberi non poteſt, neque ſolet. Quin etiam, an notabilis ſit pluralitas, non attenditur, niſi quod ſpecialiter convenerit aut conſtitutum ſit, quomodo in conclavi Romanô *duas* præſentium *partes* (*m*) conſentire oportet; *ſive id per ſcrutinium*, (*n*) ùt loquuntur, ſive per adorationem fiat.

(*m*) DUAS PARTES, Tertias ſcilicet. Sprenger. *d. l. pag. 4.* Simile eſt in *l. 3. quod cujusque univerſitat. nomine*, De electione Epiſcoporum adde Hermes *c. 13. Faſcic, Jur. Publ,*

(*n*) SIVE ID PER SCRUTINIUM. Nam *adorationem* nonnulli peculiarem electionis ſpeciem conſtituunt. Et cùm electio Epiſcoporum aliàs fieri dicatur aut per ſcrutinium, aut per compromiſſum, illi tertium adjiciunt, videlicet per adorationem. Verùm illi adorationem cum inſpiratione videntur confundere? Alii addunt, quarti modi loco electionem per *acceſſionem*: Enimverò per compromiſſum electio non ampliùs uſurpatur in Eccleſiis, nec etiam per inſpirationem: quam etiam Noſtrates nequaquam in Electione cùm primis Pontificis (de quâ vide Dannh. *p. 2. Theol. Conſc. Dial. 1. p. 357.*) agnoſcunt, ſed unicè per ſcrutinium, quanquam acceſſus ſic quoque interveniat: nam ſi ſcrutinium vel unicum quis habeat, reliqui mutatô etiam votô poſſunt accedere. Denique adoratio hodienum adhibetur, ſed alio ſenſu, quando videlicet poſt electionem, acceptationem dignitatis & mutationem nominis recognitio electi ſupervenit, i. e. adoratio, quam appellant.

VIII. De valore electionis, quæ per vim metumque fiat, in *capite de tyrannide* agetur, niſi quatenus in articulo de dominatu ex parte jam diximus.

IX. Ex

IX. Eſt autem, vacante regno, tam libera electio, ut etiam non eligere poſſint Regem, aliamque Reipubl. formam introducere. Nempe, ſi totus populus aut omnes optimates eligendi facultatem exerceant, non ſi *in alios transtulerint.* (o) Hos enim nihil aliud poſſe dicemus, quàm quod ipſis commiſſum, ſcilicet replere ſedem vacantem.

(o) IN ALIOS TRANSTULERINT. Nam his jus ſemel quæſitum tempore interregni invitis auferri non poteſt, ùt Electoribus in imperio; quòusque ſc. eundem Statum perdurare volet Univerſitas. (Nam hactenùs procedunt, quæ *Auctor* h. arguit:) Quòd v. Electores ſimul cum Statibus formam aliam introducere poſſint, Ariſtocraticam v. g. nullum eſt dubium, cùm formæ introducendæ poteſtatem eſſe penes populum etiam illi concedant, qui Majeſtatem à Deo derivant, tanquam penes ſubjectum paſſivum: non obſtante etiam *lege fundamentali*, quippe cujus hypotheſes ſervari aliter non oporteat, quàm cùm Status, quem lex illa fundat, retinetur; At vero Status, regnô vacuô, à populo dependet, quem quidem in Imperio R. G. Statùs repræſentativè conficiunt.

X. Sed poteſt difficile quæſitum videri, an populus aut Optimates jure eligendi perpetuò in certos homines translatô, vacante regnô mutandi libertatem retinere cenſeantur. Nam & Electores privare poteſtate ſuâ & rurſus, extinctо ſine ſucceſſore eo, qui ſummam habuit poteſtatem, populum vel optimates ſui juris haud eſſe, durum videtur. Quod ſi populus, ut heic videtur, ſuæ poteſtatis ſit, facultatem de regimine Civitatis liberè diſponendi, cum eâ neceſſario conjunctam eſſe dixeris. Sed ratio poſtulat, ut eo caſu dicamus, fœdere civitatis ordinem Imperii non minùs ſtabilitum eſſe, quàm Lege de ſucceſſione lata; propemodum, ut in *Ariſtocratia*, ubi jus ſurrogandi Imperantes in loca demortuorum eſt apud ſuperſtites. Voluit populus, Rege mortuo, non referri ad ſe de electione, adèoque jure, conventum hac gratia celebrandi ſemet ipſum privavit. Idque ex naturâ pacti, quod ſinguli cives cum ſingulis habent, *ut ſupra copioſè dictum*, pro æterno ac immutabili habendum. Niſi conſtet, ex verbis quibus delatum eſt jus eligendi, vel re ipsâ naturâque Reipubl. *Electores* nihil eſſe quam miniſtros, quo caſu quid juris ſit *ultro intelligitur.*

XI. Porro, etiam in ſucceſſivis Imperiis, quæ voluntaria ſunt, locus ſit electioni, poſt defectum familiæ regnatricis; non æquè per abdicationem ultimi Imperantis.

XII. Quid ſi Rex Imperium *committat*, hoc eſt, ſuis factis vel tyranni-

rannide causam præbeat, ipsum regni jure privandi, an successores ejus pariter jure suô cadunt? *Respondetur*: In regnis simpliciter hereditariis electioni fit locus, quia successores ibi suum jus ab Antecessore, quod perit, acquirere debent: in successione lineali quæ dicitur, secùs est; quoniam ibi jus succedendi non ab ultimô imperante, sed à lege primævâ descendit. At *in patrimonialibus* (*p*) regnis electioni locus non fit, defectu Familiæ Regiæ, si modò ultimus successorem sibi surrogaverit: quô non factô, dicendum est, electioni locum fieri. Populus enim serviens, Domino absque successore extinctô, non potest non esse liber, consequenter habet facultatem faciendi quod libet.

(*p*) IN PATRIMONIALIBUS. At minùs rectè *H. Grotius* patrimonialia dicit quæ alienari possunt, & his opposita, usufructuaria, siquidem regna omnia, etiam non alienabilia, sunt *patrimonialia*, nulla *usufructuaria*: nam si proprietas foret penes populum non haberet regnum, sed *administrationem* potestatis alienæ, quem dicit, *Usufructuarius*. Qui non successivum habet Regnum, sed cum vitâ suâ finiendum, is malè dicitur *usufructuarius*. Qui hereditarium habet, is non est propterea à testamento arcendus, quòd hoc Juris Gentium non sit; modò non testamenta in illâ civitate prohibita sint: nam ita posset videri, Principem non potuisse sibi reservâsse facultatem testandi, quamvis plures Gentes eâ utantur: qualia Jura Gentium subjectiva dicere solemus; sed quòd hereditarium sit solium in sanguinem Regis.

XIII. Pacta Gentilitia, quibus una deficiente familia, succedit alia, in Imperiis summis Patrimonialibus per se valida sunt. In voluntariis non aliter, quàm populo proceribusve consentientibus, ut è principiis instituti nostri dudum expositis constat.

XIV. Denique, in iis qui Superiorem agnoscunt hujusce requiritur consensus, ùt *in Germania* (*q*) Imperatoris; maximè, quia ditiones feudales, deficiente omni vasallorum sanguine, Imperatori aut aliis feudorum dominis acquiruntur. *Sleidan. lib. 1. hist. Germ. in capitul. Car. V.* Proinde jus habet idem Imperator, ejusmodi in fiscum redactas ditiones aliis iterum concedere jure Principatûs liberi, quam alii Germaniæ Principes in suos populos habent, & præcedentes qui defecêre Principes aut comites obtinuerunt; aut Cæsar in iis, tantum juris sibi reservare potest, quantum videtur, utpote, quæ ipsi pleno jure sunt acquisitæ.

(*q*) IN GERMANIA. Confraternitates dicimus, Erbverbrüderungen. Hæc pacta Juri civili consentanea non esse *Bullæus* autumat, *Discurs. 7. de pact. affirmativis*, n. X. 15. & Bachov. ad Treutl. *V. 1. D.*

V. 1. D. 6. th. 8. lit. B. Quod quidem hactenus verum est, si pacta ejusmodi ùt talia considerentur, quod tamen fieri non debet, quoniam *ex se* utique ùt pacta non subsistunt, sed vigore confirmationis Cæsareæ & investituræ eventualis.

XV. Sed liberis populis, sive singulares civitates sive integræ nationes sint, Imperator nullo modo dominos imponere potest, nisi ex voluntate populorum. Sicut olim *Frisii* aliquoties in ditionem concessi à Cæsaribus exteris Principibus, eos semper recusârunt, freti libertate à Carolo Magno vel donata vel exinde constanter usurpata, donec ultrò *Saxonem Albertum* introduxerunt; nec diversa ratio esse videtur Frisiorum Orientalium; Quorum idcirco Imperiorum initia pro voluntariis habenda sunt.

CAPUT XXX.

De jure successionis hereditariæ.

ARGUMENTUM.

Successionem regnorum esse duplicem, hereditariam & institutivam. Illam ex testamento vel ab intestato. Harum priorem expressâ, posteriorem tacitâ ultimi regnantis voluntate niti. Locum esse hereditaria succ. in patrimonialibus imperiis. In his posse patrem, cui velit ex liberis vel extraneo relinquere successionem, sine deductione legitimæ; modò hæc aliunde præstetur. Ab intestato regnum deferri illis, quos defunctus habuit carissimos, quales in dubio proximi sanguine præsumuntur. Videri tamen quod defunctus Rex, (exceptis modicis Principatibus) ubi nihil dixerit, regnum voluerit esse individuum, ob diversas rationes; Inde sequi mares feminis, primos posterioribus natu præferendos, licèt grandiores ante regnum acquisitum sint nati. Dissentire in quibusdam ex hisce Grotium. Fratres secundo genitos non videri in ejusmodi regnis præferendos nepotibus primogenitorum sed junioribus; ubi & de repræsentatione. Naturales liberos excludi, non adoptivos. Differentia patrimonialis & herilis Imperii.

I.

IN *Electione*, mortuis Regibus, Interregnum *exercitionem summæ potestatis* (*a*) interrumpit. In successione persona Imperantis, non Majestas, deficit, quia successio *sine ullo humano facto* sequentis gradûs Principem solio imponit. Quo sensu dictum est, *Reges* in ejusmodi Imperiis *non mori*. Idque non modò verum est de actu primo, sed etiam de actu secundô & exercito summæ potestatis; quem proinde à solen-

nitate inaugurationis, ut interregnô opus sit, non pendere, certa res est. Et sicubi in Regnis successivis, ùt nuper factum vidimus, in gente, quæ gloriatur successione bis mille annorum, ea lex imponatur successoribus; ne quid potestatis, *ante jusjurandum* solenniter præstitum, exerceant, his postulatum ingens imperio & juri successionis injungunt.

(*a*) EXERCITIONEM SUMMÆ POTESTATIS. Imò in *interregno* Regni Electitii ne quidem summa potestas, Majestatica videlicet, superest, ut de exercitio ejus frustrà quæratur; Etenim in eô summum tantum *Magistratum* exerceri, idque juxta præscriptum Legum fundamentalium, alibi evictum est.

II. Sed de ordine succedendi multiplex consideratio est. Summam statuimus differentiam inter *patrimonialia* & *institutiva* (*b*) seu *voluntaria* regna; intellige liberè voluntaria, *non ubi deditio facta est*, (*c*) quando necessitas elicit voluntatem; talia enim magis patrimonialia sunt, utique deditione simpliciter factâ.

(*b*) INSTITUTIVA. *Grotio* Usufructuaria dicuntur, qui eandem distinctionem in hoc artic. adhibet. *lib. 2. c. 7. §. 12.* Est vero successio *Institutiva*, quæ pendet ex voluntate Populi, Legibus statuta vel moribus recepta.

(*c*) NON UBI DEDITIO FACTA EST. Licèt enim hæc non minùs sint voluntaria, hoc est, ut populo Regnum debeat Victor Princeps; tamen quia Voluntas hæc populi libera penitùs non est, hinc nec modus habendi in Regno à populi arbitrio pendet, adeòque nec ordo succedendi in eôdem; quin potius dedititia Regna illa ad priorem speciem, patrimonialia scilicet Regna referenda sunt. Confer de Dedititiis illis pleniùs Bœclerum *ad lib. 2. Grot. c. 7. p. 277.*

III. Porrò in patrimonialibus est succesśio *Hereditaria*, quæ transit eodem modo, quo hereditates privatæ, hoc est, per expressam ultimi decessoris dispositionem, quæ *testamentum* est, vel ex tacitâ ejusdem voluntate, quæ est fundamentum *successionis ab intestato*. *Hobbes* origine quidem modoque constituendi differre concedit illas species Imperii, patrimonialis & voluntarii, at semel constitutas habere omnes easdem proprietates & idem utrobique succedendi jus esse contendit, *Locis antea citatis*. Sed hæc judicatio pendet ex iis, quæ pridem disputata sunt: utrum populus deferens Imperium transtulisse quicquid *potuit*, aut quicquid *voluit*, intelligatur. Si prius, necessaria est *Hobbesii* in hoc articulo sententia. Sed *voluntatis consequentia*, (*d*) quam nos probavimus, evidentem discriminis causam suggerit.

(*d*) SED VOLUNTATIS CONSEQUENTIA. Ut nimirum, cum censeatur populus id transtulisse,

liſſe, quod voluerit, non etiam id voluiſſe quod potuerit, & ubique adeò prærogativa voluntatis habenda ſit, de diſcrimine regnorum, patrimonialis videlicet & inſtitutivi, dubium ampliùs nullum ſupereſſe poſſit, ſed in Inſtitutivo Regno omnia ex populi conventione cum Rege metienda ſint.

IV. Patrimonialia igitur Regna (voce regni pro omni Monarchiâ ſumptâ) pendent unicè ab arbitrio & diſpoſitione Dominantium, qui quovis tempore rerum potiuntur. Idque tam *inter vivos* (e) quam mortis causâ. Adeo ut Imperia ejusmodi populorum, aliis donari, vendi ſimilibusque modis cedi posſint; cujus rei exempla nec in ſacris neque in profanis deſunt hiſtoriis.

(e) Tam inter vivos. Utique in Regnis inſtitutivis evidens eſt, alienationem neutram valere, citrà voluntatem populi. Quanquam enim Princeps, neceſſitate adactus, partem quampiam Regni aliquando hoſti, pacis redimendæ causâ, relinquere cogatur; relinquit tamen eam ſolum i. e. præſidia, ut totum nempe Regnum ſervet, parti ſubtrahit, ſed non tamen impedire partem illam poteſt, quò minùs ipſa ſibi conſulat, ſi velit; nec adeò eam, ut ſe ſubjiciat alteri, *cogere* poteſt. Utique quod Galli de *Incorporatione* ſua tradunt, quaſi quod coronæ unitum eſt, nullô jure in alium, victorem v. g. tranſire poſſit, illud vel inde vanum eſt, quòd Rex Galliæ quantum in ſe fuerit, abdicationi ſtare partis Regni ſui, totius causâ, teneatur, cum aliàs nemo cum ipſo contracturus eſſet; & hinc victori alteri juſtum partis debitæ dominium naſcitur. Equidem ùt alienare Princeps Regnum inſtitutivum inter vivos non poteſt: ita nec in feudum illud poteſt recognoſcere ab alio, nec oppignorare; ſaltim quòd de fructibus diſponere non impediatur. Enimverò Rex Regnum & Majeſtatem etiam à Populo, ſed tamen abdicativè habet; aſt modus habendi ex conventione circà eam cum populo initâ & ſic ex parte à voluntate ſubjecti paſſivi regibilis etiam poſt Majeſtatem irrevocabiliter ei collatam, dependet.

V. Inprimis teſtamento relinqui poteſt ſucceſſor, aut ex liberis unus, citra ætatis, aut è cognatis ſine propinquitatis privilegio, vel extraneus amicus, quemadmodum teſtator ſibi populove expedire judicat, quô jure Ptolomæus *Primus* de Ægypto, Maſaniſſa & Eumenes aliique de ſuis olim regnis diſpoſuerunt. Neque heic liberis querela inofficioſæ voluntatis, aut detractio certæ portionis, quæque civili jure id genus remedia ob æquitatem à lege introducta fuêre, competunt. Summa poteſtas ejusmodi *Legum commentis* (f) minimè ſubjacet, qanquam naturalis alimentorum ratio in iſtis quoque valet; ſed huic facile absque Imperii ſectione ſatisfieri poteſt, ùt fit omni die in individuis ditionibus, per pecunias aut fructus terrarum, quæ ſub eodem Imperio manent.

(f) Legum commentis. Num ergò Legitima tantum juris Civilis eſt, etiam quoad materiale? Ita *Zæſius* & pauci alii. Malè omninò. Nam licèt alimenta ne quidem neceſſariò à milite in te-

in testamento suo relinqui debeant, sed liberis penitùs præteritis, nullum dici non possit, item Legitima jure Civili etiam illis relinqui debeat, quos ali necesse non est, dum videlicet egeni non sunt: ex quo diversam dicit *Zasius* rationem Legitimæ & alimentorum esse, ut cùm alimenta jure naturæ debeantur, non tamen debeatur legitima. Hisce tamen non obstantibus omninò dicendum est, *Legitimam* quà in alimentorum vicem à Legibus Civilibus constituta est, ex jure naturali quoad materiale dependere, & quidem ita, ut non modò nomine alimentorum ea intelligamus, quæ ad necessitatem summam exiguntur, (de quibus inter omnes constat, quòd ex jure naturali perfectò debeantur, quamvis aliter *Grotius* existimet *Lib. 2. c. 7. §. 4.*) verùm etiam, quoad vitam *Civilem* requiruntur, h. e. ut liberi omnibus modis decus paternæ familiæ sustinere, & in membra Reip. utilia evadere possint. Quapropter leges Civiles nullâ habitâ distinctione, num liberi divites an egeni fuerint, portionem rerum paternarum, & nec simplici nomine alimentorum designatam, sed legitimam liberis relinquendam esse voluerunt. Ex quo ipso, sicut ad alterum argumentorum *Zasii* satis responderi potest: ita quod de milite allatum est, aliter accipi non debet, quàm quòd solùm leges Civiles non ita voluntatem militis, ut paganorum, penitùs nullam esse voluerint, si vel maximè is liberos suos præteriisset, sed ut omnibus modis ea sustentaretur, & tamen interim liberis ipsius militis alimenta idonea ex facultatibus Patris subministranda sint. Cur autem liberis *incestuosis* alimenta parentes ne quidem volentes suppeditare possint: Ejus rei disquisitio huc non pertinet; quamvis æquitati naturali dispositio illa non adversetur, æquè ac non illæ leges Civiles, per quas in consequentiam, dum parentes bonis exuuntur, ad liberos inde quicquam non pervenit. Utique ratio status publici non patitur, ut tanta portio, quæ æqualis videri possit legitimæ Civili, fratribus reliquisque liberis relinquatur: ut malè *Grotius* æqualem adeò portionem in æstimatione s. pecuniâ liberis cæteris præstandam esse, velit, *d. lib. 2. c. 7. §. 15.* Nam unde tantam vim pecuniæ desumeret primogenitus, saltem ut non totum exhauriret aut enervaret principatum; & tamen tota successio Regni ad publicam utilitatem etiam in patrimonialibus dirigenda est; Quòcircà in Principatibus etiam illis, qui summâ potestate non pollent, ùt in *Germaniâ* v. c. Principes, nequaquam adstringuntur, Legitimam, ut ne dicam portionem virilem, liberis cæteris, & nec maribus seu Apanagiatis, relinquere. Vid. Myler. *ad* Rumelin. *part. 3. Disp. 5. th. 15.* & Heigium *1. Quæst.* 21. quoniam qui à successione excluditur, etiam à Legitimæ petitione remotus est: quippe quæ non nisi jure hereditatis debetur. Interim ex reditibus illius aliquid, quod congruum est, sustentandæ dignitati, & pro viribus Principatus, deputatur; id quod etiam hinc *Deputat* appellamus. Et cum Regiis *Franciæ* liberis natu minoribus facta assignatio *Appanagium* dictum fuerit, & ex rebus Francicis multa ejus generis in *Germania* resederint: inde etiamnum voce illâ Appannagii utimur. Vid. de *Appannagio* Springsfeld. *&* Mylerum, integris *tractatibus*, nec non Betsium *de Pactis Familiarum illustrium p. 708.* Saltim hoc observandum est, quòd ne quidem in *terris* an Land und Leuten ut appanagium constituat Primogenitus, cogi possit, Juxta Goeddeum & citatos, *volum. IV. Consiliorum Marpurgens. 41. n. 22.* & de *Filiabus* si quæratur, quòd non tantùm *Sorores*, sed & *Filias secundogenitorum* primogenitus dotare teneatur.

VI. Ab intestato viget in patrimoniis præsumpta defuncti voluntas, quam proinde heic unicè oportet attendi. Aliarum gentium scitis, diversi sæpe respectus æquitatisque interpretationes obtinent, velut *unde bona venerunt, illuc ut revertantur*, & similes. Hic talia non æstimantur, nisi quatenus conjectura de voluntate ex iis colligi possit, sanguinis propinquitate tacitam ultimi possessoris voluntatem efficacius arguente, quam grati animi respectu; etsi aliter velle videatur Grotius

tius in *Lib. II. c. 7. n. 9.* Nam præſumptio gratitudinis, quæ in ultimo poſſeſſore fuerit, imbecillior eſt quàm ut ab inteſtato quicquam mutare poſſit.

VII. Efficaciſſima ratio naturæque ingenii humani convenientiſſima eſt, *ut propinquitas ſanguinis*, ubi nihil expreſſæ voluntatis extat, *menſura ſit affectionis*; quemadmodum *jure Romano* ſcimus eſſe conſultum. Unde conſequi videtur, eos qui æque ſunt ſanguine propinqui, pariter ſuccedere in regnum, & ſi convenire nequeant, æqualiter id eſſe partiendum. Idque ſine diſcrimine ſexus, quam προσωποληψίαν Natura in *privatis hereditatibus* (g) quæ à liberâ diſpoſitione dominii pendent, interprete jure Romanô, ignorat. Naturæ accuſatores appellantur à Juſtiniano, qui diſcrimen illud ad conſequentiam juris urgent, *l. 4. C. de lib. præt.*

(g) PRIVATIS HEREDITATIBUS. Quarum jure Regna patrimonialia cenſenda eſſe H. Grotius *II. d. J. B. & P. c. 7. §. 13. ſeqq.* quanquam malè opinatur. Quocircà eum rectè *in ſeqq.* refellit *Auctor.*

VIII. Quare, ſi mortuus ſit dominus Imperii patrimonialis, cujus ab ipſius arbitrio pependerat diſpoſitio, ſinè ultimâ voluntate, non habetur dubium, quin dividuum ſit imperium, adeòque dividenda ſint inter primo & poſtea genitos, inter mares & feminas, naturales & adoptatos, quoniam & hi perinde jure privato vocantur & habent voluntatem defunctorum; niſi aliud more Gentis receptum aut à defuncto præceptum ſit. Prærogativam autem marium & primogenituram non aliter ibi valere docet, eadem ratio, quam ſi Imperium expreſſe individuum ſit factum.

IX. Planè in *Comitatibus* & Baronatibus, ùt dicuntur, aliiſque modicis ditionibus, quæ aut ſuperiorem habent aut ſub umbrâ aliorum degunt, ſic obſervari docet experientia, idemque evincit ratio manifeſta, quod in iis nihil aliud quàm affectio paterna vel conſanguinea ſpectetur. Cujuſmodi exemplum habemus ob oculos in *Amelandiâ* Friſiæ littori prætextâ, parvi inſulâ momenti, ſed tamen independentis imperii, quæ jure patrimoniali habetur, nec aliô modô, quàm bona cujuſque Patrisfamilias, vendi poteſt; in quoſlibet autem heredes ſanguine proximos tranſmitti ſolet. Neque dici poteſt, quamobrem

rem

rem plus in ejusmodi ditionibus ſpectari deberet, quatenus exigui & ſubordinati principatus magis ad exhibendum principalis vitæ cultum, quam ad ſubſiſtendum in ſtatu belli contrà alias civitates, ſunt comparati.

X. Sed videndum, ne non difficile ſit, eandem in omnibus Imperiis, quæ eſt in privatis Patrimoniis, rationem ſuſtinere, maximè in his quæ ſumma nec aliis obnoxia neque ſpernendæ ſunt potentiæ. In illis modicis, inquam, ut & quibusvis hereditatibus, ſimplicitas naturæ, remoto ſexus ac ætatis diſcrimine, prævalet idcirco; Quia reſpondent debito alimentorum, quibus parentes ex neceſſitate juris naturæ adverſus omnes ex æquo liberos obligantur. Cui accedit ratio, quòd in illis nihil eſt, unde præſumptio de voluntate deceſſoris colligatur, præter animum paternum & ſanguinis caritatem, quæ omnes æquè propinquos pari honore, in univerſum, haberi poſtulat.

XI. Sed in Imperiis ſummis & majoribus conſiderandus inprimis eſt amor Principum erga ſubjectos. Qui tantò major in patrimoniali quàm diverſo Imperio eſſe ſolet, quantò teneriùs avita ac hereditaria bona, præ uſufructuariis aut fideicommiſſariis amamus. Adde, ſi libet, tralatitium *Hobbeſii* juris Naturæ principium, *de non reddendo malo pro bono.* Quod longè majus eſt in majoribus Regnis, quàm in modicis ditionibus. Id enim frequentiſſimâ omnium temporum experientiâ teſtatum eſt, haud temerè ullum gravius malum populis evenire poſſe, quam eſt *concurſus ſucceſſorum in ejusmodi Regnis.* Unde vel colliſio vel diviſio, id eſt, propè certa deſtructio civitatis, aut afflictio duntaxat graviſſima & prope inevitabilis, expectanda. In quod ferale minimèque obſcurum diſcrimen, quis in dubio præſumat, Regem voluiſſe populum, a quo tot tantaque commoda percepit, præcipitatum? Maximè, cùm id diſertè adverſetur deſiderio, quod habet, de Imperio in familia ſuâ conſervando. Juxta quod patrem horreſcere oporteat omen tragicum, cujus meminit Euripides *in Phœniſſis*;

Θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε, &c.

Fratres acuto regnum ferro dividant.

quod è concurſu ſucceſſionis confuſæ prope neceſſario, ut ſunt æmulationes regnorum, ſequeretur. Adde, quod jus primogenituræ & præro-

prærogativa, usu generis humani in Imperiis ita invaluerit, adeò quidem, ut Principes qui hunc ordinem in imperiis quoque patrimonialibus expressâ voluntate mutant, *contra jus Gentium* (*h*) decernere dicantur, quomodo Justinus de Ptolomæo loquitur. *lib. 16. cap. 2.* Quare si nihil esset dictum à Ptolomæo Patre, nemo dubitasset, quin Ptolomæo *Cerauno* majori filio potiùs debita fuisset successio, quàm minori *Philadelpho.* Jus autem primogenituræ supponit individuum Regnum. Porrò quod obligationem naturalem, per quam alimenta debentur, attinet, huic aliunde potest satisfieri. Institutum in hanc rem salubre multis in regnis obtinet, ut reditûs certæ partis, sub obsequio primogeniti Imperantis, posthabito concedatur, quod *barbarè appennagium* (*i*) *appellatur.*

(*h*) CONTRA JUS GENTIUM. *Primogenituram* strictè dictam non ubique observari in Regnis *individuis* constat. Nam inter alios Goldastus *in Discurs. Exoteric.* ubi *Senioratum Vinariensem* defendit, variis Legum exemplis commonstrat, simplicem rationem primogenituræ inter septentrionales populos observatam antehac non fuisse, nec adeò per lineas fuisse processum, sed potiorem illum æstimatum fuisse, qui in unâ alterave linearum *majori ætate* præpolluerit: veluti nunc & *Majoratus* à primogenitura in specie dictâ eò modò distingvitur. Cæterùm, an jus primogenituræ Juris *Naturalis* aut *Gentium* dici possit, *Hornius* disputat, in *Lib. 2. Politic. Architecton. c. 9. n. 8. seqq.* ubi simul etiam, quâ ratione jus *divinum* primogenitos præferat, disquirit, quod argumentum quoad *Hebræorum* Remp. latius prosequitur *Osiander ad* Hug. *Grotium p. 834.* ubi inter Hebræos jus illud Primogenituræ obtinuisse adstruit; ut tamen Juris Gentium de cætero dici non possit. Amplissimam quoque habet disquisitionem, præcipuè quatenus à Jure Naturæ primogenitura ingeratur, Bœclerus *ad* H. Grot. *lib. 2. c. 7. p. 307.* Sed valdè fluctuat, nec terminis accuratis rem circumscribit. Dicemus breviter, Jus *Primogenituræ* absolutè Juris naturalis non esse, atque frustrà hîc de re in *thesi* disquisitionem institui; prout nec ex consuetudine *Gentis* unius & alterius ad ipsam necessitatem juris quicquam hìc in parte inferre licet. Positô itaque, *regnum* quodpiam esse *individuum*, atque inter pares gradu nullam aptitudinis differentiam reperiri: utique jus naturæ exigere videtur, ut *ætatis* prærogativa, quâ unâ pollet præ cæteris primogenitus, quâque firmior nititur prudentiæ præsumtio, attendatur.

(*i*) BARBARE APPENNAGIUM. Est enim vox hæc deducta per inflexionem vocis *Gallicæ*, quâ utebantur *Franci* in portione secundogenitis destinatâ, veluti suprà admonitum est. Ergò malè alii abbannagium, quasi *ab-bannum*, malè etiam apanagium, quasi *à pane*: nam vel maximè alimenta per appennagium secundogenitis conferuntur, & de cætero quod ad *bannum* attinet, vox hæc non est Germanicæ originis; quanquam ferè obtineat, ut *Apanagium* dicere soleamus. vid. post *Springsfeld. Mylcr.* in *Apanalogia.*

XII. Enimverò, si expressa de patrimoniali regno ultimi Imperantis dispositio extet, illa cunctas superat præsumptiones, quæ tamen ideò non tolluntur *in casu intestati.* (*k*) Verùm in testamento potest ita institui divisio, ut incommoda, quæ alioqin è promiscua successione

fratrumque divisione orirentur, prudenti consilio testatoris præveniantur & cohibeantur.

(*k*) In casu intestati. Hoc est: non est putandum, quia pater testamentô aliter potest disponere, quàm præsumtiones exigunt, ideò præsumtiones nullas esse admittendas, si testamentum non adfuerit.

XIII. Inducimus igitur in animum, ut putemus, Imperium patrimoniale, quoties nihil à rege defuncto vel more jam recepto expressum est, *in partibus subjectivis*, (*l*) hoc est, in terris, non recipere mutationem sed manere *unum & conjunctum*, (*m*) etsi à *Grotio* non tam contrà, quàm nihil hoc super articulo sit collocatum, in *d. Lib. II. c. 7.* Quô præmissô & præsuppositô facili consequentiâ intelligimus, mares potiore loco habendos esse quàm feminas, & *inter mares primogenitos* (*n*) esse præferendos. Eò quòd hi valore sexus & judicii maturitate videntur aptiores aut citiùs futuri sperantur, ad sustinendum cuncta regendi onus.

(*l*) In partibus subjectivis. In *terris*, ùt exponit *Auctor*. non in personis Imperantium: superiùs enim dictum est, licèt Majestas dividi nescia sit, posse tamen eam in partibus *subjectivis* dividi, h. e. à pluribus Imperantibus haberi.

(*m*) Unum et conjunctum. Atque adeò *Monarchica* retineatur non minus in Regno *Patrimoniali* successio; prout contra *H. Grot.* cum *Auctore* tenet *Pufendorffius*, *lib. VII. c. 7. §. 11.* Utique si Regnum jam aliud habeat Princeps, in quo certus *modus* succedendi lege vel consuetudine obtineat: tunc quoque Regni patrimonialis, si quod tale fuerit, *accessorium*, idem fatum esse censetur voluisse in successoribus, quod est Regni principalis. Denique licèt ab intestato successio ab Auctore §. IV. dicatur unicè ex præsumtâ voluntate defuncti pendere; tamen illud aliter accipiendum non est, quàm si voluisse credi possit secundum æquitatem juris naturalis & conditionem Statûs Regni: quâ in re *H. Grotius Lib. II. c. 7. §. 3.* emendandus est, qui nimis præcisè, voluntatem præsumtam sequendam esse, tradit.

(*n*) Et inter mares, primogenitos. Modò ad imperandum apti fuerint. Nam primogenitus *inhabilis* secundogenitum non excludit; malè dissentiente *Keckermannô*, sive corpore inhabilis sit sive animô, vid. argumentum *A. B. tit. 24. §.* Dann wenn. In *Electorum* quidem successione distinctio admittitur inter vitium temporale & perpetuum, ut in isto per *curatores* regatur. Sic & in *Dominatu* absolutô sententia *Keckermanni* admitti potest. Pupillaris verò ætas, captivitas & in utero materno existentia, per se non efficiunt, ut vel inhabilis vel nullus esse censeatur primogenitus.

XIV. An aliter *Grotius*, quando ait, *in Regnis patrimonialibus, si dictum sit, ne dividatur Regnum, nec cui cedere debeat expressum sit, ut quisque natu est maximus, mas aut femina, Regnum habebit. d. cap. 7. n. 13?* Est quidem hæc ratio pro *fœminâ* primogenita, quod hæc jus individuum in spe succedendi occupaverit. Sed in Regno *hereditariô* nullum

nullum est jus potentiale successoris, Rege vivô; ùt est in *lineali* successione, vi *Legis:* heic enim à voluntate expressâ vel tacitâ ultimi possessoris omne jus pendet, ultimum autem Regem in dubio, suppositâ individuitate, *marem* feminæ prælatum voluisse, non potest dubitari; nisi fortè *Grotius* mares & fœminas non comparet in illis verbis, ut fœmina primogenita mari præferatur, sed ut primogenitum marem, vel si mas non sit, tum feminam primogenitam vocari velit.

XV. Porrò eadem ratio docet, *filios ante regnum acquisitum natos* (o) haud minus habere juris, quàm qui postea sunt geniti, quâ de re olim toties magnis animis certatum fuisse legimus. Cùm enim Patris sola voluntas spectetur, eaque non pendeat à tempore acquisiti Regni, sed æqualis sit erga omnes liberos, primogenitum simpliciter in Regno individuo vocari consentaneum est: quemadmodum in aliorum successione bonorum tempus acquisitionis non attenditur.

(o) FILIOS ANTE REGNUM ACQUISITUM NATOS. Facit pro *Auctore*, (1) quòd statim patre Rege creatô, & filius iste inceperit Regis filius esse, procul dubio regnaturus, si nulli liberi posteà suscepti essent: quô jure eum propter posteà natum privari oportere, absurdum foret, *v. l. 7. d. Bon. libertorum.* (2) in Regno dividuo partem fert; Ergò in individuo ob ætatem præfertur. (3) Nunquam distingvitur in successione, quô tempore bona quæsita fuerint. Hinc & feudum sequitur eum, qui ante investituram natus est. (4) post mortem ejus, cui succeditur, successio considerari debet. Conf. *L. 6. de Ædil. Edict.* Consonat *A. B. tit.* 7. Quid verò in successione *lineali;* de quâ *inferiùs?* Resp. idem asserendum esse, quia si solus maneret filius, extrà dignitatem Regiam natus, succederet: spes autem, ùt *Grotius* ait, *lib. II. c. 7. §. 29.* cùm radicata sit, jus facit; nec deinde cessat. Quòd si tamen filia *fuerit*, in suspenso est, quia filius nasci potest. Equidem quòd apud *Spartanos* aliter obtinuerit, ut tantùm nati in Dignitate admitterentur, peculiaris erat constitutionis. In *Persia* autem, variè quòd observatum fuerit, facti est.

XVI. Magis inexpectatum videtur, quod placet quibusdam, fratres secundogenitos nepotibus è primogenito ætate minoribus esse præferendos, in regnis Patrimonialibus, de quibus heic agimus. Quidni enim hìc obtineat repræsentatio sive subitio liberorum in vicem parentum, per quam nepotes ex filio primogenito in locum Patris emergunt; Quippe cùm illa maximè sit naturalis, ideoque in Rege mortuo præsumenda, quemadmodum in aliis hereditatibus obtinet. Quid enim hac parte recedere jubet ab analogiâ privatarum successionum? quam cum patrimonialibus Regnis antea comparari vidimus. Opponitur: in privatis successionibus repræsentatio non plus efficit,

 quàm

quàm ut nepos filio, quod ad gradum attinet, æquiparetur, quâ æquatione factâ, qui habent jus ejusdem gradûs, omnes æqualiter ad bona vocantur; quod secùs in Regnis individuis & in jure primogenituræ se habeat. *Ætatis autem ratio mere personalis* (p) fit, quæ ad liberos ex simplici ratione naturali non transit, sed opus est lege positiva ad ejusmodi jus personale tribuendum successoribus; cui accedit, quod idem sit, contra fundamentum præsumptæ defuncti voluntatis, quæ sumitur ab ætate, ad aptitudinem regnandi.

(*p*) *Ætatis autem ratio mere personalis.* At verò hâc ratione *Auctor* ætatem respici vult. Quô quidem respectu verum est, etiamsi filius Primogeniti patrem suum repræsentaret, & sic in paritate gradûs cum secundò genito constitueretur, eum tamen ætate adhuc inferiorem fore. Equidem cùm ætas hîc non respiciatur, adeoque argumentum *Auctoris* hîc non concludat in primogeniturâ, sed tantùm in *Majoratu:* Ideò nepotem ex primogenito præferemus secundò genito: non quando jure repræsentationis, quò videtur Hugo *Grotius* respexisse *Lib. 2. c. 7. n. 31.* quando in controversia, inter Regis demortui fratrem & fratris filium, naturali æquitati consentaneum judicat, ut fratris prioris lineæ per repræsentationem in lineâ Collaterali præferatur. Quamvis enim jura nostra Civilia *repræsentationem* inter collaterales unô illô casu admiserint: (successionis videlicet à fratribus & fratrum liberis suscipiendæ) tamen in Jure Primogenituræ verior est sententia, neque Repræsentationem neque Transmissionem locum habere posse. Non *Repræsentationem*, (secùs atque putat *Auctor*) si quidem Repræsentatio ad hoc inducitur, ut is ad successionem admitti possit cum aliis, qui gradu erat remotior: & verò in primogenitura hoc solùm efficitur, ut unus & solus successionem habeat. Ex quô apparet, Repræsentationi locum esse non posse, nisi in Regnis hereditariis seu patrimonialibus *dividuis;* Itaque non jure Repræsentationis nepos succedet: (quippe qui nec jure patris s. jure primogenituræ paternæ gaudet, prout aliàs, qui repræsentatione fruitur.) Sed succedit propriò suæ primogenituræ jure; per quod momentô ipsô nativitatis jus succedendi, ad instar propagatæ s. deductæ Nobilitatis, & non tempore demum delatæ successionis, eô ipsô, quòd primùm nasci naturalis sit qualitas, consequitur. Multoque minùs *Transmissioni* hîc locus est, cùm quilibet hîc propriô jure niti debeat; adeòque succedere etiam nepos ex primogenitô, licèt hic nunquam actu Regnum tenuerit: prout ipse nepos, si solus mansisset, debuisset succedere: item si maximè Primogenitus, qui actu Regnum tenuerat seu tenere poterat, pro posteris, aut semet ipsô etiam, renunciâsset. Nec enim valet ejusmodi renuntiatio in præjudicium ejus, cui natura favet, *vid. II. F. 26.* Engelbrecht. *de Success. in Electoratum §. 21. & seq.* & Arum. *Discurs. 20. ad A. B. §. 29. & §. 65. & seqq.* Ex hisce *Pufendorffius* examinari debet, quando vix solô jure naturæ nepotes pro patruis prævalituros esse, tradit; nisi id lex aut consuetudo Regni jubeat: quoniam jus in spe non sit firmum. Utique enim firmum est & radicatum, quod protinus ab ipsâ naturâ insigitur: cùm nec alius hîc habendus sit respectus, in Primogeniturâ, quàm nativitatis, adeòque non ætatis, gradûs, vel alterius qualitatis. Rejiciendus etiam est Grotius *lib. 2. c. 7. §. 30.* quando &. ipse in Regnis patrimonialibus individuis potiorem esse rationem ætatis in prædictâ controversiâ, docet; secùs in successione lineali, quam vocat, ubi mortuos haberi pro vivis, & ipse concedit. Consonat nostræ sententiæ *Aurea Bulla*, prout ostendit inter alios Strauch. in *Exoter. Disp. 2. §. 4. seqq.* item Rumelin. *Disp. 6. ad A. B. part. 1. §. 4.* Atque ita Germanicarum Gentium consuetudinem ferre, *Engelbrechtus* docuit, *d. Tract. concl. 27. 31. 62. & seqq.* ut Seniorem esse non sufficiat, nisi vocatus sit, h. e. in ea lineâ vel in eo ordine consistat, cui ad successionem propior est aditus. Denique in patrimoniali Regno etsi *Auctoris* sententia in tacitâ voluntate ultimi

Regis

Regis magis probabiliter fundari posse videatur. Tamen, num illa voluntas ipsius fuerit, cùm vel maximè dubitari possit, siquidem paucæ gentes majoratum tenent: Ideò, cum nil expresserunt, potiùs videtur, ad consuetudinem magis communem respexisse: eò quòd & aliàs sæpè nepos ex primogenito & filius secundo vel tertio genitus ætate non multum differant; sæpè & nepotes imperio aptiores, & tanquam spe radicatâ innitentium judicium ipsorum majori curâ & ratione ad imperandum sensum assuefiat.

XVII. Enimverò *Repræsentatio* rei, velut pecuniæ, in *antecessum* exhibitionem notavit; sed sequiori ævô usurpata vox *repræsentare* fuit, pro præsentem reddere, quô significatu liberi Patrem mortuum iterum quasi præsentem sistere, & exhibere jus & personam ejus intelliguntur: quod verò repræsentatio nihil quàm adæquationem gradûs in hæreditariis successionibus efficiat, aliter liquet in eo, quòd fratris germani liberi, cum fratre defuncti uterino concurrentes, repræsentandô Patrem suum, non modò huic adæquentur gradu, sed eundem etiam excludant. Et, si nihil aliud, quàm adæquatio gradûs fieret, nepos primogeniti unicus, concurrens cum filiis secundo geniti pluribus, in hereditate divisibili, non haberet plus quàm unus ex his obtinere posset, quòd verum non est; cùm solus tantundem ac plures isti simul accipiat, idque è præsumptâ voluntate defuncti. Magis igitur est, per repræsentationem, quæ in hereditariis Regnis non excluditur, filium primogeniti ab avo in locum Patris affectu præsumptô substitutum videri; etsi in eô cesset præsumptio majoris aptitudinis ob minorem forte ætatem. Hæc enim præsumptio non potest tollere jus perfectum *repræsentationis*.

XVIII. Cum eâdem tacitâ voluntate consentit, quod liberi absque justo suscepti matrimonio non admittuntur, quia vel ideo Rex videtur eorum matrem non in uxorem duxisse, quòd illam liberosque justo affectu non *prosequeretur*. (*q*) Quod secus, scilicet, est, ubi vel legitimatio vel sufficiens *voluntatis actus intercessit*, (*r*) aut nulla inter legitimas uxores concubinasque differentia fuit defuncto, ut *Dominis Turcorum* post *Bajazetem*, cùm ejus uxor nimis contumeliosè à *Temirlano* habita fuisset, observatum est.

(*q*) PROSEQUERETUR. Est omninò probanda *Auctoris Cl.* sententia, quòd ne quidem in Regno *patrimoniali* naturales succedere debeant: & malè Hornius *in lib. II. Politic. Architect. c. 9. n. 17.* ex hâc ratione, dissentit, quòd Princeps solennibus Nuptiarum non subjaceat, & maculæ tantum ex civili lege privatis, non etiam Regum filiis, inurantur. Nam quòd Lex, naturale vel legiti-

gitimum, in ipsâ quoque ratione juris naturalis, discrimen ferat, & naturales non eô sensu dicantur, quasi de jure naturæ eò videlicet, quod honestatem nuptiarum inculcat, iis nil planè desit: illud *Bœclerus* inter alios falsum esse ostendit, *lib. II. ad H. Grot. C. 7. pag. 295. & seqq.* Multò minus itaque succedent naturales in Regno *institutivo*, quippe quòd populus solùm Reges sibi voluerit, natos secundùm Leges patriæ, cùm quidem alibi contemtui pateant; veluti ex desultoriâ libidine suscepti. Quid verò, num saltim Matri in eô, quod nec ipsa plenô jure habet, matrimoniô, naturales succedent? Utique, si soli fuerint. Idem in *Patre* non minùs asseri potest: ùt nullum discrimen hic locum inveniat. Unde si legitimos & naturales ipsa quoque Mater reliquerit, legitimum, licèt ultragenitum, cæteris omnibus præferri debere videtur; aliter ac in successione privatorum definitum est.

(*r*) VOLUNTATIS ACTUS INTERCESSIT. Ita Raymundus Gothorum & Suecorum Regis nothus, à patre heres constitutus, successit; quamvis nunquam plenum à subditis obsequium nactus fuerit.

XIX. Adoptivi tamen liberi, quos expresè defunctus pro filiis adscivit, ex illa clara voluntate non alio jure quàm reliqui naturales liberi, videntur habendi; adeòque & *filiabus* præferentur. Nam postremò his etiam, quando potioris sexûs liberi desunt, præ cognatis remotioribus successio debetur: quia sinè dubio major affectus patris erga suam prolem est, quàm respectu cognatorum; nec enim ille judicium de aptitudine ad imperandum comparâsse videtur extrà suam domum.

XX. Hæc ita, in regnis patrimonialibus, secundùm probabilem defuncti voluntatem, quæ sola in iis spectari potest, si nihil cautum sit, habere se videntur; Quod, si constet, regnum esse & alias fuisse dividuum, jam non hærebimus, quin liberi omnes majores, juniores, masculi, feminæ, adoptati, (*non tamen nothi*) (*s*) & secundùm eos, reliqui agnati aut cognati secundùm gradûs prærogativam sint admittendi. ùt Grot. *d. cap. 7, n. 12.*

(*s*) NON TAMEN NOTHI. Ratione matris omnes etiam *incestuosi* & *vulgò quæsiti* naturales dicuntur; respectu patris autem naturales aut sunt suscepti in servitute, aut è concubina. Hisce naturalium appellationem demum post Constantinum tributam esse non nulli putant; sed malè probant ex *Nov. 89.* vid. *l. 7. C. d. confirmandis Tutor.* quanquàm Græci Imperatores contra quàm apud veteres Græcos obtinuit, strictiori sensu nothos & naturales ex æquo sumserint. Hic sanè *Auctor* nothorum nomine videtur eos intelligere, qui ex scorto s. prostibulo, aut ex incestu etiam vel vulgò quæsiti sunt.

XXI. Patrimonialis igitur & Hereditaria successio hactenus est eadem; Patrimonium enim & hereditas non differunt; *l. 38. Fam. Erc.* ut tamen successio patrimonialis à voluntate primi imperantis pendeat; licèt etiam hereditaria detur, quæ pendeat à populi voluntate vel superio-

perioris. Eſt verò imperium aliud Patrimoniale, herile aliud. Sunt enim multæ ditiones *patrimoniales*, in quibus admodùm eſt modica poteſtas imperantium: non pauca etiam ſunt *herilia*, in quibus nec alienandi neque teſtandi poteſtas obtinet, adeòque ubi non eſt hereditaria, ſed *inſtitutiva* ſucceſſio; cujusmodi Turcicum eſt Imperium. vid. de caſſato *Amurathis* ſolenni licèt & à miniſtris juratô Teſtamentô, quô fratrem excluſerat, *Hiſt. Civ. ad ann. 1640.* Quin aliquando uſu venit, ut herilia regna ſint electiva, quale Mamaluccorum in Syriâ & Ægypto fuit. *Hiſt. Civ. Tom. 2. l. 1. Sect. 3. c. 11.* Tantum abeſt, ut herilia cum patrimonialibus eadem ſint, vel cum illis ſemper conveniant.

Capvt XXXI.

De ſucceſſione inſtitutivâ.

Argvmentvm.

Succeſſionem inſtitutivam eſſe, quæ ex voluntate populorum originem habet; eamque eſſe vel ſimpliciter hereditariam, vel linealem. In illâ multò magis in hac fere easdem naſci præſumptiones, quæ ſunt in Patrimonialibus ex tacitâ ultimorum intentione regnantium. 1. non eſſe dividendam civitatem, quia nihil publicæ quieti exitiabilius. 2. ut mares & primogeniti præferantur, etiam qui ante regnum patri delatum ſint nati, nepos quoque primogeniti filio ſecundo licet majori, non æquè, ut ſucceſſio ſtat intrà deſcendentes primi Imperantis; ſecùs ac Grotius. Id eſſe proprium ſucceſſioni lineali, caſus à priore differentia exponitur. In hac etiam filium ex Patre nondum Rege natum præferri nato poſt Regnum acquiſitum. Quid ſi delatum ſit imperium Tali & filiis ex eò naſcituris? Neptem ex filio præferri ex filiâ nepoti, & filiam fratris ſororis filio; niſi feminis excluſis, quò cautò, natos etiam ex feminis cenſeri excluſos. Liberos illegitimos nec non adoptivos ab hoc loco eſſe alienos. Ceſſare hic teſtamenti factionem, proinde & exheredationis effectum, quin & abdicationis, quia non pendet hoc jus ſuccedendi à facto ultimi poſſeſſoris, ſed a lege primæva. Ortâ de ſucceſſore controverſiâ, nullum eſſe judicem, quàm ferrum, niſi forte populum per modum interpretationis.

I.

FUit hereditaria & arbitraria ſucceſſio, ſequitur Inſtitutiva, quæ defertur ſecundum voluntatem ac inſtitutum ejus, qui primum Imperium fundavit, ſive populus fuerit, ſive major Princeps, qui Imperium in alium contulit, ut ſunt domini feudalium regnorum, in qui-

bus

bus ideo simplex hæreditaria successio & testamentaria communiter non obtinet *cap. 1. in pr. de success. feud.* Possunt tamen etiam voluntaria, si ita constitutum sit, hereditaria esse, ùt & patrimonialia.

II. Potestas alienandi non modò in *institutivis* seu *voluntariis* Imperiis, sed & in quibusdam *Despoticis* cessare videtur. Quatenus jure administrandi herilia quidem sunt, aliqua tamen fundamentalis constitutio in illis perpetuâ observantiâ invaluit; *& pars certa subjectorum*, (*a*) *unde origo Imperii activa manaverat*, *exsistit*. Quin & si cui imperium jure hereditario, sive pro se & heredibus delatum fuerit, ex negotii naturâ & præsumtâ voluntate populi, ne quidem potestas alienandi atque testandi per hoc concessa videtur.

(*a*) PARS CERTA SUBJECTORUM. Dominium i. e. jus certum penes subditos, qui primitùs dominum sibi imposuerunt, de successione disponendi.

III. Habet autem prioris speciei, quæ venit à populo ejusve Proceribus, ordo succedendi institutivus locum etiam in quibusdam regnis herilibus. Quod adeò verum est, ut hoc respectu plenissimi Dominatûs esse possint & quandoque fuerint *electivi*. Sed regna civilia, quæque liberâ subditorum voluntate stabilita sunt, non deferri ad successores ex arbitratu Imperantium, sed ex lege vel consuetudine certâ, satis demonstratum est.

IV. Atqui cum *successio Lege statuta*, *vel moribus recepta est*, verosimili populorum intentione, quæ juris parit præsumptionem, eædem ferè nasci videntur conclusiones, quas modò ex tacitâ defunctorum regnantium voluntate *collegimus* (*b*) in Patrimonialibus.

(*b*) COLLEGIMUS. Siquidem hæc etiam voluntas Regnantium Jure niti debet.

V. Primò, *non esse dividendam civitatem*, quia populus id sui ipsius causâ multò fortiùs quàm Rex, ob amorem populi pacemque familiæ, voluisse videtur. Secundum hoc, ut alii non vocantur, quàm qui ex justô sunt nati matrimoniô, quòd extra illud nati sanguinis incerti habeantur. Tertium ponit Grotius, *ut successio flet intrà eos, qui descendunt à primô Rege*. Quod in terminis Regni simpliciter hereditarii sive *pro illo & heredibus ejus* constituto, ùt *Grotius* ponit, in *L. II. c. 7. n. 14. sq.* verborum proprietas fert nullô modô. Ut hereditarii appel-

appellatio tantùm ad ſanguinem Regis & quidem deſcendentem, reſtringatur. Sed hoc tutò ponere licet Quartò *ut mares feminis in pari jure ſanguinis præferantur*, deficientibus demum viris ſequior ſexus admittatur, *ob eandem rationem.* (*c*) Quintò, ut *primogenitus* ſolus his, qui poſtea ſunt nati, *anteponatur*, propter rationes etiam *ſupra* collocatas, in Regnô patrimoniali.

(*c*) OB EANDEM RATIONEM. Videlicet ob veroſimilem populorum rationem, quæ juris parit præſumptionem; ut exprimitur initiò *§. IV. hic*, & eâdem etiam antecedentes tres Concluſiones ſ. *Poſitiones* nituntur. Quin & populo imputari debet, quòd cùm vocem *heredibus* non ad mares reſtrinxerint, videantur, ad turbas à peregrinis metuendas, heredibus maſculis extinctis, ad *feminam* ex primo acquirente, quæ per ſe capax imperii eſt, ſucceſſionem deferendam voluiſſe.

VI. Hinc quæri poteſt, non modo de lineali, ſed de quavis hereditaria ſucceſſione: An etiam filius, qui ante regnum patri quæſitum natus eſt, jus ſuccedendi habeat, quemadmodum de patrimoniali ſucceſſione diximus. Ratio dubitandi eſſe poteſt, quod in ſucceſſione patrimoniali ſola Patris voluntas ſpectatur, quæ non eſt minor erga filium ante natum quam poſtea; proinde non videtur illi jus primogeniti adimere voluiſſe; verum in regnis, ubi legis diſpoſitio regit ſucceſſiones, poteſt dici, quod jus ſucceſſionis nequeat incipere, niſi poſitis ſuccedendi terminis habilibus, qui non ſunt in filio ante tempus regni à Patre quæſiti. Suntque plenæ hoc genere exemplorum hiſtoriæ. Verum hæc ratio non eſt idonea ad hanc diverſitatem inferendam. Nam ſi tunc, ubi ſucceſsio primùm conſtituitur *jam natus ſit filius*, ut accidit in imperiis recens acquiſitis, clarum eſt, eum maxime deſignari, qui fuit in conſpectu; niſi fortè dictum fuerit, imperium dari Tali & filiis ex eo naſcituris. Quod ſi de filiis longiori à lege latâ tempore natis quæratur, *antequam ordo ſucceſſionis ad parentes pertigiſſet*, pro illis adhuc evidentior eſt ratio. Nam filius talis ante regnum patri actu delatum *jus* illud *potentiale*, quod in ſucceſsione lineali verſatur, ante filium poſtea ſuſceptum, acquiſiverat: cui idcircò *anteferendus* eſt. Sicut in patrimoniali & hereditario idem fit jure repræſentationis, quod non habet locum præcisè quô tempore liberi naſcuntur, ſed omni tempore vitæ. Neque enim minus fuit filius is qui adoleverat, cum pater rex fieret, quàm qui regius infans fuit. Denique, ubi lex ſancit ſucceſsionem, ita conſtituit eam, *ut ab ipsâ*, *non ab ultimi poſſeſſoris reſpe-*

ctu dependeat; ideoque nec ejus ratione poteſt intereſſe, quô tempore filius natu major ei ſit genitus, modò verba & mens legislatoris ei conveniant. Hinc etiam fit in lineali ſucceſsione, ut nepos è primogenito, licet ætate filio ſecundo minor, huic tamen præferatur: Quoniam filius primogenitus, patre vivo mortuus, jus quô tum *ſpem habebat præcipuam*, (*d*) quodque jus potentiale diximus, ad ſuam prolem transmiſit.

(*d*) SPEM HABEBAT PRÆCIPUAM. At verò (1) *in patrimoniali* non minùs ſpem habebat; & majorem, ſi genituram ſolam reſpicias. Et quid? quòd etiam (2) in patrimonialibus præſumtio pro deſignando ſucceſſore lege niti debeat: eò quòd populus, ſi interrogatus fuiſſet, lege id fuiſſet conſtituturus. Enimverò populus ad hoc, ut magis ſtabilis foret Regnm ſucceſſio, videbatur lineæ potiùs, quàm ætatis, rationem habendam voluiſſe. Nam illa, quæ ætatem reſpicit ſucceſſio, deſultoria eſt, de lineâ in lineam; ſed quæ genituram, magis eſt ſtabilis. Cæterùm, quòd in Primogenitura transmiſſionis non habeatur ratio, *ſuperiùs* expoſuimus. Et cùm de lineali ſucceſſione diximus: Ideò hôc locô notandum eſt, *H. Grotium* ſucceſſioni non hereditariæ in eo opponere *Linealem*, quòd in hâc non ad ultimum poſſeſſorem, ſed ad primum acquirentem, reſpiciatur; neque etiam ad prærogativam gradûs, ut in ſucceſſione civili, attendi debeat: ſed ad lineam: ut qui in lineâ Familiæ regnatricis Primogeniti conſtituti ſunt, cæteris omnibus in ſecundogeniti Lineâ præferantur. Et hanc Linealem ſucceſſionem *lib. II. c. 7. §. 22.* Grotius diſtinguit in *Agnaticam & Cognaticam*: ut in agnaticâ tantum mares & ex maribus nati, ſuccedant, quæ *Francici juris* dicitur: ne per fœminas ſc. Regnum ad peregrinos perveniat; niſi quòd alicubi deficientibus maribus ad fœminas ex familiâ ſucceſſio pertingat: quâ ratione deinde *Cognatica* dicitur ſuccedere. Eſt enim cognatica linealis, ubi fœminæ quidem non excluduntur, ſed tamen promiſcuè non ſuccedunt, verùm in eâdem lineâ maribus poſtponuntur. Ex quo patet, quòd filia ex fratre, ubi hæc obtinet ſucceſſio, præferatur filio ex ſorore. Equidem ab hereditariâ facilè hæc ſucceſio *linealis* diſtinguitur. Nam (1) in hereditariâ obtinet repræſentatio, item transmiſſio, ſi ſententiam *Grotii* quis ſequeretur: qui plures ſimul ad ſucceſſinem admittit; quanquam nos diximus, ſaltem repræſentationis nullum in ſucceſſione patrimoniali uſum fore, quippe quòd in eâ, qui ſolus ſuccedit, repræſentatione non indigeat. (2) in ſucceſsione hereditariâ fieri poteſt, ut ſi quis ex *tertia* lineâ defuncto ſit gradu propior, is præferatur ei, qui in linea ſuperſtes eſt; & tamen huic non poterat præferri per ſucceſsionem linealem. (3) in lineali ſemper eſt individua ſ. ſolitaria ſucceſsio: hereditaria verò ſi teſtamentô ita conſtituat Princeps, in plures etiam cadere poteſt. Deinde à *primogenituræ* ſucceſsione *Linealis* in hoc diſtinguitur: quòd in lineali expedita magis ſit ratio ſuccedendi, ſi nepos ex primogenito & ſecundò genitus concurrant; in Primogenitura autem ſtudiis partium controverti ſoleat: adeò ut dicere poſſimus, re ipsâ quidem non differre; ſed tantùm nominibus, ut certiorem reſpectum exprimat nomen ſucceſſionis linealis, & ad inſtar ſucceſſionis Feudalis in feudo individuô faciliori tramite, poſſit inveſtigari, quàm ſi ex nuda primogeniturâ rem arceſſere velimus.

VIII. Sed an non obſtat heic ratio minoris aptitudinis ad regnandum, ex impari ætate, & an non hæc, reſpectu populi, validior eſt quàm in Rege, qui jus patrimoniale transfert in poſteros ſuos. Non videtur, quia vis expreſſæ ſanctionis validior eſt, quàm illa præſumptio eſſe queat; Lex vocat filium primogeniti ſine diſcrimine, cujus ætatis

ſit, quia

ſit, quia ſemel ſucceſsionem in univerſum ſtabilire volens, ob exquiſitos caſus nullam varietatem recipere potuit. Tunc enim ſucceſſorum ordinationem expreſſæ tacitæque ultimorum Imperantium voluntati committere debuiſſet; quod ne fieret, ſucceſsionis ordinem definivit. Unde, nec primogenitum, etſi longè ad res gerendas ineptiorem, modò non furioſum aut mente captum, ordo Legis prætervehitur.

IX. Secundum hæc, fratris majoris filius ſecundogenitum fratrem antecedet, imo & nepos vel neptis illius, adeoque in infinitum hoc valebit. *Neptis* quoque *ex filio* præferenda erit nepoti ex filia, quia filius filiæ prælatus fuiſſet, ſuamque ſpem ad prolem ſuam transmiſit; filia quæ nihil habuit, nihil ſuo gnato tradere potuit. Lex quidem mares etiam præfert, & prætulit in hoc caſu filium filiæ; ſed jure in filium ſtabilito, inter illius liberos ſi utriusque ſexus extent, idem diſcrimen ſervat; ſi verò filias tantùm reliquerit, hæ jus à Patre transmiſſum retinent; Nepos ex filiâ nihil habere poteſt, quia mater ejus nihil juris habuit, & lex non poteſt retrò operari per ſaltum, ut relictâ nepte ex filio, recurrat ad nepotem ex filiâ; Ideoque feminis tantum repertis, in his ſubſiſtit *nec retro currere poteſt.* (c) Eadem ratione filia fratris potiori jure quam filius ſororis utetur, ac ita in cæteris.

(c) NEC RETRO CVRRERE POTEST. Hoc ipſum in genere verum non eſt. (vid. *§. ſeq.*) niſi ubi ex æquo mares admittuntur ac fœminæ, ut tunc mas gradu propior præferatur, aliàs enim quoad-usque mas ſupereſt, in eâdem lineâ, fœmina non admittitur; ſed deficientibus in illâ linea maribus, fœmina tamen ejusdem lineæ præfertur mari in alterâ linea: ita in *II. Feud. 50.* vide *Hartmannum* Piſtoris *II. q. 19. & III. q. 23.* Knichen *de pactis Veſtiturarum. part. III. c. 3. n. 41.* Verùm ita oportet conſtare de Lineali ſucceſſione cognatica: & videtur, ſi maximè lege fundamentali expreſſum ſit: mares & fœminas poſſe ſuccedere, illud tacitè actum eſſe, ut fœminæ non tantum in paritate gradûs poſthabeantur maribus; verùm etiam ſi gradu potiores ſint; ſaltim quòd *lineæ* prærogativâ fruantur.

X. Ultro autem intelligitur, hujusmodi ſucceſsionem in iis obtinere populis, ubi feminæ non penitùs excluduntur, ſed ubi maribus duntaxat poſthabentur; ut in plerisque Chriſtianorum Regnis usûs & juris eſt. Quo caſu etiam, ubi Lex viros produxit ad ſolium; ſi poſtea pares gradu deficiant, retrocedit ad feminas, potiùs quam ad agnatos remotiores pergat. Id enim extra controverſiam collocamus, nihil obſtare, *quominùs femina ad imperia populorum*, ſalvâ juris Gentium ratione, poſitis cauſis habilibus, *extolli poſſint.*

XI. Utrum rectiùs prudentiùsque penitus excludantur, quàm in subsidium, deficientibus masculis, vocentur, *Politicorum disputatio est*, (*f*) de quâ rationes & exempla in utramque partem Historia suppeditat. Nec de nihilo observatum est, nullas gentes plus à feminis esse perpessas, quam quæ maximè gloriantur, eas penitus ab se à successione regnorum exclusas esse, quod nominatim de Gallis animadversum est.

(*f*) POLITICORVM DISPVTATIO EST. vid. *J. Fr.* Horn. *lib. II. Politic. Architect. c. 11. n. 4.* ubi de Imperio fœminèo disputat, & negativam tenet. Sed minùs rectè, si ita absolutè quæstio tractetur; aliàs negativa prævalet. Nam licèt non prorsus rejiciendæ sint fœminæ: mares tamen semper prævalent: Quòd si verò masculorum defectus & necessitas hoc jubeat, ut quandoque per connubia, per confœderationes, prospici Regno possit, aut mos patrius in naturam vertens adsit, ut Fœmina imperium obeat: ita ob majus bonum Fœmina admittenda est, sed ut quàm brevissimum sit imperium, quod sola tenet & ad mares reditu-rum, atque ut limitibus certis imbecillitati muliebri consulatur. Utique exteri indignari solent, populum habere fœderatum vel socium, qui fœminæ pareat. Hinc *feminas* ferè nunquam electas reperiemus, sed per obliquum aut magnâ necessitate, item vi vel astu ad imperium, quod tamen non facilè diuturnum fuit, evectas fuisse.

XII. Porrò, ubi omninò excluduntur, *ut apud Francos L. Salicâ fieri dicitur*, (*g*) quæ successio linealis agnatica vocatur, ibi non modò cognati remotiores illas præcedunt, sed ne feminæ quidem, deficiente omni sanguinis lineâ, admittuntur, *expressâ prohibitione omnem tacitæ voluntatis excludente præsumptionem.* Quod ipsum in maribus ortis è feminis *haud dubiè statuendum*, (*h*) quia successio est ordo continuus, qui per saltum ferri nequit, obstante regula, *ubi excludens te excluditur, multo magis tu excluderis.*

(*g*) UT APVD FRANCOS LEGE SALICA FIERI DICITVR. De *Lege Salicâ*, quæ sub *Tit.* de *Allodis. 62.* apud *Wendelinum* habetur: *ut videlicet de terrâ Salicâ in Mulierem nulla portio hereditatis transfiret*, perperam traditur, quòd ad *Regni* successionem illa pertineat. vid. Conring. *d. Orig. Jur. Germ. Cap. 7. p. 35.* imò ne quidem ad *allodialia* pertinet, sed peculiare genus bonorum, ab allodiis & feudis distinctum, concernit, *terram* nempe *Salicam*, qui hostibus devictis, Regi militibusque *Salicis*, i. e. *Francicis*, assignata fuerat. *add. Glossar.* Lindeborg. v. *Salica terra.* add. *Auctorem §. XIII. b.*

(*h*) HAVD DVBIE STATVENDVM. Rosenth. *c. VII. d. Feud. concl. 109.* cùm continuum à primo acquirente semel ruptum, & nunc alia per fœminam familia sit.

XIII. Atque is ordo *Lege* stabilitus, quô jus *potentiale* certæ lineæ quæsitum est, ne quidem à *populô* totô, vel Proceribus, immutari potest; cùm ille suum jus etiam in futurum alienaverit; ne quidem si ultimus Rex suum adhibeat consensum: quia dispositio ipsius neque vi-

ventis

ventis neque mortis causâ, in talibus imperiis, quicquam mutare potest. Sed discrimen *hæreditariæ* & *linealis* in Regno *voluntario* successionis plerumque ex Usu & interpretaione populorum superveniente magis colligitur, quàm ùt lege certâ ab initiô declaretur; ut in *Franciæ* Regno manifestum est. Quippe ibi Lex *Salica*, quæ dicitur, nudum ferè nomen est, cùm de eâ nihil constet, quàm quod Salii olim Francis juncti solos mares ad hereditates privatas vocaverint. In *Regno* an obtinuerit, non fuit decisum ante mortem Ludovici Huttini, anno *Christi* 1316. & an linealis esset, paucis annis *posteà*.

XIV. Jam de naturalibus spuriisque liberis nemo dubitat, quin æque ab institutiva quàm ab hereditariâ successione penitus arceantur; alimentorum quæstio à jure publico aliena est. Adoptivos in patrimonialibus solâ defuncti *Regis voluntate* (*i*) sat ipso actu declaratâ vocari diximus, quæ cum in voluntariis regnis cesset, nullum in his locum dari adoptatis manifestum est.

(*i*) REGIS VOLUNTATE. Exempla sunt in primis Imperatoribus Romanorum: in Augustô, apud Sueton. *c. 64. & seq.* &in Jul. Cæs. *cap. 83.* vide Sallust. in *Bello Jugurth.* de Micipsâ Numidiæ Rege: adeò ut in Regno divisibili succedant adoptivi cum naturalibus, & qui ante liberos naturales adoptatus est, hisce præferatur, quando parens eum non emancipaverit. Favet tamen adoptivis in Regno quoque institutivo Bœclerus *l. II. ad H. Grot. c. 7. p. 300.* At verò illud non aliter probandum est, quàm si in speciem Regni, populô spectante, filius iste assumtus sit: nam ita certum potiùs successorem, quàm nullum, ad turbas scil. evitandas, maluisse censebitur.

XV. Jam non est quòd moneatur, Regibus in hujusmodi Imperiis non esse jus faciendi testamenti, quo successionis ordo mutetur, ut jam expositum est ac ultro liquet. Proinde exheredationem nec ob ingratitudinem licet atrocissimam fieri posse cum effectu, tam in hereditariâ quàm in lineali succesſione, ùt jam diximus. *Nec abdicatio* (*k*) principis cum præjudicio posteritatis, fieri potest in lineali: quoniam jus ei *Lege* quæsitum, non ab regnante profectum est. Sed in hereditate simplici, Regno tamen voluntario, quia jus heredis à defunctô in proximum venire debet, qui tempore mortis nil habuit, is nec in heredem quicquam transmittere potest. Idem de derelictione judicandum.

(*k*) NEC ABDICATIO. Differt *Abdicatio* ab *Exheredatione*; non tantùm quòd abdicatio *Græcis* usitata fuerat, sed etiam, quòd sub præconis voce publicè & inter vivos celebraretur: ita ut per eam & nomen & familia, secùs atque in exheredatione, amitterentur. Rara fuit inter *Romanos*.

 vide

vide tamen *l. 6. C. de patr. potestate* & *Jac.* Gothofr. *eod.* in *Cod. Theodos.* item exemplum apud Valer. Maxim. *lib. V. c. 8.* Licèt autem exheredare possit filium pater in patrimonialibus, etiam ultrà alimenta; secùs atque H. Grot. *lib. II. c. 7. §. 25.* si causa adsit: tamen in institutivis aliter obtinet; quamvis hæc etiam hereditaria sint: (nam hereditaria ubique à patrimonialibus distinguere oportet:) siquidem hereditas illa est ab intestato: at verò ab intestato non est exheredatio. Multò minùs locum habet *in lineali* successione, quæ quidem omnium minimè ex facto antecedentis s. prædecessoris pendet.

XVI. Sextò ponendum est, quod ordo *Successionis aliquando transire potest ad eos, qui non sint de sanguine primi Imperantis*; uti sæpe contingit, posteros alicujus habere cognatos heredes, ab illo alienos. Aliter Grotius, qui in Regnis ex voluntate *hereditariis* statuit, præsumendum esse, quòd constituentes voluerint, ut succesio stet intrà eos, qui à primo Rege descendunt, eò quòd hæc ob nobilitatem electa censeatur, quâ finitâ, Regnum redire debeat ad populum. *d. Lib. II. c. 7. n. 15.* Sed hæc præsumptio infirmior est, quàm ut jus hereditarium, quod habent proximi cujusque regnantis, superare queat. Nam si maximè Testamentarii exclusi videantur, non tamen idem de proximis Regi ab intest. dici potest. Cæterùm illa Grotii positio videtur esse propria succesioni, quam linealem vocant, secundùm quam non proximi Regis quà tales, sed qui à lege designati & dispositi sunt, vocantur.

XVII. Huic hereditariæ & institutivæ succesioni proprium, in quo discrepat à patrimoniali, sit, quòd exheredatio in eo fieri non potest, quia non proficiscitur, neque pendet à Regis sed à Populi voluntate, nec adeò testamenti jus super Regnô, tribuit. Denique & hoc est peculiare, quòd & si Regnum hoc sit hereditas, tamen à privatâ hereditate diversum sit. Ideòque licèt illa non adeatur, Regnum tamen ab herede acquiri possit.

XVIII. Positiones præcedentes etiam omnes locum habent in illâ succesione, quam Linealem vocari diximus, quæ à Lege, secundùm certam succedentium lineam ordinatur; exceptô quod diximus, succesionem hereditariam ad tales etiam heredes pervenire, qui non sunt orti ab imperante primo, cùm Linealis ad solos ab ipso descendentes petineat. Præcipuum, quo hæc species à priori differt, est igitur, quòd simplex hereditaria successio ordinem suum accipit ab ultimô

mô Imperante, neque ſucceſſor quicquam juris habeat, niſi per mortem. Sed in lineali, quanquam Lex effectum ſuccedendi, non niſi vacuo Regnô cuilibet proximo tribuit, jus tamen Potentiale, quod Grotius vocat, etiam prius, etiam remotioribus addicit ſucceſſoribus.

XIX. Cæterum, controverſiâ de ſucceſſione ortâ, non poteſt alius eſſe judex *quàm ferrum utique cum decidendi poteſtate*, (*l*) quæ ſuccumbentem obliget ad parendum. Populus enim, quandiu ſtirps familiæ regnatricis ſupereſt, omni jurisdictione manet exutus; Neque ſuperſtes princeps ultra vitæ ſuæ terminos quicquam de Imperio diſponere poteſt. Quanquam ſi compromittere velint, nullum rectius arbitrum quam Regem vivum, eove mortuo, populum vel primores eligere poſſunt.

(*l*) Qvam ferrvm vtiqve cvm decidendi potestate. H. Grot. *Lib. II. c. 7. §. 27.* diſtingvit inter judicem JCtionis & judicem juris. *JCtionis* nullum eſſe poſſe de controverſiâ regni, nec in Regem nec in Succeſſorem. Utique enim ſuccesſio non eſt in jure Imperii ſ. Majeſtatis: unde Rex de ea ſtatuere non poteſt, & in interregno Majeſtas nullibi reperitur. Quos verò Grotius judices juris appellat, h. e. qui ſine poteſtate, ſaltim quid æquum eſt, arbitrentur: illi dantur omnino unicè, tam vivô, quam mortuô Rege. Et quidem *vivô*, ſi in Inſtitutivô Regnô verſemur, ut populus voluntatem ſuam ante omnia declaret, neceſſe eſt: atque tunc quia populus nil valet in Regem, etiam quod ad modum habendi imperium attinet, quà videlicet res ad ſuccesſionem ſpectat. Hinc ad *arbitros* omninò deveniendum eſt. Nam *Lex fundamentalis* quæ non niſi pactum eſt, neutrius partis interpretationi deciſivæ ut Lex fundamentalis, ſi modò pactô cum Rege inita fuerit, ſubſtat: indeque pactis etiam pacis Tertii Potentes adhiberi ſolent, quamvis non facilè, ut terminos mediatorum ſeu interponentium, interpretatione deciſivâ, egrediantur. vid. Coccejum d. *Guarantiâ Pacis.* Legem verò, quam Formæ Regiminis ſuô arbitriô ſtatuit Populus, quòd eandem, ad normam rectæ interpretationis, idque citra jurisdictionem, exponere queat, præterquam ſi ipſe Imperium in *Democratiâ*, & ſic poteſtatem ſtatuendi, vel maximè in publicis, habeat, indubium eſt. Sed tempore interregni rem conficiet idem populus, non per modum judicii, ſed aſſenſus ſ. majoris partis. Variè hôc in argumentô volvitur *Bæclerus* ad H. Grot. *l. II. c. 7. §. 27.* luculenter magis incedit Pufend. *lib. VII. c. 7. §. 15.* junge H. Grot. *L. II. c. 23. §. 8.* ubi modum *Compromiſſi*, quoties inter eos negotium eſt, qui JCtioni, quà tales, non ſubſunt, uberiùs exponit. Utique cauſa hæc ad arma cum Auctore referri non poteſt, niſi eo caſu, quô inter competitores nulla ratio juris exitum rei dare poteſt. Nam ita ſæpiùs ratio decidendi factô magis, quàm jure nititur.

XX. In Imperiis, ordine ſucceſſivô non bene ſtabilitis expedit & ſolet fieri, ut Reges filios ſuos vivi curent vel ſucceſſores declarari, vel etiam pro Regibus agnoſci atque inaugurari. Succeſſores declarantur, vel cum titulô ſummæ poteſtati proximô, quomodo Cæſares in Impe-

Imperio veteri Romano sub Antoninis & posteà, distincti ab Augustis, in hodierno Imperio Reges Romanorum declarantur. Quando Reges fiunt vivis Parentibus, tum veteris Imperii Collegæ adsciscuntur, ut Severus Antonium filium per modum condominatûs, auctoritate dispari, potestate pari; vel Pater se jure Imperii abdicat, ut filius eô solus potiatur.

XXI. Si quis tamen dicat, populum non quidem per modum jurisdictionis, sed interpretationis in causâ dubiâ litem decidere posse, quoniam jus αὐθεντικὸν legis conditæ ab illo profectum est, non admodum refragemur.

CAPUT XXXII.

De Tutelis Regiis.

ARGUMENTUM.

Tutores Regii an habeant summam Potestatem. Quotuplex sit hac Tutela, & quis eam statuere possit. Legis dispositionem per Testamentum heic non posse mutari. Quando Tutela finiatur, & an detur Cura Regia, ubi & de Jure devolutionis obiter.

I.

PORRO, si Principem, cui successio debetur, infantem aut furiosum esse contingat, palam est, *tutorem ei esse dandum*, (*a*) vel Curatorem, qui & Protector & Regens alicubi appellatur. *Qui* cum habeat facultatem juris, cujus acta nemo infirmare queat, *summam* quoque *potestatem habere dicendus est*; sed exercitio tantùm, proprietate *penes pupillum manente.* (*b*)

(*a*) TUTOREM EI ESSE DANDUM. Confer H. Grot. *L. 1. c. 3. §. 15.* Latiùs Gutierez *lib. I. d. Tutel. c. 18.* Alicubi Status Imperii s. Ordines tutelam sibi vindicant, prout Strauch. *in Diss. 2. Exoteric. §. 7.* de Regni *Bohemiæ* proceribus quasi in confesso ponit; & tamen longè diversum tuiti sunt Austriaci *apud* Lundorpium *Tomô I. Actor. public. p. 625.* pertinent hùc Commentatores ad *A. B.* de *Tutelâ Electorali*: quam unicè legitimam esse, neque *testamentò* Tutorem, alium, in locum propioris agnati, dari posse, verius est; (sic & Auctor *§. 11. in fin. b.*) adeò, ut ne quidem Tutor testamento queat constitui, qui extra ditiones Electorales reliquis terris præsit. Unde simili ratione asserendum est, non posse Regem in Regno Institutivo hereditariò alium tutorem successori, filio v. g., designare, qui bonis *patrimonialibus*, Regno perpetuum annexis, præsit. Vid. Rümelin. *ad A. B. p. 1. Diss. 7. §. 4.* In Regno autem *patrimoniali* liberiùs Rex versatur: cum illius conditio potior est: nam ita testamentô *fœminam* etiam tutricem constituere potest. v. Rosenth. *c. XII. d. Feud. concl.*

concl. 10. Quin & *mediator* in tutores recipere licet. vid. in simili Myler. *de Principib. & Statib. Imperii c. 29. p. 250.* Sanè in Imperio Rom. singularia quædam sunt Tutorum *Illustrium*, quæ suo modô Regum tutoribus aptari possunt: veluti (1) quòd Administratores s. tutores ejusmodi *inventarium* rarò conficiant, (2) *rationes* non reddant, sed ad majorennitatem perductum Principem ad ipsos *Officiales* remittant. (3) alimenta & sumtus Aulæ suæ ex patrimonio pupilli desumant. Vid. Balthasar. *Tit. 5. Resolutionum Bavar. Resol. 1. n. 20.*

(*b*) Penes pupillum manente. Longè rectiùs, quàm *H. Grot.* docuit *L. 1. c. 3. §. 11.* Nec enim Tutor Majestatem habet; sed solum Majestatis exercitium. Aliàs (1) sequeretur, infantem Majestatem cum ætate demum consequi, quæ tamen ipsi connascitur. (2) Caput defectuosum caput est nihilominùs, & suppleri potest prudentiâ, quæ potestate aliâ, quàm infantis non nititur, industriâ consiliariorum. Furiosus autem, licèt exercitio rationis careat, tamen facultate destitutus non est; aliàs homo non esset; & sic quà homo est, Rex est: ut ob infortunium privari jure suô non debeat. Quid quòd (3) Rex dormiens Rex sit nihilominùs, ita (4) praxis populorum jubet, ubi nunquam infantes aut furiosi Regnô aut Majestate privati esse existimantur; quin potiùs, quod *Ordines* etiam Tutores agunt, id omne nomine Regis seu in Vormundschafft, adeoque nil jure propriô, peragunt. Denique (5) periculosa est sententia *Grotii*, & facilè Curatores infantem furiosumve eâ subnixi exturbabunt. Quòd si etiam diversô respectu Majestatem inesse infanti & Tutori dicere velis, nihil ages, quàm ut duas Majestates in unâ Rep. dari afferas: quod falsum est. Unde in actu secundo Curator ne quidem Majestatem habebit, sed potiùs actus uterque primus & secundus penes infantem constitui debet.

II. Deferre tutelam nemo alius, quàm is, cujus primævum jus fuit imperandi, potest. Quippe, cùm præsens Rex nullum habeat animi judicium, nec defunctus habuerit potestatem faciendi quicquam in tempus post mortem suam. Nam Testamentaria Tutela in Regnis populorum voluntate constitutis locum habere non potest, quia Testamenti factio in hujusmodi Regnis omninò cessat. Etenim loquimur de non patrimonialibus; nam in regnis, quæ jure patrimonii habentur, non est dubium, quin Rex moriturus tutorem constituere, vel, ejus dispositione cessante, propinqui aliquem eligere possint. Si qua in Regnis voluntariis exempla tutoris à Patre dati extent, ea commendationis tantùm habuere vim, quo modo & de successione ipsâ multi Reges testati leguntur, at *sæpius absque effectu. v. exemplum in Lud. XIII. G. R. Hist. Civ. 1642. c. 3. 4.*

III. Voluntas populi aut per Legem fundamentalem, aut hac deficiente, per expressam declarationem significatur. Per quam potest fieri, ut non unus sed plures constituantur tutores, qui per modum universitatis aristocraticum, teneant jus summum; unô licet præside statuto, cui nomen Tutoris aut *Protectoris* vel simile detur. Cujusmodi tutelæ administratio in Angliâ, commendante *Henrico* VIII. *super Eduardum puerum*, (*c*) constituta fuit; ubi consentaneum erat, eum cui

nomen Tutoris dabatur, qui & capite multatus eſt, non habuiſſe poteſtatem ſummam. *Baker in Eduardô* VI.

(*c*) SVPER EDVARDVM PVERVM. Per ultimam voluntatem, quâ filio ſuo *Eduardo* Novenni 28. Senatores junxerat, quorum præcipuus erat Eduardus *Scymur*; inter cæteros autem *Sommerſettus* is eſt, quem auctor hic deſignat. Nam ille per machinationes Ducis Nordhumberlandiæ per judices viginti-novem, quos inter Baro *Cromwellius* quidam repertus eſt, ſecuri ſubjiciebatur: magnâ deinceps Regni confuſione, in qua *Eduardus* etiam ſexto annô regiminis ſui diem ſuum obiit. Interim quòd unus ex pluribus tutoribus capite multari poſſit, idoneè ſententiam ſuam, licèt veram, Auctor non deducit: ſiquidem in Ariſtocratia etiam unum alterumve ex optimatibus *capite multari* poſſe non repugnat, & tamen ipſis in Univerſitate Optimatium *Majeſtas* haud dubiè competit.

IV. Comparant autem Leges meritò furioſis, *prodigos*, licèt mentis compotes. Quâ ratione vel prætextu nuper uſos vidimus *Luſitanos* in amovendô Rege ſuo.

V. Tutela pubertate finitur. Inde olim adoleſcentes in ſuam tutelam venire dicebantur, nec Curatores accipiebant, niſi causâ cognitâ propter furorem vel amentiam. A Marci Philoſophi tempore adoleſcentes non redditis cauſis ſub Curatoribus ad usque ætatem 25. annorum eſſe cœperunt. In Regnis frequenter reditum eſt ad veterem morem, ut puberes in ſuam Tutelam veniant. Et quidem ut annus inchoatus pro completo habeatur. In *Gallia* annô 13. decurſô Reges majores declarantur. In *Electoribus* in Germaniâ placuit ætas annor. 18. ob periculum ſcilicet uſurpati regiminis, aut turbarum adv. alienæ poteſtatis exercitium.

VI. Ex his omnibus abunde liquet, jura privata, quæ cuique patrifamilias jus liberè diſponendi ſuper pecuniâ tutelâve rei ſuæ largiuntur, *l. 120. π. d. V. S. ad jus publicum Civitatis* non eſſe producenda. Proinde nec tutelæ Electorales ex aureo diplomate, quo fratres defunctorum vocantur, ultimâ voluntate mutari poſſe videntur: quâ de re *dix. lib. 3. Digreſſ. cap. 5.* Aliter olim pugnarunt Dionyſ. *Gothofr.* & Marquardus *Freberus* pro teſtamento Fridericii IV. Electoris Palatini. v. Wiſſenb. ad inſt. *d. Tutel. n. 20.* magis quòd reformatorum in Palatinatu ob religionem intererat, quàm ex ſolido vero.

VII. Nihilo magis jura inteſtati legitimasque ſucceſſionum devolutiones de patrimoniis vel de feudis privatis conſtitutas ſine magno errore *ad ſumma Imperia transferre licet.* (*d*) Quò ſine dubio pertinent

com-

commissa secundarum nuptiarum, quibus *alicubi*, bona quæ parentes, sub finem prioris matrimonii habuere, *post transitum ad secunda vota, primi conjugii liberis acquiruntur*, usufructu duntaxat à parentibus retento, qui, mortuis illis, cum proprietate consolidatur. Non pertinere ad Imperia, hæc similiaque statuta vel uno clarum est argumento, quod ab summâ potestate proficiscantur, ut subjectos ad parendum, non ut ipsos obligent imperantes, de quibus insanum est cogitare, quod secundis nuptiis Imperio semet ipsos privare voluerint. *vid. Grot. lib. 2. cap. 4. §. 12.* Proinde, ubi maxime *jus* illud *Devolutionis* obtinet, nihil tamen hærendum, quin filius secundi, filiæ prioris matrimonii, sit *in Imperio præferendus*, (*e*) quâ de re superioribus annis inter Hispanos & Gallos armis & Libris acerrimè certatum est. Nec verò *Grotii* doctrina jus devolutionis ad Regni success. attollere potest: *d. c. 7. n. 11.* nam in illo devolutionis instituto damnum quàm maximè agebatur.

(*d*) AD SUMMA IMPERIA TRANSFERRE LICET. Nisi etiam constitutiones ejusmodi Civiles aut Feudales æquitate naturali nitantur. Nec enim applicatio hæc adeò infrequens est, in controversiis Regum & Principum exterorum, ùt ex multis locis *Goldasti*, *Thuani*, *Alberici Gentilis*, *Guicciardini*, *Jovii* & scriptis JCtorum circà argumenta illustrium familiarum, cumprimis *Menochii*, *Anton. Fabri*, *Molinæi*, *Vasquii*, *Chassanei*, *Klockii* & *aliorum* patet. Cæterùm quod de Regno hactenus dictum est: illud ad hereditatem separatam à patrimonio Regis pertinet; quà patrimonium *rem privatam* notat. Scilicet Regis & Regni patrimonium differunt. v. Grot. *Lib. II. c. 7. §. 19.* Hinc in institutivo Regnô etiam situm est penes Successorem, an is unà *privatam successionem* Antecessoris agnoscere velit nec ne; secùs ac in Patrimoniali: non aliter, ac in Feudis habet; id quod tamen ad filios Regis, non etiam ad agnatos, respicit: atque hoc argumento eorum, quæ à Feudistis traduntur ad *II. F. 45.* Sanè in feudalibus Regnis quoad successionem Juribus Feudi in Curiâ domini obtinentibus, utimur. Simili ratione, quando Regna fideicommissa sunt, ad Dd. juris privati, qui studiosè rem executi sunt, confugiendum est; ut sunt *Peregrinus*, *Fusarius*, *Intriglioli*; & cumprimis nostrâ ætate *Knipschildus de Fideic. Famil. illustr. Harprechtus*, & *alii*. Quanquam verò in *fideicommissis* ille ad successionem regulariter admitti debeat, qui primo acquirenti seu fideicommittenti propior est; tamen ùt Grotius docet *L. II. c. 7. §. 24.* ita res etiam definiri potest, ut is, qui ultimo possessori proximè accedit, pro cæteris admittatur.

(*e*) IN IMPERIO PRÆFERENDUS. Quamvis enim *Brabantiæ* moribus jus devolutionis obtineat: (de quo integrô Tractatu *Stockmannus*,) tamen non videbatur potuisse jus illud privatorum applicari ad ipsum Regem Hispaniæ, tanquam eminentem Ducatûs illius Dominum; indeque frustrà *putatus* Rex Galliæ prætendisse, ut *Mariæ Theresiæ* Conjugi suæ, tanquam *natu maxima* Philippi IV. Regis filiæ, & ex *primo* matrimonio procreatæ, principatus *Brabantiæ* & pleræque aliæ Belgii *Hispanici* provinciæ, præ sorore ejus, Imperatrice Romanâ, & ipso fratre Rege Hispaniæ, tanquam ex *secundo matrimoniô* profectis, deberentur.

CAPVT XXXIII.

De Jure Aristocratico.

ARGVMENTVM.

Plurium Imperium esse duplex, Aristocraticum & democraticum. definitio Aristocratiæ. De numero imperantium in hac republ. nihil dari certum, modo sit longè pars minor populi, licet aliquot millia. modum continuandi Aristocratiam esse vel successivum aut electivum. Refutantur qui democratiam esse volunt, ubicunque omnis generis ordinisque homines surrogari possunt, aut ubi populus deficientes optimates supplet. Discrimen hinc pendere, utrum acta imperantium infirmari queant vel non. sed utrum perpetua an temporaria sit potestas, nihil referre ad specificam differentiam. Igitur annuos optimates, qui jus habent faciendi quod è Republ. videbitur salvis legibus fundamentalibus, verè summam habere potestatem, quâ proinde careant hi, qui illos delegaverunt. Non posse tamen illos transferre jus summum, nec unum quidem ex juribus Majestatis, nec ullum imperii actum ultra suum tempus exercere. non teneri verò ad reddendas rationes delegantibus suis. plusculum de illa specie Aristocratiæ, ubi possessores immobilium habent jus constituendi annuos optimates. An optimates imperium alienare vel formam reipubl. mutare possint.

I.

FUit Monarchia, unius Imperium. Quod à pluribus tenetur, est vel *Aristocraticum* vel *Democraticum*. *Aristocratia*, cum summa potestas est penes optimates, hoc est, minorem & eminentiorem populi partem. *Democratia*, quando jus summum Imperii à populo non transfertur, sed ab eo retinetur in summâ, administratio tantùm per Magistratus exercetur, ad instar aristocratiæ.

II. Numeri Imperantium in hac formâ civitatis magna est latitudo, ut definiri nullo modo possit, *nisi quod subjectam civium partem longe oporteat esse majorem.* Est ubi *Decemviri*, *Triginta*, *Quadraginta* Viri, plus minus, est ubi *centum*, *quadringenti*, *mille* vel plures sunt; ùt apud Venetos & Frisios. Imo *in Polonia*, (*a*) ubi jus summum est apud Nobiles quinquaginta & quod excedit, numero millium, formam esse aristocraticam, necessarium dictu videtur. Quia cæterorum incolarum multitudo, quos etiam communi nomine cives licet rusticos, dici posse non est dubium, immenso *numerosior est*, (*b*) & *Nobiles* utique optimates sunt.

(a) In

(*a*) In Polonia. De Statu *Poloniæ*, & potissimum de *Reservatis* Regum Polon. & Nobilium. vid. Sprenger. in *Polon. Nov-antiquâ. pag. 104.* Utique *reservata* Regia, speciem Regiam & Auspicia Monarchica Regi conciliant. Sed *potentiam* & vim Regni, quæque Terrarum *Jura* eximia & summa sunt, Magnates sibi suoque arbitrio retinent.

(*b*) Numerosior est. Et vix accidere potest, ut major sit præcellentium in Rep. numerus f. Optimatum, ex quibus Aristocratia conficitur. Quin etiam, ubi plebs quandoque exhauritur, quod ipsum quoque rarissimum est; tamen adhuc ex lege Reip. status Aristocraticus esse censebitur, licèt plebs ad priorem numerum non nisi sensim redeat.

III. Hinc ubi jus supremum est penes dominos insignium prædiorum, licèt aliquot millia forsitan hominum efficiant, quia tamen plebs sine terris immenso major est, ejusmodi Rempubl. dicimus Aristocraticam, ut in *Frisiâ* nostra. Nisi quartam Reipubl. formam, quæ sit *Timocratiæ*, statuere placeat. Fatendum interim, quò major est Imperantium numerus, eò propiùs *Democratiæ* similitudinem accedi, ut forte plus inter quasdam Aristocratias, quam inter aliqua optimatium & popularia intersit Imperia. Quæ res efficit, ut multi pro democratiis accipiant ejusmodi Respublicas; quæ accuratè æstimatæ sunt Aristocratiæ. Nimirum, potest fere ùt regnum, dividi *Aristocratia* in successoriam & Electivam, plerumque quod ad singulas attinet personas, nòn etiam universos; tamen ad universos quoque, ùt in Frisiâ universi quotannis mutantur imperantes substituti.

IV. *Successiva*, ubi dignitas optimatium est hereditaria, ut summa Reipubl. concilia nulli quàm è certis familiis nato ingredi liceat, quod *Poloni*, *Veneti* aliique servant. Electiva, quando in locum deficientium alii ex eminentioribus civitatis per suffragia surrogantur, *ut in Belgis obtinet.* (*c*)

(*c*) Ut in Belgis obtinet. Singulas *intelligit* provincias. Cæteroquin Belgii Status Aristocraticus non est, sed ex pluribus Rebusp. fœderatus.

V. Errant autem sine dubio, qui *Democratiam* esse volunt, quando cujusvis generis & ordinis homines, nemine excluso, *surrogari possunt*. (*d*) Nam etsi nullus ordo hominum à capacitate electionis excludatur, tamen ubi perpetuò verum est, summam potestatem esse penes partem longe minimam, ibi certum est dari Aristocratiam, ut ex suprà dictis colligi potuit. Perinde atque regno nihil decedit, ex eo, quod quilibet ad illud evehi possint, neque minùs est *monarcha*, qui ex omnibus, quàm qui de paucis, fuit seligendus.

(*d*) SURROGARI POSSUNT. Nec obstat, quod in Democratiâ etiam omnes de populo curiam non ingrediantur. Resp. enim discrimen hoc nihilominùs superest, quòd in Democratiâ licèt singuli Remp. per se non administrent, tamen administrent per alios, qui ex populo in Ordinem Magistratuum s. Administratorum quotannis vel aliter ex instituto Reip. deputantur. Et sic ergò vis imperii penes singulos residet, ut singuli, ipsô etiam actu, vim Imperii teneant: quale quid de omnibus & singulis in Rep. *Aristocratica* dici non potest. Non enim sequitur: Est capax, ut ad imperandum eligatur, ergò imperat.

VI. Electio Aristocratica dupliciter habetur; aut enim ipsi optimates jus habent loca deficientia suo arbitratu, ùt fit in *Hollandiâ*, supplendi, aut populus totus ejusve Præcipui novos identidem senatores eligunt, ùt heic in *Frisiâ*. Illam sunt qui *Aristocratiam* veram, hanc qui in se spectatam volunt esse *Democratiam*, modum duntaxat administrandi Aristocraticum videri.

VII. Sed arbitror, distinguendum esse juxta principium toties positum, utrum acta electorum procerum à populo dependeant, ab eoque infirmari possint, an omninò sint rata. Si acta, gesta, illorum rationibus reddendis, abolitioni aut animadversioni subjecta sunt, concedemus, fundamentum Imperii esse *Democraticum*. Verùm si plena & irrevocabilis potestas illis tribuatur, nulla ratio est, quare dicendum sit, electionem populi magis impedire *Aristocratiæ* appellationem, quàm *Monarchiæ*, ubi multitudo eligit Regem: siquidem utrobique eligentes omni potestate se ipsos abdicarunt.

VIII. Hæc distinctio firmior videtur, quàm quâ alii utuntur, inter potestatem optimatium *temporariam* & *perpetuam*. Si temporaria, volunt proprietatem Imperii manere penes populum, nihil verò quàm usum & exercitium esse penes illos *ad tempus* optimates.

IX. Equidem si nihil ab hac disputatione penderet, quàm quo nomine sit exprimendum jus illud, quo populus Imperium affectum habet in casum temporis elapsi, quæstio exigui foret momenti. Sed illi volunt, temporarios optimates nihil esse quàm *magistratus*, id est, *ministros* adeòque *ad rationes reddendas* esse obligatos. Unde patet, hoc quæsitum in utramque partem summæ potestati essentiale videri. Etiam *Hobbes* ita; si populus, electis Imperantibus ad vitam aut ad certum tempus, decretum prius fecerit de conveniendo, post tempus imperii elapsum, rursus, ad diem locumque certum; quod tunc medio tempore summum Imperium *in populo* ùt domino, usus autem sive exercitium

citium ejus tantùm in Proceribus temporariis fuerit. *tract. de Cive cap. 7. §. 14. & cap. 9. §. 13. & seqq.*

X. Nos hujus doctrinæ nullum agnoscimus effectum, neque putamus quicquam posse proferri, quod minus in potestate sit optimatium temporalium quàm perpetuorum. Proinde ex his terminis differentiam summæ potestatis inferre, ùt antea improbavimus, ita nihil adhuc dum causæ videmus, cur sit faciendum. Diximus *superius* rerum civilium naturam *ab effectis æstimari*, (*e*) quæ à *tempore* non recipiunt diversitatem, sed qui facere possunt idem, alius ad tempus, alius in perpetuum, illis idem juris oportere adscribatur. Scimus, *dominium revocabile* dari, ùt est mariti in dote & heredis fiduciarii, qui forte non omnia possunt, quæ domini irrevocabiles; *quatenus ad restituendum tenentur.* Sed hoc discrimen in Imperiis non habet facultatem; siquidem nullâ re plus valent, *inquam*, perpetui, dum vivunt, quàm temporarii, dum regimen eorum durat, Imperantes, *dum durat*, inquam. Aut si hæc Differentia in Imperiis obtinere debet, sic erit accipienda; quòd, sicut maritus in re dotali vel fiduciarius in re fideicommissariâ nihil facere possunt, quod impediat restitutionem suo tempore faciendam, ita Regnantes temporarii prohibentur facere quicquam, ad corrumpendam restitutionem Imperii sibi commissi. Verùm id ipsum prohibentur & hi, quibus Imperium *perpetuò*, hoc est, ad vitam delatum est.

(*e*) AB EFFECTIS ÆSTIMARI. Imò non objectum sed *forma* respici debet. Tutor idem potest quod dominus; nec tamen dominus est. Unde in Republica, ubi ad tempus administratio Majestatis uni vel pluribus concredita est, populus, quando contra ordinem quid suscipi necessarium est, in quo de summa rei agatur, à Temporariis ejusmodi Magistratibus summis in partem negotii non modò assumitur, sed etiam assumi debet. Nec quicquam facit pro *Auctore*, quòd Rex hodiè electus & postridie moriens non minùs Rex fuisse dicendus sit: nam ita quidem finitio imperii à casu s. morte pendet, cui Rex non ampliùs superstes est, nec imperium, si velit, diutiùs gerere aut habere potest. Quòd si vero cuiquam tempus præfinitum fuerit, ita omnino à populi præfinientis voluntate vel finitio vel prorogatio imperii suspenditur, nec adeò aliud, quàm summum *Magistratum* intereà habere dici potest; ùt *superiùs* jam notavimus.

XI. Cæterùm, si quis illud jus, quo Imperium ad populum reverti debet, proprietatem velit appellare, ut in jure quandoque, matrimoniô adhuc consistente, *dominium* dotis, quod viri est, ad mulierem pertinere dicitur, *analogicè*, id quidem concedi potest. Sed

Impe-

Imperium accuratè loquendo ab jure quod populus interim retinet, *est diversum*, (*f*) *ut ex definitione summæ potestatis constat.* Neque prorsus in specie aliud est jus quod populus retinet, quando Imperium defert ad certum tempus, durante eo tempore; quam est jus populi quod retinet in omnibus Imperiis voluntariis etiam regnis successivis, in quibus aliquando jus summæ potestatis ad populum redire potest.

(*f*) EST DIVERSUM. Imò diversum non est. Nam revera vis imperii est penes populum, ad quem propterea finitô tempore administrationis collegii Senatorii quicquam non redit potestatis, sed solùm administratio in Senatoribus expirat: perinde ac ad dominum rei commodatæ non redit possessio rei finito commodato, cùm durante etiam eo, rem possederit; licèt per alium.

XII. Porrò eadem ratione, quâ ex *Democratia* fit *Aristocratia* per translationem juris supremi in minorem numerum, fit etiam ex *Aristocratiâ* laxâ & diffusâ, status *Aristocraticus* strictior; sicut in agro *Frisiæ*, ubi jus summum competens dominis veterum prædiorum facit Aristocratiam, latè quidem patentem, sed juxta *superius* dicta tamen *Aristocratiam*, id est, minoris numeri potestatem in populum universum. Ab his autem quotannis creantur *optimates* LXXXII. *plenæ potestatis*, *quibus datur jus* intrà annum vertentem *faciendi quicquid è Republicâ videbitur*, *nullâ re exceptâ*, *nisi ut Leges Reipubl. fundamentales serventur*, & paucis quibusdam aliis capitibus *specialiter expressis*.

XIII. Postremò repetamus oportet, heic, quod sæpè demonstratum est, Optimates æquè jus habere delatum à populo sui juris, quàm Reges & Principes; Proinde in Imperio simpliciter delato, illos aut posse aut non posse, quicquid Monarchis ex jure sibi delato facultatis esse vel non esse diximus. Ex quô sequi videtur, *Optimates* non posse Summam Potestatem in alium *transferre*, non magis quàm Reges id facere possunt. Quod tamen cùm ab usu alienum esse constet exemplis, annon Optimates magnô numerô, in republicâ, ubi totus populus in diversas Civitates & regiones diffusus nunquam coit & difficillimè coire potest, considerari queant ita, uti jus omne populi de imperio quovis modô disponendi complectantur. Quomodo sanè si *Poloni* Nobiles Regnum ex electivô & legitimo facere vellent hereditarium, nemo dubitaret, quin id facere possent: nec si possessores Immobilium in *Frisiâ* principatum erigere vellent: nam Legatos ad Comitia,

mitia, id ibi vel in Polonia facere posse nullô modô statuendum est. Nec de magnô quidem Senatu *Veneto*, licèt ibi plebs faciliùs convocari posset, dubium sit, quin si vellent speciem Ducatûs in Regnum mutare, suô jure id facere posse crederentur. Quemadmodum ne in *Hollandiâ* quidem dubitatum est, cum Rectores omnium Civitatum, populis inconsultis, Principi *VVilhelmo* seniori summam potestatem detulissent, quin id jure factum videretur; etsi dialectica juris ratio, quam diximus, & quæ Optimatibus non tribuit plus juris quàm Monarchis simpliciter constitutis, in diversum tendat.

XIV. Est tamen considerandum, inquam, annon Optimatibus hac parte tacitô populorum consensu plusquam Principibus datum videatur, maximè si magnô sint numero; quasi præsumptione populari, quod ejusmodi Optimates hâc potestate minùs facilè sint abusuri quàm Principes, & quòd in magno Optimatium numero spissior & validior sit totius populi repræsentatio, quàm in singulis Imperantibus.

Caput XXXIV.

De

Republica annui Imperii, qualis in Frisiâ.

ARGUMENTUM.

Aristocratiam magni numeri annuam, esse raram. Jus annui regiminis in Frisia verè supremum esse, sub exceptione legum fundamentalium. Interpretatio hujus exceptionis & Consequentia. Juris & prudentiæ hac parte diversa ratio. Populum aut delegantes in tali specie non esse superiores delegatis intrà suum tempus, ab iisque non posse animadverti vel abdicari. Remota objectio à naturâ mandati, quo tales delegati constituuntur. Examen ejusmodi mandatorum. Status talis Reipubl. in fine cujusque anni.

I.

MOmentum hujus rei & in Patriam affectus exigit, ut heic paululum subsistamus, & quanquam ratio instituti nostri nihil quam jus publicum universale ferat, non est tamen, ut hoc genus summi *Impe-*

rii Annui, quod rarum & juris inusitati, attamen salubris temperamenti plenum est, silentio transmittamus.

II. Summam juris ejus delati annuis Rectoribus esse diximus, *facultatem statuendi & agendi quicquid è Republ. ipsis videbitur*; quibus verbis inesse perfectum & supremum jus regendi civitatem, ex eo quod *superius de summâ potestate* diximus, evidenter liquet; siquidem & hoc ipsum est in formula Legis Regiæ, quâ Cæsares olim arbitrium Reipubl. acceperunt. Maximè, cum lecti optimates nostri de rebus propositis ad Delegantes, prius quam decernant, *referre non cogantur*, (*a*) *nec eorum acta* deinde *retractari possint*, quod apud nos post annum MDCXL. constanter obtinuit. Ex principiis dudum in *capite de summâ potestate & seqq. tituloque præcedente* firmatis, clarum & certum est, ejusmodi annuos Imperantes æquè habere summam potestatem in suo tempore, quam Rex Galliarum habeat; non obstante, quod eliguntur, quod delegantur, quod annui sunt & quæ prætera pridem ostendimus *summæ potestati non adversari*. (*b*) Ideoque delegantes interim æquè jure summæ potestatis oportet careant, quàm populos Gallorum; eo carere palam est. Nisi, quòd Leges fundamentales heic in *Frisia*, inquam, præscribantur, quas tamen non tollere summitatem Imperii, ita simpliciter exceptas *jam supra diximus*. Quæ autem sint Leges fundamentales, & quales, ubi nullæ sunt expressæ, intelligantur, *in loco generali* (*c*) dicere occupavimus. Applicanda similiter huc esse, quæ de voluntariis Imperiis *suprà* diximus, quatenus termini habiles conveniunt, ultrò intelligitur.

(*a*) NON COGANTUR. Quod quidem casibus momentosis aliter convenire non solet in his talibus, quàm ut de illis ad rationes adigi possint: nec populus unquam pro cujusvis Reip. statu potestatem absolutam & omnimodam temporariò Magistratui tribuit.

(*b*) SUMMITATI IMPERII NON ADVERSARI. Scil. per se, ùt leges fundamentales haud unquam tollunt, licèt aliquando minuant virtute Objecti sui, dum sc. ex juribus Majestatis populus sibi quid reservat: Nam restrictio nuda jurium non restringit tam ipsam Majestatem nec aufert exercitium Regi, quam *modum* solùm *exercitii* præfinit, ut adhuc Majestatem ejusquè exercitium in solidum, licet non absolutum, penes Regem constitutam esse dicendum sit.

(*c*) IN LOCO GENERALI. *L. 1. c. 17.*

III. Proinde ejusmodi annales Imperantes jùs suum in alios transferre non possunt, neque præficere Reipubl. aut unum principem aut plures, qui cum summâ potestate suas vices per certa temporum spatia gerant.

gerant. Sed legati ab illis constituti, eo jure præditi erunt, quale *suprà* vicariis supremæ potestatis adscripsimus. Neque in sequentem annum suo loco Imperantes, neque vicarios, *ordinare possunt.* (*d*) Nec partes Reipublicæ alienare, tam *potentiales*, id est, jura Majestatis, quàm *subjectivas*, sive membra civitatis possunt.

(*d*) ORDINARE POSSUNT. Ex hoc ipso colligitur, quia nullô casu de modô habendi Magistratus hujusmodi temporarius disponere potest; ceu quidem potest plerumque etiam Rex, item Optimates; semper autem populus: quòd ideò temporario ejusmodi Magistratui *summam potestatem* non oporteat competere.

IV. Quod si ultra tempus sibi præscriptum exerceant Imperium, acta illorum ipso jure nulla erunt, & cuilibet civi *non parere licebit.* (*e*) Tamentsi populus nullum alium constituerit ordinem, rursus, anno elapso, conveniendi, quàm ipsis, aut vicariis illorum convocantibus. Non obstante quòd *Hobbes* in hac specie Aristocratiæ, Imperium tempore ac intentione infinitum esse disputaret, ex suis principiis *sæpius expositis.*

(*e*) NON PARERE LICEBIT. Ergò, quòd acta illorum infirmari non possint, non pendet ex *vi internâ* potestatis, sed ex *voluntate populi*; qui cùm desierit, desinunt etiam actus illorum esse validi.

V. Secundùm hæc, non possunt annui Rectores decernere, quid juris sequentium annorum Imperantes exercere debeant: aut si decreverint, nullius id momenti esse videtur. Multo minus præscribere possunt, quid populum secuturis annis noviter eligendis optimatibus mandare oporteat, aut si præscribant, populus tamen vel primores, qui Annuos Regentes eligunt, suo arbitratu hactenus uti posse videntur. Ne dicam, eos, qui sub conditione reddendi rationes referendique de gravioribus causis electi sunt, statuere non posse, nec relationem neque rationes, aut nunc aut imposterum esse reddendas. Siquidem, hoc obtento, optimates delegati *fiunt absoluti Imperantes*, (*f*) & universa Reipubl. forma convertitur, quod non esse in eorum potestate multo clarius est, quam quod in jure privato traditur, neminem sibi ipsi causam possessionis mutare posse. *l. 19. §. 1. ff. de Acq. poss.*

(*f*) FIUNT ABSOLUTI IMPERANTES. Imò etiam is potest esse *absolutus*, qui rationibus reddendis obnoxius est, juxta ea, quæ *supra* diximus. Siquidem absolutus eum denotat, qui potest imperare, non assumtô aliô; non & qui rationibus reddendis non est obnoxius.

 VI. Quod

VI. Quod si eveniat, ut aliquid in futurum circa fundamentali a mutandum videatur, in iis locis, ubi Rectores sunt electi, hac lege, *ne quid in fundamentalibus mutent*, juris est, ut hoc ad populi conventus primùm referatur, per libera suffragia decidendum. Quanquam sæpe salubrius est populis, nihil habere, quàm jus eligendi, atque satius sit, ut electi absolutam exerceant potestatem, aliquando etiam ipsis eligentibus, præscribere queant, in posterum quid facere debeant; Scilicet multæ plebes amplius habent jus quam expediat ipsis, ut de *Groninganâ* civitate scribit Grotius in *Histor. Belg.* ad *ann. 1594.* Quicquid tamen de utilitatis ratione sit, aut esse queat, ad juris rationem inde nullo modo licet argumentari. Nam hac ratione possis evincere & ipsos optimates Imperium in unum posse, nec non debere transferre; obtentu, quod hoc sit utilius, id quod tamen neutiquam licere *probavimus.* Adeo diversæ rationes sunt facultatis ac utilitatis, juris atque prudentiæ, Politices & hujus Artis, in quâ versamur. Atque hæc in principiis superius collocatis deducuntur.

VII. Ex iisdem judicari potest & illud, *quod repetimus*; populum, durante annuo Imperio, *non esse Electis superiorem*, (g) nec ullam penes eos esse majestatem, quia nihil circa Summæ potestatis jura faciunt aut facere possunt. Idcirco inter res novas & usurpationes *Leicestrianas* observatum fuit, à Patribus nostris, quòd is aliquando literas de rebus summæ Reipubl. ad Nobiles & Prædiarios, qui potestatem delegandi habent, non ad legatos Plenipotentiarios, qui dicuntur, miserit, instinctu quorundam res novas molientium, etsi *tunc* jure meliori, quam *nunc* id fieri potuerit. Interim nihil vetat, eosdem Delegantes, quosque suis locis, jure suo, disponere de aliis rebus particularibus ad summam Rempubl. non pertinentibus, ùt fit apud nos omni die.

(g) NON ESSE ELECTIS SUPERIOREM. Est omninò: nam quòd non possit circà jura Majestatis quid decernere, illud ex *conventione* pendet. At verò conventio est utriusque contrahentis.

VIII. Præterea manifestum ex prædictis est, optimates, nec omnes nec singulos prius aut post annum teneri suis delegantibus *ad rationem reddendam* (h) ejus, quod à se dictum factumve fuerit, in Republ.

publ. juxta alios regendâ; multo minus, eos idcirco pœnæ vel animadversioni Delegantium esse obnoxios, nisi ob delicta publicorum judiciorum ordine legitimo.

(*b*) Ad rationem reddendam. Imò teneutur, ut Tutores, cumprimis finita administratione, & imò durante eâ, si majoris culpæ Rei fiant, ut necessitas publicæ rei hoc efflagitet.

IX. An etiam Delegati à Delegantibus invitis intra annum revocari sive abdicari possunt? Affirmant Ordines Frisiæ, congregati Snecæ in sua deductione publicatâ *d. 16. Novembr. 1672. fol. 13.* quod ego fateor, me non intelligere, quî conveniat cum hoc Principio, quod Respublica pro certo habet, legatos *Plenipotentiarios* habere summam potestatem. Sanè repugnat hoc omnibus iis, quæ de naturâ summæ potestatis antehac disputavimus: neque mihi constat, id unquam accidisse, nec credo quenquam in locum talis *Plenipotentiarii* à delegantibus suis abdicati unquam esse admissum; quin latè nimis pateret ac perversè cederet illa praxis; si mutatis partium viribus & studiis, legati ad comitia semel approbati atque recepti pro lubitu delegantium ante suum tempus revocari possent. Fas igitur sit, heic ἐπέχειν & suspendere judicium.

X. Tu dices, Quid si tales legati per Mandatum constituti nec aliud quam Procuratores sint? cujusmodi apud nos sine dubio esse videntur, cum ipsi codicilli potestatis eorum *procuratores* & ipsi vernaculâ voce appellentur ejusmodi, quæ tam procuratores quam *Plenipotentiarios* significat. Sed non hac in re solâ contingit, ut, mutatis rebus, nomina maneant. olim, cum legati ad comitia res majoris momenti referre debebant ad delegantes suos, aliterque acta decretaque eorum non valerent, re verâ nihil erant quam Procuratores & mandatarii; sed postquam libera potestas iis est data, statuendi quod è Republ. videatur, sine relatione ad committentes suos faciendâ, sine ratihabitione eorundem expectandâ, facti sunt verè ἀνυπεύθυνοι & *Plenipotentiarii*, quemadmodum loquuntur; nomina tamen ipsorum literarumque, per quas constituuntur eademquæ prius fuerant, ut amat fieri, manserunt.

XI. Cum autem super electione *Procuratorum* sive *legatorum* istorum ad *Comitia* studiis partium sæpe contendatur, opus est aliquâ per-

ſonâ vel collegio plurium perſonarum, à quo literæ mandati ſive plenæ potentiæ ſingulorum legatorum examinentur probenturque, vel improbentur; Quod arbitrium maximi eſſe momenti res ipſa loquitur. Nec tamen ideo tale collegium eo temporis articulo habet ſummam poteſtatem, vel ei quicquam detrahit *alibi* exiſtenti, non magis quam *Cenſores Romani*, quibus jus erat movendi Senatu & in Cæritum tabulas redigendi quos è primoribus aut è populo vellent, eosque ita jure ſummi in Republ. ſuffragii privandi.

XII. Ubinam igitur eſt ſumma poteſtas eo tempore, quo veteres legati tempus ſuum finierunt & novi nec dum ſtabiliti ſunt? Non poteſt alibi eſſe quam penes multitudinem delegantium. Nam ſicut Rempublicam, in quâ populus ejusmodi annuos optimates abſolutos ſine referendi rationesque reddendi lege conſtituit, eſſe diximus Ariſtocraticam. Ita quoque certum eſt, eandem quotannis ad naturam conditionemque Democraticam neceſſario *relabi.* (*i*) Quæ res ne confuſionem πολιτείας pariat, utiliſſimè ad continuandum præſentem ſtatum, maxime in civitate per varias urbes diœceſesque diffusâ inſtituitur, ne univerſus populus in unum conveniat, quò conſpiratio & mutandi libido frangatur.

(*i*) RELABI. Quomodo in Democratiam relabetur? ſi Democratia, ex ſententia *Auctoris* non eſt? Nam ſanè Monarchia defunctô Rege, ubi populus eligendi facultatem habet, in Democratiam non relabitur.

XIII. Fit etiam, ut ejusmodi *Ariſtocratia* non reſolvatur in Democratiam, ſed, ut antea monuimus, in laxiorem *Ariſtocratiam*; quod evenire putamus, ubi jus eligendi annuos optimates, eſt penes immobilium aut omnium aut certarum rerum poſſeſſores, ſicut, inquam, apud nos obtinet. Nam quia pars reliqua populi longe numero maxima & præcipua eſt, quia non minùs cives ſine dubio omnes habendi ſunt, non poteſt fieri, quin & originalis illa Reipubl. conſtitutio ſit *Ariſtocratia*, ſicut *prædiximus*.

CA-

CAPUT XXXV.

De Aristocratiâ patrimoniali.

ARGUMENTUM.

Forma regiminis, qua jus summi Imperii prædiorum Dominis addicit, ἀνωμαλία. Ejus causam esse voluntatem populi saltem tacitam. Jus hoc Imperii, esse patrimoniale aristocraticum, Inseparabile à prædiis. Effecta quædam singularia potestatis ejus exponuntur. Esse quidem hoc jus patrimoniale, non tamen Despoticum. Usum hujus juris, non proprietatem, seorsim à fundis ad tempus posse transferri. Ratio emendandi enormitatem hujus formæ, respectu peregrinorum, feminarum, puerorum, mente captorum. Excludi ab eo hæreticos improbiores; an etiam infames? quæritur. affirmatur.

I.

VErum & illa regiminis forma, quæ jus αὐθεντικὸν Imperii tribuit Dominis Prædiorum, sine discrimine marium, feminarum, peregrinorum, incolarum, puberum, impuberum, sapientum & mente captorum, quæque aliæ inter alias gentes differentiæ servantur, ut veteribus incognita, sic etiam anomala & inexpectata videtur. Quia tamen Patria nostra & quædam vicinæ gentes suum regimen hoc modo custodiunt & experiuntur salutare, detur nobis venia, paucis etiam hac de re agendi.

II. Causa, per quam possessores immobilium hoc jus sunt adepti, quoties de jure belli aliove involuntario non constat, proxime à voluntate populi repetenda videtur, saltem tacita, ubi à tempore immemoriali hoc jus constanter adeoque *per præscriptionem* (*a*) exercitum est. Quæ præsumptione de voluntate reliquorum civium acrius adjuvatur, *si nulli è populo facultas comparandi id genus prædia, quibus suffragii jus cohæret, præcludatur*; quæ species ut proximè ad Democatiam accedit, ita quàm maxime volentibus populis instituta videtur.

(*a*) ADEOQUE PER PRÆSCRIPTIONEM. Non statim, quòd per *observantiam* longinquam inducitur, præscriptione valet; utut valere quandoque possit dici *Privilegiô*. Ita consuetudo non est præscriptio: & præscriptio non est jus, sed inducitur à jure, & quidem *Civili*, quod ea, quæ Imperii & publica sunt, præscriptioni non supponit.

III. Hoc jus recte dici *Majestatem, non est quod negemus*, (*b*) sive cuncti pos-

cti possessores actu regimen obeant & ad Comitia vocentur, sive Rempubl. per delegatos, de quibus *cap. præced. actum*, administrent. Nam & tunc jus summæ potestatis originaliter est *penes dominos prædiorum*, ac etiam actu, quovis tempore, quo novos eligunt Imperantes, ideoque nec est, quod hoc pro exemplo Majestatis realis, quam non agnoscimus, habeatur. Utique sic juris est, quando reliquus populus non congregatur, nec ad summos Imperii actus pariter admittitur, quemadmodum, nisi per seditionem, in Frisiâ nunquam fieri solere constat.

(*b*) Non est, quod negemus. Imò negandum test. Nam potestas eligendi non est *Majestas*. Et quod *Auctor* in *fine* §. *b.* pro muniendâ sententia suâ adjecit, illud si de jure accipiat, quòd Populus admitti non debeat, ex se Majestatem tollit.

IV. Denique, illam speciem juris imperandi esse *patrimonialem Aristocraticam*, res ipsa loquitur, quia omnes & singuli, at pars longè minor populi, jus hoc habent *in patrimonio*, (*c*) pari scilicet jure, quo prædia habentur: Ita ut testamento, nec minus inter vivos unà cum prædiis transferri possit omnique die transferatur Non tamen absque prædiis; vel ut seorsim nec ab ullo, nisi quatenus est prædii dominus aut domini hac parte jus habet, exerceri possit. Impensè enim Reipubl. interest, immotum esse illum ordinem, cùm separatô à rebus jure suffragii, confusio inde enormis oriretur.

(*c*) In patrimonio. Quod tamen rectiùs negatur. Multa enim transeunt per consequens, quæ per se in patrimonio non sunt; velut in censu prædiorum se res habet. Nempe jus illud publicum est, quod privatorum conventioni & dispositioni directò non subjacet. Cur enim alias sinè prædiis transferri non posset. Et si posset vel maximè, illud tamen fieret Lege permittente,nec ideò quia privatus illud transferret, propterea in & per se publicum esse desineret.

V. Jam quod est in singulorum *proprio jure*, (*d*) hoc quoque in patrimonio universorum esse oportet; siquidem universitas è singulis componitur, & jus omnium in unum coalescit. Unde sequitur, illos immobilium possessores habere facultatem, verum jus summæ potestatis in alios pauciores transferendi. Quod *in Regnis quasi fructuariis* (*e*) non licere *pridem*, & in Aristocratiis esse dubium, antea diximus; nec proinde paucioribus, in quos, ab immobilium possessoribus regimen transfertur, idem juris esse *simpliciter*, *antea dictis conveniens est.* Huic con-

consentaneum est, illos solos habere jus mutandi formam Reipublicæ, Imperiumque in Principem ordine successorio aut electivo transferendi, dominos, inquam, ipsos prædiorum hoc facere posse manifestum est. Potestas denique alienandi partem territorii aut patrimonium populi, illis duntaxat, non legatis eorum *competere, videtur*: (*f*) siquidem hisce non plus quam Principibus summa cum potestate constitutis licet, quibus id genus alienationibus interdictum esse *nota res ac antea dictum est.*

(*d*) PROPRIO JURE. Est tamen in jure ipsorum *publico*, adeoque non in patrimonio singulorum; ùt sunt res *privatæ*. Hinc rectè dicimus ea, quæ in singulorum ùt privatorum dominio non sunt, esse extrà patrimonium: qualia sunt res publicæ, universitatis.

(*e*) IN REGNIS QUASI FRUCTUARIIS NON LICERE. Utique dicitur hoc Imperium Usufructuarium respectu actu regentis. Ast penes populum omninò est modus habendi; de quô frustrà quæreres: an usufructuario an proprietario jure? nam posterius est extrà dubium, quia nemo extrà populum est, in quem dicere quis possit, usumfructum cadere.

(*f*) COMPETERE VIDETUR. Hinc omninò largiri possumus, illos immobilium possessores habere potestatem transferendi Majestatem in pauciores, item; quòd possint partem territorii alienare: siquidem unum quoque alterumve tale concessum est populo, in *interregno*, qui tamen eô ipsô Majestatem non habet.

VI. Cave autem putes, ex eo, quod nos hoc genus Imperii diximus esse patrimoniale, sequi dominos prædiorum, uti posse jure despotico sive herili adversus reliquos Civitatis consortes, ex illo jure patrimoniali, tametsi facilis harum rerum sit conjunctio, Patrimonialis, inquam, & herilis Imperii. Namque dari patrimonialia Imperia, quæ civilia tamen sint, hoc est, in quibus libertas & bonorum proprietas singulis salvæ maneant, antea diximus. Nunc addimus, Imperia quædam liberè voluntaria, posse fieri patrimonialia, si populus ita expresse constituat, vel immemoriali temporis usu ita sine controversia obtinuerit, quemadmodum apud nos haud dubie invaluit.

VII. Sed hoc nullo modo consequitur: populus voluit jus imperandi esse in plena proprietate Regnantium: ergo & libertate suorum corporum dominioque rerum semetipsos privare voluerunt. Quòd ipsum omni scrupulo caret, ubi usus longi ævi & indubitata juris observantia, civilem regiminis æqualemque formam agnoscit & monstrat, *ut rursus apud nos antiquissima libertatis possessio loquitur.* Quemadmodum & è contra, usus omnium temporum servitutem subjectæ civium

Tt partis

partis arguere posset, quemadmodum forsitan in rusticis *Polonorum* elucescit, qui libertate Reipublicæ, quæ est in ipso regno, vix aliqua ex parte frui videntur.

VIII. Aliud igitur est quærere, quid & quantum juris sit translatum, aliud quo modo habendum. Ad modum pertinet, temporarium an perpetuum, revocabile sit, an irrevocabile, fructuarium an patrimoniale sit illud, de quo agitur, Imperium. Quare si maximè in patrimonio sit jus Imperii, si tamen *invitis non sit* impositum atque deinceps ita exercitum, mensuram aliunde, quam à conjecturâ voluntatis, accipere non potest.

IX. Cæterum, quia Domini prædiorum jus illud suffragii non simpliciter, sed quatenus prædiis cohæret, habent in patrimonio, certum est, quod seorsim illud alienare, vel à fundis separare non possint. Quominus tamen usum juris pro tempore aut ad vitam in alium, qui respectu ejusdem prædii in comitiis admittatur, transferant, *nihil obstare videtur*; (*g*) Idque tam per testamentum quàm inter vivos fieri potest. Multo potius dicendum, quod prædia sub hac lege; ut venditor jus suffragii, dum vivet, retineat; vendere liceat. Nam quod alioqui juris est, de publicis rebus, utpote extra commercium positis, non licere nec in ultimâ voluntate neque per contractum disponere, id heic cessare puto. Quoniam illa prohibitio habet hanc rationem, quod unusquisque de eo quod ad se pertinet, obligare se & disponere possit: privati autem in publicis nihil habeant proprii; quæ res in hoc jure, de quo nunc agimus, contra se habet, cum hoc sit tam cuique proprium, quàm ipsi fundi sunt in dominio. Denique, usufructu talium bonorum constituto, jus suffragii non penes Dominum, sed apud fructuarium & est & esse debet; quod tamen, si non haberet rationem patrimonialem, nec esset alienabile, *fieri non posset.* (*h*)

(*g*) NIHIL OBSTARE VIDETUR. Imò hoc obstat, quia non eâdem fide tractabit alius negotia Reipublicæ, qua is, qui immobilibus affixus est. Unde etiam ampliantio *§. seq.* fallit, & ratio jam ante refutata est. conf. *not. ad art. 41. Capit. Leopold.*

(*h*) FIERI NON POSSET. Hoc faciliùs potest admitti, cùm & aliàs usufructuarius in nonnullis pro *possessore* rei immobilis habeatur. (*l. 15. qui satisd. cog.*) Nec tamen potest aliter, quàm ita permittente (aut saltim non prohibente) Lege fundamentali.

X. Jus hoc, quando agitur de certo negotio in Republica terminando,

nando,

nando, *vendi non posse* (*i*) vel præstinari, communis ratio adversus sordes corruptionesque in regimentis civitatium stabilita, singulos ultrò commonefacit. Etiam Publica utilitas sæpius exigit, ut adversus oligarchicas artes illa potestas transferendi jus suffragii in alios, legibus aut prohibeatur, aut restringatur, quemadmodum ex usu cujusque Reipublicæ fuerit.

(*i*) Vendi non posse. Hoc est: potest vendi prædium, cui jus inhæret, sed non jus ipsum eligendi.

XI. Postremò, reflectendum paulisper ad id, quod in *principio* diximus, esse in hac formâ regiminis quædam singularia, vehementer abhorrentia ab usu aliarum gentium, quæ Imperio multorum utuntur; scilicet quod *feminæ*, *pueri*, *mente capti*, *exteri*, *licet* nunquam litus Frisicum viderint, Regiminis publici hac ratione participes fieri possunt. Nec enormitas illa legibus cohibita vel restricta fuit à majoribus; siquidem prædia, quibus suffragia cohærent, æquè liberè possunt alienari tam per ultimas voluntates (licet hæ à vicinis simili formâ utentibus hac parte coërceantur) quam inter vivos, ac aliæ res, quæ sunt in patrimonio. Sed hoc incommodum respectu exterorum quidem, numero & administrandi modo obtegitur, in pueris & mente captis per Curatores, qui cives sunt, emendatur; feminas admitti inter tot millia non potest insolens videri, si quis cogitet, in regnis aliquando solas admitti; maximè, cum heic administrationis nullo modo participes fiant.

XII. Cæterum, quia Religio est vinculum, quo animi civium Reipublicæ efficacissimè conjunguntur, aut alienantur ab eâ, Lege cautum est meritò, ne quis eo jure gaudeat, nisi qui Religionis publicè receptæ confessor aut amator sit, cujus usus maxime adversus Pontificios viget, qui zelo prædominantis in Europâ superstitionis acrius in dissentientes animantur cupidique mutationis & *ausuri* creduntur.

XIII. De infamibus quid juris erit? Lex quidem nulla de illis extat; sed consequentia juris communis excludere eos videtur, quia dignitatibus & honorariis civium juribus privantur *l. 2. C. de dignitat.* Proinde nec habent infames jus comitiorum, sicut Romæ, qui in Cæritum tabulas redacti erant, eo carebant. Atqui conventus omnium

totâ Provinciâ suffragantium nihil est aliud, quam maximum populi Comitium; In quo si quis ipse non habeat jus sistendi se ferendique suffragium, multo minus id absens per nuntium aut per literas facere potest; quod tamen apud nos commodo suffragantium, usu receptum est. His de rebus iterum *in cap. seq.* aliquid occurret.

Cæterùm sicut de *Arcanis Aristocratici* Imperii, de quibus inter cæteros Boxhorn. *II. Instit. Polit. cap. 6.* & Bœcler. *Diss. 17. Politic.* & Septalius, disquirere ad *Politicam* disciplinam pertinet: ita supplenda est hæc Tractatio quoad Jus *Majoris Partis*, tum & quatenus optimates singuli pœnis atque coërcitioni civili subsint. Equidem quod *prius* attinet: extant peculiares hanc in rem Dissertationes *Praschii, Heerwarti, Büttneri, &c.* Conferendus quoque est locus Hugonis Grotii, *de Jur. Bell. & Pac. Lib. II. cap. 5. §. 17.* Idemque *Grotius* majori operâ in *cap. 8. Apologetici* exsequitur; tum & Pufend. *Lib. VII. cap. 2. §. 15.* Enimverò dantur Collegia, ubi & *unius dissensus* omnium reliquorum consensum irritum reddere potest. Neque tamen in his sola ipsius pertinacia attenditur, verùm potiùs lege communis salutis tenebitur, qui non tenetur jure majoris partis. Utique regulariter quilibet ex Collegio se conformâsse censetur ei, quod pluribus placet; quamvis ipse rectiùs sentiat: siquidem practicè certum præferendum est speculativè certo, si non alia via sit rem expediendi: & cùm in theoreticis veritatibus ponderare liceat sententias, in practicis tamen, ubi membra pari jure pollent, solùm *numerari* possunt: cùm nemo ibi judicare possit de sententia alterius, num ea melior sit; & ne quidem tertius, quò minùs etiam de hujus prudentiâ disputare liceat. Confer Lampadium *Part. III. cap. 3. num. 17.* ubi eleganter exponit, quâ ratione in Senatu, qui suffragiis cæterorum vincitur, non tam potestati ipsorum subjaceat, quàm propriæ voluntati: item *Danhauerus Part. I. Theol. Conscientiar. pag. 263.* Hinc quod omnes tangit, est quidem probandum ab omnibus, in re communi videlicet privatâ; eô ipsô, quòd à communione aliàs recedere cuilibet integrum sit, & quilibet quasi in re propriâ versetur: de quâ nemini sociorum cæterorum, quà partem alterius disponere licet; ut tamen in hac etiam re *sanior* plurium sententia attendi debeat: quam certis casibus legibus probari videmus, si communi per eam melius consulatur. Quid verò, si Senatus integer non coierit? saltim oportet dimidiam vel paulò minorem partem convenisse: ut unus quidem, licet sustineat Jus Collegii, non tamen statuendi potestas ad eum redire possit; contra quàm H. Grotius *Lib. II. cap. V. §. 20.* & quidem major in eâ parte Collegarum, non item sententiarum numerus concludet. Nec vera est distinctio, quæ Collegarum numerum in Electione, sententiarum in consilio, spectandum esse ait, etiamsi fieri possit, ut minima pars majorem dissidentem ad se trahat. Quoniam verò in Republicâ *Polyarchicâ*, sive ubi plures de summa rerum decernere possunt, versamur, eaque vel Simplex est & Pura vel Mixta. Hinc in Simplici, v. c. Aristocratiâ, aut duæ tantum reperiuntur dissidentes sententiæ, aut plures; ubi numerus suffragantium aut par est in utrâque sententia, & sic nihil agitur; nisi quòd prævalere meritò debeat sententia, quæ mitior est: nam huic calculum Minerva adjicere dicitur, v. Bœcler. *integr. Dissert.* de *Calculo Minervæ*. Hinc, in Republicâ Judaicâ, sive Hebræorum, sententia ad condemnandum, licèt unô votô major, non attendebatur, cùm non videretur in Senatu unius judicium, contra dissidentem sententiam absolutoriam plurium, prævalere posse, sive pondus addere sententiæ condemnatoriæ, quæ præter singulare ejusdem judicium tot vota habebat, atque absolutoria. Cæterùm si *per Tribûs* vota colligantur, sive si *curiatim*, non viritim ferri solent: tunc illa vota, quæ in qualibet curiâ earum, quæ numero prævalent, dissidentia reperiuntur, non possunt ex suâ tribu eximi, ut adjecta Curiis minoris numeri vota illarum augere possint: nam extrà tribum suam sive curiam is, qui in eo majoribus suffragiis victus est, votô suo Curiam sive tribum aliam juvare sive augere non potest. Quòdsi vota sint disparia in duabus sententiis: ita quæ sententia majora habet, eligitur; regulariter autem sententia, quæ unius votô præva-

prævalet, potior est. Aliquando tamen certus numerus Senatus ad conficiendum negotium requiritur, v. c. ut duas oporteat esse tertias. Si sententiæ ita disparatæ sint, ut in plures, quàm duas opiniones abeant, tunc id ipsum, de quo vota feruntur, vel tale est, ut unum in altero contineri possit, vel secùs. Illud accidit in *quantitate:* quô casu illa quantitas servabitur, in quâ omnes conveniunt; quanquam & hoc sanô sensu. v. g. XI. sunt senatores, quorum V. in pœnam centum, IV. in 50. cæteri in 30. condemnant: In 50. quidem plerique seu major Senatorum pars conveniunt, sed tamen quia omnes in 30. concordant, minimùm videlicet: ideò potiùs id, in quo omnes, quàm quô major pars conveniunt, attendetur; cumprimis in pœnalibus, tanquam mitior sententia, vid. Anton. Faber *L. 1. C. Saub. Tit. 7. def. 13.* Nam major pars tunc obtinet, quoniam in nullo omnes consentiunt. In illis vero causis sive objectis suffragiorum, ubi unum in altero non continetur, etiam conjungi sententiæ non possunt, ùt v. c. si aliqui Senatorum absolutionem decernant, nonnulli relegationem, cæteri mortem interminent. Nam, licèt duæ priores conveniant in eo, quòd reus pœnam capitalem subire non debeat; tamen hoc non fit directè & per se, sed in consequentiam. Hinc cùm de puniendo reô actum fuerit, & absolventium vota majorem partem non conficiant, ùt nec ulla cæterarum sententiarum; tamen quòd posteriores duæ sententiæ in eo, quòd puniendus sit reus, concordent: Ideò cùm pœna definita non sit, saltim neutra sententiarum punitoriarum majorem partem constituat, nil actum esse censetur; sed ex integro de causa consultandum est. De *mixtis Rebuspublicis* in hoc articulô Majoritatis votorum, Judicium desumi potest ex illis, quæ nunc de puris sive simplicibus dicta sunt: nam si quos Monarcha in curam Regiminis Aristocratici assumserit: idem in his, quod in Optimatum Republica servandum est, obtinebit. Quid verò de Republica, quæ ex pluribus coaluit, sive de Republica *Systematica?* Aut Systema ejusmodi regulare est puta si plures, v. g. 4. aut 5. Respublicæ ita coaluerint, ut quælibet, salva libertate & juribus, cum Rebuspublicis fœderatis, de Summa rei in curiis decernere queat: ita, si non aliter convenerit, ne una quidem harum Rerumpublicarum voto cæterarum cedere tenebitur. Aut *irregularis* est contextus sive Symmachia, & ita secùs habet; imò vel ex hoc irregularitas, quòd Resp. una vel plures cæteris in suffragando de eo, quòd numerô vel aliâ conditione Inferiores sint, cedant, arguitur. Conf. Pufend. *L. 7. c. 5. §. 20. de J. Nat. & Gent.* Denique si de *pœnis* singulorum ex *Optimatibus* quæras, cùm universi tantum Majestatem habeant: quoniam tamen quisque eorum indivisim Majestatem sustinet. Hinc in criminibus cæteris extrà Læsam Majestatem, & ipsi *inviolabiles* penè & sancti habentur. Unde etiam apud Romanos penes eos solos *auspicia* erant. Liv. *VI. & XXIII.* Et grave crimen fuerat, virum Senatorii ordinis pulsare. Saltim non sine magnâ ratione, ob crimina alia, licèt residuorum, repetundarum, peculatûs, & similia fuerint, *suppliciô ultimô* affici debent; ut tamen aliis pœnis citiùs supponantur. Sanè Decemviri Imperium posituri *apud* Liv. III. orant Patres simulque monent, ut ipsis *ab invidiâ* caveatur: nec suô sanguine ad supplicia Patrum Plebem assuefaciant.

CAPUT XXXVI.

De Democratiâ.

ARGUMENTUM.

Democratiæ vis & comparatio Imperii cum Arbitris, definitio & divisio democratiæ in resolutam atque restrictam, Illius exempla Romæ & Athenis fuisse, hujus generis videri pleraque hodierna. Nullam tamen in Belgio Democratiam esse videri. Quid juris, si populo ab his, quibus id mandatum erat, non convocetur. Esse Democratias, ubi jus suffragii sit penes peregrinos, feminas, infantes, furiosos, surdos, mutos, cæcos, infames;

mes; qua de re exemplum. Denique de modo ineundi suffragia & censendi, quibus suffragandi jus competat.

I.

Quæ ultimo loco à Politicis collocatur *Democratia* superest; quanquam proximè ad statum naturæ primævum accedit, ideòque *omnium primò ejus naturam* (a) in exemplum Imperii, quod ubique gentium obtinet, à nobis proposita est, in argumentum juris, quod Imperio universo tribuendum sit.

(a) OMNIUM PRIMO EJUS NATURAM. Auctor hypothesi suâ nititur, quòd & *naturalis* sit magis, & qui Status ex eâ quid unà trahit, optimus sit: ut tamen Aristocratiam referat; de quo *suprà*. Cæterùm Aristoteles optimam inter simplices eam esse existimat, licèt multùm cautelæ sit adhibendùm, ne in anarchiam vergat. Quanquam verò nonnulli eam antiquissimam esse velint; ùt Pufend. *L. VII. c. 5. §. 4.* veriùs tamen id de Monarchiâ asseritur, cui sententiæ quoque Scriptura accedere videtur.

II. Cujusmodi autem hoc sit, cum anteà abunde expositum est, tum à Cicerone declaratur, his verbis, in *oratione pro Planco.* *Est enim conditio liberorum populorum præcipueque hujus Principis populi & omnium gentium Domini atque victoris, posse suffragiis vel dare, vel detrahere quod velit cuique. Nostrum autem, qui in hac tempestate populi jactamur ac fluctibus, ferre modicè populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas; bonores si magni non putemus, non servire populo: sin eòs expectamus, non defatigari supplicando.*

III. Hoc Cicero, qui alioqui minime erat δημοκρατικὸς, sed Aristocratiæ quantum poterat, studebat; quique eadem ratione, paulò antè, de *populo* dixerat, *cum non delectu aliquo aut sapientiâ duci ad judicandum, sed impetu nonnunquam & quâdam etiam temeritate; non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia, &c.* Tamen illam potestatem æquo animo ferunt à majore parte populi; Quid vetat igitur, quominus id eodem animo accipiatur ab his, quibus idem jus delatum est, quod *antea penes populum fuit?* Pertinet hoc ad ea, quæ supra disputata sunt; Quibus illustrandis velim adhuc observari, Constitutionem Imperantium eleganter comparari posse cum Arbitris, qui bifariam decidendis causis eliguntur, ab his qui liberam potestatem de suis rebus habent, ut vel pronuntient quid ipsis æquum videatur, quò ita partes concilient, vel ut causam liberi instar judicii decidant. Priore casu

casu ipsi eligentes manent Domini, atque arbitri rerum suarum, nec obligantur dictis judicioque electorum, nisi quatenus expedire sibi judicent. Posteriore casu intelliguntur omne suum jus abdicasse adeoque stare debent sententiâ Arbitrorum receptorum, sive æquum sive iniquum sit, quod hi pronuntiaverint *l. 27. §. 2. π. de Recept. qui arbitr. recep.* idque vi *compromissi*, quo litigantes inter se obligati sunt, alter alteri, se staturos eo, quod arbiter dixerit: inter compromittentes & arbitrum nulla est obligatio, quæ vim tribuat sententiæ, sed tantum quatenus arbitrium receperunt *l. 11. §. 2. & passim d. tit.* Cæterum, omnis potestas Arbitrorum pendet à compromisso; cujus limites si excesserint, nullius momenti est, quod egerint *l. 32. §. 15. π. eod.*

IV. Conferantur hæc cum iis quæ suprà toties de Imperio collocavimus. Homines extra Imperium in statu belli, ut litigantes, constituti, compromisso generali recipiunt Imperantem; cui dant rerum suarum arbitrium, promittentes se staturos iis, quæ Ille decreverit. Proinde contenti esse debent eo, quod is dixerit, fecerit; æquum iniquum nihil interest: at si Arbiter Reipublicæ fines compromissi excesserit, jam nihil est, quod agit, si, inquam, disponat de rebus suo arbitrio non commissis.

V. Est hoc, igitur, uti vox indicat; τὸ τοῦ δήμου κράτος, *populi Imperium*, ut Aristocratia, ἀρίστων optimatium potestas; populus autem universos cives aut partem saltem maximam significat. Nam etsi *fæx infimæ plebis* (*b*) à jure comitiorum alicubi excluderetur, sicut olim, ut videtur, Romæ factum, *sextâ classe* (*c*) populi constitutâ, cujus qui erant, proletarii & capite censi dicebantur, qua de re *dix. lib. 4. Digress. cap. 32.* non ideo *democratia* esse desineret, ubi duntaxat pars major civium Imperii compos haberetur.

(*b*) Fæx infimæ plebis. *Æqualitatem* in Democratiâ, quoad nonnulla Geometricam esse oportet; in aliis Arithmeticam, vid. Martini in *Lexico Philol.* voce: *Ratio.* Egregiè de hâc Piecart *ad Arist. lib. IV. Politic. cap. 8.* Et cumprimis in Magistratibus divitiarum quoque & virtutis ratio habenda est; ne in *Anarchiam* citò status abeat. Videlicet ut plebs & fæx vulgi imperet, Democratia aut non datur, aut non sine vitio: & satis est, quòd per vias communes, cùm divitiæ & virtus cuilibet pateant, opportunum sit omnibus in civitate viventibus, ad capessendum Magistratum aditum sibi parare.

(*c*) De sexta classe. Vid. Boxhorn. *Dissertat. 6. de Imp. Rom. th. 6.* Inde *Gellius* in *X. noct. Atticar. 28.* populum *Rom.* in *Quinque* tantum classes

ses distribuit: nempe in sextâ qui continebantur, nec Comitiis nec actibus civilibus aliis adhiberi poterant, indeque provenit appellatio *testium Classicorum*. vid. Rævard. *in Lib. II. Conjectaneorum c. 20.* & Meursium in *Lib. II. Critici Arnobiani. cap. 16.* Estque facilis exhinc ratio, quare in qualibet ultima voluntate minimum 5. testes, tanquam ex 5. classibus Populi Romani desumti, requirantur.

VI. Sed distingui potest, quod ad modum administrandi Democratia, in laxam vel *restrictam*. (*d*) Laxam sive resolutam dicimus, quando universus populus ad concionem vocatus omnia summæ potestatis jura saltem majora, secundum plurium sententias exercet atque disponit, ut *Athenis* in Ecclesiis, *Romæ* in Comitiis.

(*d*) RESTRICTAM. Comparativè sic dicitur: naturaliter quælibet Democratia restrictionem habet, ut secundùm leges populus in eâ imperet. In universum distinguendum est: an leges disponant circà negotia *privata*; & sic non imperant populo, sed pro populo: scilicet ipsius populi sunt consensus, jussus, & imperium: an circà *publicum statum*; & ne sic quidem populo universo imperant, cùm in ejus sit arbitrio, quoquô tempore voluerit, istas leges immutare, sed tantùm singulis imperant. Non itaque tam restringunt Leges populi Majestatem in Politia, quam quidem Regiam in Regno, siquidem Rex non ita Leges illas, ut populus, tollere potest.

VII. Hæc cum ferè, navis in mari vasto fluctuantis sit instar, duobus quasi anchoris teneri firmarique debet, Senatu & Magistratibus. Ut per Senatum ea quæ populus decrevit quæque adsiduò in Republica occurrunt, neque in universum â populo decerni possunt, expediantur. Magistratus, ut functiones ordinariæ & inferiores ad ordinem civitatis necessariæ per eos administrentur.

VIII. Restricta Democratia hoc solo ab altera differt, quod rarius convocatur populus & plura senatui ac magistratibus committuntur, cujusmodi nunc fere sunt, quæ habentur, populares civitates per Germaniam ac *alibi*. At in Belgis nullam cognovimus *Democratiam* propriè dictam, nisi quod municipales quædam urbes membra majorum Provinciarum, regimen suum ad instar democratici exercere videntur.

IX. Cæterùm in utraque specie Democratiæ populus retinet facultatem infirmandi acta senatus & magistratuum eosque gravius in Rempublicam delinquentes puniendi. Nam si nihil quam jus constituendi Senatores & Magistratus, etsi quotannis, sit penes populum, electi verò absolutam in suo tempore habeant potestatem, hanc non esse *Democratiam*, *præcedenti capite* probavimus.

X. Jus

X. Jus conveniendi competit ipſo jure, ſi populus certum tempus locumque ad id præfiniverit; alioquin, ubi convocatus fuerit. Jus convocandi eſt penes eos, quibus id populus, dum erat congregatus, faciendum commiſit, *ut Romæ magiſtratibus majoribus* (*e*) ex *auctoritate* Senatus, de quâ dix. *lib. 1. Digreſſ. cap. 3.* Si ab his convocatio, ubi res poſtulat, non fiat, nemo quidem alius habet jus comitia indicendi; Sed acta, quæ non vocato fiunt populo & tamen ab illo dependent, ſunt ipſo jure nulla. Si perſeverent non vocare, idque datâ operâ, vel per diſcordiam, non eſt dubium, quin populus ultrò convenire, initiumque à quolibet fieri poſſit, ut jam pridem diximus.

(*e*) UT ROMÆ MAGISTRATIBUS MAJORIBUS. Qui etiam majores Magiſtratus *jus rogandi* populum in Comitiis habebant: & hine illis quoque *unicè* jus *cum populo* eſſe dicebatur. Erant ejusmodi Magiſtratus, Conſules, Cenſores, Dictatores, Inter-Reges, vid. Alexandr. VI. *Genial. Dierum cap. 23.* Connan. *in I. Commentar. 28.* quanquam Vinnius ad *§. 4. J. de J. N. G. & Civ.* Cenſores & Interreges illis non accenſeat. Confer de ejusmodi *rogationibus* Briſſonium *in Formulis.*

XI. Idem de illis judicandum *Ariſtocratiis*, quæ in numero admodùm magno conſiſtunt, *de quibus ante paulo diximus*, & de quibus omnia, mutatis mutandis, quæ de populari Imperio tradidimus, intelligi debent.

XII. Ergo ubi certum tempus ad convocandos nobiles aut proprietarios jure ſuffragii præditos, veluti quotannis, iſtis Kalendis, locis certis, ſtatutum eſt, illi poſſunt convenire, tametſi ab his quibus convocatio mandata erat, conventus non ſint indicti; maxime ſi tum novi Imperantes creandi, *neque receptum ſit interregnum.* (*f*) Caſu quoque ejusmodi extraordinario, Magiſtratus, qui alioqui jus convocandi non habent, id exercere poſſent; quatenus omnes Rempublicam præſtare debent incolumem. Nec aliud juris erit in ipſis annuis Imperantibus, ſi contingeret eos ab his, quibus id commiſſum erat, non vocari.

(*f*) NEQUE RECEPTUM SIT INTERREGNUM. Hæc Cl. *Auctor* ex hypotheſi eorum, quæ *ſupra* dixerat de Senatu Ariſtocratico temporario. Velut autem reverà ſtatus ille popularis eſt: ita *interregnum* ipsâ voce repugnante non niſi in Regno, ſive Statu Monarchicô, reperitur.

XIII. Cæterum, in *Democratiâ* certum eſt, jus ſuffragii non dari quam civibus, puberibus, maſculis, honeſtis, *non* peregrinis, pueris, non feminis, nec infamibus perſonis; nec etiam alii pro aliis nomine pro-

curatorio suffragari possunt. Eademque moribus ac legibus cunctarum gentium in *Aristocratiis*, imo & comitiis populi vel optimatium, quæ in regnis habentur, obtinere notissimum est. Ratio quoque juris in promptu est, quæ civium duntaxat suffragia admittit, peregrinos excludit; tametsi bona in solo Reipublicæ habeant sita; *quippe unio civitatis vinculo personalis obligationis non situ bonorum continetur.* (g) Impuberes satis removentur, quia nullum est eorum animi judicium, ut & omnes alii, quibus hæc ratio convenit. Feminæ idcircò, quoniam *à cunctis virilibus officiis* (h) maximèque à cœtibus publicis verecundiâ sexus naturali arcentur. Infames quoque à publicis functionibus suo merito excluduntur, ut dictum modo & in *fine præced. capitis.* Procurationes autem in publicis suffragiis receptæ non sunt; quia nemo potest alii jus dare quam de his quæ habet in patrimonio, quale non est jus suffragii; denique publica utilitas postulat, ut ad quem res tanta pertinet, quilibet ipse per se negotio intersit.

(g) NON SITU BONORUM CONTINETUR. Et hinc etiam resolvenda est quæstio de *Oneribus* sive Muneribus, quibusque illa peregrini subire debeant? Videlicet *personalia* non sustinent; *realia* ordinaria utique. Quin & extraordinaria, si ad defensionem rerum imposita sint. vid. Klock. de *Contributionib.* Thomatium de *Collect.* & *alios.*

(h) A CUNCTIS VIRILIBUS OFFICIIS. Nemo melius hanc rem exposuit, *Jacobô* Gothofr. *ad l. 2. de R. Jur.* ubi eleganter officia publica & civilia ex usu juris Justinianei distinguit: & *civilia* ea appellat, quæ licèt privatâ auctoritate expediantur, attamen vel in civitatis vel judiciorum conspectu transiguntur; ut sunt postulare, pro alio intervenire, procuratelam obire, &c.

XIV. Tamen esse *Aristocratias* haud procul à *Democratiis* recedentes, in quibus peregrini, feminæ, infantes, furiosi, prodigi, surdi, muti, cæci, infames, quique suis rebus ipsi superesse nequeunt, jus suffragii saltem *per alios exercent*, (i) *præcedenti capite* expositum est.

(i) PER ALIOS EXERCENT. Respicit *Auctor* ad illas Respublicas, ubi cives illi, qui immobilibus gaudent, jure quoque Comitiorum fruuntur, &c. At verò Respublicæ illæ non semper in Aristocratiam incidunt, & præterea etiam in illis jus Comitiorum non omnimodò & semper ex respectu unicè bonorum pendet, ut non aliquando legibus etiam quoad statum, existimationem, ætatem & reliquas personarum qualitates, variæ distinctiones introductæ reperiantur.

XV. Poterant hæc contra rationem juris per abusionem artesque politicorum eo modo recepta videri, quo facilior ad ambitum via sterneretur: Sed nec à jure hæc abhorrere in ejusmodi Imperiis, ubi jus suffragii datum est possessoribus immobilium, facit id quod antea diximus, esse illud jus in patrimonio singulorum.

XVI. Ex

XVI. Ex quo ſequitur, unumquemque de illo jure diſponere poſſe, quatenus nihil juri publico adverſum inſtituit. Hoc autem nihil aliud poſtulare videtur, quam ut is qui nomine cujusque prædii jus ſuffragii immediatè exercet, ſit civis, habilisque ad publicas functiones obeundas. Suffragatorem autem ſtatuendi facultatem quilibet, eadem ratione quâ patrimonii adminiſtrandi, poteſtatem exercet. Proinde peregrini & feminæ per ſe, infantes, furioſi quibusque bonis interdictum, per tutores curatoresque ſuos, ſtatuere poſſunt, qui pro ſuis prædiis ſententiam dicant. Juri publico enim ſatisfit, inquam, ſi is qui ſummum jus imperii liberâ poteſtate (nam talem ſubſtitutionem intelligimus) exercet, habeat ea requiſita, quæ juris & Reipublicæ ratio adeſſe flagitet.

XVII. Sed ut peregrini immediatè vel præſentes, aut per literas nominatim conſtituant Imperantes aliaque jura exerceant in eâ Republicâ, ubi non ſunt cives, *hoc notiſſimos juris publici terminos egreditur.* Quin & ipſum illud jus ſubſtituendi alios ſummâ cum ratione poterat illis negari, non minus quam iis aufertur, qui ob diverſam cultus divini profeſſionem haud perinde cum Republicâ conjuncti videntur.

XVIII. De feminis alia ratio eſt; neque enim illis quicquam obſtare videtur, quam quod in publico virorum cœtu indecorum ſit, illas conſpici. Quo impedimento per ſubſtitutionem civis idonei ſublato, nihil eſt cauſæ, quare ſuum jus patrimoniale exercere non debeant. Quin, ubi receptum eſt, ut qui jus ſuffragii habent, id per literas edere & declarare poſſint, *ut apud nos ſit*, ibi feminis tam hoc jus exercere, quam easdem in monarchia imperare fas eſt. Nempe, ut nuptæ, quatenùs hæc res eſt patrimonialis, maritali poteſtati ſubeſſe intelligantur, quemadmodum & reliqui omnes, qui ſub curatoribus degunt per eos ſuum jus ſine medio & ſine dubio exercere poſſunt; etſi non ſint immobilium poſſeſſores. Quatenus iterum hæc res eſt patrimonialis; quâ in re diſcrepat à Regnis, in quibus feminæ ſub viris non ſunt. Hæc igitur res propriè ad Ariſtocratiam Patrimonialem ſpectat.

XIX. Cæterum, in democratiâ ſimpliciter conſtitutâ, civium ſuffragia ſine diſcrimine perſonarum numerari conſentaneum eſt, ut apud

Romanos in tabellis, apud Athenienſes in oſtracis ſive teſtis obſervabant. Aliquando ad tædium computationis evitandum ex adſpectu præpollens multitudo colligebatur, quod etiam Romæ in Senatu fiebat, quando pedibus in alia & alia Senatores ibant. Alias è diſpari clamore diſſentientium, diſceſſus partium in diverſas campi partes aut colles fiebat, ùt olim Spartæ fáctum fuiſſe accepimus. *Ubbo Emmius. Græc. vet. part. 3. de Republ. Lacædemon.* Etiam ubi de conſenſu majoris populi partis liquet, reliquorum ſuffragatio ſiſti poteſt, ut Romæ ex Servii Tullii inſtituto, poſt ordinatas claſſes & centurias, fieri ſolitum eſt. Quibus & hoc σόφισμα ἀριστοκρατικὸν inerat, quod vilior pars populi raró interrogabatur, quia ſecundum centurias numerus inibatur; in quarum prioribus erant primores & cùm hæ majore numero conſenſiſſent, rariſſime ad ſequentes claſſes deſcendebatur. Erat autem in primâ claſſe pars fere dimidia centuriarum *Liv. lib. 1. Dionyſ. Halic. lib. 4.*

XX. Eadem arte factum, ut pars quoque *minima populi jus majoris obtineret*; (*k*) ſiquidem inferiores centuriæ longe plura capita quam primæ continebant, & numerus centuriarum, non hominum advertebatur. Nec tamen ideo forma Imperii mutabatur, quia reliquarum jus erat idem, licet eluderetur & in comitiis diverſi generis eædem artes haud perinde obtinebant. Jus erat & Romæ cenſoribus male meritos civium in *Cæritum* tabulas redigendi, id eſt, jure ſuffragii privandi, ut & prætereundi ſenatores adeoque ſenatu arcendi, ut ſuperius dictum.

(*k*) MINIMA POPULI JUS MAJORIS OBTINERET. In univerſum, ubi de *Majoritate votorum* agitur, illud obſervamus, licèt vota numerari debeant; tamen ſæpè *minores* numero, ſi auctoritate præpolleant, cæteros in partem trahere: alicubi etiam qui majoribus votis ſuperantur; in ſententiam eandem, quamprimum majoritatem advertunt, concedere amant, ut unanime & amicabile quaſi concluſum conficiatur. Hinc in *Comitiis* Imperii noſtri tam variè de majoritate votorum ſentiunt, cujus rei ſpecimen apud *Textorem* de *Ratione Status* Imperii reperies. Illud ſaltim hoc loco addendum eſt: In Democratiâ, quoties de præjudicio aut jure hominum certæ conditionis in Republica agitur, quòd tunc unam claſſem illi conſtituant, de quorum jure agitur; alteram cæteri. Et quamquam videatur eam claſſem, quæ prævalet, alteri non ceſſuram eſſe, nec etiam paſſuram alteram earum ſe dividi, dum ſpem habent fore ut ſuffragiis ſuis potiores evadant; tamen legibus fundamentalibus, à quibus deinde nonniſi communi conſenſu recedi poteſt, ita proſpicitur, ut *arbitros* conſtituere oporteat, aut tertiam quandam claſſem mediæ conditionis. Poſſunt etiam hîc diſſenſiones per pacta & tranſactiones componi; ùt in Imperio noſtro ſimile quid circa controverſiam *religionis* accidit.

XXI Ex quo liquet, non obſtare naturæ ſtatus DEMOCRATICI, nec

nec consequenter *Aristocratiæ* latè diffusæ, quod Magistratibus certis jus sit examinandi judicandique, an & quinam jus habeant ferendi suffragium, quive legitime sint electi à populo, ut Imperium Reipublicæ temporarium exercerent. Verum summâ prudentiâ in hoc negotio provisum est à Romanis, ut qui exercebant hanc facultatem judicandi, quinam civium suffragia ferre deberent, vel non, remoti essent ab eo quod intererat ipsorum, adeoque nec Imperii quoad exercitium participes forent. Satis enim constat, censuram fuisse quidem honoris reputatione maximam, potestate exiguam, ab Imperio & jurisdictione ambituque remotam, & quasi complementum coronamque reliquorum magistratuum, iis tantum qui cæteris Reipublicæ functionibus erant defuncti, solitam deferri, *Plutarch. vitâ Crassi.* Si ad hoc exemplum ius examinandi suffragia populi vel primorum magni numeri comparatum esset, equidem occasiones querelarum hoc respectu, quas nunc in Rebuspublicis liberis frequenter audivimus, bono ingenti publico præciderentur.

XXII. Si quæ præterea differentiæ popularium Imperiorum traduntur, eæ ad modum administrandi potius quam ad juris rationem *pertinere videntur.* (*l*)

(*l*) PERTINERE VIDENTUR. Hic omninò *Johannis Frid. Hornii* Hypothesis convellenda est, quando in Lib. *III. Polit. Archit. cap. un.* de *Republicâ Liberâ* solùm in *Monarchiâ* statum *Majestaticum* esse, asserit; neque *Polyarchicum* statum, sive Aristocraticum, sive Democraticum, aliter quàm pactis & conventione contineri: Esse potiùs statum illum Libertatis, & hinc non adeò addictos subditos Imperantibus, ùt in Monarchia. Enimverò Majestas eadere potest æque in Universitatem sive *corpus* aliquod, uti potest in personam singularem: nam & corpus ejusmodi voluntatem, rationes & jura sortiri potest. Nec quicquam efficit pro *Hornio*, quòd multitudo sive populus, in Politiâ, v. c., decretô suô non teneatur, quin possit abinde liberè discedere: nam ita Rex etiam Majestaticè non imperaret, cùm & decretum suum revocare è vestigio possit. Non etiam: quòd Optimates singuli *puniri* possint à Senatu Aristocratico, & si universi peccent, etiam universi puniantur, quod Majestati adversari videtur: Nam uti singuli quà tales revera subditi sunt, quanquam eminentes: (de quô tamen quâ ratione *pœnis* vel capitalibus vel minoribus subsint, *cap. præc.* visum est:) ita universi *Regis vicem* obtinent, nec mirum est, prout Rex, si hostilem animum in populum induerit, dimoveri vel oppugnari à populo potest, quòd etiam de universis Optimatibus idem dicatur, jugum ipsorum excuti à populo posse, perruptis semel Legibus fundamentalibus. Illud unicè *Hornio* largiendum est, quod in Monarchis Dignitas & splendor *personalis* majorem in modum se exerat, quoniam Rex nunquàm ùt subditus considerari potest: quale quid *singulis* imperantibus in Rebuspublicis Polyarchicis, ut subditi sint, accidit. Et jam necesse tandem est, ut Statum interregni à Democratiâ penitiùs discernamus? Est enim sententia communis, ut vix aliquem dubitare

videas, quòd in Interregno *Majestas*, saltim *Realis*, supersit; quæ quidem sententia, prout *superius* refutata est: ita hic denuò admoneri debet, in eô differentiam ejusmodi Status, quem merè *Magistraticum* esse arbitramur, consistere, quòd solâ *conventione* & quidem eâ, quæ ex legibus fundamentalibus, olim cum Regibus initis, firmata est, nitatur; indeque omnia gerantur intereà, donec de capite prospectum Reipublicæ fuerit, per Magistratûs; ut in Imperio Romano sunt cumprimis *Vicarii*. Ex quo colligitur, hunc quoque Statum Interregni differre ab eo, in quo *multitudo*, quæ nullâ conventione nullâve lege fundamentali constricta *primùm* coiit; quippe quam ante omnia in id convenire oportet, ut quod *majoribus* placitum fuerit, eidem omnes obtemperare debeant; deinceps verò, postquàm singuli consenserint, majoribus votis definiant *modum Regiminis*, quô imposterum Rempublicam suam dirigi velint: quæ quidem omnia in statu *Interregni* jam ante definita sunt, ut novâ conventione opus non sit. Uterque verò Status à Democratiâ impensè distinguitur. Nam *Democratia* est, ubi Jus de rebus communem salutem spectantibus statuendi, in concilium, ex universis constans, in perpetuum collatum fuit. Cæterùm, quòd Interregni modum hactenus retenti sive usitati Regiminis, populus, sublatis Legibus fundamentalibus, *mutare* possit, exinde procedit, quia nullius cujusquam, nisi populi illius, eâ de re interest.

CAPUT XXXVII.

De *Timocratiâ.*

Et nunc Auctor peculiari Capite agit de *Timocratiâ* sive de Regimine *Censuali*. Quamvis enim Democratia ex omnibus Rebuspublicis absolutè independens sit, cùm solus populus suum jus ab alio non habeat, sed à quo jus ad alios Rectores proficiscatur. Cum verò nullus populus adeò Democraticè regatur, ubi non vilior *plebs* à publico concilio *submoveatur*, admissis tantùm qui opibus aut honestate notabiliores sunt, quod utrumque τιμὴ vocatur: non tamen inde quod cuilibet Democratiæ proprium est, si stabilis esse debeat, peculiaris & *quarta* Reipublicæ species, quam *Aristoteles Timocratiam* appellat, constituenda est: quin potiùs quam talem *Huberus* jure talem habet, quæ illi *Polonorum* & *Frisiorum* est, ad *Aristocratiam* referatur; nil impediente, si potestas summa in Republicâ tali penes tot homines versetur, ut numerus eorum ad Senatum exhibendum inconditus sit: quæ vero talis honoribus aut divitiis præstantium, ut *Romanorum* ex *censu Classium potiarum* fuerat, multitudinis viliori, qualis erat censûs ultimi, non habitâ in Comitiis ratione, ad *Democratiam* pertineat: in quod etiam ipse *Auctor* inclinat.

✠ (o) ✠

CAPVT XXXVIII.

De mixtâ Republicâ.

ARGVMENTVM.

Mixtam Rempublicam, ubi plures sint ordines, singuli habentes summam potestatem, non dari. Quæ sententia rationibus confirmatur, & objectionibus liberatur. Observationes de speciebus Mixturæ tali similibus, attamen diversis.

I.

EXplicitæ sunt tres vel quatuor formæ Rerumpublicarum. Multi quartam vel quintam speciem inculcant, quam appellant mixtam. At nos in eâ sumus sententiâ, Respublicas proprie, id est, ex diversis formis mixtas nec esse nec unquam fuisse, videri, *neque civiliter dari posse*,(*a*) vel antehac extitisse, proprie & ex vero sumptas. Tali utique misturâ, qualem dissentientes describunt, *ut jura summæ potestatis quædam Regi, quædam paucis, quædam omnibus seorsim adtribuantur*, sunt verba Arnisæi, *System. Polit. cap. 6. sect. 1. num. 38. 39.* Adhuc expectamus, dum talis Respublica plures habens Reipublicæ formas specie diversas, ex omni seculorum memoriâ nobis monstretur, quæ extiterit vel ætatem ferre potuerit.

(*a*) NEC CIVILITER DARI POSSE. Hoc est, si maximè fingi velit Status ejusmodi mixtus, in quo penes uno plures Majestas sive jura ejus divisim resideant, & ab iis exerceantur; tamen id ipsum in praxin deduci non posse, sed civiliter impossibile esse: cùm mutuò Tres v. c. Monarchæ, si illi Rempublicam teneant, semet varie impedituri videantur; & cumprimis si tantùm unus eorum leges ferendi potestatem habeat, (cum hæc potestas amplissima sit,) Ille, quicquid unus alterve reliquorum circa Jus suum, v. c. monetæ cudendæ, meri imperii, & similia dispositurus sit, vel momentô subvertere posset. Et hoc ipsum est, quod Pufendorfium in *L. VII. c. 4. §. 13.* à sententia communi, quæ revera est *Aristotelis, IV. Pol. 8. & 9.* (licèt id neget Pufend. *dict. loc.*) & ab ipsô quoque *Grotiô* recipitur, *Lib. 1. cap. 3. §. 9. & 17.* abstraxerit. Sunt tamen etiam, qui nec ob naturam rerum fieri hanc mixturam posse objiciunt: quoniam scilicet *Formæ* rerum misceri nequeant, eò quòd ipsius rei sint essentia; plures autem essentiæ non possint misceri, sive ex miscendis integris, (quâ ratione unius rei essent plures essentiæ integræ,) sive ex diversis, (quoniam etiam dividi impossibile sit.) Accedere quòd *contraria* non possint esse in eôdem subjectô. At verò in contrarium, formæ Rerumpublicarum non essentiales, sed *accidentales* sunt. Non etiam mixtura hæc est *Physica*, nempe unio miscibilium alteratorum: sic & contraria non sunt jura Majestatis, formæ quoque solùm disparatæ sunt, nec insunt simul quoad eandem subjecti partem. Igitur cùm de re satis constet, in nomine difficiles esse non oportet: nec interest, utrum cum veteribus *mixtam* dicas ejusmodi Rempublicam, an verò compositam aut cum Pufend. *irregularem*; modò supponas, ita jura Majestatis distribui, ut non ea, quæ connexionem necessariam desiderant, disjungi velint; id quod omninò civiliter impossibile est,

quam-

quanquam & hic ad *hypothesin* utique procedi & accuratiùs res examinari debeat. Nam ita v. c. non repugnat, uni cuipiam jus meri impii, alteri verò Jus aggratiandi competere: siquidem aggratiatio non nisi certis de causis, quæ lege quoque fundamentali definiri possunt, exerceri debet: qua quidem ratione merum imperium sive Jus vitæ & necis, quod aliàs Jus aggratiandi regulariter continet, non adeò turbabitur; quanquam diffitendum non sit, prout simplices formæ suas quoque digressiones patiuntur, ut non omnia in puncto consistere possint: ita non minùs per varios modos & restrictiones idem in Republica mixta accidere solere. Deinde illud quoque in hâc mixtâ Republica præsupponendum est, quòd is quoque, qui habet Jus Majestatis divisim, simul habeat eô ipsô potestatem, Jus illud defendendi: quod tamen eùm *Pufendorfius* pro se adducat, dum exinde tantam esse conjunctionem jurium Imperii infert, ut avelli unum ab altero non possit. Ideò sciendum est, id quod præsupponimus, ità intelligi debere, ut in quolibet sit *potestas tota Majestatica*, prout aliàs Jus quodlibet Majestatis, nomine *totius*, Politici insigniunt, quasi quodlibet jus Majestatis sit Majestas, i. e. summa potestas in *suô objectô*. Proùt verò prudentia publica triplex est, *Legislatoria*, *Consultativa* & *Judiciaria*: ita etiam potestas eô modô distribuitur, & hinc quælibet pars Imperantium, quæ jus quoddam divisim tenet in Republica *mixta*, habebit quoad Jus illud & objectum ejus potestatem & Legislatoriam & Consultativam & Judiciariam. Falsum videlicet est, *judiciariam* potestatem solùm exseri in Dicasteriis, prout nonnulli ex *Recentioribus* prudentiam quoque judiciariam ad negotia *forensia* nimium quantum restrinxerunt. Ex quo sequitur, quòd si cui jus competat, eidem quoque omnia illa delata esse, existimandum sit, sine quibus jure illô defungi ad communem salutem non potest. Ex hoc ipso principio, quanquam malè applicatô, Defensores *Belli Schmalkaldici* putârunt, Jus *belli gerendi* pro religione competere debuisse Statibus Protestantibus, quippe quibus ipsum *jus Religionis* competierit. At verò si *Jus* Religionis sive *Sacrorum*, quà *Majestaticum* fuerat in Imperio, ad Status & vel ipsos Protestantes spectâsset: ita quidem rectè inferret argumentum; verùm quòd ante Pacificationem Religiosam & imò etiam post eam *Jus Sacrorum* tanquam *altera pars integræ Majestatis* penes Status unà resederit, illud pugnat cum hypothesi *Majestatis Cæsareæ*; & longè aliud est, *libertatem* habere *conscientiæ* sive religionis, quam & subditus quilibet sortiri potest, & imò debet, cùm homo nullus, & ne quidem Princeps adeò, conscientiis imperare queat: aliud verò est gaudere *jure Sacrorum* & Reformandi sive similibus: & adeò, si bellum illud Schmalkaldicum justum omninò fuerit, aliunde justitiam ejus deduci omninò oportebit. Cæterùm ea, quæ ulterius objicit *Pufendorfius*, veluti quòd anima non possit divisim existere in duobus hominibus, ut in unô horum sit voluntas, in alterô intellectus, & similia, (quæ usitata est passim *Pufendorffio* per similia argumentandi speciosa, sed lubrica, ratio) ea omninò levia sunt; nec enim qui Rempublicam mixtam statuit, duas distinctas supponit Respublicas, in quarum unâ sint jura nonnulla Majestatis, & sic non integra Majestas; in alterâ verò divisim existant jura reliqua. Quod verò Idem de *Aristotele* perhibet, ea frequenti traditioni ejusdem Philosophi & Interpretum ejus repugnat. Denique non sequitur hæc vel illa Compositio sive mixtura fieri non potest, ceu nec mixta dari potest Respublica ex duabus Democratiis: (hôc modô enim indivisim forent in omnibus articulis jura Majestatis penès omnes; quod non aliud est, quàm simplex Democratia:) E. planè nulla datur mixta Respublica.

II. Quod si mixturam dicere velis, quam illi negant esse, *ubi plures ordines jura quædam pariter exercent*, (*b*) non est dubium, quin ea species & esse possit & passim reperiatur, (quemadmodum in *Angliâ* jus indicendi tributa ferendique Leges, qui tunc omnes simul habent eandem potestatis speciem. Aliquando etiam usu venit, ut omnia jura Maje-

Majeſtatis majora ſimul à Rege & ab Optimatibus habeantur, exerceantur, ùt in Poloniâ; In quibus exemplis non eſt etiam quod negetur, dari mixturam; ſed non ejus generis, de quâ hìc loquimur. Ratione quoque adminiſtrationis multifariam miſceri civitates, ejusque rei ſpeciem pleriſque impoſuiſſe, ut Spartæ, Romæ ac alibi propriè mixtas fuiſſe Reſpublicas putarent, pro certo habendum, *dix. lib. 1. Digreſſ. cap. 3.* Sed nec rarum, ut diverſæ urbes regionesque diversâ utentes formâ *regiminis* (c) in unam coëant civitatem, eadem retenta diverſitate regiminum, nec ideo tamen mixturam faciant, quia ſumma Imperii, non ſingulæ partes conſiderandæ ſunt, ut in Friſiâ aliquæ civitates democraticè, rurſus aliquæ reguntur more optimatum, ſumma tamen regiminis Ariſtocratica eſt. Fit etiam, ut plures populi ſub diverſis regimentis non planè in unam civitatem, ſed in fœdus arctum conveniant, quædam tamen jura communiter exerceant, *ſub uno principe fœderis*, ſicut *aliàs* diximus. Cujusmodi & hodiernam Imperii Germanici conſtitutionem eſſe non poterit negare, qui conſideret, omnia Majeſtatis jura plenamque παμβασιλείαν à Germanis Principibus in ſuos Populos, nec minus in exteros jura belli & pacis liberè citraque veniam Imperatoris exerceri.

(b) PARITER EXERCENT. Videbantur in idem incidere mixturæ illæ, una quoad exercitium, altera quoad adminiſtrationem jurium Majeſtatis: nec tamen per omnia conveniunt: nam adminiſtratio minùs importat, quam exercitium; ſiquidem *Adminiſtratio* in totum fit alienô nomine, prout in Senatu Status Democratici videmus, & ſemper per Magiſtratûs peragitur, ut ſaltim ſi cuidam corpori omnis poteſtas, ut quidem in ſtatu Democraticô, adminiſtranda concredita eſt, Senatus appelletur pleniori vocabulo. Quod verò *exercitium* attinet, illud juris proprii eſſe cenſetur & perpetui. Hinc illos, qui exercitiô unà gaudent, *Ordines* potiùs appellamus; quanquam hic cautè incedendum ſit: velut in Doctoribus nonnullis Juris Publici Romani animadvertimus, quòd tradiderint competere Cæſari Majeſtatem, ſed *exercitium* habere eum non niſi *cum Statibus:* quòd ſi enim Cæſar Majeſtatem ſolus habet, quidni habeat vividam, ut & ipſe eam ſolus *exercere* queat; ſaltim quòd *modus* exercendi eam talis ſit, ut in eo exercitio conſenſum & conſilium Statuum adhibeat. Hinc ſæpè ordines Regni non exercent Majeſtatem, ſi rem propiùs intuearis, nec etiam *quà Ordines* poſſunt; niſi per conceſſionem ſive communicativè: de quâ re *ſuperiùs* actum eſt. Quin potiùs in exercitio Majeſtatis Regiæ interveniunt. Equidem mixturas ejusmodi, quales hie *in §. 2.* recenſentur, ipſe *Puſendorffius* etiam agnoſcit, ſed mixtam Rempublicam ſtrictè dictam nomine aliô nempe *irregularem* appellat, & quod rem concernit, eam *pactô* tantum cohærere opinatur: quod quidem ei largiri non poſſumus.

(c) REGIMINIS. *Subordinati;* velut in Imperio noſtro nonnulli Civitatem ejusmodi dari autumant; & rectè ſi rem ipſam reſpicias? Quod enim *Auctor* in verſ. ſeq. *Fit etiam.* Imperium noſtrum ad ſyſtemata *fœderata* refert: illud *ſuperiùs*, ùt & ad Bœcleri Notitiam in Libr. de Formâ Imperii Rom. Germanici, ùt & ampliori ſtudiô in Introitu Comment. ad Capitulationem Joſephinam, diſcuſſum eſt.

III. Non est tamen fortean, ut præcisè negari queat, posse fieri, ut unum aliquòd alterumve jus Majestatis ab Imperio verè dividi & decidi queat, unique personæ vel ordini seorsim adtribuatur, quod in minoribus Magistratibus nullum habet dubium, cur magis in ejusmodi aliquo jure majori conflictum notabilem in civitate non faciat? ut si judicium de vita & bonis civium detur alicui ordini independenter, ùt alicubi juris esse disputari novimus. Et imò in quâdam Gente viciná Populus & primores habent Jus tributa indicendi; Sed non absque periculo, & quam stare non posset ejusmodi Regimen, si non vi externâ fulciretur.

IV. Equidem una Civitas non potest habere nisi unum imperium sive summam potestatem, ùt unum corpus plures mentes habere non potest: ubi autem diversa jura penes diversas sunt personas, ibi diversæ summæ potestates dantur; summum vero non potest esse nisi unicum. Quin nec fieri potest, ut non pugnantia quandoque imperent duæ potestates summæ. Imò imperandi jura sic inter se connexa sunt, ut unum sinè alterius contactu explicari non possit. Ut adeò mixtura talis, qualem plures volunt, dari non possit.

* * * * * * * * *

Hic verò per appendicem de quâvis Republicâ *corruptâ*: quarum aliàs quælibet peculiari nomine designatur, monendum est, quòd illæ (*Huberus* omnes unô nomine comprehendit *cap. XL. de Tyrannide*,) non differant à rectis specie, sive essentialiter, siquidem & ipsæ formæ Rerumpublicarum *accidentales* sunt: quâ ratione & corruptio in Formâ contingens salvam essentiam relinquet: indeque corrupta etiam Respublica non minùs erit respublica: vid. Pufend. *Lib. VII. cap. 5. num. 1. & 11. Finis*; à quo desumta hæc est distinctio, extrà rem est, & sicuti unus finis esse potest rerum plurium specie differentium; ita etiam plures unius rei possunt esse fines. Quodsi etiam fines mutarent speciem, actûs imperantis, diversum sæpe finem habentis, quotidiè essentiam Reipublicæ immutarent. Denique homo sanus & æger specie non differunt.

CAPUT XXXIX.

De
Imperiis Involuntariis.

ARGUMENTUM.

De Imperiis coactis primò remissivè. Esse ea justa vel injusta. Non semper ex victoriâ belli Dominatum sive Herile Imperium nasci. Dari quoque Imperia mixta, partim violenta & ex parte voluntaria.

I. Hacte-

I.

HActenus de Imperiis voluntariis, nisi quod *suprà* etiam de involuntariis & violentis actum; de quibus alioquin heic demum locus erat agendi.

II. Probatum ibi obiter, violenta Imperia non semper esse injusta. Possunt enim esse justa vel inde ab initio vel ex post facto. Ab initio justa sunt ratione formæ tantum, vel etiam ratione causæ. Priore modo justa sunt Imperia, quæ imponuntur bello solenni, quod scilicet illatum est ab his, qui jus belli inferendi habent, modoque jure Gentium recepto gestum fuit; Nam ejusmodi bella tribuunt effecta juris vitæ necisque & Imperii in victos sine discrimine causæ bonæ an malæ, ùt docet Grotius *Lib.3. cap.3. de Jure Bell. & Pac.*

III. Sed videndum, ne non distinguendum sit inter jus *victoriæ* adversus *Regem*, & quod contrà *populum* subjectum acquisitum est; ut posteriore solummodò usu, jure belli imperium acquiri videatur; sicuti in *Angliâ* nuper fuêre, qui *Jacobô* Rege victô, per *VVilhelmum* Arausionensem, non potuisse Imperium partum esse in Populum opinati sunt, sed quòd in hunc imperium *relapsum*, inque eum non nisi novô bellô aut consensu acquiri potuerit. Plerumque tamen populus cum Rege *communem causam* habet; nisi gens aliqua sua alienigena Domino invita agat. Quod si etiam populo tribuatur vis Imperii, & Regi corona ab hoste erepta fuerit, non plus videri poterat victori acquiri quàm victus habuerat, & Imperium quoad *proprietatem* recidisse in populum. Quod si verò Imperium in Regem ejusque familiam Populus alienavit, videri potest victo Regi & familiæ belli jure ademtum esse: idemque de Regno patrimoniali dicendum est. Usufructuarium autem jus Regni cum personâ ejus ipsô jure finitur, & ad populum redit, quibus post ultimum possessorem à populo delatum est.

IV. Quod si armis invadens Rempublicam se declaraverit, id gratiâ auxilii oppressis ferendi facere, ne quidem jus belli adversus regem, etsi pulsum, nec adversus populum obtendere potest. Aliàs, si communibus armis cum Rege populus invasori restiterint, imperium victoris est non modô durante statu belli reciprocô; sed si submittat

ſe populus multò magis, ubi & pactis id modificari poteſt. In deditos autem nullô pactô intercedente, ſive juſtum ſive injuſtum bellum fuerit, modò requiſita Juris Gentium habeat, (Grot. *III. d. J. B. & P. c. 3. ſeqq.*) Imperium Victoris eſt.

V. Sunt verò & ratione Cauſæ juſta Imperia, quæ imponuntur victis bellô, quod ipſi vel Imperantes eorum meruerant. Cùm enim tales liceat occidere, non eſt dubium, quin ſub Imperio jure merito contineantur. Sed injuſta ratione formæ ſunt, quæ jure victoriæ uſurpantur ab his, qui jus belli gerendi non habent, vel qui ſolennia bellorum requiſita, ſecundùm jus Gentium, non ſervaverunt.

V. *Injuſta* ratione cauſæ quæ ſint, ultrò intelligitur, quando bellum quidem ſolenne fuit, quô victor Imperium quæſivit, verum ſine causâ juſtificâ adverſus eos, qui Imperio ſubjiciuntur.

VII. Modus Imperii eſt in arbitrio victoris ratione ſæpe dictâ, quæ eſt à majore ad minus; ſi victor habet jus occidendi, habet quoque jus ſervandi ad ſerviendum §. 2. *Inſt. de jur. Perſon.*

VIII. Neque tamen ſemper ex jure belli initioque violento Imperium herile, quod Dominatum ſupra diximus, oritur. Sæpe generoſitas & manſuetudo victoris nihil quam civile obſequium exigit; ſæpe nihil aliud vult prudentia. Sic *populo Romano melius viſum, amicos quam ſervos quærere tutiusque rati ſunt volentibus quam coactis imperitare*, ſunt verba *Taciti in Agric.*

IX. Denique ſunt Imperia, quæ mixtam habent cauſam, quando vi metuque, voluntas elicitur eaque vis antea ab Imperante novo aut aliunde infertur. Ab *illâ*, cùm Populus armis ad deditionem, certis conditionibus, faciendam compellitur, ita ut in ditionem victoris transeat vi quidem coactus, ſed tamen vi pacti. *Aliunde*, quando populus armis externis aut inteſtinis eò redigitur, ut exitium à malis ſuis, niſi Dominum alienigenam recipiendô, non reperiat, ſicut olim Campani à Samnitibus preſſi, nec multo aliter Friſii & Groningani Carolum V. certis videlicet legibus, quas Campani nullas ſtipulati leguntur.

X. Quod

X. Quod jam ad vinculum obligationis attinet, id in hisce postremis speciebus, ubi deditio non ultimâ vi, sed mediô pacto perpetrata est, non habet difficultatem; de prioribus autem quod satis est suprà diximus.

CAPUT XL.

De

Tyrannide Usurpationis.

ARGUMENTUM.

Tyrannidem esse triplicem, titulô tantùm, qui Pisistratismus, exercitio tantum, seu Neronismum, utroque Phalarismum. Rex de factô an idem sit. Quinam verè sint titulo tyranni & quomodo tales esse desinant: numquid juris Imperata illorum habeant, & quid adversum eos liceat.

I.

DIcamus aliquando de Tyrannide, quæ post omnes Reipublicæ species & jura sequi debet, cùm sit corruptio Reipublicæ cujuslibet rectæ. Quod tamen itâ nolim accipi, ut quælibet corruptio Tyrannis vocetur. Sic enim sola *perfecta* Respublica, quæ nulla est in mundo, non esset tyrannis, cùm, ut aliàs è *Platone* diximus, olim hodièque omnes civitates malè administrentur. Sed de omni hoc negotio, maximi in hac arte momenti videndum accuratiùs. Usus hujus vocis strictè de monarchis, latiùs & à nobis de quavis Republica usurpatur.

II. Proinde *Oligarchia* certè, quæ est corruptio Aristocratiæ, non statim est Tyrannis; cùm vix ullus aut planè nullus detur Optimatium Status, in quô non fiant coitiones, quibus potestas ad paucos redigatur. Ita non statim, ubi Princeps utilitates suas à populi sui rationibus dividit, suisque potiùs commodis quàm utilitati publicæ servit, statim pro tyranno habendus. Quotus enim quisque Principum in mundo ejus culpæ foret expers?

III. Est verò duplex Tyrannis, alia *titulo*, sive usurpationis, alia in *exercitio* quæ dicitur; nisi & *mixtam* dicere velis, titulo simul & exercitio. Primam *Pisistratismum*, (*a*) alteram *Phalarismum*, tertiam

Neronismum, à celeberrimis singulorum exemplorum auctoribus appellare licet.

(a) PISISTRATISMUM. Distinctionem inter *Pisistratismum* & *Phalarismum* invenit primus *Cicero*; sed alio sensu: cùm Phalarismum ille exponat de Tyranno tantum exercitiô tali: imò & Pisistratismum: ut saltim modum exserendi videatur in utroque distinxisse: nam *hic* Illi est, quando tyrannus Rempublicam callidâ ratione & honestis præscriptionibus opprimit, ùt *Pisistratus* sine cædibus Democratiam Atheniensium in Monarchiam vertit. *Phalarismus* autem est, qui per crudelia facinora exercetur. Unde qui Ciceronem sequuntur, mixtam genus docent apparere in *Tiberio*: qui tamen titulô Tyrannus non est, utut illum initiò Pisistratismo, posteà Phalarismô usum fuisse observent. *Auctoris* tamen sensus, quem distinctioni præfert, potius sequendus est.

IV. Tyranni titulo aliter invasores & *Usurpatores* dicuntur, qui Imperium civitatis nullo jure tenent, seu singuli sive plures, ùt Romæ *Decemviri*, post Leges XII. latas, Athenis aliquando, quadringinti viri. Nam triginta, quos dicunt, tyranni, huc non pertinent, etsi eorum exemplum crebriùs in hanc rem vulgò citatur; nam hi justam causam jure victoriæ à Lacedæmoniis constituti habuerunt, ideoque Tyranni exercitiô fuerunt. *Plutarch. in Lysand.*

V. Est ubi distinguunt inter Regem de *jure* & de *factô* talem. Et quidem de facto Rex idem cum Usurpatore sive *titulari* Tyranno multis esse videtur; At hoc non æquè verum, quàm quòd de jure Rex, etiam Legitimus Rex sit. Quid apud *Anglos* ubi hæc inventa est distinctio sit Rex de factô? exemplô *Henrici VII.* apud *Verulam.* patet. Is ducta in Uxorem *Elizabethâ* Eduardi IV. filiâ, Regnum *ejus nomine* adire nolebat, & si populus id mallet, ne magis reginæ maritus quàm Rex videretur. *Suo* non audebat, nec uti belli & victoris jure. Sumsit igitur diadema, *nullam juris speciem* præferens. Et ne hoc vim imperio dissolueret, Legem ferri curavit, quæ Regi ab Ordinibus agnito & coronato Regiamque dignitatem de facto possidenti, parere jussit.

VI. Nos teneamus, Usurpatores & Tyrannos esse, qui Regnum nullô jure tenent, qui Regnum injustum tenent. Nullô autem jure videntur Imperium habere, qui id, *invitis iis*, quorum est verum jus imperandi, tenent, sive is populus, sive optimates, aut unus sit. Igitur sicubi, expulso Rege vero, consensum licet amplissimum à populo Invasor impetraverit, tamen non desinit esse tyrannus, ut nostrâ memoriâ apud *Anglos* usu venit in *Cromwelliô*. Sed *in populari Imperiô*, (b) ubi con-

consensum Invasor à civibus impetrat, exinde legitimus incipit esse princeps, quod à *Gelone Syracusis*, *à Servio Tullio* Romæ factum. *Diodor. Sycul. lib.11. cap.26. Liv. lib.1.* Sed qui cives ad consentiendum vi apertâ & terrore præsenti adigit, is invitis adhuc imperat, nec desinit esse tyrannus, ut Romæ de Triumviratu constat; nisi jusjurandum sit interpositum, quô qui obstricti sunt, non habere de metu exceptionem probat Grotius *Lib. III. cap.19. num.5. 6.*

(*b*) POPULARI IMPERIO. Ratio differentiæ est, quia in eo statu nullius alterius, præter populum, interest; secùs ac in Monarchia: ubi de jure Regis expulsi, & familia Regis, agitur.

VII. Non idem, quod de vi apertâ, censendum, quando populus civem unum adeo videns potentem, ut, si velit, omnes cogere possit, imperium illi defert, antequam vim faciat, ut populus Romanus in *Augustum* ab Actiacâ victoriâ reducem, quâ de re diximus *lib. I. Digress. cap.17.* Similiter, si vis primum adhibita, dein tolerabili Imperio diu populus acquieverit, nec penes alium sit verum jus imperandi, videtur etiam è tacito consensu desinere esse invasio. Nihil enim causæ est, quare non heic etiam *præscriptio temporis* (*c*) locum habere debeat, cum in eâ, quæ longissimi & immemorialis est temporis, non requiratur titulus aut bonum initium, ùt docent JCti. Quippe non minus verisimile est, populum haud velle in æternum fluctuare statum Imperii, quàm privati creduntur dominia nolle semper esse incerta, quæ est ratio usucapionis & præscriptionis rerum, quæ sunt in patrimonio.

(*c*) PRÆSCRIPTIO TEMPORIS. Hoc non admittit *Osiander* ad *Grot. Lib.1. cap. 4. §. 15.* Videlicet quia præscriptio 1.) sit Juris tantùm civilis. 2) Peccatum potius continuetur, quàm auferatur. 3) Populus *metu* consentire censeatur; Enimverò si locô præscriptionis *longam possessionem*, ex quâ consensus populi arguatur, substituas, remotô nomine & requisitis præscriptionis, vera omninò est *Auctoris* sententia: (quò minùs enim præscriptio inter *Gentes* obtineat, etiam immemorialis, quæ quidem in Civili etiam Jure *bonô initiô* non debet destitui, *superiùs* ostendimus,) quippe qui supponit, non nisi de populi præjudiciô agi; quâ ratione si illius consensus, non apparente vi apertâ & terrore præsenti, interveniat, (prout tacite intervenisse post multum temporis videtur,) utique legitimô imperio, qui invasor fuerat, postmodum utetur. Proinde *Sandersonius*, quem citat *Osiander*, nil aliud desinit, quàm quòd subditi invasori possint obtemperare, salvâ conscientiâ; quanquam per vim illam continuam *pristino Regi* Jus suum non auferatur. At verò hâc ratione nobiscum facit *Sandersonius*, qui *Osiandri* utique sententiam non probat.

VIII. Cæterum, Invasor quà talis non potest obligare cives ad obsequium, neque valent ejus præcepta, nisi quatenus sine extremâ confusione ordo jubendi parendique *non potest everti.* (*d*) Tum enim is,

is, ad quem pertinet jus imperii, malle præsumendus est, *ut tyranno pareatur*, (e) quam ut universa civitas gravissimo afficiatur incommodo, vel præceps in exitium ruat.

(d) NON POTEST EVERTI. Vid. hanc in rem locum *Sandersonii*, quem citat Osiander *d. l. pag. 568*.

(e) UT TYRANNO PAREATUR. Sed an etiam populus pristino Regi obedire tenebitur? Non utique quoad ea, quæ regimen civitatis occupatæ concernunt, postquam firmata est à Tyranno possessio; ut saltim violentiæ sive invasioni tacitæ populus concessisse videatur. An autem *pristino* Regi in eo obsequi teneatur populus, si is Tyrannum *occidi jubeat?* disquirit *Grotius* in *Lib. I. cap. 4. §. 18.* Quanquam verò ibidem hoc asserat: est tamen verior sententia *Bœcleri*; item *Osiandri* & *aliorum*, cumprimis, si populus expressè Tyranni invasoris imperium agnoverit. Utique si bello justô, cum victoriâ finito, vel aliter se Regem quasi declarari fecerit, populô licet invitô; tamen ille sinè piaculo à subditis, quos Deus in manûs ejus dedit, trucidari non potest. Hessenthaler, *class. 2. Athleta Politici, quæst. 2.* Illud etiam notandum est contra *Grotium Lib. II. cap. 1. §. 9.* quando ille Principem, licèt invasorem, ideò occidi non posse docet, quia persona sit utilis Reipublicæ: quòd ratio illa nequaquam rem conficiat. Nam respectus utilitatis & charitatis Christianæ ad quemlibet pertinet; multòque minùs *Grotio* accedendum est, quoniam eandem rationem porrigit ad Reges *legitimos*; quod enim hisce non *resistere* liceat, ejus ratio longè altiùs repetenda est, à solâ videlicet independentia Regum: iterumque *Grotius Lib. I. cap. 4. §. 7.* errorem suum insinuat, quoniam non-resistentiam petit à *pacto* populi; infirmô satis repagulô.

IX. Violentum alioqui & notorium Invasorem, vim adhuc continuantem, cuivis ut hostem publicum interficere licet. Neque minus ubi vim desiit adhibere, jussu videlicet ejus, ad quem jure pertinet imperium. Nam si ille usurpationi acquiescere, quàm bellum civile subire malit, injusta videtur habenda cædes tyranni; ideoque probandum non videtur, quod Brutus & reliqui conjurati apud Lucanum gloriantur,

Detrahimus dominos urbi servire paratæ.

Aliter deinde Brutus idem Epist. *ad Ciceronem* defendens se, quòd Antonios *hostilis animi in Rempublicam* manifestos, pro civibus habendos scripserat, id à se *justissime* factum ait, & pergit, *Quod enim nondum Senatus censuit, nec populus Romanus jussit, id arroganter non præjudico neque traho ad arbitrium meum.* Quo jure igitur *Cæsarem* occiderunt ipse sociique, cui senatus solenniter fidem dederat, quem populus amabat ut quem maxime? rogare licuisset eundem Brutum. Si tamen Lex præexistat, ut eum, qui externum aliquod inque oculos incurrens factum commiserit, hunc liceat occidere, velut qui satellites habuerit, qui arcem occupaverit; eam Legem non expectato jussu, exequi fas est, quo jure tyrannicidis olim statuæ atque coronæ decretæ leguntur.

X. Cæ-

X. Cæterum, in Invaſoribus mores non diſtinguuntur, adeoque juris ratio eſt eadem, ſeu Piſiſtratus, qui nulli injuriam fecit & quem Cæſar imitatus eſt, *ut in vitâ utriusque Plutarchus*, ſeu Phalaris civitati incumbat, adeoque clementiſſimus & humaniſſimus invaſor æquè *tyrannus* eſt titulô, quàm qui cædibus & rapinis graſſatur.

CAPVT XLI.

De

Tyrannide in exercitio.

ARGVMENTVM.

Exercitio Tyrannus quis, ejusque definitio ex Ariſtotele. Paraphraſis ejus Heinſiana notatur, & ſententia Philoſophi illuſtratur exemplis. Non tamen congruere definitionem illam omnibus imperiis. Proinde alia definitio traditur & exponitur, conveniens omnibus formis Reipublicæ.

I.

SEquitur *Tyrannis in exercitio*, quando Rectores jure conſtituti poteſtatem ſuam ita exercent, ut hoc nomen mereantur, qualis *Nero*, *Caligula*, & alii *plures*. Quatenùs id verò fiat, locus aliquanto difficilior eſt, non modò quænam verè talis dicenda Tyrannis, verùm etiam quid adverſus eam juris competat?

II. Ariſtoteles deſcribit Tyrannum, quòd ſit Μοναρχία ἀνυπεύθυνος, πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων. *Unius Imperium, quod ad ſuam ipſius, non ad ſubjectorum utilitatem in invitos exercetur*; quod eſt oppoſitum veri Regis officio, qui civium causâ, ſicut omnis poteſtas, conſtitutus eſt. *lib. IV. polit. cap. 10. ſub fin.*

III. Debere in Invitos eſſe tyrannidem ſæpe dictum eſt, ultroque intelligitur, οὐδεὶς γὰρ ἑκὼν ὑπομένει τοιαύτην ἀρχήν; *Nemo enim volens ejusmodi fert imperium*, ait idem Philoſophus; quippe volentibus, ſiqui tales reperiantur, non fieret injuria.

IV. Heinſius in Paraphraſi *d. cap. 10.* verba definitionis ita explicat, *non tam ad eorum quibus imperat, quàm ad ſuam utilitatem.* Velim

abesse illud, *tam, quam*; nec enim est in Græco, nec convenire videtur; quia propria Imperantis atque subjectorum utilitas simpliciter, *positive* non *comparative*, opponuntur, θετικῶς non συγκριτικῶς, specie, non gradu. Si enim pro tyrannis habendi sint, qui *magis* quærunt *suam* quàm *civium* utilitatem, quotusquisque Regum & Principum tyrannidis absolvi posset?

V. Erit igitur Tyrannus Aristotelicus, qui omnia dirigit ad propriam utilitatem, populi verò commoda penitus negligit, cujusmodi *Neronis* institutum erat, cum Præfecto inculcaret; hoc agamus, *ne quisquam quicquam habeat*, ut *Suetonius* narrat. Multò magis, si quis *exitium populi totius* quærat; modo sanus homo illuc insaniæ venire possit, ut serio velit, quod Caligula optabat, *universus populus ut unam cervicem haberet*, quam unico ictu præcidere posset. *apud eundem Suetonium in vit.*

VI. Quare in Imperio summo simpliciter delato *Tyrannis* erit, ejusmodi institutum, quale nec in *Democratiâ* ferendum à minore populi parte diximus; velut si pars major, coitione factâ, id agat, ut reliquos omni modo vitâ fortunisve suis evertat. Verùm hæc definitio non convenit, nisi hypothesi Summæ Potestatis simpliciter delatæ. Opus est descriptione Generali, quæ omnis generis Imperio tam limitato quàm absoluto, plurium & unius Potestati, congruat; etsi de monarchiis, id nomen inprimis usurpetur, ibique potissimum usu veniat. Quô sensu verum est, Regnum & tyrannidem differre, velut virtutem vitiumque, laudem ac vituperium, adeoque ἀντίστροφον τῇ βασιλείᾳ; æque latè patere quàm regnum, ait *Arist. l. 4. Polit. cap. 10.*

VII. Denique pro nostro instituto *Tyrannum exercitio* vocabimus, *qui terminos summæ potestatis sibi jure delatæ notoriè & præfractè egreditur.* *Summam* in tyrannide propriè dictâ potestatem supponimus; siquidem ejusdem generis cum singulis Imperii formis, quæ summæ intelliguntur, esse debet, nec aliter Philosophus *d. cap. 10.* Igitur, qui potestatem summam nullâ sibi ex parte delatam exercet, eum titulô potius quam exercitio tyrannum existimamus, velut si dux Venetorum ἀνυπευθύνως regnare vellet. Si quis tamen ejusmodi principes, cujusmodi olim

olim erant *Spartani* & ſunt hodie *Poloni* Reges ſupra Leges ſe evehentes, malit *hujus generis* nuncupare tyrannos, poteſt id ſuo ſenſu fieri.

VIII. Ex his jam ſponte ſequitur, quid ſint tyranni exercitio tituloque ſimul, ſcilicet, qui, cùm nullum jus imperandi habeant, tamen Imperium, quod uſurpant, impotenter acerbeque tractant; ùt factum à Phalaride Agrigenti.

IX. *Terminos Poteſtatis*, habetur in definitione. Imperium deferri ſimplex aut limitatum, pridem intelleximus. Quod *ſimpliciter* delatum eſt, non habet terminos expreſſos, nec tamen eſt infinitum; quinam *limites* ejus tacitè intelligantur, *ſuprà* expoſuimus. Proinde, qui illa, quæ in omni Imperio tacitè excepta diximus, notoriè & præfractè violant, hos poteſtatis ſibi delatæ terminos excedere & eſſe tyrannos, ſi modò exceſſus non ſit contrà ſingulos vel paucos; ut modò de Nerone & Caligula diximus, eſt ſtatuendum. Secundùm hos, qui poteſtatem ſummam quidem, at *non integram* vel Lege fundamentali *limitatam* acceperunt, his eſſe terminos ſuos liquet, & poſſe hujusmodi terminos Imperantibus poni, poſitosque ſervandos eſſe, quin eos, qui illos egrediuntur, nihil agere, atque abuti poteſtate ſuâ, ſæpiùs & copiosè demonſtravimus. Tamen ſicut unus actus non facit habitum, nec una hirundo ver adfert, ita nec quilibet actus Imperantium notam tyrannidis imponit; ſed opus eſt crebris actibus iisque indubitatis & violentis, ut Imperantes pro Tyrannis haberi poſſint, hoc eſt, quod in definitione collocatum eſt, *notoriè* atque *præfractè*.

X. Quicunque igitur nondum à commiſſis adverſus Leges fundamentales deſiſtere, neque cautionem in futurum meliùs conſulendi recuſant, nec emendationis ſpem conſumſerunt, hos pro tyrannis habere non licet.

XI. Atque ex his jam conſtat, in Imperio *ſimpliciter* delato, Rectores multum improbitatis exercere poſſe, priusquam pro Tyrannis haberi queant; ſecùs ac hi, quorum poteſtas Legibus eſt *limitata*, qui hoc nomen & jus incurrere poſſunt; etiam, quando reſpectu aliarum abſolutè imperantium, pro moderatis haberi poſſe viderentur.

CAPUT XLII.

De

Jure resistendi Tyrannis, in exercitio, vel tyrannice agentibus.

ARGUMENTUM.

Adversus Tyrannum superius descriptum quid liceat subjectis, ratione & exemplis docetur; distincte tamen; esse enim aliud juris in eo, qui non habet summam potestatem aut non integram, atque in eo, cui Imperium sine exceptione delatum est; examinantur Barclaji & Grotii sententiæ, distinctio proponitur & ab objectis adseritur: semper tamen ejusmodi personæ Principis parcendum. De tyranno ex Aristotelis sententiâ ejusque usu & executione.

I.

QUod Aristoteles de viro bono aberrante dixit, ἀδικεῖ μὲν, ἄδικος δ' οὐκ ἔστι *lib. 5. ad Nicom. cap. 6.* id de actionibus Imperantium, contra jus sibi institutis usurpare licet, sæpe eos tyrannice quidem agere, non esse tamen tyrannos, quamdiu non apparet eos id agere præfractè. Quatenus tamen antea probatum est, acta, quæ fiunt contra jus Imperantibus delatum, ipso jure nulla esse: superest videndum, an singulis è populo jus illis resistendi competat, ut ex nullitate actuum consequi videtur? quoniam Imperantes, manifestò excedentes potestatis suæ terminos, *privati* sunt & pro talibus habendi; quibus idcircò *vim opponi* non sit à ratione alienum.

II. Verùm Salutis publicæ discrimen non semper admittit Dialecticas conclusiones, adeoque ut singulis detur facultas resistendi, sola *Nullitatis* ratio efficere non potest. Potest enim fieri, ut nullitas, acquiescente eo, cui jus inde comparatum est, *effectus aliquos valoris* habeat; ut de testamento, quod ob præteritionem filiifamilias ipso jure nullum est, traditur à JCtis, id ipsô acquiescente ex bono & æquo sustineri, in *l. 17. π. de injust. rupt. testam.*

III. Proinde quoties hac de re quæritur, omnium primò videndum, penes quem sit Jus supremum. Sanè ubi unus tali principatu fungi-

fungitur, ut regimen *infra leges* (a) habeat, ibi jus summum necessario est penes senatum aut populi concilium. Si hoc præsens & sui potens acta ejusmodi principis aliorumve parem vim habentium tacitè adspiciat, pro consentiente haberi debet; unde quod illegitimum erat, hoc modo legitimatur & obligat subjectos. Ex quo liquet, concilium illud, si potestate suâ velit uti, jus habere *cohibendi* illos, qui principale regimen in absolutum convertere satagunt. Quò minùs autem hoc semper faciant, rationes equidem esse possunt, verùm politicæ magis. Nam de jure non debet omittere tale concilium, quò minus sententiam suam & officium Principis cordati significent & demonstrent. Quod si tamen, is inconsultâ vi & manu, fretus pertendat, neque à Senatu in ordinem redigi possit, idque notorium sit, jam nihil hærendum, quin singulis è populo resistendi facultas jure competat. Nam quid singuli vel plures valeant, aut quid expediat, servire an pugnare, facti magis & Politices, quàm juris est.

(a) INFRA LEGES. Et sic distinguit *Principatum*, ubi scilicet quasi in *Senatu Princeps* est, à Monarchiâ.

IV. Idem statuendum, si Rex summam quidem sed integram non habeat potestatem, verum quasdam Imperii partes una cum senatu aut popularibus delegatis exercere debeat, idque facere adspernetur. Quomodo cùm *Dux Albæ*, nomine *Philippi* Regis, decimam à *Belgis*, Ordinibus quibusdam invitis, exigeret, idque manifestum esset, haud injuriâ singuli cives, clausis officinis, exactoribus restiterunt. Nec aliâ ratione potest defendi quod in plerisque civitatibus defectio ab Hispanis *ex plebe* initium habuerit. Quia satis constabat, pleraque αὐτοπραγίας Hispanicæ facinora, reclamantibus populorum Ordinibus institui; nec minus certum erat, jure fundamentali id omnino esse prohibitum.

V. Collocatur tamen longiùs hæc res extra controversiam, si Regis electioni *Lex commissoria* (b) adjiciatur, ut si Rex non servet jura fundamentalia, populus omni vinculo obsequii solvatur; ùt de veteribus Brabantis fertur, & *Poloni* hodieque stipulari solent. Idem est, si in delatione Imperii sit dictum, ut certo eventu Regi *resisti* possit, cujusmodi pacta populi adversus Regem habere posse effectum naturalem, contrà Hobbesium *suprà* demonstratum est.

 (b) LEX

(*b*) Lex commissoria. Quæ hic de pactô commissoriô, nullitate actûs, & resistentiâ civium adducuntur, illa omnia *L. 1. c. 17.* examini subjecimus. Nonnulla etiam ad *Capitulationem Josephinam* adversus Limnæum admonita sunt.

VI. Quin etsi nullus sit optimatium senatus aut populi concilium, tamen, si verum est, sicut est, Regem, quatenus ei delatum non est, nec habere Imperium, sed hactenus esse privatum, sequitur, Imperatis ejus, quæ non *dubie* excedunt potestatem concessam, posse resisti. Ni fiat, quod *suprà* faciendum disputavimus, ut si quid istius generis occurrat, convocentur hi, quorum fuit primævum jus Imperii. Utique tamen semper, casu necessitatis inopinæ excepto, qui etiam in simplici Magistratuum officio exceptus intelligitur, quomodo olim *Epaminondas* & *Pelopidas*, etsi Imperium in exercitum diutius quam ipsis à Thebanis erat concessum retinuissent, se defenderunt. *Cornel. Nep. in vit. Epaminand.* Et hæc quidem, ubi jura Majestatis non omnia absolute sunt penes Imperantes.

VII. Imperio autem *simpliciter* delato consentaneum est, nullam resistendi facultatem subjectis dari, nec ob publicas neque privatas ob causas. Infinitatem tamen Hobbesianam sana ratio adversatur, quâ de re non habemus quod addamus iis, quæ *superius* copiosè disputata fuerunt. Idem exempla antiquissimorum temporum evincunt, quæ suos Reges simpliciter sine anxiis stipulationibus statuebant, nec tamen furias tyrannorum in infinitum perpetiendas crediderunt; tametsi in hujusmodi exemplis meritum hujus disputationis non collocemus.

VIII. *Barclajus* ipse, quem ut Regii Imperii fortissimum Assertorem laudat Grotius *l. 1. c. 4. §. 7. vers. Barclajus*, huc tamen descendit, disputans contra Monarchomachos, maximè *adversus Brutum* (*c*) ὑποβολιμαῖον, ut si Rex *vere hostili animo* (*d*) in totius populi exitium feratur, non modo resisti illi queat, sed & regnum amittat. *lib. 3. advers. Monarchom. cap. 8. & lib. 6. cap. 23. & 24.* Verum id haud facilè continget in Rege mentis compote, nisi pluribus populis imperans in gratiam unius, alterum velit perditum, ut colonias ibi faciat; quod *Philippo II. Belgis* irato atroci murmure majores nostri imputaverunt. Largitur & resistendi facultatem *Barclajus* populo toti vel insigni ejus parti adversus sævitiam Regis immanem. Grotius verò vix aut nihil alioqui

alioqui cedens *Barclajo* in patrocinio Regum, idem singulis civibus ad vitæ suæ tutelam concedit, utique jure naturæ & veteri divino, haud perinde *Evangelico d. cap. 4. §. 7.* Quod si verum, ut debet, est, id quod *suprà* diximus, non esse in novo fœdere severiorem morum disciplinam, ac in veteri fuerat, introductam: hæc differentia non potest admitti.

(*c*) ADVERSUS BRUTUM. In *Vindiciis contra Tyrannos:* sub quô nomine Hubertus *Languettus* venit, populo Majestatem in Monarchico etiam statu competere asserens.

(*d*) VERE HOSTILI ANIMO. Nam velut aliàs passio est perfectio actionis, ita si agens interitum Reipublicæ machinetur, utique respectus ille imperantium & parentium cessabit. vid. Pufend. *L. II. Elementar. Jurisprudentiæ Observ. 5. §. 21. seqq.* & *L. VII. J. Nat. cap. 5. §. 9.* ubi contra auctorem der Politischen Waagschale, Regem deponi non posse, nisi *hostilem* animum induerit, comprobat. Sic & Goldastus *Lib. I. de regno Bohemiæ cap. 5. n. 16.* item Hornius *Lib. II. Polit. Archit. c. 12. n. 10. seqq.* & *cap. 10. §. 15.* tum & Bœcler. ad *Lib. I. Grot. c. 4.* ubi etiam de quæstione *resistentiæ:* in qua aliud esse dicit, non parere illicita per injuriam imperantibus (quod argumentum bene tractavit dictus Pufend. *Lib. VII. cap. 8. §. 6. seqq.*) aliud vim opponere injuriæ imperantium: quoad *prius* multos statuere, quòd reatus executionis rei illicitæ, v. c. occisionis hominis innocentis, ex mandato Regiô, in hunc redundet: quod quidem Ipse negandum censet Pufend. *dict. loc. pag. 265.* & *dict. §. 6. seqq.* quanquam id etiam sub limitatione asserat. Quoad *posterius*, licèt verò multi sint, qui putent, resistentiam tanquam naturalem semper licitam esse: tamen illud intelligi debere tradit salvô *ordine*, quem si Rex violare præsumat, ita illi omninò resisti posse. Quinam verò gradûs aut modi resistentiæ quôlibet casu servandi sint: illud variè disceptatur apud Eundem Pufend. *dict. loc.* & apud Horn *dict. cap. 12. num. 2.* usque ad *num. 13.* quorum tamen traditiones utique examine indigent. *Depositionem* sive dejectionem Regis si respiciamus, quòd illa fieri non possit: multis argumentis ostendit *Alberic.* Gentilis *de vi civili in Reges semper injustâ.* Sed & hæc sententia cum cautione jam antè præscripta procedit, quà videlicet Rex non induit *hostilem animum*; quanquam etiam hôc casu vix dejectionem admittat Osiander ad *Lib. I. H. Grot. cap. 4. §. 11.* quoniam difficile hoc sit cognoscere; deinde maneat Rex nihilominùs, & potestatem, à quâ dejici velit, à Superiori habeat: (quod saltim quoad *tuitionem Majestatis* verum est.) Enimverò quod *prius* attinet, illud tantùm ad modum spectat: nec sequitur: Difficulter hoc judicari potest, Ergò si judicari possit, dejectio inde inferri non potest: quin & judicium hac in re non cuilibet privato, sed *Ordinibus* sive Magistratibus, competit. vid. Auctorem *§. XXI. hic.* Imò notorietas & indubia sive præfracta subversio Status publici requiritur. Quod verò *posterius* concernit, utique Rex non est ampliùs, sed Tyrannus & hostis Reipublicæ, in quem jure belli tanquam in peregrinum utendum est. Cæterùm absque animo hostili si fuerit Rex, *nunquam deponi potest*; adeò, ut si vel Lege fundamentali clausula *commissoria* delationi Regni adjecta sit, per quam si vel maximè statum Reipublicæ non evertat Rex, sed solùm unum alterumve articulum sive legem fundamentalem negligat, eum deponi posse, statueretur: talem Regem verè & propriè dictum non esse putandum sit. Quocircà etiam *jurejurando* obstringere solemus Reges, ut propriæ potiùs conscientiæ atque Deo rationes reddant. Videlicet Deum repræsentat Rex immediatè in his terris: nemini autem est Imperium in *Vicarium*, nisi principali, qui inviolabilem esse, & *sanctum* voluit eum, qui summum in Regno locum obtineat: adeò, ut nec *Majestas realis*, quippe quam Rex ipse habet, eôdem sit superior; Hinc falsus est *Limnæus*, qui in nostro quoque Imperio clausulam Commissoriam saltim tacitè inesse *Capitulationi Imperatoriæ*, tradit. ad Prolegom. *Capit.* & in *Observ. 6. Tit. 5. Aur. Bull. §. 3.* motus quidem maximè exemplis quibusdam dejectorum Imperatorum; quæ tamen partim quoad *factum* ambigua aut falsa sunt, partim ratione *juris* multis modis laborant,

rant, ùt alibi & præprimis ad *Notitiam Imp.* Bœcleri ostensum est. Denique de *judicio*, & quibus notis Tyrannus exercitiô internosci possit? *Bœclerus* conferri potest, *ad L. 1. Grot. cap. 4. §. 14. pag. 291.* & de Gradibus admonitionis elegans exemplum in Mantissâ *Limnæi* ad *Capitulationes sub fin.* ex conventu Ratisbonensi de anno 1631. exhibetur.

IX. Mihi non abs re videtur, dicendum, aliud juris esse, cum Rex ordine legitimo ad disceptationem juris factique civem vocat innocentem & damnat: aliud, cum sine medio illum injustè opprimere & occidere parat, quomodo *Saul Davidem* apud lares transfigere conatus dein more latronis persequi non destitit. Sed judiciali ordini vim opponendam non esse, licet potestates eâ abutantur, parum abest, quin primitivo fœdere civitatis constitutum videatur. Adeo, ut ne manifestâ quidem innocentiâ, licet propositum iniquum Imperantis haud obscurum sit, vis & arma judiciis opponi posse videantur. Quia præviderunt populi, hoc concesso, nunquam prætextus turbandi judicia defuturos. Sed ut ad libidinem vel fortuitam Imperantium iram inauditos trucidare fas sit, id nullâ ratione in voluntariis Imperiis consensu civitatis potest dici constitutum.

X. In violento Dominatu jus quidem externum ita faciendi Despotæ comparatum est, *ut supra docuimus*, quemadmodum dominus in servos jus vitæ & necis, sine respectu ad causam, habet, ubi id lege non restringitur, sicut Romæ jure novo consultum fuit. *§. ult. Inst. de His qui sui vel al. jur.* Verum nulla tamen adeo valida obligatio est, quæ quenquam ad mortis sine ulla ratione vel submissione prævia, patientiam obstringat, ut ipsemet *Hobbes* fatetur. Quare nec David adhuc privatus (nam unctio in antecessum à *Samuele* facta non exemerat eum, vivô Saule, numero subjectorum) non dubitavit se componere ad resistendum, etsi Saul jus absoluti Imperii in suos, ùt omnes Orientis Reges, obtineret. Idemque de *Machabæis*, qui Antiocho, ut Alexandri Magni successori, absolutoque Imperatori, serviebant, ut videtur, existimandum est. Unde, cur idem Christianis contra immanem sævitiam non liceat, veluti Gallis, postquam ex laniena *Lutetianâ* aliisque constiterat, hoc agi, ut omnes Reformati jugularentur, est dictu difficile. Vel quod non multò secùs est, quando Rex sinè judiciô magnam civium partem bello invadit, omnique cruciatu vexat, ut adigat eos ad hoc, quod imperandi jus non habet; quomodo nuper in Galliâ consultum est.

XI. Gro-

XI. Grotius Christianis eam facultatem, quam veteribus largitur, quosdam secutus non concedit, citatô Patrum & Servatoris nostri exemplô, qui Petrum jussit gladium recondere, quod Petrus idem omnibus imitandum inculcat. *epist. 1. cap. 4. v. 12. & seqq.* Sed præter quod Judæi & procurator *Pilatus* speciem ordinemque judicii, quâ de re diximus, servarunt, notum est etiam, Christum Dominum noluisse ullo modo remorari id quod fieri debere toties prædixerat.

XII. Esse enimvero laude & admiratione dignos, qui malunt injuriam & mortem pati quam armis oppositis sanguinem fundere, non est negandum. Quomodo veterum Christianorum miro & heroico certamine ad martyrii gloriam festinantium exempla videntur accipienda. Ideo tamen eos omnes indiscretè damnare, qui ultimo necessitatis præsidio renunciare noluerunt, prædurum videtur. Maximè, si hoc temperamento sint usi, ut personæ ejus, qui summam haberet potestatem, parcerent, quod & *David* sedulò fecit, & juris ratio faciendum dictat. Quia, licèt primæva civium consensio moderamen extremæ tutelæ admiserit, non ideo civitatem, ut sublato Imperio contingeret, dissolvi voluerunt; quod cum ultimum malorum sit, ob minus malum evitandum committi non debet, nec quidem ex Lege caritatis fas esse videtur.

XII. Jam quod vitæ servandæ causâ ex naturâ fœderis, quo civitas constat, juris est, id propter bona resque alias (nisi forte pudicitiam) non videtur concedendum, ut supra dicere occupavimus. Præterea doctrinam Aristotelis huc applicabimus, quâ Tyrannidem ille definivit, ita ùt à nobis expositum est in *cap. præced.* secundùm quæ, si quis Rex id agat, ut omnia dirigat ad libidinem utilitatemque suam solius, idque multiplici experientiâ palam sit; omnibusque tentatis remediis, nulla spes supersit emendationis, & Rempublicam pessum ire sit indubitatum, nihil in eâ sententiâ videmus iniqui aut absurdi, quæ resistendi facultatem tribuit subjectis. Et quanquam, ubi certò constat rem ita habere, initium resistendi à quovis potest fieri, Magistratusque nihilo plus habere juris quàm infimos civium adversus summam potestatem *alias diximus*; at tamen rectius & tutius hoc casu principium à summis Magistratibus fieri videtur. Eo quod sanius eorum hac de causâ sit judicium,

cium, & quod minore confusione res geri possit ab illis, ut factum à *Bruto* contra *Tarquinium*, à *Galbâ* adversus *Neronem*, à Wilhelmo Arausionensi contra Philippum II.

CAPVT XLIII.

De
Jure puniendi Tyrannos.

ARGVMENTVM.

Tyrannos Usurpatores cùm non habeant summam potestatem, sine dubio posse puniri. Tyrannos exercitiô tunc, quando commiserunt, ut imperio exciderint. Qui utroque sensu Tyranni sunt, hos indistinctè posse puniri. Jus puniendi competere iis, ad quos Imperium, amotò præsenti Rectore, competit; etiam Magistratibus summis. Modum pœnæ in Usurpatores esse, non modo exilium, sed & mortem ordinariæ executionis, vel subitam ex insidiis. De pœnâ Tyrannorum exercitio variè cauteque differitur.

I.

ANcipitis periculi doctrinam hoc Caput continet. Equidem Tyrannum *titulô*, qui totum imperium invasit, in potestatem reductum, punire licet, sive id fiat à libero populo, sive ab Optimatibus, vel Rege legitimô, à quibus ille imperium usurpet.

II. Tyranno autem, qui talis solùm *exercitio* est, quamvis in quibusdam injustis & violentis actibus ei resistere liceat: quia tamen ob titulum per actûs illos Rex manet nihilominùs, nulla esse potest in ipsum jurisdictio, quâ puniri queat. Secùs si ea fuerint ejus facinora, quæ cum Regno stare non possint, ac proinde Rex esse vel etiam ex Lege commissi, desinat: tunc enim quòd ob ista puniri queat indubium, idque consultum est, si spes emendationis nulla sit; præprimis si hostilem ergà cives animum induat. Idemque de Tyrannô *titulô & exercitiô* multò magis dicendum est.

III. Deum ultorem vix est, ut metuant Regentes tales. Et quamvis *Papa* Romanus, *Vice-Deus* sibi addictis, excludat Regentes, quos ille noxios esse, & vel Ecclesiæ suæ, putat ab usu Sacramentorum: tamen hæc exclusio nil ad Potestatem *civilem*, & ne quidem *Excommunicatio major*, pertinet. Nam & *infidelibus*, in Imperio constitutis, obsequium

quium debetur. Nec Christus ipse *Jurisdictionem* in Principes exercuit, aut quicquam illius contulit in Apostolos.

IV. Cùm verò exercitiô Tyrannus, ob hoc imperio exutus, in *privatam* conditionem redigatur, ideò puniendus est ab his, ad quos velut in Magistratum, Regnô vacuô, Jurisdictio revertitur; cujus rei exemplum in *Nerone* obvium est: ut tamen quoad usque *Bellum Civile*, quod susceptum fuerit, durat, pro Rege, qui Tyrannidem *exercet*, præsumptio, hi non eam notorietas excludat, admittenda sit. Sed Tyrannum *titulô* in Potestatem redactum punit *Rex verus*, aut *liber populus*, si talem iste invaserit.

V. Etenim *privatis* puniendi arbitrium permittendum non est, nisi Tyrannus titulô in flagranti versetur, & singuli in id armentur *Lege* in certis factis tyrannicis.

VI. *Dejectio* autem Tyranni Principis, in quâ sæpè pars utraque acquiescit, locô pœnæ haberi vix potest, aut exilium, sive publicatis sive salvis *bonis*. Nam & *mortis* pœna talibus infligi potest; maximè si usurpationi sævitiam aut facinora immania addiderint.

VII. Nil etiam vetat, ut *judicium publicum*, quod *juridicum* est, saltim ut de eô cognoscatur, an jurisdictioni locus sit, ut de meritis *cognitio* suscipi possit, in Tyrannum, qui in potestatem redactus est, constituatur, si id tutò quod *Politicæ* est consultationis, fieri possit; & non oculis multitudinis parcere, & eum vi subitâ *opprimere* aut *venenô* uti magis consultum fuerit, vel etiam ut *percussor*, cùm de eô securum se putat, immittatur: quod num *bellô* & *civili* quidem durante, liceat, dubium videri posset.

VIII. Utique cùm Tyrannus exercitiô tantùm ex L. fundamentali in hoc conceptô, vel ex tacitâ conditione in Imperiô voluntariô Regi absolutè delatô, & vel maximè hostili in rempublicam animô, se *privatum* ipse faciat, ob facinora eum pro meritis eorum puniri posse, constat. Si verò non nisi contra *singulos* vel *paucos* vim fecerit, *resistendi* quidem facultas illis competit; sed per hanc Rex pro Tyrannô haberi non potest.

IX. *Alienatio* tamen imperii totius: (nam *partis* alienatio tantùm nulla est,) ad effectum perducta, pro tyrannide non minùs habetur.

CAPUT XLIV.

De

Fide & perfidiâ summarum potestatum in Contractibus.

ARGUMENTUM.

Hoc capite agi de conventionibus, quibus summæ potestates jam constitutæ obligentur. Teneri illas cunctis promissionibus naturaliter, civiliter per se nunquam, sed tantum si velint, quod præsumi in contractibus privatis. In jus tamen vocari & judicari ne tum quidem posse, nisi voluntariè certis judicibus se submittant, quo præsupposito, nec naturaliter absolute, neque civiliter, eos posse negare solutionem sine manifestâ injuriâ. Conventionibus quæ regimen civitatis spectant, jure Naturæ principem duntaxat teneri: consensum in civilem obligationem heic non præsumi. An restitutio in integrum contra effectum naturalis obligationis in executione, tam respectu exterorum, quam ipsius populi partis detur. Quomodo successores teneantur, per distinctionem, explicatur: & quid jusjurandum promissionibus addat.

I.

HActenus de jure, quod Imperantibus in subjectos, qua tales, seu belli jure, sive ex conventione competit, actum est. Videndum paucis, quid de illis *conventionibus*, quibus non defertur *Imperium*, sed quæ *postea* contrahuntur, sit habendum.

II. Jure Naturali Gentiumque regnantes obligari satis est clarum, quia nihil præ cæteris habent mortalibus quam jus certi populi, qui cum ipse legibus naturæ totiusque humani generis institutis teneatur, Imperantes iisdem teneri necessum est. Jam verò promissiones expressæ de jure in alium transferendo pleneque acceptatæ sine dubio vim habent obligandi naturalem, jusque perfectum alteri contrahenti tribuunt. *Grotius lib. 2. cap. 11. de J. B. & P. §. 4.*

III. At civili vinculô, contractus summarum potestatum per se nunquam obstringuntur, seu cum subditis imperio, sive cum exteris ineantur. Non; si cum civibus contraxerint, quia obligatio est juris vinculum quod necessitate obstringit secundum jura civitatis; Atqui summam potestatem non posse cogi & omni jure civili solutum esse, jam toties dictum est; Cum externis autem non sunt termini habiles civilis obliga-

obligationis, quia non ſunt ejusdem civitatis. *Per ſe*, inquam; nam ex naturâ negotii & circumſtantiis præſumptio naſci poteſt, quod *ſecundum jus civile*, (*a*) quod eſt in loco, partes *agere voluerint*. Quod de privatis Regnantium conventionibus, ùt emptiones venditiones, locationes conductiones, ſtipulationes, transactiones ſimilesque, omnino ſtatuendum. Quoniam tales actus non à Rege qua Rege, ſed quaſi ab alio quovis inſtituuntur, adeoque, ut eſt membrum *communitatis*; quod & ipſius utilitas poſtulat, quia nemo alioqui cum principibus contrahere vellet. Hinc Imperantes ex emptione ſine pretio, locatione ſine mercede, *pacto nudo* (*b*) ex hypotheſi juris Romani, nec agere nec conveniri poſſunt. Perinde ex teſtamento imperfecto non cogitur princeps ſolvere legata, nec ipſe de tali quicquam petere poteſt. §. *ult. Inſt. Quib. mod. teſtam. infirm.* Imo & Leges municipales cujusque loci, in quo contractus celebratur, æquè in Principibus ac in aliis ſervabuntur.

(*a*) SECVNDVM IVS CIVILE. Non quà eſt Jus Civile, & ut formale ejus ſpectetur; ſed quà *materiale*, & ut Princeps non teneatur voluntate ſuâ, uti ea legalis eſt, ſed voluntate ſimplici.

(*b*) PACTO NVDO. Rectiùs, quàm Magerus *de Advoc. armat. cap. 9. num. 105.* & Weſenbec. *Conſil. 2. num. 60.* Hactenus enim pactum nudum in Rege non minùs habendum eſt pro conventione *indeliberatâ*; ut jure peculiari in eâ communitate civili Princeps uti voluiſſe non cenſeatur: quò etiam pertinet, quod falsò nonnulli docent, quaſi omnes contractus Principum ſint *bonæ fidei*; ùt Beſoldus *IV. Conſil. 150. num. 27.* Nam illud verum quidem eſt, quà bona fides dolo opponitur, ſed non quà ſtricto juri: & ſanè contractum bonæ fidei vel ſtricti Juris eſſe, ex natura interiori negotiorum pendet, quæ ex perſonarum velut Principis, conditione utique non immutabitur.

IV. Poſſunt tamen *exprimere in antecesſum*, (*c*) ſe illis Legibus nolle teneri, idemque ſæpius ex ipſo negotio colligi poteſt, ut ſi Rex faciat ipſe *teſtamentum ſine ſolennibus*, aut *emphyteuſin ſine ſcripturâ*, ubi Lex eam requirit.

(*c*) POSSVNT TAMEN EXPRIMERE IN ANTECESSVM. Quin &, ſi ſciens & prudens Rex contractum ineat, qui juxta *leges civiles* ſubſiſtere non poſſet, firmum tamen eum fuiſſe putabitur; aliàs contrà. Quâ ratione Princeps quoque in Emt. vendit. immodicè læſus ad reſciſſionem contractus ex *L. 2. C. d. Reſc. Vend.* rectè experietur.

V. Etſi vero Leges heic obligationem *actionemque adverſus ſummas poteſtates producant*, (*d*) coactio tamen ſequi non poteſt adverſus eos, quatenus, à quo cogantur, nemo exiſtit, *niſi quod exteris belli jus comparatum ſit.* Hoc ut evitent ſimul & æquitas ac utilitas impulit Principes, ut tam à ſubditis quam ab reliquis conveniri ſe apud certos judices patiantur, cum alioquin ipſi *in ſuâ causâ judices* (*e*) *eſſe poſſent*; quia ne-

minem

minem habent superiorem. In illis tribunalibus iisdem juris remediis, quibus alii cives utuntur, tueri se, neque plus ulla parte privilegii arrogare sibi possunt aut debent. Neque planè satisfactionem negare postulantibus, nisi petant *restitutionem in integrum*, (*f*) ex iisdem causis, è quibus alii cives eam jure communi impetrare possunt.

(*d*) ACTIONEMQUE ADVERSUS SUMMAS POTESTATES PRODUCANT. Cùm verò *actiones* sint Juris Civilis: ideò aut naturaliter eas considerari oportet, aut Regem spectari, prout in ipso negotio Auctor in *§. praeced.* considerari eum debere voluit; ut ad instar privati, quoad actiones quoque & in judiciô, habeatur.

(*e*) IN SUA CAUSA JUDICES. Juxta Menoch. *L. 2. præsumt. cap. 10. & Dd. communiter;* quod à ratione naturali eò minùs abhorret, quia vel ipsis Nobilibus, qui *Jurisdictione* præditi sunt, simile quid tribuitur, Berlich. *Decis. 109.* vid. tamen *Decis.* Noviss. El. *Saxon. 39.* ibique Philippi. Interim ipsi Senatores vel Collegia, quibus Principes, etiam suba[illegible]ni, v. c. in Imperio, per Observantiam, causarum propriarum dijudicationem committunt, sententias concipere solent, non *Principis* ipsius, sed Senatûs, vel Collegii, *nomine.* Pertinet etiam huc disquisitio, qua ratione *dicto Principis* credatur. Utique non creditur assertioni ipsius Principis, quando agitur de ipsius *commodo*, aut præjudicio tertii, ne quidem si fiat sub *bonore* aut fide *Regia*; vid. Græven *ad* Gail. *Lib. II. conclus. 59.* quanquam præsumtio ubique pro dicto Regis militet: quæ tamen probationem in contrarium admittit, juxta Goedd. in *IV. Cons. Marpurg. 16. n. 415.* licèt Princeps absolutus sit; Klockius *cap. 7. de contribut. num. 63.* Habenda tamen est fides Principi in *cæteris*, velut si de *meritis*, Ministri sui, cui feudum concedit, (licèt in genere) quid asserat, Vultej. *IV. d. Consil. 25. num. 105.* Quid deinde, si ùt *testis* Princeps advocetur? Non etiam statur ejus solius dicto regulariter. Videlicet inter factum proprium & alienum distinguendum est. Si *factum proprium*, velut Officium & Imperium Principis, concernat, creditur ei; & eâdem ratione circà factum *alienum*, quando hoc *coram ipso* gestum est: cumprimis, si in eo fundatur gratia vel intentio Principis. Wesenb. *Consil. 148. num. 47.* nisi & sic res sit maximi præjudicii; item, si tertium concernat, aut ad *jus quæsitum* auferendum tendat. Vid. Mascard. *Conclus. 1227. per tot.* Quod si vero de *facto alieno*, quòd coram ipso ùt Rege gestum non est, deponere debeat: ita ad instar testis *cujuslibet* alterius habebitur; saltim quòd fides ejus ob dignitatem illius summam *exuberare* censeatur, & *plus, quam semiplenè* probet. Utique *contra extraneum*, qui ei subjectus non est, hæc omnia, quæ diximus, non obtinere, alii docent; quod tamen indistinctè asseri non debet: nam & extranei eum ùt judicem quandoque agnoscunt, atque illis officium Regium Princeps impertit; nec unquam dignitatem exuit Regiam, ad quemcunque etiam referatur. Denique si in *proprium commodum* Princeps afferre quid velit, nuspiam ei creditur; veluti si ærarium suum exhaustum esse dicat, dum à subditis collectam petiturus est.

(*f*) RESTITUTIO IN INTEGRUM. *Dissentit* Hugo Grotius *L. 2. de J. B. & P. c. 14. §. 1.* qui, dum *modus* restituendi conditioni Regiæ repugnare videretur, ad negandam rem ipsam inductus est. Rectiùs *Auctor.* Nam (1) causæ restituendi æquitate naturali nituntur, quâ Prætor motus, etiam contra rationem Juris Civilis, in integrum Restitutiones introduxit. (2) Superiore sive Magistratu quopiam suprà Principem non opus est. Sufficit ratio, quôlibet Rege superior, & evidens quidem, quam omninò hic supponi oportet; nisi pars altera, cumprimis si cum exteris agatur, judiciô *arbitrorum* rem committere velit: sic enim causam quoque non evidentem restitutionis Princeps movere poterit. (3) Si Rex etiam *majorennis* quid ageret, in quo circumveniretur, videbatur non tam ipse, quam *Respublica* restituenda fore. Enimverò si tantùm ex imprudentiâ læsio perveniat, utiq; cum exteris susceptum negotium non infirmabitur. Aliter, si ex dolô, aut læsione ejusmodi, ex quâ dolus aliàs præsumtione juris & de jure elici potest. Hinc apparet, quòd restitutio in integrum ex Capite *minorennitatis* Regibus, sive ad exteros sive ad

ad ſubditos ſuos referantur, competere non poſſit; nec quicquam ſubſidii, niſi in Tutoribus ſuis aut Curatoribus regni, habeant, quos ad rationes reddendas adigere non prohibentur. *Ecquid verò de Juramentis Regum?* Nemo equidem mortalium juramenta Deo præſtita reſcindere valet. Nam & *abſolutio* ſi quæ eſt à juramentis, non juramenta, quæ valida ſunt, ſed quæ vitia habent Canonica, ùt ajunt, ſupponit. Interim, quòd *relaxari* poſſit in uno alterove caſu juramentum, etiam vacuum ab ejusmodi vitiis, ùt eſt juramentum ad effectum agendi in Imperio noſtro: illud procedit ex *antecedaneâ declaratione* Principis; quam facere ipſum poſſe circà actus *ſubditorum* ſuorum, indubium eſt. At verò hoc ipſum in juramenta Principum non quadrat. Hinc non ipſi tantum non poſſunt propria juramenta reſcindere; niſi per ſe eadem nulla fuerint, ut tunc talia eſſe declarentur: verùm etiam ſucceſſores juramentis anteceſſorum ſuorum, ſi non quoad reatum perjurii, tamen quoad efficaciam obligationis, obſtringuntur. Nec quicquam officiente exemplo *Salomonis* circà juramentum, quod Parens ejus præſtiterat Simei. Nil enim *Salomon* contra illud juramentum feciſſe exiſtimandus eſt. vid. Zepperum circà fin. *variorum Diſcurſuum* Juridicorum, *Bremæ* editorum.

VI. Quia tamen hæc fiunt ſubmiſſione, non ex amiſſione Summæ Poteſtatis, ſciendum eſt, Imperantes, ſicut reliqua ſuis ſubjectis, ſic etiam ea quorum ipſi debitores ſunt, adimere poſſe. Primo in pœnam admiſſi, publicatione omnium vel partis bonorum factâ, vel etiam *illius ſpecialiter*, quo illa delinquenti obſtricta eſt; quod tamen, ut invidiæ plenum ut evitetur opera danda eſt. Denique *ex probabili causâ* (g) dominii eminentis, modò ejus prætextû non tegantur iniquitates & calumniæ. Si quid tale fiat, & generaliter quoties ſine delicto creditoris aut ſine extremâ Reipublicæ neceſſitate obligationi ſe ſubducit Princeps, tenetur ad reparandum damnum. Nam etſi utilitatis ratione Dominii eminentis aliquis per publicationem rerum unius è civibus uſus eſſe queat, tamen aliâ viâ patientibus indemnitatem Reſpublica præſtare debet, *utique regulariter.* Si contra agant Imperantes, faciunt quod illi, qui pro lubitu cives ſpoliant, quo caſu quid juris aut patientiæ competat, *ſuperius* dictum eſt.

g) EX PROBABILI CAVSA. Citrà factum culpamve ejus. Aliàs enim ne quidem de *plenitudine poteſtatis* contractus cum ſubditis initi retractari illisve adimi jus quæſitum, poteſt; Klock. *cap. 16. de Contribut. ſect. 1. num. 172.* quantumvis ex Jure *Civili* ſubditis quæſitum Jus fuerit; veluti per *præſcriptionem.* Sed Dominium *eminens* ubique prævalet, ùt ob hoc auferri aut differri debitum poſſit: quò Tabulæ novæ pertinent Σεισαχθεία apud Athenienſes, vid. de eâ Diſſertat. *Spitzii.* Falſum tamen dicere Principi per dominium eminens non licet; ùt rectè *Oſiander* contra Grotium *Lib. III. cap. 1. §. 15.*

VII. Paulo diverſa eſt ratio conventionum de rebus ad ſummam poteſtatem pertinentibus initarum, quas Reges non ut membra, ſed ut capita civitatis aut civitates ipſæ contrahunt. In his palam eſt, non habere locum Leges civiles, quoniam illæ conſiſtunt in imperando, cogendo,

gendo, quod non cadit in summam potestatem; proinde nulla exinde quam ex præsumptione voluntatis oriri potest obligatio.

VIII. Porro ab hac naturali obligatione Princeps *in ejusmodi negotiis*(*b*) semet in integrum restituere, propter causas jure civili proditas, non potest, ut contra Bodinum *Grot.* rectè statuit *l. 2. c. 14. in pr.* quia restitutio illa à superiori potestate restituendi proficisci debet. Rem tamen fere eodem in effectu recidere oportet, ut Regibus per modum exceptionum, quæ sunt juris Gentium, prosint causæ justæ, propter quas obligatio naturaliter resolvi debeat, ut sunt dolus malus, metus injustus, *haud perinde ætas*, nisi quid Rex pupillus suo motu sine Tutore consilioque pueriliter egerit. Et sic à *Grotio* dissidentes eidem conciliantur, etiam quà populos, qui restitutionis in integrum jura ignorant. De obligatione Principis ex LL. fundamentalibus satis ex *suprà dictis* constat.

(*b*) IN EJUSMODI NEGOTIIS. Videlicet quanquam Rex in negotiis, quæ cum *subditis* suscepit, Ipse judicare possit, non tamen potest in illis, quæ suscepit cum *extero*; imò nec in his, quæ cum subditis iniit, aliter, quàm *privatus*, puta ùt caput Civitatis: nam hactenus judicium ad Regem pertinere non potest, quippe quòd Rex non sit, nisi sub conditione pactorum cum populo initorum, nec unquam possit ratione pactorum regni considerari ùt Princeps, sed ùt pars contrahens, quæ ex Jure Gentium, quasi nondum Legem Civilem ferre possit, dijudicanda sit. Cæterum rectè *Auctor*, dum effectum similem restitutionis, in his etiam causis, admittit, ut magis per exceptionem Princeps se tueatur, quàm ut rem arbitrio & sententiâ suâ, (quod non partis, sed judicis est,) definiat.

IX. Effectus obligationis illius naturalis quis sit, respectu exterorum, facile dictu est; nam ubi desinunt *judicia ibi incipiunt bella.* Quod autem sponte & liberaliter per modum PRIVILEGII, (secus *in donationibus*(*i*) propriè dictis) conceditur, id contrario *privilegio* tolli potest, *uti Lex Lege contrariâ potest abrogari.* In cæteris cum populo initis contractibus super rebus ad majestatem spectantibus, (*non tamen, quibus ipsum jus aliquod Majestatis tollatur*) (*k*) idem sine dubio juris est, quod modo de privatis negotiis per se consideratis tradidimus. Scilicet ut naturalis inde nascatur obligatio eaque efficacissima, & jus perfectum populo acquiratur, ita *ut contrà quàm conventum est, Imperantes facere non possint.* Sed ut leges civiles ad hos contractus non producuntur, ita nec tribunal aut judicium datur ullum, in quo de hisce controversiis disceptetur, quin si tale tribunal daretur, hoc ipso desineret esse summa Potestas.

(*i*) IN DONATIONIBUS. Videtur auctor nomine *Privilegiorum* intelligere constitutiones *speciales*, ùt sunt jura, quæ certum personarum Ordinem, vel causas certas concernunt: Ita ejusmodi privile-

privilegia perinde tolli possunt, ùt lex quælibet alia, modò ratio non repugnet; aut verò intelligit privilegia *ad beneplacitum* concessa, quæ tamen cum lege non rectè comparantur: siquidem ad præcepta saltim suô modô universalia non pertinent. Cæterùm *Donationes* illas *strictè* appellare solemus, quæ se exserunt in privilegiis *in perpetuum*, cum abalienatione quâdam concessis, etiamsi personarum qualitatem contineant; ùt sunt gradus dignitatum, Nobilitas & similia. Et has donationes sive privilegia non posse revocari communiter docent. In universum, Privilegia sive *constitutiones* personales, ùt in jure Civili appellantur, (quô nomine etiam illæ veniunt, quæ familiis integris aut heredibus conferuntur, sicque *realia* sunt; ceu in dubio omnia esse censentur: juxta Menoch. *in L. 3. præsumt. cap. 103. num. 13.*) vel ex causâ *Onerosâ* concessa sunt, vel ex *lucrativa*. *Illa* quidem faciliùs revocantur; sed quæ ex causâ *onerosa* procedunt, non utique: quippe quòd vim contractûs habeant; nisi justissimæ & gravissimæ causæ id suaserint: de quibus, post *Encnckelium* Rumelin. *part. 2. ad A. B. Dissertat. 4. thes. 12.* ibique *Mylerus*.

(*k*) JUS ALIQUOD MAJESTATIS TOLLATUR. Quasi videlicet super eô pacisci populus non posset.

X. Qui sunt in statu naturali, his licet obligationem Naturalem armis exequi: sed populus sub Imperium redactus longissime ab eo statu remotus est. Quare si pactis stare nolint Imperantes, ratio cogendi illos, nulla datur subjectis, nisi quatenus hi in societatem Imperii, saltem pro parte, recepti sunt. Proinde, si Rex ἀνυπεύθυνος civilibus armis cum populo suo vel ejus parte colluctatus, pacem certis pactionibus iniverit, easque vel jurejurando quoque firmaverit, tenetur quidem omni modo, *gravissimeque perjurus est, ni stet conventis.* Si tamen stare nolit, dabiturne ad arma regressus? Nulla quidem juris ratio id populo permittit, nisi in partem imperii recepto. Quod si populus in Regem absolutum extra causas, *in capitulo de tyrannide* expositas, arma ceperit, superatoque conditiones extorserit, non videtur Rex ad eas servandas cum effectu obligatus. Quia *metus injusti auctor*, (*l*) *ut & alias dictum*, tenetur ad eum quem coegit, obligatione, quâ summo jure & directe obstrictus est, liberandum.

(*l*) METUS INJUSTI AUCTOR.) Rectè de metu *injusto* ex *causâ* rem definit Auctor. Aliàs si per vim ac metum *justum* Principi conditiones pacis, veluti cum extero Rege, extortæ sint, ne quidem eas servandas esse *Salonius* docuit *de Just. & Jure in contractib. & commerc. quæst. 88. art. 3. contr overs. 1.* & *Lessius L. 2. d. J. & J. c. 17. dub. 6. n. 38.* omninò malè! Si quidem metus, qui jure licitò illatus est, cui & ipse contrahens causam dedit, nunquam ad rescindendum negotium proficere potest: qualis metus est *belli justi*. vid. *l. 21. in pr. quod met. caus.* & Hug. Grot. *Lib. 3. cap. 19. n. 4.* quantumvis per conventionem ejusmodi *Domanialium* bonorum facta fuerit alienatio; ùt graviter decidit Sandius *de probibitâ rerum alienat. cap. 6.* conf. Gudel. *cap. 10. & 11. de Pace.*

XI. Videamus *de successoribus*, (*m*) quomodo hi ex contractibus teneantur. Notum est, jure naturæ haud minus quam civili obligatio-

nem, quæ ex conventionibus eſt, transire ad heredes. Sed hoc ideo, quia qualitas heredis ex tacitâ vel expreſsâ defuncti voluntate deduci ſolet; *tacitâ*, cùm ſucceſſio ab inteſtato defertur, *expreſsâ* vi teſtamenti. Quam in regnis voluntariis utramque ſecus ſe habere, ex iis, quæ *ſuprà* de ſucceſſione dicta ſunt, intelligitur. Nam ibi ſucceſſores non accipiunt ſuum jus ab eo, qui proxime deceſſit, ſed à populo, *qui voluntatem ſuam Lege perpetuâ ſemel ſtabilivit.*

(*m*) De successoribus. Hanc quæſtionem, quæ poſt Reinking. *Lib. I. claſſ. 3. cap. 10.* diligenter tractavit Tabor *in c. 5. de Obligat. Succeſſor. in Offic.* Diſtinctiones præcipuè hæ ſunt: 1) Inter eum, qui ſuccedit *jure ſanguinis*, & qui jure *electionis*. 2) Inter Regnum *patrimoniale* & *uſufructuarium*. Equidem in *uſufructuario*, ùt appellant, Reges non immediatè, ſed per interpoſitam civitatem, nec pro ſe, ſed tanquam capita civitatum, contraxiſſe intelliguntur. Hugo Grot. *Lib. 2. c. 14. num. 11.* Indeque licèt Succeſſor, maximè ſi per electionem conſtituatur, ex *perſonâ* anteceſſoris, obſtrictus non ſit: tamen ex *negotii* ipſius *naturâ* tenetur, etſi cum Principe ſolo negotium initum fuerit; modò factum hoc ſit ſub nomine dignitatis & officii Principalis, atque juxta morem & conſuetudinem Regni: vid. Klock. *cap. 8. de Contribut. num. 78. & ſeqq.* hoc eſt, ut *cauſa* negotii fuerit rationabilis: qualis non ſolùm ea cenſenda eſt, quæ actu in utilitatem Regni ceſſit, ſed quæ probabiliter cedere potuit. vid. *l. 12. C. de Transact.* quod quidem laxiùs aliquantò *Auctor* interpretandum eſſe vult, atque ex conditione ipſius Regni & quonam illud jure, plenô an minùs plenô (nam & in *uſufructuario* gradus ſunt) teneatur, dependet. Quare haud dubiè falluntur, qui inter læſionem Reipublicæ modicam & *magnam* diſtinguunt: cum nec ob magnam retractari conventio debeat, ſi modò re ipsâ ac eventu, & non ex deceptione ſeu dolô contrahentis alterius evenerit. Nec minùs *gratioſa* negotia Succeſſor, licèt per electionem, rata habere debet: de quô Barboſa *ad Capit. ſi gratiosè x. de Reſcript.* & Feudiſtæ, de Conceſſione *Expectativarum;* cumprimis Struvius *cap. 7. de feud. aphor. 9.* & quæ *ibid.* maximè de conſultatione Regni Sueciæ diximus, ſuper Expectativis & conceſſionibus à *Chriſtinâ Reginâ* factis, in Comitiis Holmiæ anno 1655. habitis, *25. Junii:* quam inſecuta eſt die Verordnung, betreffend diejenigen Güther derſelben Reduction, und was dem anhängig, welche voriger Zeit zu Nachtheil der Kron vergeben worden, ubi præprimis *§. 9. 18. & ſeqq.* legi merentur. Denique quòusque *negligentia* ſive *Culpa* anteceſſoris ſucceſſoribus noceat? non minùs diſpiciendum eſt: eòque pertinet quæſtio illa, an *præſcriptio* contra anteceſſorem ſucceſſori noceat? Puta quoad ea, quæ præſcriptioni ſubſunt; de quo videri poteſt Mylerus cum citatis in *Nomologia, cap. 17.*

XII. Nihilo ſecus dicendum, ſucceſſores Regum etiam ex contractibus teneri, ſed cum diſtinctione. Rex enim habet & *patrimonium* peculiare & *regnum*, quæ poſt mortem diverſa relinquit, tam ubi hereditaria quàm inſtitutiva obtinet ſucceſſio. Regnum quid ſit, per ſe intelligitur; *patrimonium* peculiare eſt omne id, quod vel ante imperium delatum habuit, aut aliunde ei advenit, vel tempore imperii lucratus eſt, atque à rationibus publicis ſeorſim habuit. In jure Romano vocantur *res dominicæ, res Cæſaris.* Hæc etiam in hereditariis Imperiis

à regno

à regno ſeparata ſunt, quia, ut ſupra diſputavimus, hoc Rex plerumque manere vult unitum & in unum devolvendum, *quemadmodum & in voluntariis*, non æquè privatum peculium, niſi quatenus aliter conſtitutum eſt, ut quæ ante regnum quæſita ſunt, ad coronæ jus uniantur.

XIII. Patrimonium defertur ab inteſtato ad omnes in pari ſanguinis gradu conſtitutos, *qui proinde pariter defunctum repræſentant*, ac ita omnes pro hereditariis partibus è privatis illius contractibus obligantur. Proinde qui Regno potitur, ſi is partem de patrimonio tulerit, pro virili etiam tenetur, ſin excluſus vel ſponte abſtinuerit, æris quoque alieni omniumque præſtationum liber eſt.

XIV. Sed obligationes, quæ propter Rempublicam initæ ſunt, tenent omnino ſucceſſorem, non ut heredem, ſed ut caput civitatis, imo ut ipſam civitatem. Hæc enim abſolutè conſiderata, ut omnes cœtus initi, facultatem habet obligandi ſe ipſam, idque jus in alium transferre poteſt. Transtulit autem in ſummos Imperantes, qui perſonam civitatis conſtituunt, ejusque jus omne & integrum exercent. Limitant hoc tamen graviſſimi ſcriptores, ut procedat, *ſi acta Regum deceſſorum habeant probabilem rationem*, non ſi ratione careant probabili, *Grot. Lib. II. cap. 14. §. 13.* Prorſus ut de adminiſtratoribus civitatum jure Romano proditum eſt, valere contractus, ſi res in utilitatem civitatis verſa ſit, valere transactiones ab illis factas in rebus dubiis, non ſi id quod indubitate debeatur remiſerint, & de tutore, eum Domini loco haberi, cum rem adminiſtrat, non cum pupillum ſpoliat. *l. 28. §. 1. π. de Pact. l. 22. C. eod. l. 7. §. 3. Pro empt. Grot. d. l.*

XV. Nos intelligimus, ſi quid turpe aut manifeſto abſurdum planeque ſtultum contraxerit Rex, aut deciderit, quod in ipſius poteſtate non erat, ut ſi partem regni alienaverit, id non eſſe in terminis habilibus propagandæ obligationis ad ſucceſſores. Verba autem *probabilis rationis* nimis laxa videntur, magisque exempla tutorum & adminiſtratorum qui legibus tenentur. Etenim Imperantes ſupremi poſſunt omnia facere, quæ civitas ipſa poteſt, ſi non egrediantur terminos poteſtatis ſibi delatæ; & civitas poteſt quicquid Dominus & quilibet arbiter rerum ſuarum, qui pro libitu de rebus ſuis diſponit teneturque,

tam si male quam si bene rem gesserit; veluti si prodigas fecerit donationes.

XVI. Plane quod à Summâ Potestate populo imperatum, non haberet vim eos obligandi, id neque per contractum in obligationem deductum poterit obstringere cives: sed è contrà, quod vim adversus illos parendi haberet, id cum in potestate Regnantium sit, valebit, etiam, ubi per conventionem alii jus inde comparatum fuerit.

XVII. Sed de Jurejurandô promissionibus Summarum Potestatum adjici solito, aliqui putant, multum accedere ad arctitudinem obligationis. Et quidem versus Deum & interiora conscientiæ obligationi simplici, accedit Religio, & ob hanc culpa perjurii, si promissum circumveniat. Unde nec si Pactis fundamentalibus addatur, quicquam mutat, quippe quod eo etiam non adjectô Princeps in his quæ excepta in iis sunt, pro privato habetur: neque etiam si pactis & conventionibus aliis adjiciatur plus efficit, nisi quòd nota perfidiæ & impietatis è spretâ religione sequatur.

CAPUT XLV.

Quibus modis summa potestas finiatur.

ARGUMENTUM.

Modi recensentur decem indubitati, amotâ priùs falsâ opinione, mors, tempus imperio præfinitum, præscriptio, abdicatio, derelictio, existentia conditionis commissoriæ, felonia, animus Imperantis hostilis, jus belli, unio. Modos, de quibus dubitari queat esse, captivitatem, alienationem, subjectionem infra alium factam, negligentiam, bellum contra cives, regno necdum delato, gestum.

I.

ABsolutis, quæ pro hujus instituti ratione de juribus summæ potestatis suppetebant, non erit abs re *modos* percurrere, *quibus finiatur Summa Potestas*; in quod omnis methodica desinit oratio atque tractatus. Quo locô amovenda prius est eorum sententia, qui libertatem esse volunt rem meræ facultatis, quam repetere quandocunque liceat. Et tamen quod semel alienatum est, sinè nova causa repetere non licet.

II. Fi-

II. Finitur autem imperium vel unà cum civitate tota, vel consistente reliquo corpore, sola extinguitur. Primus igitur, quo sola Majestas finitur modus est Mors, cunctarum ultima linea rerum; est enim Potestas summa, *facultas personalis.* (*a*) Et quod in successoriis dicitur, Regem non mori, analogicè ad suum heredem in quo defunctus revivifcit, *L. 11. d. Lib. & posth.* intelligendum est. Secundò, finitur *tempore*, quod ab his, quorum est primævum jus imperandi, paucis vel uni præfigitur, postquam *suprà* obtinuimus, temporariam non desinere esse verè summam potestatem. Tertiò *præscriptione*, cujus & in tempore præcipua vis est, primo quidem si Rex verus populo, vel Proceribus, aut populus liber Principi vel Proceribus subjiciantur. Si populi dein ut principes diversi, possessione immemoriali contrà se invicem utantur, quod & juris Gentium est & iisdem rationibus firmari potest, quæ superius adducuntur. Nisi quod hic facilior & frequentior sit quam in eadem civitate, *protestatio*, qua jus suum qui possessione carent, reservant, cui fini aptissima est, usurpatio continua nominis & titulorum specialis. Nam titulus Augusti, Romanorum Imperatoris generalis, item reservatio amissorum in Capitulatione cum suis non sufficit. Cæterùm possessio immemorialis in eâdem Civitate recordatione hominum præsentium, non memoriâ literarum nititur. Quartò, finitur *abdicatione*, (*b*) quando Rex Imperium deponit, sive reddat populo Rempublicam, ut *Servius Tullius* voluit, ut *Augustus* simulavit, ut perpetuus Dictator *Sylla* fecit, seu transferat in alium, ut *Diocletianus* & *Maximianus*, nec non *Carolus Cæsar V.* & *Christina Succiæ.* Quintò, si Rex Imperium *pro derelicto* habeat vel revera deserat atque destituat, ut *Henricus Andegavensis Poloniam.* (*c*) Qui tamen nomen Regis Poloniæ per omnem vitam præ se tulit. Sextò, *existentiâ conditionis*, ad quam delatum est Imperium, ut si lex commissoria regiæ electioni adjecta sit; ubi hoc vel illud Rex admiserit, fore uti jure suo cadat. Septimò, per *feloniam* amittitur feudale regnum, id est, grave delictum vasalli adversus Dominum: posse enim in feudo summam esse potestatem jam dudum probavimus. Octavò, si Rex *hostilem animum* contra populum suum induat, aut aliter Tyrannidem committat, idque palam liqueat, Imperium haud dubie perdit;

quando nihil directius officio imperandi adversatur, imò funditus illud evertit. Denique, nonò, *jure belli* summa potestas auferri potest & solet, quia victor in devictos jure Gentium, cujusmodi vult, Imperium adipiscitur. Decimus finiendæ Majestatis modus est, unio cum aliâ majore civitate; nam tunc, *ut supra dictum est*, civitas, quæ prius ipsa per se habebat summam potestatem, fit membrum majoris imperii & pars corporis subjecti, quomodo in Gallia majores provinciæ *Normandia*, *Britannia*, *Aquitania*, *Delfinatus*, *Provincia* aliæque majestatem amiserunt.

(*a*) FACULTAS PERSONALIS. Moritur tamen unà etiam Majestas realis. Equidem Regem *Galliæ* dicunt non mori. At verò etiam in eo, Majestas personalissima est non minùs, utut nullum inter Regem morientem & Successorem, ùt nec, in aliis Regnis successivis, Majestatis commutatæ, sit interstitium. De secundô, tertiô & sextô modô Auctoris ex *superiùs* dictis statui potest.

(*b*) ABDICATIONE. De quâ an *licita* sit? *Doctores* disputant; ùt videre est *apud* Limnæum *Lib. 2. Jur. publ. cap. 11. num. 2. & seq.* ubi tamen malè ex Jure Civili & Canonico argumenta petuntur. Utique pro *negativâ* adducitur 1) quòd Majestas deferatur perpetua, eademque non aliter suscipiatur. 2) De Regno Rex non possit disponere. 3) Conventione semetipsum illa liberare nequeat: cum nexus sit mutuus. 4) Imperium sit munus publicum, quod, cumprimis in Regno electitiô, Civium quilibet invitus ut suscipiat, cogi possit. Per quæ argumenta in negativam cum *Limnæo* procedit Fritschius *de Resignat. Officior. c. 1. n. 17. & seqq.* & tamen facilè ad singula Resp. ad 1) quòd Majestas quidem Imperantis sit perpetua à parte populi, ut videlicet ab hoc illa Regi eripi non possit. Ad 2) non hôc modô de imperio, sed de persona tantum Imperantis disponi: in quam cum nullum jus Civibus reservatum sit: naturali eam libertate frui oportere. vid. Grot: *Lib. 2. cap. 7. §. 26.* Ad 3) non habere Regem Jus regendi per conventionem, sed per liberrimam acceptationem: quâ unicè imperandi habitus acquiritur. Conventio enim solùm regendi *modum* respicit, qui nolentem imperare non obligat: & posse me rem sub modô mihi donatam derelinquere; ceu re dimissâ, modus etiam concidat. Ad 4) in muneribus à Superiori dependentibus, qui jus cogendi habet, ùt in tutela & similibus, istud obtinere. Et quamquam in Regno electitio invitus cogi possit ad suscipiendum quoque imperium, tamen ùt causæ declinandi audiendæ sunt, sic etiam agnoscendas esse causas resignandi. Nec coactionem illam ad suscipiendum ex vi imperii procedere: Siquidem in statu Interregni nulla Aristocratia reperitur; sed tantum electus ratione suâ & conscientiâ vel amore publici, dum alius idoneus non reperitur, diadema suscipit: quâ ratione adhuc dicitur electionem admisisse, ùt v. c. in Imperio Romano, **GOtt zu Ehr und Lob und der werthen Christenheit zum Trost und Nutzen aus freyem gnädigem Willen.** Hinc si quæras: an tunc etiam ad retinendum Regnum cogi possit imperans, si expressè *promiserit*, se imperium depositurum non esse? Dicendum est, quòd adhuc ei resignare liceat, si justa *superveniat* renunciandi causa: siquidem 1) is etiam, qui in perpetuum ministerio cujusdam se addixit, interesse præstando liberare potest. 2) Humanæ necessitati nemo validè renunciat. vid. *Doctores* ad *l. 4. §. 4. ff. si quis cautionibus, &c.* 3) Nec ipsi Reipublicæ plerumque expediet, si causas resignandi Imperans Ordinibus probaverit, ut invitum & difficilem retineant. Cæterùm ad hunc modum resignationis referri posset *Ingressus* in *Monasterium*: de quô Hermes *Cap. 6. num. 7. Jur. publ.* modò hæc justa resignandi causa esset, quam sanè Status in Heinrico II. agnoscere noluerunt.

(*c*) HEINRICUS ANDEGAVENSIS POLONIAM. Heinricus Valesius, Dux Andegavensis, Heinrici II, Regis Galliarum filius. Nam his, post

post fratris Caroli IX. obitum, circà annum 1574. ad regendam Galliam, *ex Polonia*, in quâ per sex menses subsliterat, per Viennam & Venetias, & hinc Sabaudiam in Galliam, *clam discessit*.

III. Secundum hæc aliqui sunt modi, de quibus *ambigi* potest, tollant, an non tollant summam potestatem. De *captivitate primum*, quæ est mors civilis; utique ex hypothesi servitutis antiquæ dicendum videbatur, summo jure amitti Regnum, sed *postliminio*, quod est juris Gentium, restitui: at inter eos populos qui servitutis rigore non utuntur, exercitium amittitur, jus ipsum retinetur, sicut in Gallia Rege Johanne atque *Francisco* captis, illo apud *Pictaviam*, hoc apud *Paviam*, accidit. *Alienatione* aut *subjectione* regni in alium aut sub alio factâ à Rege, jus Majestatis amitti tradit *Barclajus l. 4. c. 16. contr. Monarchom.* à *Grotio* reprehensus, eò quod talis actus sit ipso jure nullus, cujus proinde nullus esse queat effectus; nisi ut populus alienationem vel subjectionem Regi executuro vi resistat, ut *Angli adversus Johannem*, (*d*) qui se Pontifici vasallum addixerat, fecerunt. *Grot. lib. 1. cap. 4. §. 10.* Equidem in regno patrimoniali non potest esse vera *Barclaii* sententia, si modo loquatur de illo. In voluntario tunc erit vera, si alienationem Rex sit jam executus & traditione impleverit; nam Rex novus non est Rex, eoque excusso nihil est causæ, cur venditor sit restituendus in locum quem dereliquit.

(*d*) ANGLI ADVERSVS JOHANNEM. Dictus hic fuit Johannes sine terrâ, frater Richardi I, qui cùm Richardus abesset in Syriâ, ad Regnum adspirare cœpit. Et quanquam redux Richardus ei nepotem Archidurum, ex fratre alterô, prætulisset: ei tamen Johannes Regnum præripuit; variè deinceps cum proceribus & ipsô Rege Galliæ, ab istis in auxilium vocatô bellis implicitus: donec ab Innocentio III. Pontifice *excommunicationis* fulminè peteretur. Ab hoc enim priùs solvi non potuit, quam *tributô perpetuô* promissô, vasallum sedis Romanæ se profiteretur.

IV. Verum ob nudum alienandi conatum, etsi contractus sit perfectus, non posse Regem *spoliari Imperio*, (*e*) prorsus cum Grotiô statuendum est; nec etiam si duntaxat submiserit se alii: sed ultra nullitatem justamque impediendi causam non videtur procedendum, nec enim ulla causa liquet, cur plus decerni debeat quam ne conatus sortiatur effectum. Quanquam exempla non desunt efficaciora *Johannis Balioli* in Scotia, & *Caroli Lotharingi*, in Galliâ, quibus hoc imputatum fuit, ad Juris Regii commissionem, *Buchanan. Histor. Scot. lib. 8. Reg. 95. Mezeray compend. Histor. Gall. regn. Hug. Capeti* Iean. de Serres

Serres *ibidem*; qui sic ea de re: *Ainsi per cet hommage & recognoissance il avoit comme quitté tout le droit, qu' il pouroit pretendre à la Couronne de France.* id est, *per illud homagium & subjectionem omne jus, quod in Galliæ coronam præferre poterat, quasi dereliquerat.* Atqui non Galliæ Regnum, sed Lotharingiæ Ducatum duntaxat ab Ottone Cæsare agnoverant. Quid hoc ad commissum regni Gallicani? Potest etiam quæri, an per negligentiam Rex cadat Imperio, ut Franci *in ultimis Merovingiorum (f)* servarunt. De facto nil frequentius est. De jure tamen non videtur; sed si per eam civitas περὶ τῶν ὅλων periclitetur, statuimus populum aut optimates Regi aliquos adjungere posse, qui pro conservatione totius, quod primum civitatis fundamentum, invigilent, haud tamen ultrà quam postulet necessitas. Idem juris est, si Rex incidat in furorem, *ut Carolus VI. Rex Galliæ. (g)*

(e) SPOLIARI IMPERIO. Ut *proinde* indifferenter hujusmodi conatum ad animum hostilem non referre debuerit Bœclerus ad *Lib. I. Grot. cap. 4. §. 10.* Nam hic distinctionibus opus est. Multò minùs Rex destitui potest, quando Regnum in clientelam vel feudum alteri daturus est: de quô, idem *Bœclerus* videri potest, *pag. 285.* ubi etiam distinctionem inter proprietatem & *usumfructum* Regni captionibus obnoxiam esse fatetur: & *p. 288.* rectè docet, ne quidem ei, qui per successionem Regnum tenet, istud *alienare* licere. Sed de his omnibus ex *suprà* dictis decerni potest. Cæterùm, quòd per alienationem illicitam Rex suô jure cadat: illud sub generali causa destitutionis contineri potest, quâ *vinculum* inter imperantes & parentes *dissolvitur*.


(f) IN VLTIMIS MEROVINGIORVM. Childerico utrôque & Theodorico: Nam *Childericus III.* stupidus, ultimus Merovingorum, qui Rex ex Monacho factus fuerat, cum socordiæ deditus omnia *Pipini*, Aulæ Magistri & patris Caroli M. *arbitrio* relinqueret, auctoritate Zachariæ *Pontificis* & consensu *Procerum* denuò monasterio inclusus, & à juramento ejus Galli absoluti, eique successor Pipinus datus est, à quo *Carolingorum* familia sive periodus nova in Regibus Galliæ cœpit.

(g) UT CAROLVS VI. REX GALLIÆ. Velesius, qui cum mente titubare videretur, Patrui ejus Regnum administrarunt. Ipse tamen cùm inde variæ turbæ orirentur captus, *Heinrico V. Anglorum Regi* traditus est, qui ex hinc occasionem Regni *Galliæ* subigendi, junctâ sibi in uxorem Caroli VI. filiâ, captavit. Sed ejecit eum ex Galliâ, quam totam ferè tenebat, Duce *puellâ Johannâ Aurelianensi*, Carolus VII. dicti Caroli VI. filius. Simile exemplum reperitur in Histor. Rom. Impp. in *Carolo III. Crasso*, qui & ipse ex morbo capitis stupidus & amens, rebusque gerendis inutilis factus, Regno excidisse fertur à multis, obsequium primùm exeuntibus Francis, Saxonibus Thuringis, & dehinc Bojis & Alemannis; sed potiùs *Arnulphus* ei Tutorem sive Curatorem, quanquam sub Titulo *Vice-Imperatoris*, ut *alibi* ostendi, admotus est. vid. Auctorem Compilationis Chronologicæ *apud* Pistorium *Tom. I. Veterum Scriptorum anno 887.*

V. Sæpe quæsitum est, an quod Rex ante regnum initum hostis regni fuisset, hinc in successivo Imperio amittat jus Regni, quomodo Galli *Carolum Lothringum (h)* hac etiam causâ exclusere, non *Ludovicum Aurelianensem*, in quo brevi murmure parem causam transmiserunt *Guicar-*

Guicardin. lib. 4. de Bell. Ital. sub fin. Quod fuit justius, nam juris ratio minime commissum regni ob illam causam infert, modo non maneat hostis, ubi regnum ipsi delatum fuerit. *Hinc jus stirpis Capevingiæ*, nobilis Galliæ historicus, niti inquit, *benedictione divinâ & possessione continuâ*, cui præteritio Caroli prioris locum fecerat, *Jean de Serres in regno Hugonis Capeti, ubi, Cette Election estant esté authorisée par la benediction de Dieu, qui en a maintenue la possession en la posterité successive de Capet &c.* perinde ac si diceret; *usurpatione felici &* longissimo tempore. Rem tamen aliter accipit Hottomannus in *Franco-Galliâ*, qui id factum docet ab universo corpore populi Franco-Gallici, quemadmodum adversus priorem stirpem Merovingiam decretum fuerat. Cujus facti ratio inde pendet, utrum potestas Regia tum fuerit παμβασιλική an verè νόμιμος & λακωνική populoque subjecta. Quomodo nunc in Gallia se res habeant inde ab aliquot seculis, omnibus constat, neque jam Gallis ulla ratio mutationum, quam quæ est in verbis *Serresii*, reddi posset; neque tum quidem olim quod ad successionem attinet, aliter se res habuisse videtur.

(*b*) CAROLVM LOTHARINGIVM. Qui post obitum *Ludovici V, ultimi Carolingorum*, jure sanguinis, tanquam Patruus & Ludovici IV. filius, cui jam ante Otto II. Imp. *Lotharingiam* concesserat, Galliæ Regnum adire volebat; sed ab *Hugone Capeto* duobus præliis repressus atque permissâ ei Lotharingiâ ab omni spe recuperandi Regni Francici cum posteris exclusus est. Videlicet cum Ottone II. Imperatore, Lotharingiam à Gallis repetente fecerat ipse Ludovicus, quem inde Hugo cum Patre & cæteris Galliæ proceribus pro hoste Regni habuerant. Quòd verò *Ludovicum Aurelianensem* attinet, XI. videlicet ex Valesiis, cujus hîc meminit Auctor: ille Bella adversus Proceres initiò gessit; quos tamen deinceps restituere coactus est, retento imperiô. Ipse tandem castello Plessio semet inclusit & omnibus diffisus ærumnosam vitam traxit; ùt *apud* Comminæum *Lib. 9. & 10.* legimus. Hoc exemplum dissimile est priori, nec par etiam causa hostilitatis.





JVRIS PVBLICI UNIVERSALIS,

SIVE,

DE

JVRE CIVITATIS LIBER II.

QVI EST

DE HIS QVI SVBJECTI SVNT IMPERIO CIVITATIS.

CAPVT I.

De

Familiâ & Matrimonio.

ARGVMENTVM.

Status Naturalis duplex, respectu singulorum & familiarum. Ex familiis proximè civitas componitur. Definitio familiæ ejusque explicatio & defensio contra Bodinum & Arnisæum. Constare eam societate triplici, mariti & uxoris, parentum & liberorum, Domini & servi. Finis familiarum quis. Liberos matrimonii magis quam familiæ esse finem. Definitio matrimonii Grotiana improbatur. JCtorum præfertur. Quid in ea, individua. *Polygamiam ne quidem naturali ratione probari. Consensum perficere connubium, non deductionem in domum neque ἱερολογίαν. Communionem bonorum non nisi per legem stabiliri. De Imperio Viri in uxorem. Causæ divortii & nullitatis matrimonii. Comparatio inter Jus virorum & mulierum.*

I. Civi-

I.

Civitatem nihil esse quam societatem familiarum (*a*) eodem summo Imperio unitam, aliàs ex Aristotele diximus.* Absque Imperio, Familiæ recte dicuntur esse in statu naturali, quanquam & alio strictiore sensu, recessus à statu naturali quovis facto & pacto intelligi potest. (*b*) Quando igitur duabus omnino partibus constat civitas, Imperantibus atque Parentibus sive subjectis, absoluto Imperio, res jubet, ut de his qui subjecti sunt, loquamur, qui in definitione civitatis monstrantur, *familiæ*.

* *lib. 1. cap. 8.*

(*a*) SOCIETATEM FAMILIARUM. Videtur hic dissentire J. Fr. Hornius *L. 1. Pol. Arch. c. 4. §. 2.* quoniam societates *minores* non esse docet partes Civitatis essentiales: quia sinè illis aliquibus nonnunquàm ea componi possit; neque etiam *ex pagis* civitatem immediatè exsurgere: quia antiquissimis temporibus singulis urbibus Reguli imperaverint. Enimverò, sicut *urbs* non est, nisi ex coëuntibus pagis: ita nec pagi sunt, nisi ex familiis; sive partes essentiales dicas, sive *constitutivas* simpliciter.

(*b*) INTELLIGI POTEST. Hoc vult Auctor, quando familiæ in Civitate considerantur, jam à statu naturali eas recessisse, & ex Lege seu Imperio Civili modum capere. Nec tamen *Civitate* ad hoc præcisè opus esse; verùm etiam familias segreges certis conditionibus posse ea inter se statuere, quæ extrà & præter statum naturalem expedire videant.

Cæterùm si quis non protinus ad homines in Civitate *sub statu* positos respiciat: *Absolutè* quoque considerari possunt, ex hoc, quod *à naturâ* habent; & à jure, quod varios inde tribuit effectûs, *supponitur*. Sic enim in *Comment.* ad *π. tit. d. statu hominum*, in absolutâ illâ conditione ùt *nascendos*, (*ventrem* & dehinc *posthumum*,) atque *natos* consideravimus: ut horum nomine *ostenta* quidem habeantur; *l. 31. d. V. S. monstra* verò non item. *Legitimè* natorum verò nomine etiam censeantur nati, à nuptiis *septimi*, & à morte mariti, *undecimi mensis initiô*. Natos rursus à *corpore* spectari oportet, quoad *sexum*, (ubi & de *hermaphroditis*,) & quæ ibi ratio *fœminarum* sit in Republicâ; & quoad *ætatem*: ubi de Minorennibus, quô annô tales esse desinant: de Senibus item. Ab *animô* autem de mente captis, furiosis.

II. Definiatur Familia, Cœtus plurium personarum, quæ sub unius potestate natura aut jure (*c*) sociatæ sunt, usus quotidiani causâ. Genus *cœtum* maluimus dicere quam ut Bodinus * *Moderationem*, Arnisæus ** *Gubernationem*, exemplo differentiæ, illius inter civitatem & Rempublicam, quarum hæc est ordo, illa multitudo. Sed hæ tam verbis quam re distinguuntur, in familiâ simile discrimen ut verbis inusitatum ita re ignotum est. Non quod regimen à personis non differat, sed quia regimen nusquam familia dicitur, (*d*) at hoc semper ad personas refertur, etiam à JCtis, (*e*) à quibus nostra definitio leniter inflexa mutuo sumta est. *** Addito tamen fine, quam Aristoteles ****

ait

ait esse, εἰς πᾶσαν ἡμέραν. *Ad usum quotidianum*, nam his verbis à collegiis discernitur, quibus & Juridicam convenire definitionem putat Arnisæus. Ideo vult addi vocem, *patrisfamilias*, Ineptè, nam qui nescit, quid sit familia, eum vox *patrisfamilias* certiorem non faciet. Sed differentia ab reliquis collegiis, præter *finem*, constat inde, quod de illorum essentiâ non sit, ut sub unius potestate habeantur, neque ut personas contineant tam naturâ quam jure sociatas, quod utrumque est in familiæ definitione.

* *Lib. 1. de Republ. cap. 4.*
** *Lib. 1. Polit. cap. 2.*
*** *Ex l. 195. §. 2. de verb. signif.*
**** *Lib. 1. polit. cap. 1.*

(*c*) Natura aut jure. Equidem uxores *jure* fieri dicunt Interpretes: servos & filios *naturâ*. Ita *Gæddeus* ad *l. 195. d. V. S.* Quanquàm suô modô servi non minùs, quàm filii, *jure* seu lege constituantur. Vid. *§. 3. h.*

(*d*) Nusquam familia dicitur. Præcisè videlicet: siquidem familia complexu suô tam materiale, seu partes constitutivas, quàm *formale*, denotat, quà directio in ea reperitur.

(*e*) Etiam a Jctis. Si nomen spectes in universum, *Familia* vel juridicè accipitur vel politicè. *Politicum* significatum pro *corpore hominum* in unâ domô, quod numero magnum esse potest, (servorum quoque 400, vel ultrà, apud Romanos.) non minùs suppeditat JCtus in *d. l. 195.* *Juridicè* venit ex Jure vel *Gentium*; quô ad cognatos etiam porrigitur: vel ex *Civili*; & sic vel ad *personas* offertur, vel ad *res* & earum universitatem. *Hôc* modô in tit. *Fam. ercisc.* *Illô*, pertinet tum ad domum unam, iterumque vel *inadæquatè*; ut societas tantum herilis respiciatur: per *tot. tit. Si fam. furt. fec. dic.* Vel *adæquatè*: quâ ratione cum politico significatu coincidit; solùm quòd hic juris respectus præpolleat. Denique *plures domos* vi suâ vocabulum *Familiæ* complectitur, pro unius stirpis agnatis; & sic iterum genti contradistinguitur, quæ plures stirpes, ut Romæ *Gens Cornelia* plures lineas, continet.

III. Personæ jure sociatæ sunt conjuges & servi; naturâ, liberi, ex quibus familia componitur. (*f*) Nam quod idem Arnisæus, liberos negat esse partem familiæ, eò quod finis familiæ sint, non habet rationem. Quia præter quod partem & finem esse diverso respectu non est absurdum, videtur proles matrimonii potius, quam scopus esse familiæ. (*g*) Perfecta igitur familia constat triplici conjunctione, Patrisfamilias, cum uxore, cum liberis, cum servis.

(*f*) Componitur. Quanquàm verò in statu *integritatis* nonnullis videatur *herilis societas* à familiis absuisse, quasi corrupto tantùm statui sit propria; prout quoque in statu corrupto familiæ multæ dentur, quæ famulitio carent. Tamen etiam in statu integritatis famulos & ancillas ad familiam concurrere potuisse, non repugnat; ceu *Respublicæ* integræ, quæ non possunt non ex parentibus etiam sive subjectis constare, existere potuerunt. Quòd verò nunc etiam aliquando in familiâ desit famulitium: illud *per accidens* contingit, & rei ipsius *naturam*, quà perfecta est, non immutat. Aliàs dicere

dicere etiam posses, ad Rempublicam constituendam ne quidem requiri societatem paternam: quæ tamen ad conservandam, & imò ad perfectam Rempublicam constituendam omninò necessaria est. Proinde *imperfecta* est familia, quæ *servô* caret aut ancillâ. Vix etiam familia, & tantùm nomine, quæ caret *liberis*: cùm *juris societas* in his maximè usum fortiatur. Sic & cùm *cœlebs femina* societatem habet *domesticam* cum famulitio. In locum tamen demortui *patrisfamiliâs* quando materfamiliâs succedit, imperfectio non tanta est.

(*g*) Scopus esse familiæ. Si itaque *finis* est Societatis nuptialis, & hæc est familiæ gratiâ: utique ad constitutionem familiæ liberi quoque concurreat; & quatuor minimùm personæ ad constitutionem familiæ requiruntur, si perfecta esse debeat & *integra*, ratione *partium*; Sed quà constitutionem ejus *finalem*, seu ad *usum quotidianum*, tres quoque sufficiunt personæ: nempè paterfamiliâs, fœmina & servus; imò etiam pater, mater, seu uxor, & filius, quia ad societates *miscendas* sufficiunt.

IV. Prima fit per matrimonium, quod Grotius ex (*h*) ratione juris Naturalis & Mosaici nihil ait esse, quam Cohabitationem maris & feminæ, quæ feminam constituat quasi sub oculis & custodiâ mariti, eamque fide datâ mari obstringat.* Magis placent JCti, (*i*) quibus Matrimonium est, viri ac mulieris conjunctio (*k*) individuam vitæ consuetudinem continens. Individua consuetudo** significat arctissimum illud consortium corporis animorum omnisque vitæ, quod natura & mos Gentium non minus quam jus divinum conjugio inesse debere dicunt. Prorsus nihil est aliud *individuum* consortium quam conjunctio in carnem unam, quæ non est juris positivi divini, sed ab ipsâ origine, rei naturæ insita à creatore ***. Sic verbis *individua consuetudo* major inest efficacia, ad vim matrimonii exprimendam, quam quæ Grotius ponit, ut femina sub oculis & custodia viri sit.

* *Grot. lib. 2. cap. 5. num. 8. in f. & n. 9. in pr.*

** §. *1. Inst. de patr. pot.*

*** *Dix. in digress. Iustinian. l. 2. cap. 10. & 11.*

(*h*) Prima. *Prima* est hæc societas ex *simplicibus*, quoad *naturam*; sed *herilis* societas est prima secundum regulas *Oeconomicas*; quòd prius servus, quàm uxor aut liberi, quærendus videatur: (ita Horn. *L. 1. Pol. Archit. cap. 1. num. 2.*) id quod ad Civitatem constitutam referri oportet. Sed an Matrimonium sit *Juris necessarii*, h. e. ut quilibet civium matrimonium inire obstrictus sit? Qu. Equidem apud Gentes quasdam matrimonium necessitatis fuisse, *Mylerus* notat, in *Gamolog. cap. IV. sect. 2. §. 39.* Et sanè nostrates *Theologi* jus præceptivum hic agnoscunt, quando de conjugio *Clericorum* disputant; provocantes ad *Gen. I. 28.* nisi verò *præceptum superius* obstet, aut *impotentia*. Superius esse, quòd non resistendum sit *vocationi* divinæ: quæ tamen vocatio singularis planè est, nec nisi ex certissima notitia de dono continentiæ, motibusque verè divinis, temerè præsumenda: vid. Theologos ad *1. Cor. VII. 7.* Ut difficillimum & meritò impossibile censeas, *toti* cuidam *ordini*, veluti Clericorum, certitudinem vocationis ejusmodi competere. *Calicutenses* quidem *Nobiles* suos tanti faciunt, ut genus iis tribuant *humano excelsius*, indeque illis matrimonio interdicant; ut tamen concubinas iis habere liceat. Inde *sororæ Regis natus* in ejus locum succedit; ùt scribit *Mandelslob* Epist. 1. *Itin. Indic.* Quod verò *impotentiam* attinet, utramque, tùm naturalem quàm violentam, intel-

intelligimus; quanquàm naturalem illam quod concernit, quæ à *fenio* ætatis pendet: illa à matrimonio quidem ineundô quem non arceat: cùm adhuc *finem internum*, adjutorium videlicet mutuum, in conjugio fenum liceat obtinere: quem tamen finem licèt confequi etiam poffint *impotentes alii*; tamen ut finem eum extrà matrimonium quærant, potius eft, quàm ut aliis juncti, quamvis *fobolis procreationi renunciaturis*, fcandalis multis occafionem præbeant: quod confideratum quoque fuit, noftro tempore, in conjugio *Eunuchi* cujusdam, cui gratiam fobolis procreandæ fœmina, juvencula tamen, factura erat: quam in rem vide *Refponfa* Collegiorum ab *Hieronymo Delphinô* edita. Quid quòd etiam in *fenibus* non debeat de fobole procreandâ penitus defperari. Nam fi ad fummum fenium perventum fuerit, ne quidem matrimonia admitti debent: cùm nunquam *finis folus fecundarius* ad actionem moraliter bonam fufficiat; nifi primarius etiam obtineri, aut faltim efficaciter intendi poffit.

(*i*) MAGIS PLACENT JCTI. Non immeritò. Nam ita concepit *Grotius* definitionem, ut cum divortio & polygamia ftare matrimonium poffit: quafi *cohabitatio* tantùm fit, & *directio*, ùt in alia quâlibet focietate; non etiam *vinculum* arctè conftrictum, ùt 1. *Cor.* 7. Pleniùs *Theologi*, quòd fit *legitima & individua conjunctio*, *unius maris & fœminæ*, *ad procreandam fobolem ac mutuum adjutorium*, *ùt & evitationem libidinis*. Civili jure *Matrimonium* quoque citrà pompam feu *ritum* nuptialem procedit. *l.* 22. *C. d. Nupt.* Quâ tamen ratione adhuc à *Sponfalibus de præfenti* diftinguitur.

(*k*) CONJUNCTIO. Quà *focietati* æquipollet; non ùt fimpliciter pro *actione*, five etiam pro *termino actionis*, h. e. unione capitur. Nam actio, quæ unionem five focietatem producit, non femper durat; fed folùm *in fieri* focietatis confpicitur, atque inftantanea eft. *Terminum* fcilicet actionis fi refpicias five unionem: fæpè nulla conjunctio reperitur; nec *animorum*, puta in diffidio matrimoniali; nec *corporis*: & tamen ibi exiftit matrimonium. Plerumque dicunt, nuptias effe *conjunctionem*, matrimonium *focietatem*.

De CONCUBINATU, (qui cum *cœlibe* eft; Uxoris locô: *maritus* enim *pellicem* juxta uxorem ne civili quidem Juftin. Jure, habere poteft; *l. un. C. d. Concub. l.* 21. *d. V. O. l.* 144. *d. V. S.* ùt nec plures fimul Concubinas, *N.* 18. *c.* 5.) fi quæratur: num ille *verum* Matrimonium fit? *Afferendum* eft. In *pellice* enim fecùs eft: quippe quæ nullô juris vinculô marito obftringitur, & furtivô complexu habetur. Nec igitur protinùs eft *Pellicatus*, quando juxta Uxorem *naturali jure* quis fœminam *fecundariam* habet. Hinc verum quoque matrimonium fuerat, quod Patriarchæ cum fuis *fecundariis* habebant: quas nec *pellices*, nec *concubinas* accuratè dixeris. Vid *Gen. XXV.* 5. & 6. *Gen. XVI.* 3. *Gen. III.* 4. *Jud. XIX.* Habet vero præcipuè *Concubinatus* Juris *Civilis* effentialia *veri* Matrimonii. Hinc eum non tam nullum quàm *inæquale* Conjugium dici oportet; *l.* 3. *l.* 5. *§.* 4. *d. Concub.* in quô tamen *fœmina* non *infamis* eft, cùm tantùm *honeftatem*, i. e. dignitatem uxoriam *l.* 41. *§.* 1. *d. R. N. junct. l.* 27. *§.* 1. *d. P. H. l.* 3. *§.* 2. *d. ftellion.* non habeat, & *liberi* degeneres audiant. *l. f. C. de natural. liber.* Quin & *fervorum conjugium verum* eft; quod tamen, fi ad *LL. civiles* expendatur, *Contubernium* appellamus. Videlicet non impedit *naturam conjugii*, quòd unius voluntate *folvi* potuerit Concubinatus: *l.* 1. *pr. d. Concub.* Nam & in *Nuptiis Romani* aliquô tempore faciliores in *divertendo* erant; ne de *Gentibus* aliis dicamus. Etenim fufficit *modus ac finis* conjugii; nec dici poteft, *voluptatis tantùm* (*v. l.* 49. *§.* 4. *d. Leg.* 3.) *communicationem* in Concubinatu fieri. Intereà *Conft. Imp.* P. O. 1530. & 1548. ùt & *Provincialibus* (v. de *Saxon.* quibus pœnam carc. aut relegationis habet Carpz. *q. cr.* 70. *n.* 72.) prohibitus eft.

Nunc quidem Matrimoniis *de Confcientiâ* utuntur aliqui, quos nullus *Superioris* metus abinde pellit; uti funt *Magnates* etiam inter Proteftantes: fi capias nomen *Confcientiæ*, ut *crimen* evitent vagæ libidinis. In cæteris autem, qui *Pontifici* fubfunt, nomen illud innuit, quòd nemo ferè conjunctionis illius præter fociatos *confcius* fit: & *clandeftina* habeantur. *Priorem* fpeciem *pofitivo* quoque jure non impermiffam habent. Utramque *verum* J. N. conftituere matrimonium. Utuntur hâc conjunctione *utriusque fexus* perfonæ. Et *Nobiles* quidem, nullô etiam communi *domiciliô* nullâ communicatione *bonorum*, ut *liberi* non fequantur patrem, nullôque *luctu* quis Conjugem & folùm pro œconomâ agnofcat. Nam ita machinationes fœminarum plebejarum evadere fibi poffe videntur, dum exi-

eximiam ducere consultum non habent. Interim ad Matrimonia *digna* & *perfecta* id genus (quod *Romanis* quidem usitatum non fuit, *l. 32. §. 13. d. Donat. int. V. & U.*) non pertinet, æquè ùt nec *Concubinatus*.

Quid autem de Matrimonio *ad Morganaticam*, quod à Morgen & Gnad, sive *dono matutinali* nomen habet, ac *publicô ritu* solet iniri, durch Vermählung zur lincken Hand: (cùm quidem Matrimonio de Conscientiâ nil plerumque præter *consensum nudum sociatorum*, accedat.) Etenim hoc quoque matrimonium est *verum*, sed *non est plenum*, civili jure: cùm liberi ex eo suscepti *matrem* sequantur, & cum certâ portione hereditariâ, in pactis matrimonialibus definitâ, contenti esse debeant: de quô ad *Jus Feudale*, & aliàs plura. Utique tale non fuit matrimonium *Abrahami* cum *Ketbura*, contra quàm Hugo Grotius II. *c. 7. §. 8.* Nam liberi ex eo nati, ante obitum patris, cum muneribus discesserunt: idque non ex pacto antecedaneo; sed ex merâ Patris liberalitate & dispositione, quam divina voluntas eum in modum direxit. vid. *Genes. XXI.* Denique *ad Thalac* Matrimonium est, quô conjux assumitur à Principe, aliâve illustri personâ, ut *voluntatem* si *mutare* volet ipse, conjux illa non sit ampliùs. Nomen habet à corruptô Græcorum *thalamus*; quod *cubiculum* ipsis est: nam inde Illi hoc genus Matrimonii appellarunt, quô adhuc inter ipsos, etiam ex *Christianis* plures utuntur: ceu *Cretenses* & *vicini* ad triennium plerumque uxores ducunt, ut divortiô secutô liberi apud Patrem maneant. Istud Conjugium quia Genti illi probatur, *Palactus cap. 17. d. Spur. num. 8.* censet, *Venetos* aliquando, dum *liberos* inde *spurios* judicaverint, malè pronunciâsse. Et sanè inter *Nostrates*, si quis Sponsalibus *conditionem* ejusmodi adjiceret, illa pro non adjecta haberetur.

V. Neque placet, quod uxoris ille fidem viro dandam exprimit solam, multò minus causa cur id fecit, ne quid obesset, quo minus viro plures jure naturæ & Hebraico uxores ducere liceat, ut magnus ille existimat. Verius videtur multitudinem uxorum non posse cum arctitudine illius consortii & individuo affectu consistere, adeoque intrinseco conjugii naturæ adversari (*l*) polygamiam *. Quæ nec ad eam rem, cui unice inservire debebat, utilis reperitur, ad replendam populo civitatem; quatenus compertum est, non tam huc facere gignendi quam alendi liberos facilitatem, ut ex comparatione Muhamedanorum & Christianorum, eorumque inter hos, qui promiscua aut multis vetita habent connubia, constat.

* *Digression. lib. 2. cap. 16.*

(*l*) INTRINSECO CONJUGII NATURÆ ADVERSARI. Faciliùs admitti potest hæc sententia, si distinctio illa servetur, quam superiùs indicavimus: ut aliqua Juris naturæ dicantur esse fundata, in ipsâ *Dei natura*: adeoque illa, quæ ab ipsis deviant, directè ipsi naturæ divinæ repugnent; ùt sunt Amor Dei, Fuga idololatriæ, perjurii, mendacii. Alia verò, licèt non sint fundata in ipsâ Dei naturâ & perfectione; radicata tamen sint in *naturâ hominis*, à Deo conditâ: atque hinc non quidem directè ad naturæ divinæ convenientiam referantur; interim ad Deum respiciant *mediatè*, tanquam conditorem naturæ humanæ, cui à Deo insculpta sunt; adeoque cum opere Legis naturæ humano generi inscripto conveniant: quâ ratione dilectio proximi ad Deum reflectit, quia propter hunc proximus diligendus est. Ad hæc quæ generis *posterioris* sunt, prohibitionem *Polygamiæ* referri oporteret. Nam & alia nonnulla ejus generis Deus nonnunquàm admisisse potuit; dum occisionem Isaaci v. g. huc redigunt. Et hinc putant Deum quoque in sanctis suis Polygamiam tolerare potuisse Si verò rationes

rationes quare *Juri Naturæ* polygamia adversa sit, expostules: dicunt, cùm & Christus nos ad primum *initium* matrimonii remittat, adversari (1) polygamiam *bonitati naturæ humanæ*, à Deo primum conditæ: cùm bonitas illa *perpetua* & *speciei* humanæ *communis* sit. (2) maritum uxori suæ indissolubiliter promisisse *potestatem sui corporis;* nec *pactum ab initio* in contrarium valere in socio indissolubili, quod & naturæ negotii adversetur: ceu nec communi consensu, licèt ab initio interpositô, *dissolvere* aliquando matrimonium concessum sit. (3) Fini matrimonii, quà *generationem sobolis* legitimæ, aut saltim bonæ educationis, tùm & mutui *adjutorii*, vitandæ scortationis, &c. repugnare videri; ob rixas etiam inter ipsas mulieres: ob æmulationem, & si maritus omnibus parem affectu se non exhibeat, ùt & desiderium consortii alieni. Quibus rationibus colorem addunt ex revelatione *Evangelii*, quòd matrimonium præfiguratio fuerit Christi, *sponsi unici* ergà *unicam* ejus *sponsam*, Ecclesiam. Denique sufficere ad omnes fines obtinendos *Dei institutum* & *benedictionem:* congressus raros & temperatos magis esse *fructuosos*, & continentem propagationem Deo magis placere: *amicitiam* perfectam mutuamve amorem nonnisi inter duos esse; nec posse non plus amari eam, quæ superinducitur: ita ut ex pluralitate uxorum per se zelotypia oriatur; ex pluralitate verò liberorum in societate paternâ nonnisi per accidens.

Enimverò his omnibus obstat, (1) quòd institutio conjugii unius viri & uxoris lex *positiva* divina esse potuerit; & non præcisè jus aliquod Naturale: siquidem in statu integritatis vel solum præceptum de non gustando fructu vetitæ arboris ostendere potest, non omnes leges in statu innocentiæ naturales fuisse. (2) Nulla per se est *intemperantia* in Polygamia: ne patribus tale quid imputetur, qui multiplicationem generis humani seminisve sui, & desiderium Messiæ, prætulerunt. (3) De *unitate corporis* quod affertur, ad statum Novi Testamenti aliqui referunt; quanquàm in eô, (ne in *Grotii* sententiam de duplici Lege incidamus,) caveri debeat. Videlicet, etiam quoad Legislationem veterem Testamenti *institutio* primæva fuit conjugii simplicis, sive *unius uxoris;* saltim quòd in *Patribus* dispensatio, tanquam in *Lege morali positivâ*, reperiatur. Ad hæc unitas carnis sive corporis est *majoris æquitatis*, & nullum dubium, quin Naturali juri magis sit conveniens, & præferenda monogamia; à qua nunquàm *Christianum* recedere oportet; tantùm quòd hoc loco de Jure Naturæ quæratur. Unde (4) quod de *rixis*, scortatione & aliis adferebatur, non tantùm non est universale; verùm etiam hoc solùm efficit, quòd monogamia polygamiæ *præferri* debeat, *Jurique Naturali magis congrua* sit; sed non etiam, quòd monogamiam Jus Naturæ per modum *principii* dictitet, ut necessariò & semper obliget. Aliàs enim sequeretur, nullatenus Deum in universum inter Patres V. T. *dispensare* hac in re potuisse. Neque etiam institutionem singularis conjugii ad ea referre licet, quæ juris Naturæ sunt, ex genere *posteriori;* de quo superiùs: cùm quidem quæ talia sunt, *in uno alteròve*, à Deo aliquando per dispensationem immutata esse reperiamus; sed non sanè in eum modum, quô polygamiam in Vet. Test. *percrebuisse* videmus. Neque etiam luculenter ostendi potest, quomodo *rationi naturali* polygamia adversetur: siquidem quæ talia sunt, apud integras *Gentes* & magnam partem orbis, *sensu communi*, ut quidem in polygamiâ factum esse videmus, recipi non potuerunt. Nec quid causæ fuerat adeò urgentis, cur in populo suo Deus à dictamine juris Naturæ, *tantô tempore* & *in universum*, recedi posse voluisset. Ex quo sequitur, *monogamiam* esse Legis tantùm *moralis*, & sic *positivæ:* nec *V. T.* legislationem à legislatione *Novi Testamenti*, (quæ nulla est,) discrepare; sed Christum potiùs in novo fœdere ad Jus divinum positivum primævum, & ad *institutionem* ideò conjugii, provocâsse; indeque dicendum esse: *Patribus* in V. T. bigamiam per expressam *dispensationem* divinam permissam fuisse: siquidem absque eâ adversus legem, quamvis positivam, quam in re tanti momenti, ùt est institutio conjugii, optimè eos novisse, extrà dubium est, non egissent. Etiamsi enim de *expressâ* illâ dispensatione non constet: necesse tamen est, eam à Deo cum Patriarchis conversante, primùm illis indicatam, exemplô deinde & traditione ad alios transiisse. Non poterat sanè *Abrahamus*, Pater esse credentium, fide justificatus, & simul in peccato mortali versari; quale est, si in facto aliquo devio ab Institutione divina, citrà dispensationem Dei, & quidem cum continuatione per totam vitam, quis hæreat. Ita quidem facilè, quanquàm non absque causâ, Deus dispensâsse dici

potest

potest in eô, quod tantum juris positivi fuerat: cùm e contra, si polygamiam Jure Naturæ vetitam esse assereremus: conniventiam aut permissionem Dei generalem statuere oporteret: quæ videlicet non impeccabilitatem inferret, sed *impunitatem* tantum conciliaret. At verò hæc utique non congruit cum facto ejusmodi, polygamiæ scilicet, quod Deus non modò in verbo suo ne semel quidem castigavit, sed & certô casu præcepit, *Deut. XXV. 3.* atque sanctis suis, quàm id ipsum ille eo tempore non aversetur, aperuit. vid. *II. Sam. XII. 8.* junct. *Gen. XVI. 5.* Intereà verum est, quòd ad *essentialia* nunc denuò, ubi ad primævam institutionem Christus expresse provocavit, atque *voluntatem Patris*, de sublatâ dispensatione illâ, prodidit, omninò pertineat, ut tantùm *duæ personæ* in *unam* carnem jungantur; atque idcircò nullo instituto aut lege humanâ aliud induci possit: quò universa dicta *Novi Testamenti*, quæ in hanc rem urgentur, respiciunt.

VI. Consensu (*m*) perfici matrimonium ratio dictat, corporum conjunctio illud implet; (*n*) mos tamen populorum fert, ut solum consensum sponsalia vocent, & sponsos qui contraxerunt *. Sed & merito plerisque placuit gentibus, ut publico ritu matrimonium celebretur, deductionis in domum similique, Christianis verò, in cœtu publico fidelium, prævia publicatione sponsaliorum, forte si quid aliorum intersit. Horum tamen neglectus actuum nullitatem (*o*) matrimonio inferre non potest, nisi vi legis expressæ.

* *Lib. 2. digress. cap. 7. 8. 9.*

(*m*) CONSENSU. Cui officit *Error* ùt & *Dolus*, (qui à parte decipientis infertur; *error* verò à decepto est unicè:) ac Metus. Et *Dolus* quidem, si ad *substantiam rei* vel *consensus* pertineat, impedit validitatem desponsationis. *Error* itidem. Et quamvis in *accidenti matrimonii* istud non vitiet; (non verò accidens matrimonii, quod scilicet *unitatem* carnis postulat, est *integritas*; quin potius, si quis errans *vitiatam* sibi despondeat, consensisse *in matrimonium* non intelligitur:) tamen quando *accidens* aliquod, v. c. divitiæ, *pro conditione* positum est: quoniam hâc ratione *substantiam consensûs* ingreditur; ideò, nisi impleatur conditio, ut quis matrimonium consumet, adigi non potest. Semel enim consummatum non motâ conditione, ob eam non impletam non rescinditur. De *Errore* quoad *personam*, ut & ratione status, v. c. Nobilitatis, Servitutis, ùt & *Propinquitatis*, *ad Dessel.* diximus. De *Metu* ad π. quoque uberiùs.

(*n*) CORPORUM CONJUNCTIO ILLUD IMPLET. Et oportet sanè consensum illum ita interponi, ut ambo contrahentes *corporis* sui copiam sibi facturi sint. Vid. *Osiandrum* ad *Grot. Lib. II. cap. 5. §. 9.* Hinc *ætas* nubentium *debita* supponitur: ut *perfecta* licèt nuptiæ solâ animorum conjunctione, *impleri* tamen sive consumari, pro *fine* obtinendô, possint. Neque enim est matrimonium, si *impotentiam* sibi *attulerint*, vir *eunuchus* v. c. vel *arcta* mulier. Quâ in re, si inter conjuges lis oriatur, dum impotentem v. c. vir se esse negat: *jurijurando* adversæ partis locus non datur; sed ad Medicos & inspectionem procedendum est. Cum *sterili* tamen (etiam *inter Magnates*, ùt rectè *Mylerus* in *Gamol:*) stabile est matrimonium; & cum quolibet *non desperatæ facultatis*. Sed cum *frigido* non durat, si virtus, tempore legibus definitô, non suscitatur. *Nov. 22. cap. 6.* Equidem jus corporis *plenum* ex *Sponsalibus* non sequitur. Hine illa à nuptiis hôc ipsô potissimùm distinguuntur; etiamsi sponsalia *de præsenti* fuerint: quæ quidem *matrimonium* non esse, contrà *Habnium* ad *Wesenb. Tit. π. de sponsal.* verius est. Unde ratio facilè patet, cur sponsalia ex multis causis *dirimi* possint, ex quibus dirimi non potest matrimonium.

(*o*) NEGLECTUS ACTUUM NULLITATEM MATRIMONIO. Num vero si *Parentum consensus* à liberis negligatur, matrimonium per hoc

 jure

jure Naturali aut Divinô *nullum* dici debeat? *Qu.* Hugo Grotius *L. II. c. 5. §. 10.* negat. Sed videtur plerisque hypotheſes *Pontificiorum* ſecutus eſſe; & adverſus ipſum probabiliter diſputari poteſt. Nempe *Libertas* matrimoniorum ipſum juvare non videtur: ſiquidem conſenſus liberorum nihilominùs liber maneret libertate naturali; utut liber non foret libertate morali, dum alieno juri ſubſunt. Et ſufficit, ſi libertas matrimoniorum ea ſit, quæ coactioni opponitur: *l. 21. d. Ritu Nupt.* Nec admittere oportet illam, quæ opponitur obligationi ad requiſita Legalia. Requiri tamen dicunt conſenſum iſtum, *non abſolute:* quò pertinet objectio *Grotii*, quòd actus matrimonialis celebrari poſſit, ab his, qui parentibus deſtituti ſunt; (ut hinc ad eſſentiam negotii præcisè conſenſum alienum non requiri appareat;) ſed potiùs in *hypotheſi.* Similiter non requiri conſenſum illum inter eſſentialia matrimonii *ſpecifice*, ſeu ad quodlibet matrimonium in ſpecie. Sic enim ſimpliciter, invitis parentibus, liberi nunquàm matrimonium inire poſſent; ſed tantùm *generice*, & ad robur matrimonii regulariter: ùt ad quosvis actus liberorum majoris momenti alios. Hinc procedere, quòd licèt pater *votum filii* irritare poſſit; non tamen poſſit irritare votum nuptiale, quod per conjugalem *Copulam* jam *conſummatum* eſt: nam hoc conjugium eſſe verum, licèt non ſit *ratum* ſive legitimum. Sicuti autem nil eſt *Divini* juris *moralis*, quod nullitatem conjugio ob neglectum conſenſum paternum inducat; ita quoad *Jus naturale* quid ſentiendum ſit, ad *Caput ſequens* decernemus.

VII. Etiam Lege aut pacto opus eſt, ut bonorum communio inter conjuges ſtatuatur, niſi quatenus ad ſuſtentandum vitæ conſortium requiritur. Optimæ videntur Leges, quæ ad quæſtum (*p*) & diſpendia producunt ſocietatem, nam quæ ad ſubſtantiam rerum, quaſi captatoria reddunt matrimonia.

(*p*) AD QUÆSTUM. Conf. Rotenburg. *de Acquæſtu conjugum*, & Lauterbach. *ſingulari Diſſert.* Eſt autem ſententia *Auctoris* hæc, quòd melius ſit, *pactis* ſibi invicem proſpicere conjuges de *acquirendis* durante matrimonió, per cujusvis eorum induſtriam & laborem, quàm ut protinùs in limine matrimonii videantur conjuges inhiare divitiis, & ſubſtantiæ, ſive jam *acquiſita*, ſive quæ alteri eorum *adventura* eſt.

VIII. Jure ſocietatis & primâ naturæ ſimplicitate familiæ imperium (*q*) feminæ pariter cum viro debebatur; Sed quia æqualitas parit rixas, viri ob præſtantiam ſexus prævalet auctoritas, ordinis tamen magis quam ſubjectionis causâ, ex ſententia Ariſtotelis. Idque notiſſimo jure Gentium, monſtrante naturali ratione, nec minus jure divino in tantum invaluit, ut neque Lex neque pactum valeret in contrarium. Sed quò minus civiles effectus, ut de cura bonorum, ſimilesque tam conventione quam lege aliter ſe habeant, nihil obſtare videtur. Bodini verò ſententia, qui jus vetus Romanorum Germanorumque de vitæ necisque poteſtate in uxores cuperet reſtitutum, adeo non placet, ut ne verbera quidem (*r*) marito permiſſa videantur *. Quia vix aliter in liberos & ſervos, quò in officio contineantur, advertere poteſt pater & dominus; quatenus ad regimen

familiæ

familiæ plus opus eſſe non videtur: eſt autem inter hos & uxores totius generis diſcrimen.

* *Bodin. 1. de Republ. cap. 4.*

(*q*) IMPERIUM. Cùm diverſæ ſint conditiones *imperiorum*: ideò *diverſas* etiam eſſe eorum *cauſas* nil impedit; ut in patre quidem aut domino. item maritô, ſicque in familiâ, ſit à *natura*, ex causâ tamen qualificatâ, quæ intercedit. ùt eſt in ſocietate nuptiali conſenſus, quô mulier in ſocietatem inæqualem ſe confert; divinæ non minus quàm naturali ordinationi ſe ſubjiciens: qualis ordinatio non modò ante lapſum (vid. *1. Cor. II. 18.*) ſed & poſt lapſum, maximè conſtitit, *Geneſ. III. 16.* In ſtatu tamen *Majeſtatico* à Deo unicè poteſtatem eſſe dicunt *immediate*; ſaltim non eſt à naturâ: quia hæc non tribuit Imperium, niſi ex causâ directè & ſpecialiter imperium fundante; prout quidem ſinè expreſsâ Dei voluntate ſi fuiſſet, nihilominùs jubente ipsâ *naturâ*, mulierem ſequioris oporteret eſſe conditionis, in hàc etiam ſocietate nuptiali; quicquid reclamet *Hornius Pol. archit. 1. cap. 1. num. 6.* dum *Grotio L. II. c. 5. §. 8.* nimium adverſatur. Utique maritus poteſtati maritali *renunciare*, (ùt *Cellarius* opinatur,) non poteſt: (quamvis poſſit *Curæ bonorum* & adminiſtrationi:) cum poteſtas illa ne quidem juris Naturalis permiſſivi ſit, Jure autem *Divino* diſertè præcipiatur, atque *moribus* adverſetur *civilibus* pactum illi contrarium, *l. 11. ſolut. matr.* Cæterùm *Imperium* maritale ab *Ariſtot. I. Pol. 8. & VIII. ad Nicom. 12. civile* dicitur, ſeu πολιτικὸν, h. e. tale, ut materfamiliâs nihilominùs ſui juris & poteſtatis maneat, *l. 4. d. his qui ſunt ſui vel al. jur.* & in illis, quæ ad rem *Oeconomicam*, nec adeò ad *Dignitatem* & *ſublime Imperium* in Familliâ, pertinent, ipſa non minus imperet, vi *popularis æqualitatis*; ùt ipſe *Ariſtoteles I. Pol. I.* ſe explicat: eâ ratione, ut uxor modò pareat, modò imperet, vel potiùs coimperet. Aut, ùt rectiùs rem efferas, ſocietas, quâ videlicet uxor cum marito conſpirat. nil hactenùs rectorii habere videtur, nil *imperii*; (etiam civili jure, *d. l. 4. de his qui ſui vel al. jur.*) nilque adeò ſubjectionis; ſed *ordinis*, & auctoritatis: nam & ipſa *Domina* eſt & *Materfamilias. l. 41. pr. de Leg. 1. l. 12. §. 1. de aur. legat. l. 5. §. 1. de aur. & arg. leg.* Sicut nec in qualibet ſocietate Imperium reperiri neceſſe eſt: niſi etiam dicere velimus, *marito* potiſſimùm *imputari*, ſi quæ in familiâ, conſentiente uxore peraguntur. Et verò ne ſic quidem imperium ſe exerit in Societate *nuptiali*, quà talis eſt: ſiquidem imperium ſemper aliquem, qui pareat, præſupponit: quale quidem in his, quæ inter conjuges ſtatuuntur, ſæpiùs non reperitur. Ut adeò optimè *Ariſtoteles* rem expreſſerit. Quòd enim fœmina *Regina* viris *imperare* queat, huc non pertinet; ne quidem ut hinc inferatur, maritum auctoritati ſuæ maritali *renunciare* poſſe: cùm capax eſſe poſſit fœmina Imperii *Majeſtatici* in ſubditos: quæ tamen nec Imperium in maritum *maritale* aut conjugale habeat; licèt Maritus ei hâc conditione, ut Regium ipſa Imperium ſola retineat, nupſerit.

(*r*) UT NE VERBERA QUIDEM. Quòd *dominium* ei competat, paſſim traditur. *Gen. III. 16.* Sed dominium tale non eſt, quod *rerum* habetur, v. g. ut res poſſit haberi pro derelictâ, locari &c. verùm potiùs accipitur pro *imperio* & jure corporis: quæ poteſtas à marito ſic temperanda eſt, ut ne quid contrà officium maritale faciat. *Jus* autem *vitæ* & *necis* marito in uxorem, quando in ſtatu Familiæ adhuc conſiſtunt, extrà civitatem, competere de jure Nat. *Hornius* quidem aſſeruit. *Pol. Arch. I. c. 5. n. 8.* At verò nullum eſt jus vitæ & necis absque *Imperio majeſtatico*, ſcilicet illô, quod civitatis, ſeu ſocietatis perfectæ, eſt. Hinc aliter *Puſendorffius VI. ad J. N. G. cap. 3. §. 4.* quòd vir quidem mulierem in ſtatu familiæ, à civitate ſegregis, enecare poſſit; nec tamen vi imperii, ſed vi *belli*: neque opus eſſe, ut protinus, qui mortaliter peccat, è medio tollatur. cum nemo ipſum Patremfamiliâs, nemo Regem, ob crimen capitale enecare poſſit: quæ quidem, ſi extrà reſpectum verbi divini rem expendamus, ſiquidem in primis familiis *ipſe Deus* jus vitæ & necis, ùt vel Caini exemplo conſtat, exercuit;) probabilitatem habere videri poterant: (nam & hodiè familiæ ejusmodi ſegreges, ut ſi in inſulam v. g. familia quædam rejiciatur, adhuc dari queunt.) At verò Status iſte nec *belli* propriè, & quia poteſtatem privatam egreditur, *Hobbeſianus* eſt,

IX. Solvitur matrimonium repudio inter ſponſos, divortio inter conjunctos. Illud mutua partium gratiâ fieri poſſe videtur, nec non alterutro graves ob cauſas renunciante. Hoc partium conſenſu nullo modo, quia non, ut reliqui contractus mere conſenſuales, (r) ſtatus prior conjugum poteſt redintegrari. Proinde ejusmodi oportet eſſe cauſas, quæ fœdus conjugale penitus deſtruant, (s) quales duæ eſſe videntur: Adulterium & deſertio, (t) quæ fit animo non revertendi.

(r) Contractus mere consensuales. Nec enim mero & nudo *conſenſu partium* præcisè conſtat matrimonium? ſed potiùs nexus per *concurſum Dei ſpecialem* ſupernè firmatur; ut hinc non prout conſenſu dicuntur matrimonia conſtare: ita etiam per *diſſenſum* partium *dirimi* queant. Equidem ad *ſponſalia* non minùs Deus concurrit, at generaliter tantùm; non ita ùt in matrimonio: cui ſingulari ratione benedictio Sacerdotalis accedit. Cæterùm de *divortiis* ex *V. T.* dubium hic movetur: Num adeò divortia *Juri Naturali* adverſa ſint? Siquidem *Deut. XIV.* ſimpliciter probata videntur, & ut quisquis dimittere vellet uxorem, libellum divortii ei dare potuerit: & multùm hâc in re indulget Juſtinianus *Novell. 140.* At verò cùm arctisſima ſit unio inter conjuges, quâ unum quaſi corpus conſtituunt, & myſticam illam, quæ inter Chriſtum & fideles eſſe dicitur, ad *Eph. V. 31.* unionem referant. Hinc omninò, præter *cauſas* duas illas, in *N. T.* expoſitas, nulla alia divortii eſſe poteſt. Et tamen illa indiſſolubilitas, tantâ arctitudine à Jure Naturali non pendet; ſed à *Divinô* poſitivo *morali*, in quam cadere poterat iſta, quæ in *V. T.* conſpicitur, *diſpenſatio;* pariter ac de Polygamiâ Patrum *ſuprà* diximus; & Salvator eam conformitatem ſubindicare videtur, *Matth. XIX. v. 4. ſeqq.* Neque etiam aliter honori Eccleſiæ *Judaicæ* ſive Populi Dei V. T., conſuli poteſt: cùm omninò, ſi aliter ſentiremus, prout quidem hoc non jubet ratio juris Naturalis, oporteret ſimul aſſerere, diſpenſationem illam, de libello *repudii*, meram fuiſſe permisſionem rei naturali jure illicitæ; quanquàm ad majus malum evitandum. Quâ ratione pariter utique, licèt impunè, Patres peccâſſent. Equidem Chriſtus *Matth. V.*, quando ad Moſen provocat, (*Deut. XIV.*) verba illa, ut hypothetica, citat, ex ſuppoſitione videlicet divortii per diſpenſationem ſingularem: cum quidem Phariſæi recentioris Eccleſiæ verba Moſis, tanquam categorica accepiſſent, quaſi Moſes præcepiſſet divortium, qui tamen & reſtrictè, cum causâ duritiei videlicet, rem commemorat; & ex hypotheſi modum, quò res non planè excedat, præſcribit: ut ſolet in Legibus permisſivis.

(s) Penitus destruant. Etiam *quoad vinculum;* aliter atque *Pontificii* per Concilium *Tridentinum*, (poſt *Canones*,) *Seſſ. 8. cap. 7.* Balthaſar. *I. reſol. 6.* vid. omninò, pro *Noſtratium* ſententiâ, *Dannhauerum*, *P. 1. Theol. conſcient. p. 810.* junctô *Seldenô Lib. V. J. N. cap. 7.* Quod & juri *Naturæ* congruum eſſe, *Puſendorffius* poſt *Grotium L. II. c. 4. §. 9.* oſtendit *Lib. V. J. N. G. c. 4. n. 20.* add. Gerhard. *Tom. VII. Loco de Conjug. pag. 574.* Carpz. *def. 189. Conſiſtor.*

(t) Desertio. Hæc cauſa an jungenda ſit adulterio? ex *1. Cor. VII. 15.* itidem disquiritur. & ſententia *affirmativa* probata eſt, per tradita *Gerhardi, d. l. §. 625. Dannhaueri, p. 807.* vid. Carpz. *p. 2. Conſiſt. def. 192.* Num verò prætereà etiam admittenda ſit cauſa *alia* matrimonii dirimendi? Ejus rei dubium injicere poſſunt Conſtitutiones Imperatoriæ; ùt *l. 8. §. 1. C. de repud.* & *l. 11. §. 7. eod.* tum & in *Jure Novell. paſſim. add.* de illis Auctor *P. 2. Digreſſ. L. 1. c. 18. n. 4. 5.* Sed abuſum hunc *Tabor* in *Corol. Partit. Elem.* (ubi *Juſtinianum* commendat, quòd is plures cauſas reſecaverit, cæteras quoque exuberantes ſublaturus per *Nov. Conſtitut.* ulteriores, ſi ſuperſtes diutiùs manſiſſet.) Ipſosque *Chriſtianos illos Imperatores* ob id non excuſari poſſe, cenſet *Oſiander* ad *Grotium Lib. III. c. 9. §. 9.* Et ſunt tamen, qui locum *Matth. V. v. 32.* accipiunt de divortio, quod *privatâ auctoritate* à *marito* ſuſcipitur. Textum vid. *1. Corinth. VII.* agere dicunt de *uxore*, & ut *auſu propriô* ſe marito ſubducat. Ex quo non impediatur *poteſtas Civilis*, quò minus plures cauſas divertendi, *Judiciô* exami-

examinandas, admittere possit. Maximè vero textûs illos respicere causas, quibus meritò suò pars altera usu conjugii privetur. Præter has autem alias esse causas, quibus *citrà delictum* in personâ quid accidat, ut cohabitare alter ei non possit, & tamen extrà matrimonium vivere nequeat; qualis est v.c. furor perpetuus. Sanè Causas nonnullas, quæ saltim adulterium vel desertioni *similes* censeri possunt, ex auctoritate Magistratûs & Consistoriorum, quandoque sufficientes reputantur, ob quas matrimonium, v.c. ob præfractam debiti conjugalis denegationem, ob odia internecina, *quoad vinculum* rescindatur, vid. *Beust.* de *Matrim. Lib. II. cap.* 25. & quos *Bækelmannus* citat, in *Apologia* pro *Dissertatione sua inaugurali*. Porrò de Separatione à thorò & mensâ, salvô vinculô, ad π. extensè docuimus.

X. Vinculum conjugii non modo à muliere sed etiam à Viro, rem cum aliâ soluta habente, disrumpitur, quia fides mutua jus in corpora utrique largitur idem; tametsi gravius vir quam uxor suppositione partus lædatur. Unde licet diversæ delicti species & nomina esse queant, & pœnæ, ut multis visum Legislatoribus, tamen utraque species matrimonio sufficit dissolvendo *.

* *Sic Jure Romano constat, adulterium nonnisi cum innuptâ committi, virum ab uxore ad innuptam divertentem stupri duntaxat esse reum, per l. 6. §. 2. D. ad L. Jul. de adult. nec multò secus videtur jure divino. Levit. 20. v. 10. Deuteron. 22. v. 22.*

XI. Idem efficit malitiosa & obstinata derelictio, quæ tollit peremptoriè omnem συνουσίαν & συνοικίαν, non minus naturaliter quam jure divino. Si aliter mores fœminæ sint intolerabiles, non ultrà quam domo exigi potest. Nec illa se alio modo sævitiæ viri opponere, aut luxuriæ suas res subducere potest.

XII. Diversæ à causis divortii sunt rationes nullitatis, per quas ab initio nullum fuisse conjugium intelligitur, ut est impotentia (quæ tamen superveniens (*u*) non rumpit conjugium) sanguinis propinquitas, (*x*) quæque per Leges plura in hanc rem statuta sunt.

(*u*) QUÆ TAMEN SUPERVENIENS. Vid. rationes *ap.* Carpz. *P. 2. Jpe. Consist. def. 202.*

(*x*) SANGUINIS PROPINQUITAS. Modò fuerit inter *ascendentes* & descendentes: nam si inter *collaterales* (quamvis fratrem & sororem,) matrimonium initum fuerit, puta ex facti ignorantiâ, & cohabitare sibi velint, non separantur; ut tamen in alium locum, scandali vitandi causâ, teneantur *migrare*. Non obstante (1) quòd conjunctio illa fit contrà jus Divinum *morale*. (2) *perpetuam* habet *detestationem*; indeque dirimenda videatur: quale adeò non sit matrimonium illud, in *Lev. XX. v. 19. 20. 21.* ibi: *sinè liberis morientur* Nam (1.) etiam hoc in *Lev. XX. v. 19.* juri *morali* adversum est. (2) Conjunctiones non omnes, quæ in *Lev. XIIX.* prohibentur, sunt contrà Jus N. & G. nec, ut aliqui volunt, omnes habent *pœnam capitis*. Non etiam quælibet *abominatio* capite luitur; cùm etiam abominationes dentur in Sacris, adv. LL. *cerem.* & *forenses*. Imò si capitis pœna foret, non pertinent ad nos ipsæ LL. forensium *pœnæ*: ceu nec incestus inter fratrem & sororem capite nunc punitur. Hic vero de incestu non quæritur; sed de conjunctione, quæ *facti*

 igno-

ignorantiâ suscepta fuit. Illa verò impunibilis est. Cùmque impedimentum hoc *impediens* tantum sit, non dirimens: inde re non ampliùs integrâ relinqui possunt sibi conjugati.

Utique, matrimonium nullum inter collaterales, ne quidem illarum personarum, quæ sunt *parentum* & *liberorum loco*, (*v. l. ult. d. R. N.*) Juri Naturæ adversari dicendum est; saltim quòd prohibitionum istarum aliquas Juris Naturæ *hypothetici esse velint*: (*add.* Huber. *L. II. c. 18. Digress.* ubi *necessariam* prohibitionem Juris Naturæ etiam in tertio gradu consanguinitatis esse asserit:) Sed rationes prohibitionis dari non possunt; & vix aliæ inter parentes & liberos, quam quæ in *reverentiâ & pudore*, *l. 14. §. 2. d. R. N.* collocantur quas examinat *Osiander* ad *Grot. L. II. c. 5. §. 12. & 13.* ubi concludit: Interdicta *Lev. XIIX.* esse quidem omnia Juris Naturæ, sed tamen non strictè & planè immutabiliter, ut oppositum videlicet intrinsecam habeat turpitudinem, divinitùs indispensabilem; sed laxiori quodammodô, ut saltem *indispensabilis* sit prohibitio *inter homines*; qualia quæ sint Juris Naturæ *hypothetici* quôdam sensu nonnulli esse dicant. Grotius *d. §. 13.* putat, prohibitiones illas non quidem naturales; sed *positivas*, attamen *universales* esse: secùs non potuisse præter populum Dei *alias Gentes* Legibus illis censeri; & nescio num valdè *Grotii* sententia ab *Osiandri* definitione abscedat. Sunt tertio loco, qui *nonnullos* saltim *casus* in *dict. cap. Lev. XIIX.* excipiunt, qui Juris Naturæ nullatenus dici possint, ut quidem cæteri; sed Juris solùm *positivi*, & ex quo judicari non possint Gentes aliæ, quàm ad quas *notitia* Legum illarum *penetraverit*: quasi videlicet interminatio illa, quæ Gentibus *dictô capite* intenditur, ad singulas species ibi expressas non respiciat. Confer Meisner. *Lib. III. de LL. c. 12.* Estque communis etiam *JCtorum* sententia, quòd quidem *dispensatio humana* in nullo casuum ibi expressorum admitti possit; possint verò admitti conjugia in casibus *similibus*, hoc est, qui respectum & gradum eundem habeant; modò ejusmodi casûs *unicum* solùm & *singulare* exemplum in Lege illa expressum reperiatur: & simul hoc ipsum restringatur ad lineam *collateralem*; potissimùm quod affinitates concernit. Nam ita Invictissimus Cæsar Leopoldus cum *sororis filiâ* matrimonium iniit: cùm nec inter *consanguineos* alia prohibitio sit *Levit. XIIX.* quàm *personarum*; non etiam graduum. Et in *affinitate* patrui viduam ducere non liceat, quia *disertè* id prohibitum est; liceat verò *avunculi viduam*, & *materteræ* ut & *amitæ viduum*. Quæ quidem omnia in *Commentar.* pleniùs exponuntur: ubi & *Affinitatis* ratio extat, quòd nulla sit *inter Conjugum cognatos*. Unde est, quòd *filius* ducere possit *novercæ matrem*: quô casu fit socer patris, & novercæ vitricus; noverca verò fit privigni privigna, & matris suæ socrus.

Equidem in dispensandô faciliores sunt *Pontifices*: quorum nonnulli etiam in *lineâ rectâ* de dispensatione liberiùs loquuntur; ut *Dom.* Soto *in IV. dist. 40. conft. un. art. 3. Fortassis*, ait, *non valet dispensatio inter avum & neptem.* Quòd autem in linea *collaterali*, etiam inter eos, qui *parentum* & *liberorum* locô sunt, dispensationem *Pontificii* locum habere statuant, mirum non est: cùm dispensationem, quæ à Deo fieri potest, Papæ scilicet ex delegatione asserant. Et sanè conjunctio ejusmodi collateralium, licèt *Kitzelius* dissentiat *c. 3. de Sponsalibus th. 7. lit. g.* & Auctor in *Lib. 2. Digress. Justin. cap. 19. Juri Nat.* adversa dici non potest: vid. exemplum *Genes. XI.* & ne expressè quidem prohibita reperitur *Lev. XIIX.* observante hoc & ipsô *Jacobo* Martini *Lib. I. Polit. cap. 5.* tum & incestus cum fratris filiâ *civilis* esse dicitur *l. 38. §. 1. & 2. ad L. Jul. de adult.* Quò pertinet denuò sententia illorum, qui *nullam* prohibitionem *d. cap. 18. Levit. naturalem* esse putant, nisi concubitûs cum masculis, cum bestiis, cum parentibus & liberis; idque inter alia etiam argumentô *vers. 19.* junctô *Levit. XV. vers. 25.*

Ad hæc, num conjugium *Jacobi* cum *duabus sororibus* subsistere potuerit, illæsô Jure Naturali? Qu. Haud dubiè; quam in rem adhibere licet *Osiand.* ad *Grot. Lib. II. cap. 5. §. 14.* ubi simul etiam agit de conjugio *cum defunctæ uxoris sorore*, quod à *Rintelensibus* JCtis, hôc seculô, pro humanitùs dispensabili reputatum fuit; opponentibus se *Havemannô* Theologô & *Tabore* JCto, integris Tractatibus. Equidem fratri non licet ducere *fratris sui viduam Levit. XIIX. vers. 16.* quem locum facere putat Scherzerus *Loco XXVI. Th. pag. 777.* pro horum sententiâ; (si modò faceret.) non textum in *ejusdem capite vers. 18.* quippe in quo agatur de prohibitâ cum *duabus sororibus polygamia simultaneâ.*

Denique

Denique non minùs huc disquisitio de *Nuptiis secundis* pertinet: quæ *contumeliosæ* habitæ apud multas Gentes, (Vid. *Bernegg.* ad *Tacit. quæst. 110.*) & odium non exiguum expertæ fuêre apud *Romanos*. Mæstert. *de Sec. Nupt. quæst. 4. 5. 6.* At verò odium ejusmodi causas *civiles* respexit. Unde communis est *JCtorum* sententia, quòd omnes coercitiones illæ civiles cessent, quoties pater v. g. superstes nuptias secundas init bonâ cum gratiâ liberorum prioris matrimonii. Cæterum nec *Divinò Jure* nuptiæ illæ indignæ haberi possunt; ut malè ab illis dehortetur *Grotius Lib. I. cap. 2. §. 9.* vid. *Rom. VII. 2. I. Corinth. VII. 1. I. Timoth. V. 14.* Gerhard. *de Conjug. §. 178.* neque multò minùs *Jus Naturæ* illas aversatur. Vid. *Carpzov. Part. 2. Consist. def. 158. & 172.*

XIII. Cæterum, quæ ratio mulieres imperio Viri in familia subdit, eadem arcet eas à cunctis muneribus publicis. Nempe ut viris postponantur, quod in promiscuis Reipublicæ officiis, ubi nunquam viri desunt, fit semper. At in summis Imperiis æque postponitur maribus, his autem deficientibus in regnatrice familiâ, non est absurdum feminas, natosque ex illis, admitti, ut *supra* dictum. Plane in omni Republica virorum melior est conditio in his, quæ ad decus & dignitatem spectant, feminarum melior, quatenus imbecillitati subvenitur, quâ parte Justinianus & Theodora sexui largiter (*y*) in suis Legibus indulserunt. *

* *Vide specimen in Nov. 134. cap. 9. 10. & 11.*

(*y*) LARGITER. De quo dicetur *suo locô*.

CAPUT II.

De

Parentibus & Liberis.

ARGUMENTUM.

Post conjuges membra familiæ esse liberos ex justis natos nuptiis, è concubina tamen editos mediante legitimatione posse familiæ aggregari, modo mater fuerit, cum qua nuptiæ esse potuissent. Improbatus mos exponendi liberos, aut fame incestuosos necandi. Adoptatos quoque ad familiam pertinere. Patria potestas Jure Gentium qualis esse debeat. Refellitur Hobbes, qui Jure Naturæ partum matris in potestate solius esse putat. In nuptiis liberorum quæ sit patria potestas & in publicis causis & in bona liberorum. Quibus modis patria potestas solvitur.

I.

VIdentur quidem hæc imprimis ad jus privatum pertinere, sed quia tractatus de familiâ ad civitatem necessarius est, nec ea, nisi partes expli-

explicentur, intelligi poteſt, res jubet, ut obiter hæc delibentur, ſed obiter, ut fit. Igitur altera in familia ſocietas orta è priori inter parentes liberosque, ex juſtis nuptiis natos, intercedit.

II. Nam qui absque matrimonio ſuſcipiuntur, non fiunt membra familiæ, quia deficit principium familiæ. Qui tamen è muliere, cum quâ conjugium eſſe poſſet (*a*), ſunt nati, ſuppleto defectu, quo à familia removebantur, poſſunt cum illâ redintegrari. Scilicet ſubſequente parentum connubio, aut ſublato alterutro, (*b*) per Reſcriptum ſummæ poteſtatis.

(*a*) CUM QUA CONJUGIUM ESSE POSSET. Hinc quando *Papa* diſpenſat in matrimonio eorum, qui in ſecundò gradu conſanguinitatis ſibi conjuncti ſunt: liberi ex his anteà nati, per matrimonium illud non legitimantur; quia tempore conjunctionis adhæſit liberis illis, ex doctrinâ *Pòntificiorum*, impedimentum *dirimens*. Non etiam poteſt legitimari eâdem ratione *adulterinus* ex *Chriſtianâ* cum *Judæo* *ſuſceptus*, *&c.*

(*b*) SUBLATO ALTERUTRO. Ita quidem Jure *conſtitutò* obtinuit. Moribus tamen noſtris, etiam *ſuperſtite utròque parente*, quin & ſi pater aliam fœminam duxerit, vel mater alii viro nupſerit, procedit per Reſcriptum Principis legitimatio. *vid.* Herald. *Lib. I. Rer. quotid. c. 5. n. 5.*

III. Sed differentia Juris Romani inter eos, qui domi è concubinis naſcuntur, & qui foris è furtivo amplexu, non eſt juris gentium, quo ſufficit patrem eſſe certum, (*c*) ut liberi pro naturalibus & aptis ad legitimandum habeantur. Sed nati è coitu nefario, inceſtuoſo vel adulterino non ſunt in terminis habilibus, ut cum familia parentum unquam coaleſcant; quia vitium illis obſtans nunquam poteſt tolli. (*d*) Quod ſecus eſt in his, qui ex nuptiis ſine parentum conſenſu initis ſunt nati; nam horum ſtatus per ratihabitionem avorum (*e*) ad originalem integritatem poteſt reduci.

(*c*) PATREM ESSE CERTUM. Qualis etiam *naturá* eſſe poteſt pater *ſpurii*; quanquàm Jure civili, ubi Patrem non niſi legitimæ nuptiæ demonſtrant, æquè ſpurii ac vulgò quæſiti patrem adeò habere non putentur, ut legitimari & ipſi non poſſint: ſaltim quòd *moribus* noſtris ſpurii, etiam quoad Legitimationem, quia *patrem* illi, ſaltem naturaliter, *oſtendere* poſſunt, ſecùs ac *vulgò quæſiti*, naturalibus æquiparantur; maximè Concubinatu nunc per *Leges recentes* improbato: ut non major ſit favor *naturalium*, (imò majus ferè odium ſit illorum ob continuationem improbatæ conjunctionis,) quàm ſpuriorum. Et tamen etiam *vulgò quæſiti* per *Reſcriptum Principis* nunc etiam legitimantur; nec *ſimpliciter* modus ille legitimandi, iſtius primarii per ſubſequens matrimonium *ſuccedaneus* eſt. Interim, quod liberorum legitimorum & ſpuriorum diſtinctionem attinet, illa omninò Juris non tantùm poſitivi, ſed & *naturalis* eſt; ut rectè Bœclerus ad Grotium *Lib. II. de Jur. Bell. & Pac. cap. 7.* Quin & *naturalis* eſt diſtinctio inter eos, qui *è Concubinis* domi naſcuntur, (quippe & ipſos *e conjugio* ſuſceptos,) & qui *è furtivo amplexu* nati ſunt; ſi vel maximè diſcrimen inter *legitimos* & *naturales* Jure Naturali vel Gentium nullum foret. Tantùm quòd *ad legitimandum*

ſufficere

sufficere possit etiam naturali jure, quòd spurius *patrem certum* habeat.

(*d*) Tolli. Nisi quòd ex causa per dispensationem Principis legitimi hodiè fieri queant. Scilicet ut cùm non aggregentur h. m. *familiis*, quod nec fit in *vulgò quæsitis*, quando nunc legitimantur: tamen in Civitate pro *honestis* habeantur: ubi tamen frui *effectibus civilibus* legitimè natorum *liberorum* non possint. Sanè in populo *Judaicè Manzeres*, h. e. ex concubitu, sub pœnâ *excisionis* vetitô, nati, (exceptis solùm ex coitu cum menstruatâ natis,) excludebantur ex Republicâ Israel. *Deut. XXXIII. 2.* vid. Selden. *de Success. in Bona defunct. cap. 3.*

(*e*) Ratihabitionem avorum. Quod tamen *Civili Jure* non procedit; ubi solùm *à tempore dati Consensûs* ratæ fiunt Nuptiæ *arg. l. 3. l. 65. d. R. N.* de quo consensu loquitur *l. 13. §. 6. ad L. Jul. d. adult.* Quanquam diversum sentiat *Clariss. Auctor*, etiam *alibi*, v. Anal. *nostra ad* Locum. *in pr. Inst. d. Nuptiis.* ubi non minùs, quid hodiè ratione *legitimatis liberorum*, ex matrimoniô citrà consensum Parentum consummatô, obtineat, ùt & de *successione* diximus.

IV. Neutiquam tamen nefariæ proles abjici alimentisque privari (*f*) debent, quæ sententia Justiniano*, nescio an merito, (*g*) adscribitur; quanquam ut inhonorati in civitate degant, id juris ratio non abnuit, imo postulat. Multò minus ille mos veterum probandus, quo patribus erat permissum, liberos etiam juste natos tollere aut exponere, quod non tam inutile quam impium fuit, nisi monstra essent. (*h*) Sed ubi servitus in usu est, ibi nefas non videtur, vendere liberos (*i*) si quos parentes ultima pressi paupertate alere non possint, ut Lege Thebanâ atque Romana de liberis recens natis fuit cautum**. At in bene constitutis civitatibus non desunt, neque debent deesse media, per quæ talibus de alimentis prospiciatur. Parentes sane tam extra quàm in matrimonio propter necem liberorum merito ut parricidæ puniuntur, nec discernendus pater à matre, quod fit Jure Romano (*k*).

* *In Novell. 89. cap. ult.*

** *De Thebana Ælian. lib. 2. cap. 7.* Romana in *l. ult. C. de patr. qui fil. distrax.*

*** *in l. 1. D. ad L. Pomp. de parricid.*

(*f*) Alimentisque privari. *Alimenta* quidem liberis non deberi, strictè sumtô vocabulô *debiti*, sed in laxâ tantùm significatione, censet H. *Grotius II. cap. 7. §. 4.* Malè omninò: cùm Jus Naturæ *præcipiat* præstationem ejusmodi, vias quoque in *matribus* ipsis ideò præparandô; & multò major obligatio ergà liberos, tanquam partem alteram sui, sit, quàm in clientes & similes alios. Jus autem *Civile* id sequitur, & liberos alendos esse vult, *l. 4. §. 5. d. agnosc. & al. liber.* donec se exhibere possint. *l. 5. §. 7. eod.* Num verò *Legitima*, & quousque, Juris Naturæ præceptivi sit? jam *superiùs* expositum est. *Aristotelis* sanè doctrina, qui partum mancum, nec non inutilem, (etiam non monstrum scilicet,) abjici, (quòd *Republicæ* scilicet is *prodesse* posse non videatur,) item ob multitudinem liberorum *abortum*, antequam fœtus sit vitalis, in locis, ubi Lex infantes exponi vetat, nec tamen alendi eum media suppetunt, procurari posse, voluit *VII. Polit. 16.*, profana est. Quin potiùs *multiplicandæ proli* operam dare oportet, licèt molesta sit liberorum multitudo, atque *Aristoteles* magis ad facultatem alendi natos, quàm ad *numerum* respici debere velit. Nec enim natura editos liberos destituit: atque curæ Divinæ ea permittenda sunt. Hinc quoque *LL. Romanæ*

abortûs procurationem, in partu etiam non vitali, *l. 38. §. 5. d. pœn.* in crimine ponunt: ut tamen in eo *extrà ordinem*, in *vitali* ùt *homicidium*, (nec tamen ùt *parricidium*, Carpz. *1. quæst. 11. num. 16.*) puniatur. Cæterùm quoad *parentes* discrimen tantùm aliquod in *alendi modô* est; non aliud: nam pater quidem infantem non demùm post triennium, sed quamprimùm natus est, præter lactationem alere tenetur. Coler. *Part. 1. de Aliment. cap. 6. num. 4. & seqq. Matri* autem omninò integrum non est, ùt *Hobbes* (ex hypothesi suâ,) docuit, *cap. 9. d. Cive. §. 2.* an *exponere* partum, an *educare* eum velit? vid. Grot. *Lib. II. c. 7. §. 4.* Nec tamen, licèt mater *lactare* possit infantem, ad hoc, ut *propriò lacte* illum nutriat, præcisè obstringitur. Etenim mammas solùm ad *necessitatem* dedit mulieribus natura, ut eis pauperes uti possint, & quæ vicariâ nutrice destituuntur: quippe quòd per hanc sæpè *meliùs* prospiciatur liberis, matre ægrâ vel non sanæ lactis: nutricem quoque probam eligere liceat; utut naturalis tantùm facultas lacte nutricis juvetur: pravitatem verò animi non perinde lacti tribuere oporteat. vid. Bartolin. *Exercit. II. qu. 1.* Quid tamen in adulto filiô, si is bona à patre sibi data *prodegerit?* Adhuc pater ipsum alere tenebitur; Coler *l. c. 2. d. Alim. n. 22.* nisi ratam ei partem bonorum pro Legitimâ assignâsset. Surd. *Tit. 7. d. Alim. qu. 5. Bannitum* quoque alere obstrictus est pater, cùm bannum ea non tollat, quæ natura dictitat. Indeque etiam filius *patrem bannitum* juvare potest, receptandô quoque eum, alendô, aut viaticô instruendô; quatenùs hoc *pietate* fit & *miseratione*: tantùm illum animô perduelli & hostili juvare non potest, & instruere, ut ulteriùs patriæ noceat. A. Matth. *ad Tit. Læs. Maj. Tr. d. Criminibus cap. 2. n. 20.* Nam ita etiam *Vasallus* Dominum suum adversus filium vel patrem, injuriam Domino inferentes, juvare *II. F. 28. II. F. 55. §. insuper.* Schrader. *P. VI. d. Feud. cap. 5. num. 2.* & filius *patriam* adversus aggressorem patrem tueri, *l. 35. d. Religios.* (ut tamen, quà fieri potest, patri ejusque *corpori* & *vitæ* parcat,) tenetur. Sed *Creditores* tamen omninò bona obærati parentis liberis penitus eripere possunt; ut frustrà hi ad alimentorum necessitatem provocent.

(g) AN MERITO. Sic & alibi *Cl. Auctor* in *Nov. 89. cap. ult.* negari tantùm *successionem* liberis illis, tradit; & sic ista alimenta, de quibus idcircò obiter ibi agatur: nam extra ordinem oportere *Magistratus* prospicere liberis istis, etiam parentum sumtibus. Equidem alendos eos non esse, hoc est, non debere, nec posse, ali, ne quidem ad necessitatem, à parentibus, & ne à *matre* quidem, *d. Nov. 89. c. 15.* verbo: *parentibus* constare videtur. Non obstante, quoad *matrem*, *Auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* ubi tantùm *patris* mentio ingeritur; ex fonte enim *Authentica* hæc exponenda est, & ex ratione, quæ in matre æquè militat. Videlicet potiorem ex parentibus Authentica designavit. Neque tamen per hoc alimenta quælibet liberis subtrahuntur, ut pereant; quod *Anton. Matthæi* opinatus est *Lib. XLVIII. de Criminib. Tit. 29. c. 3. n. 7.* Sed ut dolor inde patri matrique inferretur; Grot. *Lib. II. c. 11. n. 4.* dum abjectos esse & egenos vident liberos *l. un. §. taceat. C. d. natural. liber.* Nam quod *Mastertius* putat L. II. *d. Just. LL. Rom. Dub. 7.* (qui & ipse opinatur, alimenta solùm ea incestuosis negari, quæ *naturalibus* cum aliquô respectu ad *patrem* debentur: non quæ naturæ indigentia exigit; adeòque *Authenticam* non rectè ex fonte sumtam esse:) quasi parentibus inde levamentum potiùs concilietur, si eximi eos quis putaret Legibus, quod tamen nefarii non merean-tur, facilè refellitur. Quamvis enim confiscatio illa non sit ampliùs, quæ bona simpliciter Fisco addicat, oporteat etiam hic intelligi *conjunctiones*, (sive extrà formam conjugii, quas *complexus* appellat Novella, sive per conjugium susceptas,) *nefarias*, *incestas* aut *damnatas*; non quaslibet, quæ contra LL. civiles suscipiuntur. Tamen, utut aliàs necessaria vitæ ab alimentis differant: *l. 5. §. 10. 12. d. agn. & al. lib. junct. Nov. 12. c. 2. Nov. 89. c. ni. §. 6.* in *Nov.* hæc distinctio ne quidem per vocem illam, quæ in *c. f. pr.* habetur, cui similis *Jac. V. v. 5.* extat, firmari non potest. Et quamvis necessariis destitutus occidatur; *l. 4. d. agnosc. & al. liber.* tamen hic *parentes* non occidunt liberos, nec contrà *Jus naturale* peccant; quippe impediti. Nec Jus Civile adversum quid *ratione liberorum* Juri *naturali* statuit: quoniam alit eos, etiam, quando nefarii parentes eorumque facultates eò non valeat; ceu nec naturæ convitium sit, quando duriter & parcè liberos illos vivere oportet. Num vero ex *Jure Canonicô* diversum obtineat? Qu. *Affirm.* Postquam alia etiam de incestuosis *J. Justin.* constituta

stituta cessarunt; Idque *foro* de hine & Statutis peculiaribus, vid. Pfälß. L. R. *Part. IV. tit. 34.* & Reform. Noric. *Lib. IX. cap. 34.* obtinuit. Probatur hæc sententia per *c. 5. X. de eo qui dux. in matr.* Ad quod divinatoriè respondetur à *dissentientibus*, qui discrimen jurium malè negant: quasi de eô loquatur, qui post mortem conjugis ex personâ, cum quâ, superstite eâ, adulterium ipse commiserat, liberos suscepit. Neque etiam ipsos juvat *c. 13. X. qui filii sint leg.* Illud quidem: an *amor sui* præferendus sit *amori prolis? Scharrokius* disquirit *cap. 12. n. 5. de Offic.* ubi hoc *affirmat*, & ad exemplum *Seleuci* respondet, item ad exemplum *Davidis II. Sam. XXVIII. 33.* Vicissim quomodo *parentes* à liberis *alendi* sint? amplissimè exponit ex Theologis, post JCC. *Surdum*, *Colerum* & alios, *Osiander* ad *Grot. d. c. 7. §. 5.* tum quodnam illud debitum sit? tum quoadusque porrigatur? Quanquam enim *H. Grotius* non æque ordinarium putet, ut parentes à liberis alantur, tamen parentes effœti, & viribus ad acquirendum destituti, pari necessitate, naturâ etiam jubente, alendi sunt: cùm quidem *voti* sit paterni, ut liberis ipsi potiùs subveniant; *II. Cor. XII. 14.* quô tamen, si necessum sit, liberorum debitum non minuitur. Interim hæc obligatio *causam* habet aliam, gratitudinis scilicet pro beneficiis præstitis; quippe quòd procreatio sive nativitas per se nuda beneficium non sit.

(*b*) Nisi monstra essent. Nam hæc enecare licet protinùs, quidni *exponere?* Cæterùm *Græci* exponebant infantes in ollis fictilibus; quod nec *Romanis* ignotum erat. vid. Auctoris *II. Digress. 5.* Atque huc doctrina *Aristotelis* de *exponendis fœtibus* pertinet; quanquàm eam restringat ille ad eos, qui membris *mutili* sunt: *Lib. VII. Polit. c. 16.* quasi hi Reipublicæ usui non sint futuri; eu quidem *Lycurgus* simile institutum suæ Reipublicæ persuadebat. *Chinenses* verò pauperes, & præcipuè quidem fœmellas, aliquando necabant ideò, quòd meliorem ipsis conditionem se paraturos, crederent, si per metempsychosin ad lautiorem conditionem illæ promoverentur. Nec Gentiles miremur, postquam *Laymannus Lib. III. tr. 3. Theol. Moral. part. 3. cap. 14.* & cum eo *Molina*, tunc quidem filios *spurios* exponi posse, asseruere, quando per id gravem infamiam parentes evitare velint; nisi quòd addant, cautione opus esse, ne proles moriatur. Quantò rectiùs in *l. 4. d. agnoscend. & al. liber.* JCtus, quòd qui partum abjicit, eundem *necare* videatur; suô scilicet sensu, dum paternum affectum ei subtrahit: quem *infamiæ metus* in patre liberis innoxiis adimere non debebat. Adde *Nov. 153. cap. 1.* & Carpzov. *1. qu. cr. 10. & qu. 15. num. 24.* An etiam possit *intrà viscera partum necare mater, ut ne ipsa pereat*, si eidem aliàs pereundum esset? Qu. Vid. *l. 4. de extraord. crim. l. 8. ad L. Corn. de sicar.* junctô A. Matth. *ad Lib. XLVIII. de Crimin. tit. 5. §. 5.* ubi sub dicta limitatione asserit.

(*i*) Vendere liberos. Inter *Hebræos* obtinuisse hanc venditionem & oppignorationem, tradit Hugo *Grotius Lib. II. cap. 5. §. 5.* Neque istud *Juri Naturali* adversatur. Enimvero quòd *Libertas & vita* pari passu ambulent, non nisi certâ ratione procedit; neque etiam venditio fiebat, ut in veram servitutem detruderentur, ùt & sub conditione remancipandi. Ferè ad id solùm, ut *operæ* magis eorum venderentur, nisi quòd ad filios in *dominiô*, Jure *Quiritium*, positos non pertinuisse videri posset, quòd liberi hominis nulla *æstimatio* aut *pretium* nullum fuerit. Sanè id asseri non potest, in venditos *jus vitæ & necis* fuisse emtori, ùt *patri* fuerat. Vix etiam, quòd *filias* vendere licuerit; cùm non esset permittendum patri, ut *pudicitiam* earum periculo exponeret. Et quanquam venditio priscis fuerit *liberior:* deinceps tamen nonnisi *ipsorum liberorum causâ* venditio illa suscipi potuit, ut liberis ipsis prospiceretur, quando parentes illis alendis non sufficerent, *l. un. C. d. patrib. qui fil. distrax.* Quòd enim *pro solvendis debitis* apud *Hebræos* distrahi potuerint, (*Lev. XXV.*) illud Juris solùm *positivi* fuit. Et tamen hoc etiam locationi quàm alienationi fuerat propius: maximè quòd post septennium in libertatem redigerentur. Cæterum Lex *Thebana* erat, ne quis infantem exponeret, nec in solitudinem abjiceret; capitis interminatô suppliciô, si secùs fieret. Quòd si tamen extremâ mendicitate pater laboraret, sive mas sive fœmine infans esset, jubebat Lex, ut à materno partu ad Magistratum cum ipsis fasciis afferretur, qui infantem alii traderet hac conditione, ut iste b. f. infantem aleret, eumque adultum servi aut servæ loco haberet, operis ejusdem in mercedem educationis receptis. Ex quo apparet, quomodo Romani liberorum sanguinolentorum, sive recens natorum, venditionem permiserint; & permit-

permittat illam etiamnum ipse Constantinus in *l. 2. C. d. t.* (qui tamen, sublatis tantùm venditionibus aliis, extrà dictum casum imaginariam illam veditionem, quæ in emancipationibus vigebat, non sustulit, vid. *l. ult. C. de adopt.*) Quòd vero docent nonnulli, legem *Thebanam* ab *Hebræis* venisse: illud demonstrari non potest; ne quidem ex *cap. I. Exod. vers. 7.* ubi tantùm de venditione *ad Concubinatum*, non simpliciter ad famulatum, agitur; & multa exteroquin inter venditionem *Hebræorum* & *Thebanorum* dissimilitudo intercedit. Vide quoque collationem Legis illius Thebanæ cum *l. fin. C. d. Patr. potest. ap.* Auctor. *d. L. II. Digress. cap. 5.*

(*k*) Jure romano veteri. Hine *Marcianus*, dum in *l. 1. ad L. Pompej. d. Parricid.* refert *Legem Pompejam*, (in quâ ad *L. Cornel. de Sicar.* vel *caput* ajus, cùm & *Sylla* ante *Pompejum* Legem suam ad parricidas direxisset, *l. 2. §. 32. d. O. J.* provocatur,) & in eâ *liberorum* mentio non fit; saltim *matrem* in brevi *Institutionum* suarum commentatione adducit, & avum, qui parricidii rei fierent. *Patris* autem, quâ ratione ille teneatur, saltim aliò jure, non meminit. Cùm enim tempore *JCtorum Jus* illud *vitæ & necis* adhuc duraret; vid. *l. 11. d. Lib. & posth.* ubi quidem *Paulus* ad tempora sua anteriora quoad *rigorem* P. P. respicit, & occisionem impunitam, *arg.* voc. *licebat.* & *l. 2. ad L. Cornel. d. Sicar.* ubi *Ulpianus*, si pater *inauditum* filium enecâsset, illum *L. Cornel.* quippe quòd *hominem* occidisset, teneri insinuat. Hine *specie* cædis eâ, quâ mater, nec dum tenebatur *pater*, donec *Constantinus l. un. C. de his, qui parent. vel liber.* patribus *add. l. un. C. de emendat. propinqu.* domesticum illum rigorem penitus ademit. Itaque in his *textibus* progressus Juris Romani, & in *d. l. 1.* vestigium *Juris veteris* habetur.

V. Denique tædio orbitatis commentum Adoptionis repertum & à multis gentibus usurpatum est, quo extranei in nomen & jus liberorum adsciscuntur. Forma ejus pro more cujusque populi diversa, sed inter vivos fieri debet, fide & autoritate publica. Sunt & imitamenta ejus, idem quidem nomen, at effectum minime eundem, habentia, qualis quæ per testamentum fit, aut apud veteres Germanos per capillum & per arma (*l*)*.

* *Ritus erat, ut principes juventutis cæsariem inciderent, quod sumere capillum vocabant. Paul. Diacon. lib. 6. de gest. Longob. Per arma dicebatur adoptio, cum juvenes è manu Principis aut Illustris viri equos, enses, clypeos & reliqua instrumenta bellorum acciperent, ut est in epistolâ Theodorici Gothi, quam habet Olaus Magnus lib. 8. à princ. quomodo & Justinianum ab Athalarico Gotho adoptatum memorat Cassiod. lib. 8. Varior.*

(*l*) Per arma. Sic & apud *Gothos* per *barbæ* tactum, Aimon. *I. cap. 20.* vel præcisionem. Idem *IV. 23.* Per *capillos* sæpè *in Ecclesiâ*. Id. *IV. 57.* Balsam. *ad cap. 53. Syn. 6. in Trull.*, in *baptismo.* Nec tamen semper illi modi *initiationes belli* erant cum *patrum* & *filiorum appellatione*: tantùm quòd *Romanis* hi ritus non probarentur: ut nec assumtio *per testamentum* in locum *filii*; atque hoc justâ seu probabili magis ratione. Debebat enim omninò niti adoptio *publicâ auctoritate*, ob jure *familiarum*. Unde nonaliud *testamento* licuit, & etiamnum licet, nisi, ut quem *nomen* & *honorem familiæ* assumere faceret, eum *bonis* quoque. Familiæ autem & agnationis jura non producit: eò quòd ad *patriam potestatem* respicere debeat adoptio: vid *§. 10. I. d. adopt.* qualis post mortem nulla constitui potest. Distinctionem v. *adoptionis* in speciε & *arrogationis*, quam habebant *Romani*, quamque *nunc* etiam servamus, ut solùm arrogatio desideret *auctoritatem Principis* aut *Curiæ ejusdem supremæ*, eò quòd in arrogatione de *capite* Civis Romani statuatur, maritò reciperent etiam Gentes aliæ.

VI. Po-

VI. Poteſtas parentum in liberos ejusmodi eſſe debet, quæ ad regimen familiæ ſufficiat, & quidem in civitate, ubi eſt major poteſtas prædita gladio. Proinde jus vitæ & necis (*m*), quod olim Romæ habebant parentes, recte novis conſtitutionibus,* aliarumque gentium moribus, in modicam coërcitionem eſt mutatum, quia ſufficit, inquam, parentibus tantum poteſtatis, quantum moderandæ familiæ neceſſarium eſt, ſalvâ publici privatique juris & coërcitionis differentiâ.

* *In l. un. C. de emendat. propinq. l. 3. C. de patr. poteſt.*

(*m*) Jus vitæ et necis. Ne quidem in ſegrege familiâ *Jus vitæ & necis* parentibus à naturali jure committitur: cùm ſoli & omni *Magiſtratui* gladius ultorâ Deo datus ſit: *Rom. XIII. 3.* Vix enim eſt, ut in *ſtatu Corruptionis* abuſus potuerit evitari. Rectoris autem vicem poſt lapſum parentum, qui protinus contigit, Deus ita ſervavit, ut ſupplicia ipſe de fontibus ſumeret. Nec habuit *Bodinus* de *Republ. Lib. I. cap. 4.* quare hoc Jus parentibus in *Republicâ* Chriſtianâ, & ubi copia adeò Magiſtratûs eſt, reſtituendum eſſe voluerit. Neque verò ſententia ejus, (quam ex *profanis* refutat *Jo.* Zabelius *Diſſert. Anti-Bodinianâ §. 4.* ubi & *Crudelitatis* exempla ex ipſò *Bodinô VI. cap. 5. num. 737.* ei obvertit,) ſuppetias habere poteſt ex *Lev. XXVII. 28.* ubi de *conſecratione* liberorum: à quâ ad occiſionem malè infertur. Non etiam *Gen. IX. 9. ſeq.* ubi *mandatum Divinum* totum negotium conficit: non item exemplum *Jephtha*, quod ipſum (vid. *Oſiandr.* ad Hugo *Grot. II. 5. 7.*) accipiunt nonniſi de conſecratione ad cultum Divinum, & non adeò de *immolatione* quâpiam. Satis quippe arguit *Epiſt.* ad *Hebr. XI. 32*, ipſum filiam non enecâſſe, cùm & *votum* ejus, quod nec *holocauſtum* ſimpliciter continet, ſolùm ad *animal* holocauſti *capax* pertineret: adeò ut ſi vel canis ei occurriſſet, non potuiſſet illum immolare; ad hominem verò nullatenùs extendi potuerit. Verba autem Scripturæ *conſecrationem* alternativè admittant; & particula &, ùt ſæpè aliàs in Linguâ Sancta, accipienda ſit pro *aut*: *Erit Domino*, (ſic *filiam* conſecravit ei,) *aut* offeram in *holocauſtum*; add. Chriſtiani Scotani *Diſſert. de Voto Jephthæ*. Utique *Romani* jus illud exercebant ferè ad modum *judicii*, vocatis in conſilium *cognatis* & *amicis*, atque ex ipſorum ſententiâ irrogatô ſuppliciô. Vid. *Valer. Max. Lib. V. cap. 8. §. 2. 3. & 5.* ibique *Rupertum*, & *Senecam Lib. I.* de *Clementia cap. 15.* quod quidem rem & morem illum mitigat. Imò jure *externô* impunitatis nitebatur illud *primis temporibus*, *internô* nonniſi *ex causâ*, & poterat Reſpublica *delegare* parentibus paterna ſupplicia. *Deinceps* verò Legem *Corneliam* ſubire oportuit patrem, qui illâ poteſtate *abuteretur*, *l. 2. ad L. Corn. d. ſicar.* quicquid ſit, quod ceu *parricida* non teneretur. Planè apud *Japanenſes* hodienum pater Jus vitæ & necis habet in liberos; quod & *Galli veteres* habebant, *teſte* Cæſare *VI de Bello Gall.* Sed non *Hebræi*, *Deut. XXI. 18. ſeqq.* *Germani* vero veteres ſolùm *adulteras* fœminas, (ob ſcelus quod tantoperè averſabantur,) puniendi jus habebant, Tacit. *Germ. XIX. 2.* Denique non eſt Jus tale *deiegatum*, quando *Princeps ſummus* gladio in liberos utitur; ſicut *Philippus II. Carolum* filium necari fecit *anno Chriſti 1568.* pervincente ſententiâ *Azpilcuetæ*, ſalutem Regni potiorem eſſe oportere. vid. Strad. *Decif. 1. Lib. 7.* *Hiſtoriam* Don Carlos, *Append.* Vicquefort *des Ambaſſadeurs. &c.* & quæ nos de *Juriſdictione Principum* in Uxores & familiam in *Comment.* ad π. diximus.

VII. Cum autem familiæ imperium ſit penes virum, ſequi debuit, ut poteſtas in liberos, quæ civiles validosque haberet effectus, patri ſoli permitteretur; honore interim & obſequio pietatis matri

 æqua-

æqualiter præſtando. Hobbes * argutatur, jure naturæ partum eſſe in poteſtate matris ſolius, quia per naturam puerpera prima ſuo fœtu potirur, (*n*) verum patriam poteſtatem eſſe vel ex pacto matrimonii vel ex Lege civili. Noſtra ratio eſt **, primò honeſtatem naturalem exigere, ut mulier ſe non det pluribus viris, ſed ſub oculis unius agat eique cohabitet. Unde ex eadem naturali ratione ſequitur, virum, qui ſolus cum muliere ſemen communicavit, jus in eundem filium rectè ſibi vindicare, quia ex ipſo eſt, & dum naſcitur fœtus, æque & facilius manum ei injicere poteſt, quam puerpera. Sed ratione generationis dicendum, utrique parenti commune & par jus comparatum eſſe; prærogativam patris jure Gentium, naturali ratione, quod melius erat, monſtrante, fuiſſe introductam.

* *De cive cap. 9.*

** *Dix. in Digreſſion. Juſtinian. lib. 2. cap. 3.*

(*n*) SVO FOETV POTITVR. Enimverò non permittit ſana ratio, ut ad *Jus Naturale* argumentemur ab eò ſtatu, in quo absque turpitudine morali nemo vivere poteſt. Nec enim *ſtatus naturalis* ejusmodi eſt, in quo mulier poteſtatem habet facere *id, quod poteſt;* ſed quicquid ratio & honeſtas dictitat, ùt *ſuprà* docuimus. Deinde non ut virum quemlibet admittat mulier, ſed unum; aliter genus humanum confunderetur, neque poſſet partus eſſe alterius quàm ejus, cujus ipſum vellet ipſa mater: & ſic tamen ſolùm indicium filii eſſet penes matrem, non etiam poteſtas. Cæterùm cùm mater æquè in *generatione* locum ſuum habeat, & potiorem in geſtando utero, imò & in concipiendo & elaborando fœtum: maritus vero (ſec. recentiores naturæ peritos,) excitet potiùs virtutem muliebrem, niſi quòd ſic, tanquam agens quid, dignior ſit patiente, ſaltim quod conceptionem attinet. Ideoque *matri* oportet locum quoque in poteſtate, ratione liberorum, juxtà patrem competere, ſi generatio (quod aſſeri adverſus *Hobbeſium cap. 9. §. 1.* oportet,) ceu datio eſſentiæ producenti *rationali*, (quod non etiam ſimpliciter ut *naturalis* & phyſica *cauſa* ſpectari poteſt,) in productô itidem *rationali*, quod *imperiò* etiam *proximò* indiget, cauſam poteſtati præbet, & non occaſio tantùm eſt; quod *Puſendorffio* viſum fuit. *L. VI. c. 7. §. 4.* Nec tamen generatio ſola cauſam omnem facit; verùm unà etiam in ſeriem cauſarum venit *educatio*: *quæ* quidem cùm in dignioribus ab autoritate patris dependeat, utique rem optimè reſolvere videmur, ſi dicamus: ſocietatem paternam *Regiam* eſſe, & *mixtum* quid, ex formis ſcilicet Regiis duabus, ut adeò nec *par* matri poteſtas Jure *Naturali*, & tantùm *Jure Gentium* meliùs rationem monſtrante *patri* prærogativa tribuatur: (ùt *§. 7. h. in fin. & II. Digreſſ. cap. 3.*) nec enim Naturale Jus quicquam in hâc re à Jure Gentium diſcrepat, nec poteſt. Verùm ut juxta patrem ei poteſtas diſtincta competat, indeque & Gentium Jure, quòd dicitur, matri non omnis poteſtas denegetur; quippe in quâ & ſuperſtite patre effectûs quotidiani poteſtatis illius maternæ ſe exſerunt, & poſt mortem quoque patris ſocietatem hanc per illam conſervari videmus; ſaltim quòd *impar* ſit poteſtas matris, etiam Naturali ſive primævo jure, & tantùm in ſuô genere, atque in actibus ad curam muliebrem & maternam pertinentibus: indeque ſuperiorem quidem ipſa non habeat; habeat dignitorem: neque accipiat poteſtatem hanc à patre, ſed à naturâ & Lege naturali, atque jure propriô: ut tamen ſi in quopiam objectô, quod matris imperium concernit, maritus ab eâ *diſſideat*, non modò ex reflexu ad ſocietatem *nuptialem*, quæ prior eſt; verùm etiam ad poteſtatem *familiæ*, quam maritus tenet, mater prudentiæ & autoritati patris, modò ratione

ratione ille utatur, in hac quoque specie imperii paterni, quoad liberos, concedat. Ex quo patet, quòd malè Hobbesius *cap. 9. de Cive, §. 6.* potestatem in *liberos pactô matrimoniali*, sed hôc cessante, *potentiâ matris* niti, (*§. 3. seq.*) eique tunc *soli* competere, scribat, malè etiam nonnulli doceant, imperium paternum fundari in consensu *utriusque* partis, saltim in *præsumtô* à parte *liberorum*. Quos inter etiam fuerat *Pufendorffius II. Elem. Jurispr. Univ. Obs. 5. §. 8.* Nec enim par ratio est *Societatis* hujus, ùt *cæterarum:* & cùm potestatis illius *causæ veræ* sint, quæ in *invitos* valent; etiam *initiô* constitutionis. Inde frustra de *Consensu* quæritur, quô quidem niti hos oportet, qui nulla *Jura* agnoscunt ante *pacta*. *Educationem* in susceptos liberos dum ipsa *Lex naturæ* præcipit parentibus; non potuit non simul his *imperium* dedisse, ceu *conditionem sinè qua non* educationis, & in retributionem *generationis humanæ*. Indeque non immeritò *societatem* hanc *invitam* dixeris, quam *velle* tamen liberi *ratione dictante* teneantur. Proinde in *generatione & educatione*, tanquam causis *sociis* & successivis potestatis illius parentum, subsistimus: quarum *prior*, cùm suô modô perpetua sit; *posterioris* quoque, (*i. e.* educationis,) beneficiis, quoad vivunt, liberi fruantur. Hinc saltim pietas & directio parentibus, quamvis è domo ipsorum liberi abscesserint, perdurabit; non durante licèt amplius, maximè hodie, *rigidâ* illâ & *strictâ potestate*, quam etiam *Doctores* Juris Gentium per tria tempora cum H. *Grotiô* distinguunt; in *L. II. cap. 5. §. 2.* junctô *Pufendorffio in Lib. IV. cap. 2. per tot. maximè §. 10. & seqq.*

VIII. Cæterum Jura patriæ potestatis tam ad personas liberorum, quam ad res bona & illorum pertinent. In personalibus id juris habet pater, ut quæcunque ad regimen familiæ (*o*) spectant, in iis filius nihil sine illius consensu possit, adeo, ut pater acta ejus irrita facere queat: (in infantibus res loquitur nullam esse exceptionem.) In cæteris tenetur quidem revereri & observare parentes, sed facultas perfecta patri in illis competere non potest * Cujus generis videtur esse jure naturæ matrimonium, quod non ad regimen familiæ, sed ejus dissolutionem spectat, præter quod gignendi facultas tam propria & singularis cuique videtur, ut imperio subjici non possit. Sed ratio summa honestatis & gratitudinis, communisque utilitatis, plerosque Legislatores impulit, ut necessitatem vimque coactivam huic rei adderent **, adeo, ut divino & Romano *** aliisque juribus nuptiæ invitis parentibus contractæ nullius momenti censeantur. Jam in causis ad Rempublicam pertinentibus (*p*) clarum est, cessare debere patriam potestatem ****.

* *Vid. Grot. lib. 2. cap. 5. §. 1. seqq.*

** *Vid. Deuteron. cap. 7. vers. 3. Corinth. 7. v. 37. Exod. 22. v. 17.*

*** *Princip. Inst. de Nupt.*

**** *L. 9. D. d. his qui sui vel al. jur.*

(*o*) AD REGIMEN FAMILIÆ. At verò non ea pertinent ad *patrem*, quà talis est; sed quà *pater* est *familias*; cujus *Imperium distinctum* haberi omninò debet ab'eo, quod ipse habet ùt *maritus*, *pater*, *Dominus*; neque enim istud ex his simpliciter est compositum. Non etiam potestas

familias

familiæ adæquatè opponitur *Prudentiæ Oeconomicæ;* verùm æquè refertur ad illa, quæ *rerum domesticarum* curam, quò ferè *Oeconomica* pertinet; quàm quæ *statum personarum* attinent; quæ magis ad *Societatis Civilis* rationem, & si quæ familia in Civitate est, ad *Civitatem* ipsam, ut familiis ea probè contineatur, respiciunt. Enimverò potestatem illam patrisfamiliâs partim *Civilem*, partim *Oeconomicam*, habere oportet; ut si *prudentia Oeconomica* huc non pertinet, tamen *potestas*, ceu facultas altera patrisfamiliâs, doctrinæ huic omninò *propria*, nec propterea in hâc tractatione, quæ ad *Civitatem* reflectit, *privata* sit. (Aliter ac *Lib. II. cap. 1. §. 1.*) Solemus tantùm status distinguere in *Oeconomicum*, qui intrà domum, sed tamen ad *publicam* Civitatis salutem, terminatur: *politicum*, h. e. Civitatis, & *Ecclesiasticum*. Proinde quia imperia illa domestica ad eundem finem collimant, fieri utique potest in imperiis iisdem *non absolutis*, ut unum illorum alii imperio, & omnia Imperio Civitatis cedant; sicut maternum cedit nuptiali, & hôc etiam majus est imperium *familiæ;* quippe quod jam propiùs *Civitatis imperio* appropinquat, & exinde modum præcipuè capit; in *familiâ* autem *segrege*, juxta dominos aliarum familiarum, *regiam* quandam formam habet. Igitur *mater* si vulgò concepisset, in partum habet sola potestatem, quæ *patriæ* naturaliter *similis* est; si *familiam* ipsa regat integram, imperium quoque illius tenet. (Quamvis civiliter in *familia agnationis* non sint, qui extrà conjugium, quod istius familiæ principium est, nascuntur:) *Servus* naturaliter, ut *pater*, in liberos potestatem habet; sed hæc à potestate *Domini*, quæ illi *statum libertatis* aufert, penitùs supprimitur. Videlicet imperia illa societatum *simplicium* spectare oportet vel *extrà Civitatem*, vel *intrà eam*. *Ibi* vel *distinctim* & *absolutè*, ut cujuslibet societatis imperium in se consideratur, quodnam sit & quousque pertingat: (Secùs enim de cujusque *modi* in compositione cum imperiis *concurrentibus* judicari non potest:) vel *relatè* & in *consensu* cum imperiis aliis. Sicut igitur in *Civitate* ipsâ datur *subordinatio* imperiorum: sic & *in familia;* ubi & *princeps familiæ* omnibus supereminet. *Intrà Civitatem* verò, ubi etiam ad *familiam agnationis* respicitur, imperium *paternum*, cum à patre sit cognatio, exaltatur eò magis præ materno; & in filios quoque majus & diuturnum magis est, quàm in *statu naturali*.

Quocircà si de libertate quæras liberorum in *contrahendi matrimonio* in statu naturali; sicut filius, qui *familiâ egredi* potest, non ultrà patris *imperium* respicere debet, (nam hoc non tantùm in generatione, verùm etiam *in educatione* fundatur, quâ non ampliùs indiget filius:) ita consensum *patris* solùm ex reverentiâ & in vim consilii, ùt & *matris*, adhibere tenetur; indeque neglectô illô conjugium *irritum* propterea non est. Tantùm non potest filius nurum, filia generum parentibus invitis *in domum* ducere. Sed hoc ad ipsius matrimonii rationem non pertinet. *Intrà Civitatem* verò, ubi patris tanquam Capitis familiæ & *Agnationis*, habetur ratio, tùm & *Successionis necessariæ* in bonis paternis, ad sustentandam seriem familiarum, ùt & dotationis filiarum, omninò aliter constitui jure non potuit, quàm ne in potestate liberorum esset, civiles illas dispositiones lubentiâ suâ, ob juventutis calorem plerumque improvidâ, subruendi: quin potiùs omnes ausùs illi pro *irritis* haberentur. Adeò ut quamvis *Jure Canonicô* consensus parentum ad validitatem matrimonii non requiratur. (Sanè etiam *Jure Civili* matrimonia à liberis, neglectô consensu parentum inita, non *dirimebantur;* licèt quoad effectûs Civiles sive *legitimos* nulla essent.) tamen illud solùm respiciat *ad vinculum* inter conjuges, quod *pontificiis* ad nexum *Sacramenti* refertur. *Nostrates* etiam, rem ipsam secuti, matrimonia ejusmodi pro indissolubilibus habent. Intereà quantum ad *Jus patrium* concernit: quamvis *Jure Civili*, cumprimis *Justinianeô* recentiori, (quô quidem plurimum Juri *suitatis* & *familiarum* detractum est,) filium ejusmodi immorigerum pater invitus heredem habere cogeretur, neque illum *exheredare* posset, *Statutis* tamen plurium locorum magis patriæ potestati hîc in re prospectum est; tantùm quòd liberi ex tali matrimonio suscepti *legitimitatem* nihilominus consequerentur.

Cæterùm quando & quousque liberi parentibus *detrectare* possint *obsequium*, profani etiam rectè definierunt. vid. A. Gellium *N. A. L. II. c. 7.* ibique Commentatores.

(*p*) Ad rempublicam pertinentibus. Sed tamen *patrem* & hîc *intercedere* posse, quando filius *potestate* publicâ *abutitur*, nil vetat, eumque monere consiliô: nam ita *consilium* patris adhuc superius est protervià filii. Sed *potestate* tamen suâ pater

pater in his uti non poteſt, quippe quæ publicæ *ſubalterna* eſt. *Civilia* jura finxêre *identitatem perſonarum* inter patrem & filium, in *rerum juribus*; quatenus *nil proprii haberet filius*, ſed ex re patris & operis ſuis ipſe familiæ acquireret. Hinc ceſſabat illa identitas in *caſtrenſi* & *quaſi caſtrenſi*, ut & *adventitio* peculiô *extraordinariô*: quæ quidem & ipſa *ratione naturali* nituntur; cùm nec naturâ filius pro patre & viciſſim fidejubere poſſit, in bonis, quæ prioris generis ſunt.

IX. Jus in bona liberorum (*q*) eodem fundamento nititur, & ſane quamdiu liberi ſunt pars familiæ paternæ, conſentaneum eſt, fructus reditusque bonorum cedere patri ad familiæ ſuſtentationem, ut & lucra illorum, quæ ab ipſo patre profecta ſunt. Quæ præterea jure præſertim Romano conſtituta ſunt, ea Legum commenta ſuo loco non inutilia, ſed à jure univerſali aliena ſunt.

(*q*) IN BONA LIBERORUM. *Romani*, quia *Jus familiæ agnationis* à *patre* deducebant, & à *nexu poteſtatis*: Hinc ea, quæ familiæ etiam ſeu *domo* tribui poterant, indeque *patrifamilias*, ad hunc tanquam *patrem*, & ſic ad *poteſtatem* ſpecialem *patriam*, redegêre. Nam *Jus in bona liberorum*, ad patrem, non quà talem, ſed quà *patrem familiæ*, pertinebat; niſi *arctiùs* adhuc, non reclamante *Jure naturali*, *Civile* Jus Romanum, dominia rerum *in familiis* reſtringenda, ad inſtitutum *familiarum agnationis*, cenſuiſſet. Quâ ratione *peculiorum* diſtinctio ad *patriam poteſtatem* relata, & *publici* quid, in quo poteſtas illa ceſſaret, in liberis, etiamſi *adhuc in domo* & familia patris commorantibus, circà peculium *caſtrenſe* & *qs. caſtrenſe*, admiſſum eſt. Et quamvis initiò, ubi *rigida* adhuc erat *patria poteſtas* & propior dominicæ, in arbitrio *poteſtatis civilis* ceu dominæ rerum, fuerit, nil quicquam bonorum relinquere *liberis*; Tamen poſtquam & liberos, quamvis ſub poteſtate adhuc conſtitutos, *dominii capaces* eſſe placuit, diſtinctio peculiorum, *profectitii* quoque & *adventitii*, mitiori jure, introducta eſt: ut tamen adhuc utrobique ad *patriam poteſtatem* modus illorum componeretur. Imo quantum ad *diſpoſitionem inter vivos*, plus liberis permiſſum eſt Legibus *Romanis*. *Inter mortuos* verò noluêre alium diſponere etiam *de ſuis* poſſe, niſi qui eſſet *paterfamilias*, ſuique juris, (aut pro tali haberi poſſet,) eò quòd teſtandi Jus *publicum* eſſet; adeò ut hactenus non tam ad *patriam poteſtatem*, quà *talem*, reſpiceretur: ſecùs filio ſuper adventitio teſtaturo pater conſentire potuiſſet. Tantùm, ut *de bonis filii* & ſic de *alienis*, *diſponere* poſſet *pater*, ex *poteſtate patria* pendebat: unde & ſubſtitutio pupillaris in liberis, *in poteſtate poſitis*; nec tamen id poſt mortem patris, ultrà liberorum pubertatem.

X. Solvitur patria poteſtas jure Gentium non morte tantum aut ademptione libertatis & civitatis aut emancipatione voluntaria: qui modi jure Romano ſunt cogniti; Sed & matrimonio ſeparataque habitatione, (*r*) quia nunc ipſi liberi novam condunt familiam; quamobrem ætate verius eſt non ſolvi poteſtatem. Quid ſi paterfamilias moriatur, (*s*) an omnis poteſtas familiæ ſolvitur? Ita Romanis viſum; ſed à Jure Gentium non videtur abhorrere, ut mater, quæ fuit ſocia regiminis, & cui poteſtas ordinis ſaltem cauſa, utque cederet marito, negata erat, patre defuncto, ſuccedat in imperium, donec ſocietas domi manebit.

(r) SEPARATA HABITATIONE. Romani hæc distincte habebant. Et quanquam *filiusfamiliâs* maritus suæ domûs imperium, in uxorem & servos, suôque modô in liberos suos teneret: non tamen erat *paterfamiliâs* respectu *potestatis* illius, quam ad agnationem & statum sive *caput familiæ* illi adstringebant. *Naturali* autem jure non tam *ætate* quis subducitur potestati patriæ, nec prudentiâ, quousque *in domo patris* subsistit; quàm si tunc separatam familiam ineat. Indeque filius, ductâ etiam in domum patris *uxore*, suppositus & *familiæ domino* manet, & *patri suo*: quin & *nurus* subjicitur *socero*; nec tamen ùt *patri* ejusque potestati patriæ, sed ut *patrifamiliâs*. (vid. obiter de Judicio Soceri in *Thamarem*, Genes. *XXXVIII. 24.* Gerhard. *Loc. d. Magistr. Pol. §. 301.*) De *abdicationis* sive ejectionis è domô paterna, & *emancipationis*, ùt & utriusque discrimine ab *exheredatione*: tum & de *separatione* liberorum per *Germaniam* usitatâ, ad Jus Civile dictum est.

(s) MORIATUR. Civili *Romanorum* jure effectûs *patriæ potestatis*, quos inter etiam tutoris est constitutio, *ultra mortem* patris, ad usque *pubertatem* liberorum porriguntur; estque *tutela* vicaria quædam potestatis patriæ: *materna* verò tutela, tunc quidem, ubi ad *agnationum* jura non adeo respexit *Justinianus*, invaluit; saltim quòd *domûs cura* in *matremfamilias* à morte patris devolveretur; eaque *educationem pupillorum* continuare posset. Cæterùm quòd pater *vi potestatis patriæ* liberis suis tutorem dare potuerit, & non per consecutionem dispositionis *de bonis suis*, ex hoc evidens est; quoniam tutor datur *personæ* imò *exheredato*, cui nil bonorum relinquit pater, neque ultrà *pubertatem*, & tamen bona posthàc etiam puberes retinent. Idemque in substitutione pupillari observamus. Cur enim aliàs *minori* curatorem non daret pater, quando ei bona sua relinquit. Imò *simpliciter* facultas illa dandi tutorem *patriæ potestati* meritò adscribitur, quæ etiam *pauperrimi* esse, & *patris* & *filii*, potest. Tantùm si *alius quis* impuberi tutorem constituebat: ille confirmabatur, quando impuberi simul *bonorum* quid reliquisset testator. Videlicet hic erat *modus*, circà bona impuberi relicta: quem tamen *publicâ* Magistratûs *auctoritate* juvari oportebat; ut non valeret tutor, tanquam *ab illo testatore* constitutus, vid. *l. 4. ff. & C. d. Legit. Tut.* Neque etiam *JCti* demum facultatem hanc propriam fecêre potestati patriæ; quasi antehàc *Leg. XII. Tabb.* haud obtinuisset. Nec enim in *L. XII. Tabb.* alius, nisi is, qui *in potestate* habebat liberos, intelligitur in hôc: *Paterfamiliâs uti super pecuniâ tutelâve rei suæ legasset, ita jus esto.* Et in *l. 53. d. V. S.* tutor non dati posse dicitur *sine pecunia*: h. e. tutelæ constitutio est *accessorium testamenti* super pecuniâ. Est verò *naturali* quoque *juri* congruum, ut pater de liberorum educatione *post mortem* suam dispicere possit; nec minùs ut, in defectum illius dispositionis, ad eos, qui & *sanguine* propinqui sunt pupillis, & eorum *bona* expectare possunt, cura ista pertineat; idque *sine decreto Magistratûs*: atque hinc ad agnatos illos, protinus à morte patris, *periculum* tutelæ pertineret. Quicquid sit, quòd *Solon*, in legibus *Atticis*, propinquum successorem pupillo tutorem esse noluerit; ob vitæ scilicet insidias. Et tamen etiam à *non tutoribus* illæ metui poterant: tum & pater testamento *removere* poterat *agnatum*, in quô fiduciam non habebat. Denique discrimen inter *tutelam* & *curam juri* quoque *naturali* consentaneum est; quippe quòd hoc etiam *ætates* distinguat? & sicut *minorum*, ita & *curationis* eorum à tutelâ in pupillos diversa ratio sit. Atque hinc *invito* minori curator ne quidem *naturaliter* dandus sit. Quare nunc etiam discrimen illud retinetur: quamvis *Tutor & Curator*, *apud Germanos*, ùt & *apud Græcos JCtos*, idem *nomen* habeant; nec non hodiè plerisque locis geminam illam potestatem unum idemque *subjectum* successivè teneat.

XI. Porrò per connubia filiorum (nam filiæ innubunt in alienas familias, unde & capita & fines familiarum dicuntur) propagatur familia, omnesque nominis & cognationis participes, ejusdem familiæ esse dicuntur*. Sed cum origo sanguinis ultrà memoriam hominum provehitur, desinit agnatio, & ex eâdem stirpe progeniti gentiles dicuntur,

cuntur, diſtributi in diverſa familiarum cognomina, licet omnes ultimi progenitoris appellationem retineant. Ita fit progreſſus à familiis proprie dictis ad agnatos, ab his ad gentes, è gentibus civitates colliguntur.

* *Vid. l. 195. §. pen. & ult. ff. de Verb. ſignif.*

CAPVT III.

De Dominis & Servis.

ARGVMENTVM.

Definitio ſervitutis Grotiana. Præfertur JCtorum, quæ explicatur, ubi de cauſis juſtæ ſervitutis. Solvitur quæſtio duplex: an liceat illis reſiſtere dominis, & an fugere poſſint. Rectene hodie ſublata ſit ſervitus.

I.

QUanquam ſervi per ſe membra civitatis (*a*) non ſunt, tamen ad familiam ſine dubio pertinent atque ita ſunt in civitate.

(*a*) MEMBRA CIVITATIS. Sic itaque *latè* ſolùm *pars reipublicæ* ſervus eſt; prout pars dicitur omnis homo, qui in multitudine illa reperitur. Et qui *pars partis* eſt, (ut ſervus ſocietatis herilis,) non poteſt non eſſe pars totius. *Strictè* verò partes reipublicæ ſunt ſolùm *cives*, qui participes ſunt jurium publicorum, & peculiariter in ſocietatem illam aſſumti; quâ ratione *Princeps* quoque *civis eſt*. Agunt videlicet cives per ſe in civitate, ut ſocii; unde cives ne quidem *uxores* dici poſſunt, ſtrictô ſenſu.

II. Servum Grotius definit, hominem qui perpetuas operas pro alimentis debet*, exemplo Chryſippi apud Senecam, qui ſervum ait eſſe perpetuum mercenarium**. Non malè: nam tales ſunt ſervi; at non plenè, quia plus jure Gentium ineſt ſervituti, quicquid dominio rei cujusvis (*b*) ineſſe poteſt, abutendi quoque & perdendi facultas. Unde efficacius JCti, ſervitutem eſſe docent, conſtitutionem Juris Gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur. Contra naturam, id eſt, contra ſtatum naturæ, ſeu conditionem hominum primævam, non contra jus Naturæ, (*c*) ſive dictamen rectæ rationis.

* *Grotius lib. 2. cap. 5. §. 27.*

** *Seneca 7. de benef. 4.*

(*b*) DOMINIO REI CUJUSVIS. Eleganter exponit Puſendorff. *Lib. VI. cap. 3. §. 8.* quâ ratione *rerum* vicem teneant ſervi homines: ut tamen ſervo *injuria* fieri poſſit; contrà quàm *Hobbeſius cap. 8.*

cap. 8. de cive docuit. Aristoteli *I. Pol. 3.* servus est *organum animatum, rationis particeps, activum & separatum alterius bono, existens.* Quæ tamen definitio nec ipsa *dominii*, quod fieri debet, mentionem injicit.

(c) NON CONTRA JUS NATURÆ. Quando enim *libertas* dicitur esse *Juris Naturalis*: illud hoc sensu intelligendum est, quô quid dicimus esse juris Nat. *negativè*, h. e. ut servitus jure Naturali introducta non sit. Quamvis autem Hugo Grotius *Lib. III. cap. 7. §. 1.* servitutem *contra naturam* dicat; quasi libertas omnibus hominibus sit naturalis. Tamen (1) status illi præscindunt à respectu naturali; quanquàm *causas naturales* habeant. (2) In hypothesi naturæ adversano n est servitus. Nimirum *facultas naturalis* est *libertas* hominis *physica*. Hæc autem, ùt *Jure* circumscripta est, in *Moralem* transit: quâ ratione non possumus illa *moraliter*, quæ juri adversa sunt; licèt ea *naturaliter* possimus. *Servo* autem *libertas* quidem *naturalis* competit; & tamen hujus etiam *actus secundus* impediri potest in his, quæ in genere morum non considerantur. Unde est, quod *Seneca* ait *III. d. Benef. cap. 20. animum servi non servire; sed sui juris esse.* Imò servus non tantùm *vi* & *jure*, *communi* illô & ad quosvis pertinente, impeditur, quò minùs agere secundùm naturalem illam libertatem possit; verùm etiam *jure dominii*, sive *legibus* illud *jus*, sive *facultatem*, quam dominus habet, *definientibus* constringitur. Adeò ut *exteriores* actiones servi per illas, etiam in his, quæ alii sine *vi* nec impediente *jure* possunt, impediantur, per conditionem *status* ipsorum animus videri queat. Equidem Deus in creatione jam dedit homini arbitrium, sive *libertatem* contradictionis & contrarietatis, quâ actiones suas externas alii subjicere, etiam ad finem certum, domesticarum v.c. operarum, (quæ existere poterant citrà *indigentiam* & *incommoda* vitæ humanæ) posset; indeque *naturaliter* licitam servitutem evincitur: tum & *disparis ingenii* extituri fuerant homines, etiam in *statu innoxio*: ceu varietas quoque in aliis obtinebat. Et multò magis igitur naturalis erit servitus, seu congrua Juri naturali, post lapsum hominis.

Neque tamen illa sententia, quæ vult, *servos natura* dari, quatenus nempe imbecilles ingeniô aliis naturâ subesse oporteat: admittenda est. Quales servos non *singulos* tantùm, ùt de *Caligula* apud *Tacitum VI. annal. 20.* Passienus: *neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse.* (Sueton. *in* Claud. *cap. 29.*) Sed & *integros populos* dari, volunt. *add.* Bœcler. *II. ad H. Grot. cap. V. num. 17. pag. 178. seqq.* Nam (1) natura intendit perfectum: v. g. cæcitas non est secundum naturam. (2) homo tanquam nobilissima creatura non est secundum naturam alterius gratiâ. (3) imbecillis ingeniô regi tantùm debet, v. g. à tutoribus; sed non in servitutem detrudi. Quin & Gentes tales non tàm ingeniô destitutæ quàm *cultu* sunt, & aptæ ad se regendum fieri possunt, beneficiô *religionis & disciplinæ*, quarum *præcepta* illis subministranda sunt. Debemus enim gentium illarum salutem intendere, si eò deduci se patiantur; sed non *herili* modô, nec ut inde in eos *causam imperii* nostri exstruere queamus. Nec enim justitia acquirendi ejus à qualitate tantùm *subjectorum* pendet, ceu nec *modus* imperii. Hugo Grot. *II. 22. 12.* Quippe imperium quoddam in natura dominos, quos vocant, justum: & non omne in servos, naturâ herile justum est. Nil facit in adversum, quòd *societas herilis* sit *naturalis*: Ergo subjectum quoque à natura dispositum ad eam dari oporteat. *Resp.* Ideò dici naturalem, quia est naturâ prior compositis; adhibetur vero etiam ad servitutem, qui ingeniô validus est. Deinde dicitur *naturalis*, sensu eô, quô natura permittit, ut operam nostram alii addicamus. Possis quoque dicere, etiam *legalem* servitutem fore *naturalem*: quia legalis quoque societas est societas herilis. Si verò iterum *statum innocentiæ* objicias, quasi integras non futuras fuisse in eo familias, ex hypothesi nostra sequeretur. Dicendum est, obsequium non servile in eo, sed liberum, & ministerium potiùs quàm servitium, futurum fuisse: quâ ratione non debuissent obsequium ex conditione *status*; quod nec ad servitium in familia necessarium est; sed prout hodie homines liberos in ministerio nostro habemus. Post *statum* verò *corruptum*, si dicere velis, servitutem illam stupidorum esse *secundum naturam*, licèt depravatam: in effectu aliud non dices, quàm quòd sit *præter naturam.* Sed hâc ratione *Aristoteli* iterum adversabimur, qui in *III. Polit. 7.* velle hoc naturam, ingerit;

ingerit; item esse hoc ex intentione ejus. De incommodis, quæ ex *hypothesi Aristotelis* in Rempublicam redundare possint, scite Pufendorff. *Lib. III. cap. 3.* & *Lib. VII. cap. 3. §. 2.* Conf. etiam *Richterum*, in *Epist.* post *Heinsii Orationes.*

III. Multæ enim servitutis justæ (*d*) possunt esse causæ, veluti conventio, cum quis impos sui tuendi, se dedit alii defendendum aut alendum, hac lege, ut in ejus potestate sit & imperata faciat, quod Jure Romano & Mosaico (*e*) permissum. Secundò alimentorum præstatio; neque enim est iniquum, ut pro alimentis operæ præstentur, & is, qui infantem, verbi causâ, expositum aluit, accedente Legis autoritate eum habeat in dominio. (*f*) Tertiò jus belli, nam quos occidere honestum est, ut jure belli notissimo constat, eos servare ad serviendum (*g*) uon potest esse inhonestum neque injustum. Quartò nativitate, cujus ratio non tam est, quia, si domini nollent, liberi è servis non nascerentur, ut Grotius; (*h*)* sed quia pars sequitur jus totius, & quia fœtus à domino, tam ante quam post nativitatem, alius est. Denique propter delictum potest quis justè redigi in servitutem, ut hi qui in metallum (*i*) vel ad remos aut ergastulum perpetuum damnantur.

* *lib. 3. cap. 7. §. 5. idem lib. 2. cap. 5. §. 29.*

(*d*) JUSTA. Hinc falsum est, quod habet Hugo *Grotius Lib. III. cap. 20. §. 2.* quòd servi nomen *ex injuriâ* natum sit. Nam utique ad libertatem non est *jus* quoddam, quod obliget. Quanquàm non in potestate *civis Romani* esse voluerint *LL. nostra*, ut is simplici pacto servus fieri posset; *l. 10. C. de liber. caus.* non quasi statum servilem improbarent; sed quòd nollent quenquam, præter meritum suum, & nisi improbitas intercederet, in servilem conditionem, duram videlicet & abjectam, in Republica florente, detrudi posse. *Causam* si respiciamus herilis potestatis: malè *Hornius* imperium dominorum *Deo* immediatè tribuit; prout rectè eum notavit *Pufendorff. Lib. VI. cap. 3. §. 4.* ubi simul docet, servitutis primævam originem *ex conventione* deduci debere; nec adeò *bellum* esse causam ejus originariam, sed succedaneam potiùs: postquàm homines *commoditatem servitii* deprehenderint; quippe quæ propterea etiam captos potiùs *servari*, quàm occidi persuaserit.

(*e*) JURE ROMANO ET MOSAICO. *§. 4. Inst. d. Jure Personar. Exod. XXXI. 6.* vid. tamen *d. l. 10.* & *Dd. ibid.*

(*f*) IN DOMINIO. *Lib. II. C. de Infantibus expos.*

(*g*) EOS SERVARE AD SERVIENDUM. *Bachov.* hanc rationem impugnat. Cùm enim *occidi* ne quidem potuissent in bellô capti: ideò *prætextum* tantùm servituti hoc modo fieri. Enimverò, de *resistentibus* adhuc in bellô *LL. Rom.* accipiendæ sunt. Et cùm tota Respublica, quâcum bellum nobis intercedit, fortunæ bonis exui possit: etiam in membra ejus idem licebit; & libertas hactenùs fortunæ donum est. H. Grot. *Lib. III. cap. 14. §. 1.* ibique *Feldenus*, nec non Pufendorff. *Lib. VI. cap. 3. §. 5. & 6.*

(*h*) UT GROTIUS. *Grotii* rationem (add. *II. VIII. 18.* ubi Jure naturali *partum sequi ventrem*, adæquatô fundamentô carere putat,) *Osiander* approbâsse videtur, ad *Lib. III. cap. 7. §. 2.* quia dominus videlicet, etiamsi *physicè* servos non producat, *moraliter* tamen eos produxisse censeatur. At

verò (1) in eos tantùm quadrat ratio *H. Grotii*, qui bellò capiuntur; indeque solùm *perpetua* est in ipsis servis *bellò captis*, & quoad *originem*, ex more illò *Gentium*; sed non (2) quoad *propagationem*, de qua quæritur, & in eos, qui ex his deinceps *geniti* sunt. Postquam enim Jus vitæ & necis *Lege Roman.* inhibitum esset: adhuc ex ancillis servi nascebantur. (3) Ex fœminis nascuntur servi, etiam patre liberò: ut non tam persona præcisè, quæ occidi potest, (siquidem & servi poterant enecari,) quàm *venter* spectetur; nec tam domini voluntas, quàm conditio proximi subjecti, rem conficiat; ceu soli ejusdam, in quod semen jacitur: ut fructus deinde non jure seminis, sed soli, censeantur; velut alias in fructibus naturalibus. Non etiam sicut *pars totum* sequitur: sive *patrem*, cujus & pars est, respicias: sive *matrem*, quæ ventrem alit: nec enim venter *pars matris*, ùt nec fructus omnimodò pars soli est. Imò & usufructuarius ancillam & ventrem *alit*; nec tamen illius fit partus ancillæ. Est deinde notandus H. *Grotius*, quando in *Lib. II. cap. 8. §. 14.* junctò *Lib. II. c. 2. n. 29.* non modò matrem sive *ventrem* respici debere putat; sed & partum quoque, saltim *ex parte*, ei deberi vult, qui servi sive *masculi* dominus est. Nam & hanc sententiam meritò refellit *Pufendorff. Lib. VI. c. 3. §. 9.* atque cum non tam de *subjectione* alterius ùt in *§. 19. de R. D. l. 5. §. 2. de R. V.* & similibus, quæratur, quàm de *statu*; &, si diversæ conditionis sint pater & mater, commisceri status non possint: meritò conditionem *matris*, quæ nullò tempore, etiam quà extrà nuptias spectatur, incerta est, sequimur. Quanquam verò *Osiander* in *Lib. II. c. 8. §. 14.* saltim de eo casu dubitet, an *si mater se vendit*, soboles quoque ejus servituti futuræ obligari possit? quasi homo, cujus gratiâ omnes fructus sunt conditi, non debeat ullò modò inter *fructus* dominii computari. Tamen & in hoc casu regulam Juris sequimur; & verum tamen manet nihilominùs, quòd partus ancillæ *in fructu* propriè non fit. *§. 19. & 38. J. de R. D.* Unde & ad *usufructuarium* ancillæ partus non pertinet: nam *fructus* cuique rei proprius est; *l. 12. §. 1. de usufr.* at verò ancillarum fructûs sunt *operæ l. 27. de pet. hered.* Interim in *accessione* est partus, & dominium ancillæ meritò sequitur; ex his, quæ *d. l. Pufendorffius* quoque commentatus est.

(i) IN METALLVM. De servitute illâ *pœnæ*, quæ *tractum temporis* habebat, ad π. egimus; ubi simul etiam, an hodie *ad remos damnati* servi fiant.

IV. Duo præcipuè de servis quæruntur, primum an & quà ratione prohibitum illis sit, resistere dominis, dein, an fugere possint. Hobbes * distinguit, (*k*) ut si in vinculis aut ergastulis habeantur, non modo fugere illis liceat, sed & resistere, imò occidere dominos. Quod si dominus servum nec vinctum neque inclusum teneat, videri tacitum intercedere pactum, quo servus ad parendum patiendumque pro vitæ præmio, quod victor ei largitur, se obligaverit, cujusmodi plerumque etiam expressum intercedit.

* *de cive cap. 8.*

(*k*) HOBBES DISTINGVIT. *Hobbesium* probat *Pufendorffius* in *Lib. VI. cap. 3. §. 6.* & simpliciter ad hoc attendit, an servum *vinctum* ex bello nec dum in gratiam receptum teneat dominus: ut hoc casu fiducia nulla nullumve pactum, inter servum & victorem, intercessisse videatur; adeò, ut ex simplici vitæ condonatione, aut necis dilatione, non putet ipse oriri *obligationem servi*, ut domino pateat suo; sed potiùs bellum inter ipsum & dominum intercedere, atque huic in servum idem quod *in hostem* licere. Et sane non simpliciter est spectandum, an *bellum finitum* sit, nec ne: prout *Osiander* eò respexisse videtur, ad *Grot. L. III. c. 7. §. 6.* Hactenus enim, quoad vinctum tenet dominus servum, ipse adhuc, etiam finitò bellò, *rigorem* in eum exercere velle credi potest; siquidem

dem hic in quæstione eum *statum* dominicæ potestatis supponimus, ubi jus vitæ & necis dominis in servos adhuc competit. Aliàs autem *laxato servo* nefas esse putandum est, illum occidere, à quò cùm is haberet jus occidendi, vitam ùt opimum spolium adeptus est servus. Cæterùm sententiam indistinctam *Pufendorffii*, dum nullum justitiæ belli respectum habet, admittere non possumus. Rectiùs utique *Auctor*, §. 5. *b*. Ita ut illorum quoque sententia probari nequeat, qui in *bellò etiam justò*, adhuc dum nempe durante eô putant *aufugere licere* servis, si modò in patriam & ad suos aufugiant; non verò ut ad alios: nimirum ut quoadusque intrà fines hostiles degunt, illi domino ei servire teneantur, qui ipsos in servitutem redegit; nisi quòd eosdem alibi recipientes damnum prioribus dominis restituere teneantur: nam quoad ipsos servos nil interesse videtur.

V. Planè in his, qui bello sunt capti, non videtur aliena à ratione hæc distinctio; quin solidius servilis patientiæ fundamentum, quam alii tradunt, suppeditare videtur. Unde resistendi facultas ejusmodi servis, justo, id est, solenni bello captis, neutiquam danda videtur, sine differentiâ justæ vel injustæ belli suscepti causæ. Neque id tantum externo jure, sed ita, ut animi quoque servorum vi expressæ vel tacitæ conventionis adficiantur. Verum ad obligationem non fugiendi tacita illa conventio sufficere non videtur, maximè ad suos & durante bello; longe enim potentius est recuperandæ libertatis desiderium, quam ut ei tacitè renunciatum videri possit. Quod si bellum careat solennibus Juris Gentium requisitis, non fiunt capti jure servi, proinde nec ejusmodi tacita oritur obligatio, ut in his qui piraticâ aut latrocinio barbarorum (*l*) capiuntur. Porro cum his, qui ob delictum fiunt servi pœnæ, nullum initur pactum neque tacitum neque expressum: jus tamen resistendi non habent jure damnati, fugere quo minus jure possint, (*m*) nihil obstare videtur. Voluntaria servitutis obligatio modum accipit (*n*) ab expressâ vel tacitâ voluntate contrahentium, expressa per se tẽrminatur, tacita in qualibet civitate jus habet idem, quod publicè de servis receptum; tamen extra liberum jus vitæ & necis, quod ex pacto non oritur, (*o*) sed jure externo tantum valet, quatenus in civitate impune fit.

(*l*) PIRATICA AUT LATROCINIO BARBARORUM. At verò ab his captos fuisse *servos* factos, & in iis *postliminium* obtinuisse, patet, ex *l*. 5. §. 2. *de captiv. & postlim. revers.*

(*m*) FUGERE QUO MINUS JURE POSSINT. Quasi *auctor* velit, posse quemlibet *se pœnæ subducere*. At verò (1) longè diversa sunt, in *libertatem naturalem* se vindicare; quod *Jus Gentium* permittit: (*tenentur* enim servi contrà *fugam vincti*:) & à pœnâ promeritâ se subducere; cùm malefici *custodiantur ad supplicium*. Servi autem servitutem non *debeant*, & *communi* infortunio involvantur. Tum & *dolus* in hostem licet. Quanquam ne quidem in libertatem se quis vindicare possit; nisi quòusque *servitus* constat *violentia*. (2) Servitus pœnæ invitis, ex *Legibus Civitatis*, jure *Magistratus* infertur; at verò ordinationi divinæ non tantùm quis non repugnare, sed patien-

patientiam ei præbere, nec subducere se aliumve ei potest. (3) Reclamant Leges, quæ in fugientes è carceribus, licèt nondum reos sive condemnatos, latæ sunt. (4) Hypothesin eam videtur fulcire *Auctoris* sententia, quòd pœnæ in Republica simpliciter *necessariæ* non sint; de quâ *inferius*.

(*n*) MODVM ACCIPIT. Ad *voluntariam* hanc speciem pertinet doctrina *Grotii*, in *Lib. II. cap. 5. §. 29.* quando putat, servos *ob sævitiam* dominorum *fugere* posse. At verò non evitat *Grotius* dictum *I. Petr. II. 18. seqq. it. I. Reg. II. 39. & 40.* Sunt enim contrà sævitiam præstò remedia publica: & diversa sunt, *fugere*; & *ad statuas*, item *Magistratum, confugere*: quod posterius in remedii potiùs locum servis concessum est. Utique, *Jacobi* discessum à *Labane, Genes. XXXI.* quod attinet, in exemplum trahendus ille non est: cùm ex oraculo divinô speciali pendeat.

(*o*) EX PACTO NON ORITVR. Nec enim in Republicâ pactis privatorum ea dantur, quæ *Magistratûs* sunt. Hinc *Jus vitæ & necis*, etiam parentum, in Republica Roman. ex lege *permissivâ* pendebat, ut quasi executores essent parentes publicæ potestatis. Aliàs enim, si *Jus vitæ & necis*, saltim dominorum, pependisset *ex pacto*, quidni potuisset omni tempore, etiam post constitutionem *Antonini* dominis à servis pactô conferri? Equidem ex *Jure Gentium* seu *victoriæ* non magis illud Jus in servos, servatos scilicet ad operas perpetuas, acquirebant; sed potiùs ex *Civili* jure & *potestate* fuerat occisio illa, etiamsi in immerentem, & sic *impunis*. Quòd si *Jus Naturale* respicias, nil inde conficietur. Nam *homo in hominem* Jus vitæ & necis absolutum non habet: cùm vitæ dominus sit *Deus*, & *in bestias* solùm potestatem enecandi homo ex concessione *divina* exerceat. *Genes. I. 28.* Imò postquam *Deus* ipse inter primos homines Jus illud vitæ & necis exercuit, & dehinc *Magistratui* peculiariter concreditum fuit: per hoc erepta est potius vis omnis illa cæteris, qui Magistratui subjecti sunt. Idem hoc est, quod *Grotius* habet *Lib. II. cap. 5.* quando *dominis in servos jus vitæ & necis nunquam competiisse* docet, *absolutum* scilicet illud, sive promiscuam enecandi facultatem. Neque enim ullum est dubium, si hodie dominus quidam in loco separatô degat, cum numerosa familiâ; veluti in Insulâ: quò minùs ex idoneâ causâ *ultimum supplicium* servo inferre possit. Sed tamen hoc non utique ex jure potestatis dominicæ procedit: ùt quidem vult *Osiander ad d. l. Grotii*: nec enim unquam homini, quà privatus est, Jus vitæ & necis competit; sed potiùs ex *jure* quodam imperii *publici*. Nam *potestati dominicæ*, quà talis, solùm illæ coercitiones imputandæ fuerant, quæ *morte inferiores* erant. Nunc quidem *famuli* nostri & *ancillæ* mercenarii verbera tantùm & increpationes pati debent? sicut & *liberi* ratione parentum illa sustinent. *add.* Stamm. *de Servitut. Personar.* Illud superest, ut dispiciamus, annon *Hebræorum* jure servorum ea *vilitas* fuerit, ut potuerint à dominis *interfici*; saltem ut non pœna homicidii in eo genere hominum, servorum scilicet, obtinuerit: nam *Exod. XXI. 20.* dicitur, *si quis percusserit servum suum vel ancillam virgâ, & uno die vel duobus supervixerit, non subjacere eum pœnæ, quia pecunia illius est.* Equidem quòd in illo locô, de *casuali* homicidio, non de voluntario, agatur: ex instrumento, quod virga aut baculus esse debet, satis constat; maximè quòd in *eod. Cap. v. 26 & 27.* si quis oculi damnum vel dentis servo aut ancillæ intulerit, *dimittere* eos *tenetur.* Ex quo colligimus, ne *jus* quidem *membrorum* dominis *Hebræis* in servos suos competiisse. Eleganter JCtus *ad L. Corn. de Sic. Servus, si plagis defecerit, nisi dolo id fiat, dominus reus non potest postulari.* Modum enim castigandi & in servorum coercitione placuit temperari. Quin & (3) si mortui fuerint servi in manibus castigantis, *Hebræa* quoque *lege* reus ille homicidii habebatur; sic enim satis de dolo constare poterat. Denique *Hobbesium* rectè refellit *Pufendorff*, quando *iste* negat, servo *injuriam* fieri posse: quasi volenti non fiat injuria; dum domini voluntati suam voluntatem subjecerit. Sic enim nec *subdito* à Principe injuriam inferri posse sequeretur; ceu quidem vult Hobbesius: quod absonum est. Idem etiam *Pufendorffius §. 7.* benè explicat, quâ ratione *rebus* servi in jure nostro accenseantur.

VI. Plura de his nihil attinet dicere; quia Christiani servitutis usum inter se pridem sustulerunt, iidem infideles armis suis non infestant,

festant, sed innumera illis mancipia ipsi undique suppeditant. Non desunt, qui servitutis usum inter populos Christianorum ita penitus nollent sublatum*. (*p*) Speciosum esse charitatis obtentum, sed inutilem; multam inde colluviem hominum redundasse, quos licentia & egestas ad flagitia aut mendicitatem adigit, qui servitio melius tenerentur, cum nunc ministeria familiarum coarctentur, procacibus ingenuorum operis. Adde, cædes, servitute sublatâ, esse frequentiores, quod Romani in civilibus bellis experti, quibus capti non erant servi**.

* *Vid. Busbeq. epist. Turc. 3.*

** *Vid. Tacit. lib. 2. cap. 44. Plutarch. in Othon. & JC. in l. 21. §. 1. de captivit. & postlim.*

(*p*) NOLLENT SUBLATUM. Utique maximum rei familiaris & publicæ subsidium in mancipiis, eorumque *ministeriis*, (de quibus latè post *Pignorium*, *Knichenius* in *Lib. I. cap. 3. Op. Polit.*) constitisse, ex eô colligitur, quod *Athenæo* teste ap. *Corinthios* 46000. servi fuerint reperti, atque civium *Romanorum quidam* ad 20000. & ampliùs servorum habuerint. *add.* de *Usu servitutis* illius *perfectæ*, quam vocant, Busbequium *d. Epist. 5.* Est autem sublata servitus illa penitùs sub *Friderico II. Imperatore*, quasi servos esse non conveniret eos, quos *Christus* in libertatem asseruit; vel potiùs, ut occasio tolleretur, augendi numerum hostium ex *transfugis*, servis Christianorum: nam aliàs fanè, sicut mancipiis imponenda non sunt, nisi quæ *digna* sunt *homine*; indeque *Libertas Christiana* non adversatur, quæ prætereà ad *spiritualia* tantùm spectat; non ad *socialia*. Ita nec divinæ ordinationi servitus repugnat; *I. Cor. VII. 21.* maximè si *servitutem voluntariam* respicias. Quanquam nec reliquæ species divinô jure damnatæ uspiam reperiantur: & justitia *servitutis bellicæ* satis superiùs evicta sit; modò inferatur servitus membris hostilis Reipublicæ, non etiam innocentibus, qui in hostico sunt; nec etiam ex bello non justo. Illud verò haud dubiè falsum est, quod tradit *Grœnwegen* ad *Tit. Inst. de Jure Personar.* quòd servi ex *Indiis* vel *aliunde* adducti, statim ac fines nostros attigerunt, ad *Libertatem* proclamare possint. Imò ne quidem *à Turcis* accepti, quamvis *Christianismo* nomen dent, nisi à duritie servitutis liberentur; *servitutem* verò ipsam, saltim quoad *personam* suam, (in *liberis* enim, qui deinceps ex ipsis nascuntur, secùs est,) adhuc ipsi serviunt: indeque *Jus Patronatus* Dominium illud propè accedit.

VII. Videntur tamen nonnullæ certis in locis superesse reliquiæ servorum, ejus generis*, quos latini adscriptitios vocant, homines certo fundo colendo addictos, qui à Gallis manus mortuæ, Germanis homines proprii vocantur; qui pariter cum fundis vendi possunt, & quicquid acquirunt, (*q*) dominis suis acquirunt.

* *De adscriptitiis. vid. tit. Cod. de agricolis & censit.*

(*q*) QUICQUID ADQUIRUNT. *Ex re* scil. Domini. Aliàs enim homines *proprii* plerisque locis, tam in personalibus, veluti patria potestate, nuptiis, tutela; quàm in realibus, ùt dominiis & obligationibus, item in Judiciis, libertate *gaudent*, & in eo tantùm servis (& quidem speciei alteri

Adscriptitiorum Juris *Romani:* nam *uni* tantùm horum *servi* etiam fuerant quoad *statum:*) assimilantur, quòd certo *loco affixi sint*, à quo abscedere ipsis non liceat: vendi etiam possint unà cum fundis, & liberi conditionem eorum sequantur. *Vid.* Mevium *integr. tract.* von Absorderung der Bauers-Leute.

CAPUT IV.

De *Civibus & Municipibus.*

ARGUMENTUM.

Quid sit civis, obscurum esse, quid sit reverà, explicatur ex definitione, & probatur, etiam mulieres, filiosfamilias & rusticos, & qui imperii nullò modo participes sunt, esse cives. Etiam qui aliunde orti sedem fortunarum in civitate collocant, licet aliter Jure Romano, quo tales incolæ dicuntur. Cives seu municipes origine, adoptione & manumissione censentur, unde qui alio migrat, & originis ut municeps, & domicilii loco ut incola, subjectus est. At ex universali jure publico quemque ibi civem videri, ubi habitat, diversis quidem municipiis unius Reipublicæ neminem pariter fieri posse civem. Veriorem videri sententiam, quod in Republica, ubi nihil hac de re cautum, quilibet civitatem mutare possit, modo sine captione. Alioquin, si hoc fieri non posset, verum foret, domicilium neminem facere civem. Specialiter & per excellentiam nomen civium quandoque de solis, qui Imperii sunt consortes, aut qui urbes, denique vel metropolim incolunt, usurpari.

I.

QVi domi sunt membra familiæ, hos in Republicâ *cives appellamus.* (*a*) Qui autem verè sint cives, tàm obscurum ac aliud in totâ hac arte quicquam, videtur. Aristoteles * pro civibus habere videtur eos tantùm, qui imperii & judicii participes sunt; ad *popularia magis* (*b*) Græcorum instituta, quam universam civitatem, ut videtur, respiciens. *Romani* (*c*) vocabant civem **, qui in urbe habebat tribum, centuriam & jus suffragii, quibus solis inter se jus connubii, successionis & commercii, aliaque juris civilis effecta, competebant. Habuerunt tamen & cives ex Latio, & colonos & municipes civibus accensebant, diverso tamen jure singulos, & ab his omnibus provinciales separabant, denique incolas neque cives neque municipes appellabant. Moribus hodiernis cives illi duntaxat haberi videntur, qui in urbibus habitant, sæpe & ordinis plebeji duntaxat, ita ut neque

neque rusticos neque *nobiles* (*d*) civium nuncupatione impertiantur, differentiâ interim civium & incolarum minus exactè servatâ.

* *l. 3. polit. cap. 1.* maximè in iis verbis: *ὁ μὲν λεχθεὶς ἐν δημοκρατίᾳ μάλιςʹ ἐςὶ πολίτης. is quem diximus, in Democratiâ maximè civit. est.*

** *Vid. Sigon. de antiquo jure civium Rom. Jure Italiæ & Provinciarum.*

(*a*) CIVES APPELLAMVS. Ex domibus Civitatem componi Aristoteles ait, *I. Pol. 3.* & *IV. Pol. 3.* Sed hoc perpetuum non est, cùm & Roma ex cœlibibus coierit. Unde *Bodini* quoque illud *I. d. Republ. c. 2.* sinè *familiis* non esse Rempublicam, ad id, quod perfectionem Civitatis absolvit, referendum est.

(*b*) POPVLARIA MAGIS. Et tamen etiam ad *Status alios* aptari potest: quoniam non requiritur, ut quilibet civis omnibus simul conjunctim fruatur. Intelligit autem *Philosophus* sub *ἀρχῇ* consultationes etiam pro *Imperio*, ut ex *textu* ejus *seq.* apparet.

(*c*) ROMANI. Plenum videlicet *civem* hi describebant, qui *tribum*, *centuriam* & *Jus suffragii* habebat. Hoc *Jus Civitatis* insequebatur Jus *Municipum*, (quanquam & *degentes in Municipiis* Romanæ *Jus Civitatis* consecuti erant; idque vel in *gradu supremo*; ut nempe jure etiam *suffragii* fruerentur: vel *remissiori*, ut tantùm connubiorum, successionum & similia *Jura* participarent: Brisson. *Lib. I. Sel. Antiqu. c. 13.*) inde *Coloniarum*, infrà hoc *Latinitatis*, tum Jus *Provinciarum*, & denique *Jus Præfectualium*. vid. Sigon. *de antiquo Jure Civili Rom.* & Arnisæum, *Lib. I. Rel. Polit. cap. 5. sect. 9. §. 14. seqq.* Et quidem illi, qui Jus Civitatis non obtinuissent, quanquam in *Orbe Romano* viverent, *Peregrini* & *ἀπόλιδες* habebantur; donec *Antoninus* (*Caracalla*, vid. Valef. *ad Excerpt. Peiresc. pag. 108.*) omnes *ingenuos* in Civitatis jura (nec tamen in jus suffragii Romanæ Civitatis,) reciperet. *l. 17. de Statu homin.* Cæterùm qui nec participes erant *Jurium Municipum*, ille *Incolæ* dicebantur, quippe simpliciter *domicilio* constituti, & *honoribus* adeò civitatis non gaudebant, sed *oneribus* tamen subjiciebantur: cui quid simile hodienum in *Civitatibus Germaniæ* idque exactè satis, servatur; nisi quòd non diu ferri soleant incolæ, sed mox ad Jus Civitatis assumendum adstringantur. vid. de conditione incolarum Gail. *II. Obs. 34.* & Besold. *Thes. pr. voce* Beysassen. Quod verò *Aristoteles* in *III. Pol. 8.* Cives in *perfectos* & *imperfectos* distinguit; atque imperfectis *ibid.* accenset *Infantes*, & in *cap. 5. Opifices*: illud quantum quidem ad Opifices, admitti simpliciter non potest, si perfectionem ad substantiam rei referas: civis enim socius est civitatis: est autem æque socius, qui inferiori quâdam conditione assumitur. Hinc in *politicô* significatu æque *Princeps* ac subditi omnes, modò hi *per se* agant in civitate, & cum aliis ad commune bonum cooperentur, cives sunt. Nimirum *uxores*, *liberi*, *servi*, per se non agunt in civitate: *peregrini* autem & *incolæ* ad *eundem finem* cum cæteris non conspirent: quâ ratione civibus hi omnes accenseri non merentur. (quanquam ad *Auctoris* respectum, quem ille servat *§. 1. seqq. hic* nemo præter *servos*, *§. 4.* & *advenas*, *§. 12.* è numero civium excludatur) Est verò distinctio illa in perfectos & imperfectos Civium eorum, qui *politicè* tales sunt: nam hi deinceps, quoad participationem Jurium, & *juridicum* adeò respectum, rursus in varia genera secundùm magis & minus abeunt; indeque definitio *Civis* in *genere* non nisi *distributivè* & concipi & intelligi potest.

(*d*) NOBILES. Quò pertinet quæstio illa Juris publici: num *civem* civitatis, & *Nobilem* esse, sint contraria? puta, ut non tantùm *Juribus* civitatis Nobilis quispiam gaudeat, sed etiam, ut in urbe *domicilium* instituat. Non esse hæc contraria, & dari adeò *Nobilem civem*, ostendit Sprenger. *in Font. Jur. publ. cap. 25. pag. 340.*

II. Nos secundum principia hujus artis universæ, remotâ nube tot distinctionum, *pro civibus habemus* (*e*) omnes tam mares quam fe-

minas, filios & patresfamiliarum, tam nobiles, quam plebejos, etiam Duces, Principes & Comites; tam rusticos, quam urbanos, tam subjectos, quam imperii participes, denique tam incolas, quam naturales. Prorsus sensu Papinianæo, secundum quem constitutione Antonini Caracallæ omnes qui in orbe Romano erant, præter servos, effecti sunt cives Romani.*

* *Textus in l. 17. ff. de statu hominum.*

(e) Pro civibus habemus. At verò non poterunt haberi pro civibus, ne quidem *politicè* talibus, fœminæ, filii, incolæ. Nam & quod in *l. 17.* habetur, pertinet 1) solùm ad *ingenuos*, non etiam ne quidem ad libertinos. 2) Ad sensum *latiorem*, quà omnis is est civis, qui Jure civili regitur; etiam illô, quod *privatorum* est, puta patriæ potestatis & similibus, atque cujus *peregrini* redditi sunt participes: ut sunt Jura contractuum: qui sensus planè ab hôc locô alienus est. Et nimis lata igitur est definitio Auctoris in *§. 3. 6.* quippe quà nemo non in territorio degens civis est, nisi *servus* fuerit. Qui igitur Civem non minùs *Juridicè* talem, & ad *hanc* quoque *disciplinam*, definiamus: *socium Civitatis, qui Institutis illius, Legibus & immunitatibus ejus, pro ætate sexu & conditione suâ fruitur, & cum aliis ad commune bonum societatis cooperatur.* Bodinus equidem, *l. de Republ. cap. 6.* Civem definit, *liberum hominem, summæ alterius potestati obligatum.* Et vix alia est *Auctoris §. 3.* definitio: nam & *incolam* comprehensum & *advenam* semotum voluit *Bodinus.* Enimverò eum nullatenùs civem confundere eum *subdito* oportet; quod uterque facit: ne non dicamus, *Principem* ad Civitatem pertinere, cujus tamen *pars ille potior* est; (vid. Senec. *epist. 85.* ubi navis gubernatori eum comparat.) tum & tota definitio *servis* competit, si eos in locum *liberi* hominis substituas: At vero servus à libero *aliter* quàm hàc definitione distinguitur: & sic quà Civis conditionem omnia eadem haberet servus; *Incolæ* autem civium utique jure non fruuntur. Proinde nostra definitio & *Juridicum* & *Politicum* respectum attendit, atque *Principem* unà continet, quod & *Aristotelem* intendisse videmus. Quapropter non malè dicitur, in *Republica herili*, solô imperante exceptô, cives veros non inveniri, sed *omnes servos* esse. *vid.* Tacit. *I. Histor. 16. 2.* Et sanè quia Cives propriè illi dicuntur, in quibus *fons* est *Imperii;* adeò, ut reliqui ceu servi in familiâ, habeantur. Hinc *Pufendorffius VII. 2., 20.* ad *originem Civitatis* respiciens Cives esse dicit, *qui pactis mutuis in Civitatem coaluerunt, aut in horum deinceps locum successerunt.* Sed *nostra* ùt & *Aristotelis* definitio ab effectu & *operatione* sumta est.

III. Definiamus igitur civem, hic rhodus, hic saltus! utique si politicos *vulgò* consulas, nihil tam facilius, nihil certius, si ád definitionem civitatis dudum collocatam respiciamus. Civis est homo liber, qui juris fruendi vitæque feliciter agendæ gratiâ, cum aliis sub eadem summâ potestate sociatus est.

IV. Liberum esse oportet, quia servilis conditio ut Jure Gentium constituta est, non recipit terminos habiles civilis societatis, sed pro re magis in commercio positâ, quam pro personâ habetur servus. Quanquam naturaliter idem & rectè persona dicitur, quatenus est membrum societatis humanæ. Sed mulieribus tam nuptis *quam solutis* (*f*) nihil obstat,

ſtat, quo minus unione & communione civili, juxta naturam civitatis, comprehendantur, ſiquidem & ſociatæ ſunt, & jure frui & beatè agere juxta viros cupiunt ac poſſunt. Etiam filiisfamiliarum definitio illa convenit, nihil obſtante patria poteſtate, quia conſtat, hanc *in publicis* (g) nullum creare præjudicium, ſed ad familiæ regimen, quod à Republica diverſum, duntaxat referri.

(f) Quam solutis. Equidem de *viduis* fœminis dubium eſſe poterat, num ex *noſtrâ ſententiâ* civibus eximi poſſint? quoniam illæ *per ſe* agere videntur. Dicendum eſt, accenſendas illas civibus; at non aliâ ratione, quàm quà *loco* & *jure maritorum* gaudent. *Nuptarum* enim perſonam mariti ſuſtinent. *Innuptæ* pars paternæ domûs ſunt.

(g) In publicis. Ex hoc nil aliud ſequitur, quàm quòd *filiusfamilias* quà talis civis eſſe non poſſit, ſed ſi v. c. Magiſtratum, ſi tutelam ſuſcipiat.

V. Jam ultrò liquet, dignitatis differentiam nihil facere ad ſummam Reipublicæ & civitatis characterem, nec habitandi locum, *in agris* (h) vel in urbe ſit: Siquidem & Romæ conſtat ex XXXV. civium quatuor tantum urbanas, omnes reliquas fuiſſe ruſticas tribus, & Athenienſes ante Theſeum omnes erant agricolæ, ut Plutarchus auctor eſt in Theſeo; denique in antiquâ Germaniâ nullas urbes, civitates extiſſe multas, nota res eſt.

(h) In agris. vid. Mev. *III. Deciſ. 165.*

VI. Quòd ne incolas quidem à civibus diſcernamus, multis abs re alienius videbitur; ſed incola quis eſt? tu dices, qui aliunde ortus domicilium ſedemque fortunarum in alia civitate collocavit *, ut finiunt Romani, à quibus eſt diſcrimen civium & incolarum. At hæc ipſa definitio implet manifeſto naturam civitatis: quis enim *magis eſt ſocius* (i) ad juris fruitionem vitæque civiliter beatæ communionem, quam qui ſedem fortunarum certo loco ſtabilivit. Illi dicunt, civem eſſe quemlibet ibi, unde ortus eſt, atque ibi nunquam deſinere eſſe civem; non poſſe autem fieri, ut *duorum locorum civis* (k) ſit quisquam, quod nec noſtra definitio patiatur. *Romanis* (l) ita viſum eſt, qui civis alicujus civitatis ſit, eum, ſi aliò transferat domicilium, ibi incolam eſſe, at civem ſeu municipem ibi, unde diſceſſit, manere **: Nempe in diverſis municipiis eidem ſummæ poteſtati ſubjectis nihil vetat, unum duobus locis civium muneribus oneribusque ſubjectum haberi. Sed ut

unus idemque in diversis Rebuspublicis summo Imperio distinctis propriè sit civis, id non habet facultatem, non magis quam ut unum idemque duorum corporum esse queat membrum. Potest quidem civi alterius Reipublicæ liberum jus commercii aut aliud civile privilegium concedi, jus quoque honorarium civitatis dari, ut olim Corinthii, solentque hodie Veneti & Helvetii quandoque largiri. Sed unio civilis sub obsequio summæ potestatis nullo modo uni homini duobus locis tribui potest.

* *JC. in l. 239. §. 2. de verbor. significat.*

** *Cit. l. 239. & l. 29. ff. ad municipalem.*

(*i*) MAGIS EST SOCIUS. Imò non est socius, nisi communiter, cum nec Juribus civis fruatur, neque habeat *eundem finem*, quem civis aliquis cum sociis Civibus intendit.

(*k*) DUORUM LOCORUM CIVIS. Sed tamen fieri omninò potest, ut Jura *originis* suæ quis retineat, & simul fruatur juribus civitatis ejus, in quâ *domicilium* sibi constituit; quanquam Jura originis hodiè quidem per domicilium absorbeantur; secus atque veteri *Romano Jure*. Potest etiam 1) duorum civitatum seu Rerumpublicarum civis aliquis non esse; ut nec potest membrum unum esse duorum corporum: scilicet de eòdem civium *verorum* genere si loquamur; non etiam si *de honorariis*: nam ita verus unius, honorarius plurium esse potest. Deinde civitas 2) si communiter sumatur pro *urbe* vel etiam municipio, non minùs potest esse civis duarum civitatum; si modò duæ urbes illæ sint sub eâdem Majestate. 3) Potest esse duarum civitatum sub una republica civis, si *juridicè* sumatur quoad Jura: & sic verum est, quòd quis in utrâque civitate civis, in alterâ earum tantùm habitare possit, sich wesentlich und beständig daselbst aufhalten; *vid.* Tabor. *in Armam. p. 184.* quod simul etiam Poëticum respectum continet.

(*l*) ROMANIS. Sed Romani non tantùm eò sensu, quem *Auctor* tenet, dum *incolam* quoque pro cive habet, eundem duarum Civitatum civem esse posse, volunt; verùm etiam suô sensu, quâ incola pro cive non habetur. Videlicet per *LL. Romanas* (*l. 29. ad L. Municipal. l. 239. §. 2. d. V. S.*) non impeditur; ùt quidem *Cl. Auctor h.* & in *III. Digress. cap. 8.* existimat, quo minùs quis in duobus municipiis civis propriè dictus esse possit; neutrubi *incola tantùm* fit. Etenim civem oportet devinctum esse *in omnibus & per omnia* Reipublicæ, seu *Summæ Potestati*, sub quâ degit. Hoc autem fieri potest ab eo, qui in *pluribus* etiam *Civitatibus* illi Imperio subjectis civis est; ùt si quis in *Principatûs* ejusdam *Germaniæ* duabus Civitatibus Civis sit; ubi instar Summæ Potestatis habent Principatûs.

VII. Sed an civis liberam discedendi habeant facultatem, ita, ut vinculo fœderis, quo civitati innexus & Imperio obnoxius est, solvatur, acerrima disputatio est *. Si enim non potest, res clara videtur, cum nemo duobus locis civis esse queat, eum, qui ex una Republica in aliam se confert, manere civem in priori, incolam in posteriori civitate habendum. Atqui id facile obtinere videntur politici, non posse originarios Reipublicæ cives suo discessu liberari obligatione civili, qua & concivibus & summæ potestati obstringuntur; denique obligatio-

nem

nem esse perpetuam, & quod primo voluntatis, id postea necessitatis esse, tralatitium est; idemque evidentius patet in herilibus imperiis, ubi jus dominii Imperantibus nullo modo adimi potest. Et quidem de his largiendum, quod cives Dominatui subducere se nequeant; quod & in adscriptitiis obtinet; idemque *de voluntariis (m)* statuendum Imperiis, ubi per Legem in antecessum migratio ex civitate prohibetur, ut de Moschis & de Sinensibus memoriæ proditum est. Sed ubi nihil expressum, multi tamen acriter contendunt, ipsius fœderis vim, quod æternum est, ita in perpetuum operari, ut cives, qui sponte discedunt, maneant tamen quovis tempore ad reditum obligati, adeoque semper revocari possint. Res inde judicanda est, utrum in primævâ constitutione civitatis id inter contrahentes populos actum censeatur; an non potius fuerit tacita fœderis conditio, ut obligatio maneret, dum cohabitatio duraret, eam tamen mutare singulis liberum esset?** Hoc enim videri voluisse populos, est ratio, quæ suadeat, evidens & quæ dissuadeat, nulla magnoperè. Quod enim ad rei familiaris commodum & sæpe necessitatem efficacissimum est, publico autem nihil præjudicat, hoc nihil est causæ, cur non ex præsumptâ populorum voluntate permissum videatur. Atqui talis est migrandi libertas, ut privatis aliquando summopere optanda, publico nullum inferat detrimentum, maximè, cum ejusmodi libertas sæpe sit causa majoris frequentiæ aliunde redundantis. Unde colligitur, si contra se res habeat, & majore frequentiâ discessus instituatur, eum jure meritoque impediri. Item si intempestive aliqui discedere parent, aut cum grande æs alienum collatione factâ publice exsolvendum, aut belli majus imminet urgetque periculum; nisi abituriens offerat id, quod interest. Denique Lege semper potest caveri, ne imposterum discessus aliter, quam venia publicè impetratâ, instituatur. Enimverò qui non deposuerunt animum revertendi, vel de quibus hoc non constat, habensque suas res adhuc in Republica, possunt sub pœnâ publicationis bonorum *edicto revocari*; (*n*) Sed eorum, quibus stat consilium absentiæ perpetuæ, non videntur obstricti esse animi, adeoque nec bona vinculo obligationis teneri.

* *Vid. Arnisæi system. polit. cap. 5. sect. 7.*

** *Vid. Grot. lib. 2. cap. 5. §. solet hic illud quari. 24.*

(*m*) De

(*m*) De voluntariis. De *Originariis* quidem hodiè diversum à voluntariis hisce civibus dici non debet: nam & originariis regulariter emigratio, cum excussione omnium jurium civitatis, permissa est. Cæterum de *voluntariis* rectè Auctor, quicquid reclament alii: quas non juvat 1) nexus inter Imperantes & parentes. Nam ad fœdus quidem seu pactum simpliciter cum *Grotiò* illi respiciendum esse nolunt, quasi faciliùs à *pacto* ejusmodi discedatur, quàm ut discerpi tam facilè *nexus* ille *interior* possit: Videlicet nexus iste tamdiu obtinet, quamdiu quis in civitate illa commoratur; non ultra: & prout quisque liberè in civitatem accedit, sic eâdem libertate abscessus ipsi patere debet; non, 2) quòd *societatem simplicem*, v. g. matrimonialem, pars altera relinquere non possit. Nec enim à simplici societate, cujus causa per se fœdus indissolubile constituit, ad compositam argumentum licet. Aliàs ne quidem societatem civilem *ex utriusque voluntate*, domini scilic. & subditorum, fas esset dirimere; cùm simile quid non liceat conjugibus: non, 3) quòd submisisse se quis videatur potestati Principis, ut à nutu ejus pendeat; nam hoc *in infinitum* porrigi, ratio vetat; maximè in societate tali, quæ *parentium causâ* & *bona* inita fuit. Non, 4) constitutiones multarum Civitatum, quò etiam *cap. 16. A. B.* pertinet; Hic enim ab ejusmodi placitis abstrahimus: & quod *Bullam Auream* attinet, illa de *Pfalburgeris* agit, quorum conditio cum fraude pristini domini conjuncta est. Non 5) quòd nec civitati liceat, civem pro lubitu expellere: unde nec fas esse videatur civi seu subdito, ut ipse pro arbitrio emigret. Est enim diversa ratio, quoniam miseram conditionem esse oporteret hominis, qui *omnes suas rationes* civitati & concivibus suis alligavit, si quolibet tempore expelli posset: cùm econtra civitas totam suam incolumitatem uni alterive civi non superstruxerit: Et tamen Hugo *Grotius Lib. II. cap. 5. §. 24.* assertionem suam, de *libertate emigrandi*, ita restringit, atque cum eo *Auctor hic*, ut ne illa fraudi aut periculo civitati esse possit. Non etiam migrare debent, quòusque *aliis* concivibus adhuc perfectô quodam *jure tenentur*: nam ita non migratio, sed fuga foret. In *peste* migratio quæ sit, de quâ quòusque licita sit, vid. Bezam *de Peste qu. 27. seqq.* abhinc aliena est. Ipsi etiam peste infecti cives *domibus suis ejici*, atque *bona* ipsorum *comburi* possunt; nullâ reparatione factâ heredibus; eò, quòd ipsismet illa perniciem allatura fuissent. Cæterùm H. *Grotii* sententia, quâ putat *gregatim* discedere civibus non licere, quamque *h. Auctor* fovet, meritò displicet *Pufendorffio in* Diss. de *Oblig. advers. patriam §. 37.* & in *L. VIII. J. N. cap. 11. §. 4.* non *obst.* quòd hoc modo civitas nimium debilitetur. Nec enim, qui jus non habet, unum alterumve invitum retinendi: eidem integrum esse potest, ut plurium discessum impediat; si illi territorium Civitatis, dum fortè operis suis vitam sustentare non possunt amplius, relinquere velint. Neque verò scindi potest imperium in eâdem regione citrà confusionem summam, neque hæc separatio migratio foret. Ad exemplum de flumine respondet Osiander *ad §. 20. H. Grotii*, quanquam ipse omnem migrationem etiam particularem subditis deneget.

(*n*) Edicto revocari. Ut in his, qui *militandi* causâ *exteris* operam suam locant; quæ libertas *Germanorum*, ùt & *Helvetiorum* est. Illi tamen si *adversus patriam* arma capere velint, spontè reverti tenentur; aliàs justè *avocatoriarum* pœnas sentiunt. Semper &, si nulla patriam necessitas premat, potiores sunt *exteri*, qui eos detinent: quamvis dimittere illos non minus soleant, idem ratione civium suorum alibi detentorum ab illarum Rerumpublicarum Rectoribus vicissim expectaturi.

VIII. Omnes igitur incolas, qui sedem fortunarum laresque suos alicubi fixerunt, hos rectè cives appellamus. *Etsi nec jurejurando,* (*o*) nec ullâ promissione devincti; sufficiente tacitâ consociatione, quatenus sæpe ne originales quidem ullâ promissione expressâ obligantur, neque etiam allecti, præterquam in urbibus, iique soli patresfamiliarum.

(*o*) Etsi

(o) ETSI NEC JVREJVRANDO. Nam *homagium* (quæ solùm est religiosa iteratio *pacti Civitatis*) civem utique non facit, quod in causa *Argentoratensium*, dum illi ex privilegiô jusjurandum Cæsari detrectabant, *A. C. 1660.* ostensum est: nec ideò quis civis est, quia homagium præstat, sed præstat homagium, quia civis jam est, *vid.* Besold. *th. pr. voce* Huldigung: Unde & *simplex professio* sufficit; juramentum eam non auget, sed *intendit*. *Ritus* tantùm ille in Orientali Romano Imperio usurpatus, (Paul. Diacon. *L. 23. ad A. C. 777.*) deinde apud Francos etiam, (Lehm. *II. 18.*) receptus est. In merô tamen arbitriô est Principis, quandocunque illud à subdito exigere velit; adeò ut exactioni illi, quippe Superioritatis, *præscribere* subditus haud unquam possit. Cumprimis vero *differentia* homagiorum attendi debet, cùm sæpè in Imperio die Erbhuldigung cuiquam debeatur, cui tamen in jurantes non competit *superioritas territorialis*; saltim quòd in *condominio* quorundam jurium cum domino territorii versetur, in Gemeinschafft v. c. der Zinsen oder Gerichtbarkeit, & imò der Steuren, cum quidem *steuras indicandi* potestas regulariter arguat territorium; sed non item jus easdem *exigendi*, dieselbe zu erheben oder zu geniessen.

IX. Cives cum respectu ad civitatem dicuntur, & civitas cum Republica æquiparatur, municipia autem sunt urbes majori subjectæ imperio: pari modo differt à municipe civis; hic, qui unitus est cum Republica, ille, qui certo municipio se conjunxit, dictus inde, quod capiendis muneribus atque oneribus sit subjectus. Usus seculi fert ita, ut hoc genus peculiariter cives dicantur; reliqui, Principes, Comites, Nobiles, Agricolæ, quique alii sunt hominum ordines, suis singuli appellationibus distinguuntur. Isti etiam in plerisque Imperiis soli ferè jurejurando subjectionis & fidelitatis obstringi solent, ad quod tamen reliqui, dum exigitur, æquè tenentur.

X. Municipem apud Romanos causa facit *triplex*, (p) origo, manumissio & adoptio *. Origo cujusque à patre æstimatur; ut ubi is fuit municeps, ibi & filius esse dicatur, nisi fortè materna origo privilegiata sit; tunc enim juxta eam *municipalis origo* (q) censetur. Manumissio *ad servos pertinebat*, (r) qui cives fiebant, cum libertate donabantur, idque vel optimo jure, vel latino tantum, aliqui prorsus non erant cives, dedititiis seu provincialibus similes, donec hæc discrimina ab Antoninô Caravallâ tollerentur. Adoptio, ut qui pro filio adscitus erat, perinde municeps in loco adoptantis fieret, atque si natus ex eo foret. Tam autem in adoptatis quam naturalibus liberis non spectabatur locus, quo fortè ipsi in lucem erant editi, sed quo parentes, inquam, jure municipum gaudebant. Migrare de loco in locum non erat prohibitum, sed qui de suo municipio in aliud transibat, is incola dicebatur, & parere debebat tam his magistratibus, apud quos incola, quam

illis, apud quos civis fuerat, unde secesserat, nec tantum municipali jurisdictioni in utroque municipio subjectus erat, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debebat **. Ideò proprietate vocis & Incola in nova civitate dicendus erat municeps; sed postquam obtinuit, ut suæ quisque civitatis civis municeps diceretur, consequenter hunc oportuit incolam dici.

* *JC. in l. 1. ff. ad municipal.*

** *JC. in l. 29. eod. tit.*

(*p*) Triplex. Fiunt autem Municipes etiam *assumtione* sive allectione. *l. 7. C. d. incol. l. 5. §. 13. d. Jur. immunit.* Nam qui in Civitatem aliam concedebat, ille muneribus quidem subjiciebatur; sed non fruebatur Juribus omnibus *Municipum*, nisi in Civitatem illam plenè assumtus, & tunc *incola* non erat ampliùs. Aliàs autem Cives aut *fiunt* aut nascuntur. Ad istos pertinent primi *coeuntes*, & qui *asciscuntur* posteà, seu assumti. Quò & *Proselyti* Judæorum, item *Naturalisati* in Angliâ & Galliâ, suô modô, respiciunt. *Nascuntur*, Matrimoniô verô vel fictô.

(*q*) Municipalis origo. *l. 1. §. 2. ad Municip. l. 22. & 29. C. de decur.* Rectè verò Auctor, quando à *patre* ait æstimari civitatem, ratione loci, ubi is fuerit municeps: nam actum nascendi præcisè rsspici hac in re non oportet. Hinc si quis transeundo nascatur, non fit civis ejus loci, ubi nascitur, sed ejus civitatis, ubi, nisi casus fortuitus aut peregrinatio obstitisset, nasci debuisset, *l. 3. C. d. Municip.* Afflict. *Dec. 384.* & Carpz. *Dec. 1.*

(*r*) Ad servos pertinebat. *Famuli* nostri proprium hodiè domicilium retinent. Carpz. *P. 3. C. ult. d. 18.* Personis etiam *privilegiatis* inservientes in quibusdam ipsorum juribus gaudent. vid. *Dd.* ad *auth. habita. C. ne fil. pro patre.*

XI. Hæc visa Romanis. Atqui ex eo, quod de cive respectu totius Reipublicæ diximus, intelligi potest, eum, quem Incolam vocant Romani, quique in civitatem receptus capit ibi munera, *verè municipem esse*, (*s*) desinere autem esse in eo loco, unde discessit, nec proinde subjectum duobus Magistratibus, sed ei tantum, sub quo degit. Hæc ita, inquam, si Lege contrà non sit cautum, quod haud dubiè licet, alioqui ex ratione juris universalis nec locus originis nec nativitatis, sed domicilii tantum, tribuit forum & munerum capionem, idque convenienter Juri Gentium moribus hodiernis ferè observatur, ut mutatione domicilii jurisdictionem *mutare liceat.* (*t*) Salvis tamen iisdem exceptionibus, quas suprà in jure civitatis ratione totius Reipublicæ collocavimus, ut si intersit municipii, ad hoc ille, qui discedit, teneatur, nec effusa migratio concedatur. Tamen & in eo differt jus municipale à jure majori civitatis, quod ratio nulla vetet, municipem esse duobus in locis, (manet enim ejusdem corporis ejusdemque Reipubl. mem-

membrum) ut, si quis voluntate sua *diversis in urbibus* (*u*) semet instruxerit, fortunasque collocaverit, vel jus municipale utrobique, civium privilegiis usurus, impetraverit: tunc enim utrique Magistratui parebit, oneraque duplicia ferre debet.*

* *l. 6. §. 2. ad Municip.*

(*s*) VERE MUNICIPEM ESSE. Sed si strictè capias municipem, omninò differunt: sicut *Aristoteles* quoque civem ab *inquilino III. Pol. 1. & 4.* distinguit; atque nunc etiam discrimen illud obtinet. Nam *incola* simpliciter dicitur à domicilio, sed *municeps* reverà civis est, & non tantùm in eâ civitate, in quam receptus est, plenô jure civium gaudet, sed etiam respectu civitatis alterius *prævalentis*, (ut olim *Romæ*,) munerum & honorum ejus particeps redditur. Erant autem *Municipes* iterum in duplici conditione, ut aut *honoris* tantùm gratiâ in Civitatem Romanam assumerentur, muneris duntaxat honorii participes; aut ut Jus ipsum Civitatis Romanæ cum Jure suffragii, connubiorum &c. consequerentur; iterumque vel Jure Romano uterentur *solô*, vel etiam unà Jure suô *propriô*, vid. Rosin. *X. Antiquitat. Roman. cap. 24.* Grot. *in* Floribus spars. *ad tit. ff. ad municip.* & Sutholt. *aphor. 200. de Jurisdictione.* Et magnum hodie abusum illi admittunt, (ùt integro tractat. *de Jure munic.* Zahnius) qui nomen Municipalium ad *Cives Rom.* in *Terris Imperii* nostri designandos adhibent. Rectiùs omninò Mevius *in quæst. 8. prælim. ad Jus Lubec. n.17. & seqq.*

(*t*) MUTARE LICEAT. Quod tamen plerisque locis permissum non est, nisi præstitô *censu* seu decima *emigrationis*, qui Recessibus Imperii quoque probatus fuit. R. A. *de anno 1594. §. 93. junctô* Myletô *de Statibus Imp. cap. 63.* Et census quidem ille, die Nachsteuer, non solùm de bonis *contributioni* obnoxiis, sed de omnibus etiam *mobilibus*, dem gantzen Vermögen, præstandus est. Quin & *adscriptitiam* conditionem multis locis excutere licet, gegen einen Abtrag der Leibeigenschafft.

(*u*) DIVERSIS IN URBIBUS. Prout *domicilium* constituere licet, & personalem adeò habitationem, in *pluribus locis, l. 5. & 6. §. pen. ad municip.* idque vel secundùm tempora diversa anni: tunc verò quoad *forensia* electio regulariter *actoris* est; quanquàm hic etiam arbitrio judicis locus debetur. vid. Mev. *Lib. 1. ad Jus Lubecens. tit. 6. art. 2. num. 64.*

XII. Ex his liquet, civium generale esse nomen, pertinens ad omnes eos, qui cum Republica, sunt uniti, quales tamen non sunt advenæ, homines peregrini, ad tempus in civitate degentes, cum animo se mox aliò recipiendi, sedemque rerum suarum alibi habentes aut destinantes. Illi dum manent in civitate, subditi quidem sunt Imperio & Jurisdictioni, sed fœdere civitatis non continentur, nec munera capiunt. Est & per excellentiam usitatum nomen civium de illis, qui *Imperii sunt participes*, (*x*) aut eam incolunt civitatem, in qua sedes Imperii est, ut tum qui in subjectis habitant civitatibus, municipes dicantur, veluti olim in Imperio Romano.

(*x*) IMPERII SUNT PARTICIPES. Quasi hos non contineat definitio *Auctoris §. 3.* Et tamen hi etiam *singuli* sub Majestate sunt. Unde & Patritius Venetus æquè Civis est; quamvis dici

possit Civis optimi Juris. Et oportet sanè Civium esse gradûs. Imò Cives in Urbe Capitali, quamvis non participes Imperii, plerumque tamen jura magis eximia habent cæteris, qui in Provinciis degunt.

XIII. Finitur jus civitatis non tantum morte, qui modus est tralatitius, sed & libera cujusque voluntate, mutata sede rerum, ut aliquoties dictum, ní lex intercedat. Dein per sententiam, si quis in exilium agatur, aut in opus publicum, vel ad remos damnetur. Discrimen relegationis & deportationis apud Romanos *est juris peculiaris:* (y) nam relegati, licet præcipua quædam jura civium, quatenus hi per excellentiam dicuntur, & cujusmodi Romæ multa fuerunt, retinere queant; tamen unione Reipublicæ, ex qua ejecti sunt, *non comprehenduntur.* (z) Nec quidem refert, temporale an perpetuum sit exilium, quia quo tempore sunt expulsi, non sunt membra civitatis, neque participes functionum publicarum, neque jurisdictioni subjecti.

(y) Est juris peculiaris. Nec relegatio nec deportatio per omnia moribus nostris ampliùs supersunt; imò verius est, *deportationem* nunc quidem non obtinere. Stammius *Lib. 1. de servit. personar. Tit. 3. cap. 1. num. 18.* multò minus relegatio in locum deportationis successit, ut apud *Richter. Dec. 93.* reperitur. Denique an is, quem *dedit* civitas ex necessitate civitati alteri, maneat prioris civitatis civis? ad occasionem *l. 17. de Legation.* resolvit *Pufendorff.* & negativam adstruit, si ultrà deditionem declaratio alienæ civitatis de recipiendo vel non recipiendo, subsecuta fuerit. *L. 8. c. 11. §. 9.* qui non minus *in §. 5.* disquirit: An *transfugam simulare liceat?*

(z) Nec comprehenduntur. Et promiscuè tamen accipi relegati & deportati non possunt. Nam *relegati* manebant Cives saltim *juridicè. l. 7. §. 3. de interd. & rel.* quidem & *exilium* à relegatione discernitur; ùt ostendit ipse Hubertus *Lib. III. Digress. Jur. cap. 10.* citatà *l. 2. de publ. judic.* Nec protinùs est exclusus à *Societate civili*, & sic eò minùs est civis politicè talis, qui *abest*, licèt *necessariò:* saltim talis non *per omnia* civis esse desinit. Hodiè quod usum Imperii attinet, alterius loci est expositio, quâ ratione juribus civitatis particularibus *relegati*, vel unà etiam *fustigati*, priventur. Ab utroque verò genere coercitionis differt *migratio*, oder die Lands-Räumung. Conf. etiam de variis *relegationum* modis, & quòd quis adstringi possit subsistere ad certam distantiam *ultrà territorium punientis*, Besoldum *in Delibat. ad Lib. 1. ff. quæst. 45.* & Speidel. in *Notab.* voce Lands-Verweisung, item Martin. Stephani *L. L. de Jurisdict. Rom. Imperii cap. 10.*

CAPUT V.

De

Civium Qualitate & Differentia.

ARGUMENTUM.

Cives 1. esse mares vel feminas, 2. liberos aut servos. 3. majores minoresve annis. 4. sanos aut morbosos vel mente captos. 5. hosce rursus quadruplices. 6. benè aut

aut malè moratos. 7. divites vel pauperes, quorum singulæ differentiæ suos habeant effectus.

I.

QUalitas civium ex variis eorum differentiis intelligitur. Primo è naturâ distinguuntur in mares & fœminas; tertium genus androgyni sive *hermaphrodyti* (*a*) ad alterutrum sexum prævalentem referuntur*. Juris diversitas *à sexu dependens* (*b*) in familiæ enarratione, ubi de patre & matrefamilias actum, anticipata est.

* *l. 10. ff. de statu homin.*

(*a*) HERMAPHRODYTI. Dari ejus generis homines (qui gemino sexu ceu pudoris causâ geminum pudorem adferunt, indequè aversationi quandoque talis Romæ, ut aliò deportaretur,) præfractè negat Rennem. *Part. I. Jurispr. Rom. Germ. num. 18.* sed vid. Zachiam in *Qu. Med. Leg. L. 3. qu. ult.* & P. Gregor. *Tholos. VII. 2, 9.* Sanè si, dum utrôque sexu potis est, unum eorum elegerit, & alium exercuerit: admissum scelus apud *Hispanos* flammis expiatur. Sanchez. *Lib. VII. de matrim. dub. 16. num. 6.* In dubio habentur pro *masculis*, & *Feudorum* etiam sunt capaces. Wesenb. *num. 3. de stat. hom.* & Speckhan. *I. quæst. 76.*

(*b*) A SEXU DEPENDENS. Quoties *prudentia* respicitur, *fœmina*, quod jura privata, melioris sunt conditionis; sed tamen *Illustres*, & quæ consiliis stipatæ sunt, marium jure censentur: fie enim frui non possunt fœminæ ejusmodi SCtô *Vellejanô*; Quoad ea tamen, quæ in *imbecillitate* sexûs & pariendi difficultate rationem habent; ùt est prærogativa pignoris, in *l. 12. C. qui pot. in pign.* illustres fœminæ & plebejæ pari jure censentur. Quantum ad *pœnas*, licèt *Tiraquellus* putet, fœminas mitiùs haberi: *Caus. IX. de Temperam. pæn.* Tamen illud non pertinet nisi ad delicta *contrà Jus civile*: quod hactenus mulieribus ignorare permissum est. *l. 38. §. 2. & 7. ad L. de adult. arg. l. 9. pr. de jure & fact. ign. l. 6. pr. ad L. Jul. pecul.*

II. Secundo à statu distinguuntur homines in liberos & servos, de quibus similiter dictum. Non est autem hæc tam divisio civium, quam hominum, quia servos satis constat non esse cives: sed hodiè famuli, quibus utimur ingenui, si aut originales sint, aut animum semper habeant remanendi, merito *inter cives numerantur.* (*c*) Altera à statu petita differentia inter filios & patresfamiliarum perinde occupata est in superioribus.

(*c*) INTER CIVES NUMERANTUR. De *servis* equidem ratio differentiæ facilè constat: neque enim solus *locus* quem civem facit, sed in loco *societas*. Non etiam quòd *subjiciatur* quis *Majestati*, eique leges ab illâ præscribi possint: eò quòd Majestas sit mensura Reipublicæ, & quicunque ei subest, *parens* & subditus, sicque *pars Reipublicæ*, meritò dicatur. Et tamen insuper 1) distinguendum est inter partes substantiales & accidentales sive accessorias: inter perpetuas & temporarias. Ita in homine ungues, capilli, partes sunt; sed *secundariæ*. 2) Aliud quoque est, subjici Reipublicæ ob vinculum *extrinsecum*: & hunc respectum sustinent *peregrini*: nam locus subditum facere non potest, quanquàm sit conditio quædam in peregrino, sub quâ subditus est Majestati, quæ conditio in omnes ibi commorantes extenditur. Aliud est subjici quem ob vinculum *intrinsecum*, in specie

cie subjectionis: priores omninò *parentes*, sed non æquè *cives* appellare possumus. Constat sanè, solam *habitationem* ne quidem Jurisdictionem Magistratui tribuere, nisi *personalis subjectio* accedat, ut apparet in his, qui ædes *privilegiatas* incolunt. Hinc non sequitur, est subditus, E. civis est: nam *incola* non tantùm paret, sed *subditus* est omninò, nec tamen *civibus* accenseri potest. Itaque etiam *famulos* civibus connumerare non licet. Sunt nempe tales, *imperfectiori* modô, maximè si sensum *juridicum* requiras: & est longè aliud, frui *juribus civilibus*; aliud, frui juribus *civitatis*. Denique *peregrini* etiam & *forenses* ab aliquibus malè confunduntur: nam forenses etiam in loco *non degere* possunt, nisi, quod ratione *rei sitæ* ibi conveniri & collectari possint: nec tamen collectas pendere tenentur *extraordinarias*; nisi ex causa ipsos forenses eorumque bona contingente, imponantur, v. g. ad totius regionis defensionem; ût sunt Die Land-Rettungs-Steuren.

III. Tertio ab ætate cives dicuntur majores aut minores annis; punctum dividens hæc intervalla non minus ex ratione naturæ, quam exemplo Juris Romani & *gentium plerarumque*, (*d*) est quinque supra viginti annorum. Juris diversitas hinc oriunda est, quod majores ad munera functionesque Reipublicæ, haud perinde minores adhibeantur. Nam hi propter lubricum ætatis ne suis quidem rebus præsunt, sed curæ aliorum subjiciuntur. Sunt autem hi puberes vel impuberes, quorum illi magis quod ad res suas, hi etiam quod ad actus personales in curatione habentur; quod discrimen Latini terminis quoque tutelæ & curæ diversis expresserunt. Mulieres jure gentium majores annis nullis subjiciuntur Curatoribus, ne quidem nuptæ; nam maritalis potestas longè à curatoriâ distat; & quod bona uxorum à viris reguntur, hoc juris & *instituti civilis est.* (*e*) Prætereà ætas virilis aut senilis est, habetque suos, etiam juris effectus, quod senes à muneribus Reipublicæ excusentur, ad honores, si velint & pares sint, magis admittantur: senectus autem *à septuaginta ferè annis* (*f*) duci videtur*. Olim sexagenarii vocabantur depontani; id est, honoribus & Comitiis impares, quasi à ponte, per quem transitus fiebat ad ferenda suffragia Romæ, dejiciendi, scilicet arbitriô magis vulgi, quàm jure publico.

* *l. 3. de Excus. l. 3. de Jur. immunit.*

(*d*) GENTIUM PLERARUMQUE. Imò *varietas* maxima hic reperitur. Nam *Gothi* olim ex viribus corporis, facinore aliquô comprobatis, majorennitatem metiebantur, spretô *annorum* numerô. *Loccenius* in *Sueciæ* Regnô Judicis arbitrio rem confici docet, *Dissert. IV. ad Jus Suec. num. 6. Hebræi* unum habebant terminum & majorennitatis & pubertatis. *Persæ* annum vicesimum sextum vel septimum, *Lacones* annum 30, *Romani* ex civili Lege *Lætoriâ* (*l. 2. C. Theodos.*) annum 25. definierant: unde tempus legitimum dicitur in *l. 49. de minor.* quanquam rationem ex *vigore virili* præbeat *Ulpianus* in *l. 1. §. 2. de Min.* Et tamen *Longobardi* postmodum vigorem illum 18. annô compleri arbitrati sunt; qui terminus hodiè in pluriinis *Italiæ* locis observatur. *Galli* quidem & *Hollandi*

landi juxta *Simon van Leuven, Cens. Forens. Lib. I. cap. 2. num. 3*, Leges *Romanas* hâc in parte sequuntur. In *Germaniâ* Saxones *tertiô septenariô*, sive 21. ætatis annô minorennitatem terminant; idque obtinuit in oris *Juris Saxoniæ*, priusquam *Leges Romanæ* in Germaniam introducerentur. Hinc illos, qui *Sax. Jure* vivunt, *maturiùs sapere*, non tàm *Carpzovius* ait *Part. II. C. 11. d. 9.* sed & *Colerus, dec. 19. num. 4.* h. e. citiùs *Saxones* cum *effectu majorennitatis* negotia sua, & quidem post annum 21. ætatis, perficiunt, ut imbecillitate judicii ex eô tempore nil ampliùs egisse *per statuta* putentur; quicquid etiam per genium & *naturam* fuerit. Unde à Limnæo *Tom. IV. add. ad Lib. III. c. 2. n. 38.* Carpzovius ob hoc perstringi non debuit. Illud etiam quoad *feminas*, cur citiùs illæ *à tutelâ* liberentur, cur item *bienniô* celeriùs *veniam ætatis* impetrare possint, *l. 2. C. de his, qui ven. æt.* cur *testamentum* citiùs condere? investigandum est: Quid enim *viri potentia* cum prudentiâ? Videlicet aliter fieri non potuit, quàm ut ea, quæ *nuberet*, quæ fieri annô poterat duodecimô, & in manum viri conveniret, in potestate *tutoris* esse desineret: semel autem hæc consequentia, ad tutoriam potestatem à nuptiis stabilita, eâdem *proportione* ad sequentes annos producta est; quin imò quoad *veniam ætatis* temperamentum corporis animus plerumque imitatur, ut *æqualis* sit utriusque *maturitas*, & solent esse fœminæ tenaciores. vid. *l. 14. §. 1. de alim. leg.* Interim terminum *minorennitatis* quoad annum 25. distinguere in maribus & fœminis, atque harum rationem peculiarem habere, non placuit, quòd jam eâ ætate plerumque *nuptæ* essent fœminæ, & dehine in perpetuâ maritorum tutelâ.

(*e*) Instituti civilis est. Jure communi non sunt in *curâ maritorum* mulieres, quanquam possint mariti procuratelam in bonis *receptis* subire; quippe quæ ex nutu mandantis revocari potest. *vid.* Lyclamam *Membran. VII. Eclog. 15.* De *Jure Saxonico* adeò *Curatela maritalis* obtinuit, ut solius mariti curatoris interventu, sinè ullo aliô, mulier firmiter contrahere, & bona immobilia alienare possit; Schulz. *ad §. 19. J. de Excus. tut.* Carpz. *P. II. C. 15. d. 19.* nisi fortè sibi Curatorem ad omnes causas jam elegerit, aut in mariti utilitatem contrahere velit: nam ita alium Curatorem ut adhibeat, necesse est. Carpzov. *d. Const. def. 24.* & Philippi *ad Decis. Elect. 24.* Nec tamen cura cum *potestate maritali* confundi debet. Utique cura illa uxorum non est *ætatis*, indeque non tantùm *minorennium*, & ne quidem si nuptæ fuerint, quà minorennes sunt. Est verò *sexûs*, cùm & viduæ & virgines plerisque locis curatoribus utantur; saltim ubique necessariò in judicialibus: atque sic non omnis cura est *maritalis*.

(*f*) A septuaginta fere annis. Vid. *§. 13.* & *l. 2. pr.* & *§. 1. de excus. tut.* cui tamen objiciunt *l. 2. §. 8. de Decur.* & *l. 3. C. qui ætat. se excus.* ubi 55. anni habentur. Wissenb. in *n. 29. ad d. tit. d. Excus. Tutor.* textum *l. 3.* corrigit; sed malè: cùm & *l. 2.* it. *l. 5. de Jur. immun.* consonent. Rectiùs *distinguitur*, ut in quibus muneribus plus est *laboris corporalis*, textus oppositi valeant; in quibus prudentia magis & *consilium* desideratur, anni plures ad excusandum requirantur. vid. *l. 2. §. corporis. de vacat. mun.* & Andler. *medull. Justin. ad Institut. pag. 23.* Adde Plin. *IV. Epist. 23.* de ætate LX. annorum: & quòd *Sexagenarii* suffragium non tulerint, inde *Depontani*. Sigon. *L. I. Antiqu. Rom. c. 17.*

IV. Præterea differunt cives ratione habitus corporum, animorum, disciplinæ, famæ, fortunæ, natalium, artificii, dignitatis, & si qui modi sunt alii, respectum ad juris publici rationem habentes. Quod ad corpus, sunt vel sani vel morbosi. Morbus est habitus corporis contra naturam, id est, qui impedit usum earum functionum, propter quas natura nobis sanitatem dedit, sive ex intemperie, ut febres, tabes, vel ex conformatione pravâ; ut mutus & cœcus *. Nisi quis hoc vitium dicere malit. Sed vitia JCti dicunt, quæ deteriorem duntaxat usum

usum functionis alicujus reddunt, ut vitiosi sunt myopes, balbi; morbos qui tollunt, unde mutos, surdos, cæcos pro morbosis habent **. Morbi præterea vel *sontici* (g) aut secus dicuntur. Horum alii excusant à muneribus, alii excludunt ab honoribus, prout magis aut minus impediunt, levioresque aut graviores sunt.

* *l. 1. §. 7. & 8. de Ædil. Ed.*

** *d. l. 1. §. 7. l. 9. l. 10. §. 3. & pass. eod.*

(g) VEL SONTICI. Morbus *sonticus* est, qui rei gerendæ est impedimento; *L. 6. de re jud.* *Perpetuitas* non requiritur; neque enim in genere describitur, sed duntaxat quoad actionem redhibitoriam; aliàs secùs est. *l. 46. de Judic.* Cæterùm morbi non omnes excusant: neque enim à munere excusat v. g. morbus *podagricus*, nisi quis ob eum propriis suis superesse non possit. *l. 3. C. qui morb.*

V. Ab animo sunt etiam sani vel mente capti: In sanis magna est latitudo, magnique gradus prudentiæ noscuntur, quorum in publicis haud leve quidem momentum consistit, in universum tamen definiri nequeunt. Mente capti sunt vel dementes, qui ad omnia sunt cœci vel fatui. Illi aut *dementes in specie vel furiosi* (h), Dementes, qui nihil sapiunt innocenter; furiosi, quos agitat rabies, Illi ferè perpetuum, hi plerumque ad tempus laborant. Fatuos licet dicere, qui, ut Cicero loquitur*, mente quidem sunt capti, hoc est, non sani, ad omnia tamen non excutiunt. Hi videntur esse quadruplices, fanatici, moriones, melancholici & stupidiores, vulgo, macarones. Fanatici sunt, qui caput jactant & responsa ferunt, quod plerumque temporarium est **. Moriones, qui non sapiunt quidem, scurrilibus tamen dicteriis aliquid simile ingenii ostendunt; melancholici, qui certis imaginationibus aberrant, cætera non absurdi. Grossos dicunt vulgò, qui minus valide sapiunt ut Ulpianus ***, qui mediocritatem civilium officiorum, vitæque communem cultum atque usitatum tueri possunt, verba Ciceronis, nulli tamen rei feriæ apti. Illi omnes â publicis functionibus, ubi locus electioni, excluduntur, ab hereditariis dementes similiter removentur, ut & moriones. Furiosi quia sperantur ἀναλήψιν, ut & fanatici, melancholici & stupidiores magis est, ut curatoribus subjiciantur.

* *3. Tuscul. sub fin.*

** *l. 1. §. 9. & l. 4. §. 1. d. ædil. ed.*

*** *l. 4. §. 3. ff. de Ædil. Ed.*

(h) De-

(h) [illegible] IN SPECIE VEL FURIOSI [illegible] Romano Jure, [illegible] differentiæ [illegible] *[illegible] III. [illegible] cap.* [illegible], ubi tamen [illegible] in *L. XII tab.* non fuit [illegible] tamen [illegible] videri & [illegible] *§ 4. J. de Curat.* ubi à *Magistratibus*, & [illegible] à lege, mente captis tutores dantur: quid [illegible] accipiendum fit illa dispositio de his, qui [illegible] debilem quendam intellectum habent; nam ita se quidem omnes *muti* subjiciuntur Curatoribus. *l.* [illegible] *§.* [illegible] *ad SCt. Treb.* nec omnes, qui non rectò planè judicio utuntur: ut omninò [illegible] *Magistratus* opus sit; maximè quod [illegible] is, qui [illegible] intellectu utitur, testari [illegible], itemque matrimonium contrahere, &c. Vid. [illegible] and. *Lib. II tit. 1. def. ult.*

VI. Porrò, à disciplinâ, homines sunt benè vel malè morati aut exercitati, denique docti vel indocti: sed harum rerum in publicis usus magis ad politicam pertinet, ut *in quâque functione* (*i*) optimè exercitati moratique adhibeantur. Doctrinam qui ad publica negotia resque agendas inutilem existimant, inscitiam suam produnt, omnisque ævi excellentissimorum hominum exemplis refutantur. Sed erroris causa duplex, una, quod qui ætatem in libris agunt, dexteritatem expeditam agitandi fere amittunt, altera, quod qui judicium aut à natura aut ἀπειρίᾳ minus rectè habent formatum, ostentatione sapientiæ hanc faciunt ridiculam. Quare qui Reipublicæ cupit admoveri, teneat ex sapientia doctrinaque modum; facilius tamen nimium quam nihil doctus suum corriget defectum, nisi *pædagogismus* (*k*) sit, qui nunquam exolescit.*

* *dix. in Orat. de Pædantismo Auspic. Orat. X.*

(*i*) IN QUAQUE FUNCTIONE. Distinguuntur autem *Personæ publicæ*, ceu Instrumenta Summæ Potestatis, in *Consiliarios* seu Senatores: *Magistratus*, Civiles & Militares: Curatores seu *Administratores*, sacros & profanos: *Ministros Aulæ*, vid. Lips. *III. Pol. 3. 8. & c. 10. & 11.* ut & Bodin. *III. cap. 1. seqq.*

(*k*) PÆDAGOGISMUS. Potest jungi Lipsius *Lib. I. Polit. cap. 10.* cum *Commentatoribus*.

VII. Ex famâ cives sunt honesti vel famosi, quos alii cives desinere esse tradunt; male; ut tu ex definitione civis sponte videbis. Sed infames ab officiis magistratuum honoribusque excluduntur; Nempe qui ob causas legibus proditas infamia notantur; nam qui opinione hominum, licet prudentium, pro talibus habentur, hos non tam juris quam *politices ratio* (*l*) ab ingressu templi honoris arcet.

(*l*) POLITICES RATIO. Imò & *Juris*, nam facti quoque infamia, quam leges [illegible] dicunt, non minus suo modo *juris* est: ut *Donellus* [illegible] eam vellicare non debere. *L. XIII* [illegible] it. [illegible] & alii. Neque [illegible] eam [illegible], non quia juri opponitur, sed quòd

facta quædam jus *in specie nocet*, quædam verò turpitudini, & simul censuræ atque opprobrio virorum honestorum relinquat, qualia quæ sunt, etiam contra jura, saltim in genere, committuntur. vid. *l. 1. de obseq. parent. & patron. præstand. l. 27. C. de inoff. test. l. 2. C. de dignit.* Cæterum de famâ & infamiâ nonnulla habet Pufend. *L. VIII. c. 4.* ubi inter alia non infame esse, *duellum detrectare §. 8.* ostendit; simulatque de levi maculâ *§. 5. & seqq.* agit, & in *§. 9.* disquirit, quâ ratione *existimatio* civium ex nutu & arbitrio *Reipublicæ* pendeat, cui *§. 12.* addi debet, ubi applicat hoc ipsum ad *liberos damnatorum Majestatis*: quos quidem ibi *inhonoratos* effici posse ait, seu *ἀτίμους*, sed non infames. Et tamen Romanos publica ratio movit, ut *Characterem* imprimerent famæ reorum læsæ Majestatis, non nisi per *restitutionem peculiarem* abolendum; siquidem privatio nuda, si non etiam *positivi* quid imprimeretur liberis, a molitione quocunque adversus Rempublicam non videbatur eos satis arcere posse. Sic ergò *publicæ saluti* hoc imputari oportuit, cùm simul ipsi infamati non tantum dedecus subire viderentur, *civili æstimatione*, uti quidem alii, quos proprii facinoris turpitudo commaculaverat. Equidem latus hic campus foret excurrendi in varia civium genera, quæ *imminutionem existimationis* patiuntur. Sic enim *Caupones* plerisque populis *viles* habiti sunt. *Peguera Dec. 41 Comædi* item: quamvis si Comœdiæ rectè *formentur*, (de quô Conzen *XII. Polit. 13.*) secùs se habeat. *Spectacula* sanè instrumenta imperandi erant, ac populum demulcebant; maximè si publicô sumtu fierent, aut lucra attenuarentur. vid. Hurtad. *Tr. I. Resol. mor. 8.* nec protinus ea civium animos corrumpunt; ut Bodinus *VI. cap. 1.* autumat. Interim qui *Spectaculis deserviunt*, infimô loco habentur. Porrò *Agyrtæ & circumforanei*, (de quorum *artibus* vid. Campanel. *Lib. IV. de Sensu rer. cap. 4.*) ne quidem in Republica tolerandi sunt: ut nec qui *aleas fortunæ* exercent: cum vix [illegible], ut fraudes eorum reprimi queant. [illegible] *II cap. 11. num. 11.*) Adhibe Bor[illegible] *cap 4.* ubi de *Cautelis* adve[illegible] N[illegible] hæc pertinent ad casum, quo R[illegible] ollam, ut ex lucris *publicis ne[illegible]* [illegible] *Meretrices* quoque [illegible] sunt [illegible] enim *mala majora* evitari p[illegible] arum ajunt, illa non habeat cum omissione vitæ meretriciæ *necessariam annexionem*. Quare pater[illegible] quoque meret[illegible] [illegible] nentes, rem [illegible] tam [illegible]; quamvis aliud sentiat Hurtado *Tr. I Re[illegible]* [illegible] nis [illegible] possunt [illegible] ant. Neque enim hoc [illegible] *§. 1. d. Injur.* vid. Covarruv. *III. R[illegible] 4. n. 1* Caroc. *P 3. d. Locat. cond. qu. 30. n. [illegible]* Denique *Judæos* rectiùs *arcemus* è Republicâ: & quamvis eos non esse ejiciendos velit Marqu. de Susannis *Part I. d. Judæis, cap. 7.* quo trahunt [illegible] & quod de iis spem conversionis habere liceat; quin & exteri crescere ipsorum accessione, cum periculo nostro, possint. Tamen, sicut plerunque *Criminosi* sunt: vid. Voet *de Judaismo*, ita, sicut recepti sunt pactô vel possessione immemoriali, [illegible], nisi quando cum pernicie Reipublicæ retineri non possent, excludendi sunt. *Prohibentur* autem *conversari* Christiani cum Judæis, in domo, sive ut sub tectô unô cohabitare istis cum his non liceat: tum & abstinere debemus à conversatione ipsorum in Conviviis quibuslibet, balneis, educatione & lactatione liberorum, medicinâ, famulatum illis præstando à Christianis, functione muneris publici, edendis azymis ipsorum: maximè verò in Conjugiô & tutelâ. Tandem & *castrati*, maximè qui semet ipsos castrarunt, ad abjectos pertinent in Republicâ. Utique *Ambrosius Morales*, vir doctissimus, *Hispanus*, exemplô *Origenis* incitatus, sibi *anno 1590.* virilia, ad incontinentiam reprimendam, præscidit; quod quidem damnat *l. 6. l. 4. ad L. Corn. d. Sicar.* De *natalibus* Civium superiùs aliqua relativè tradita sunt. Hic solùm observandum est, non rectè tradi, quòd Jure universali *omnes certô Patre nati* pro nothis sive *naturalibus* habeantur; etiamsi ex furtivô amplexu sint. *Spurios* verò propriè dictos esse, incertô patre ex *meretrice*: & latè appellari *spurios*, ex his susceptis, qui contra [illegible] LL. editi sunt, item adulterinos, incestuosos. Enimvero Concubinatus certum Patrem facit *naturaliter* eo, quòd is [illegible] eô [illegible]: neque *naturalem* rectè [illegible] qui ex furtivo amplexu concipitur: quia *Jus naturæ* hunc non probat, uti *Concubinatum* admittit; indeque *spurius* propriè dictus certum non habet patrem naturaliter sive *naturæ Jure*; quamvis talem habeat *physice*. Ex *meretrice* autem susceptus *vulgò quæsitus* est, nec utique naturalis, cùm nec physicè certum

[illegible] Patrem [illegible] *Significatus* vero [illegible] *latior*, [illegible] præcepta Legum [illegible], [illegible] non pertinet. [illegible] pro *naturalibus* sive Jure naturæ fi[illegible] haberi non possunt.

VIII. Fortuna distinguit cives in divites & pauperes, in viliores & honestiores. Divites, quatenus *maxime eorum interest*, (*m*) salvam esse Rempublicam, ad regimen honoresque præ pauperibus admittendi sunt, idque olim hodieque passim servatur: hinc pendet *vilium* (*n*) & honestiorum oppositio: honestis hic non ab honestate, sed ab honore nuncupatis. *

* §. 4. *I. d. Publ. jud. & passim.*

(*m*) MAXIME EORUM INTEREST. Quid etiam quod si in officiis del[illegible]ant, in *facultatibus* ipsorum læsi habeant, quò sibi consulere possint, vid. *not.* ad *art. 41. Capit. Leopold.* ubi in Aulicos Imperii *Con[illegible]arios* adsciscendi dicuntur illi, die im Reich angesessen und beguthert seynd. Sunt autem discernendi *Pauperes* ab *egenis*. Nam *isti* habent, unde vivant; *egens* non item. Matth. *de Crimin. tit. de Probat. cap. 2. n. 410* Et potest *probari* Paupertas professione *jurata* facultatum: nam Judici arbitrio hic omnia tribuenda non sunt; *Pauperis* vero haberi non debent, qui *manu vi[illegible]um quærunt*: sic enim c[illegible]as quoque hi solvunt in Civitate. Sunt tamen pauperes tales in *Legato* v. c. pro conjunctis sive *cognatis pauperibus* relicto. Carpzov. *III. 1[illegible]. 21.*

(*n*) VILIUM. Sunt tales etiam *plebeji*, vel qui in *honore* positi non sunt, qui tamen fœminæ illibatæ habentur.

CAPUT VI.

De Nobilitate.

ARGUMENTUM.

Octava differentia, Nobiles aut Ignobiles. Nobilitatem variè censeri, distingui ab eâ dignitatem equestrem, item Patriciatum, sive ordinem in Republica plebi ratione publici regiminis oppositum. Quæ proprie apud Græcos & Romanos nobilitas, quæ hodie, imprimis inter populos Germanicæ originis, qui monarchicam auctoritatem requirunt. Sed juris rationem velle, ut æque in liberis Rebuspublicis Nobilitas acquiri possit, haud secus ac apud eruditos olim populos. Etiam præscriptione Nobilitatem rectè acquiri, quod ejus non sit & quodnam sit fundamentum.

I.

RAtione natalium cives sunt Nobiles vel Ignobiles, qui ab honestis & vilibus propemodum ut genus & species discernuntur. Nobilitas *nihil est aliud*, (*a*) quam Excellentia generis ex claritudine majorum ad posteros propagata. Per quam definitionem ab Nobilium ordine sepa-

ramus eos, qui pro Nobilibus habentur, aut pro ſuis tantum perſonis nobilitate donantur, aut pro Nobilibus habentur, ut aliqui equites aurati, quos vocant, & Comites Palatini. Quin omnes, qui creantur nobiles, ipſi quidem ab iſta definitione ſunt alieni; tales enim à Latinis *novi homines* (*b*) dicuntur; nobilitas aliquam vetuſtatem requirit, adeoque non niſi per traducem & natalibus communicatur.

(*a*) NIHIL EST ALIUD. Sunt qui hunc in modum definiunt, quòd ſit Dignitatis in Republica gradus eminentior, quô quis ab eo vel illis, qui conferendi jus vel per ſe vel ex communicatione aliorum habent, plebejæ conditioni legitimè eximitur, & præclaris privilegiis ornatur. Sed hæc definitio non videtur poſſe competere in eos, qui *avitam* Nobilitatem habent; niſi commodè explicetur. Poterat equidem cum Auctore ſanguinis fieri mentio ſive traducis, niſi hâc ratione liberos quoque *naturales* ad nobilitatem parentum admittendos eſſe verendum eſſet. Unde alii definitionibus ſuis inſerunt loco ſanguinis, *familiam*. Cæterum etiam Nobilis ille, qui patrem ſequitur familiæ jure, nihilominus Nobilitatem debet non tam Patri, quàm *Principi* ſive Reipublicæ, nec adeò conſequitur beneficium illud Jure ſucceſſionis, aut per modum *transmiſſionis*, ùt privilegium quoddam reale; ſed immediatè ex ipsâ concedentis voluntate; nec enim numero eadem dignitas eſt, ſed tàm *ſpecie*: nec *quilibet heres*, qui Nobili ſuccedit, Nobilis ſit, quod neceſſe foret, ſi privilegium reale eſſet: Quid quod filius ſit nobilis, *priusquam* de *hereditate* Patris quæri poſſit. Interim cùm ex hiſce ſaltem hoc ſequatur, Nobilitatem non rectè dici, quòd per hereditatem acquiratur: probari poteſt utique definitio Auctoris. Omninò enim ad poſteros per familiam dignitas hæc propagari poteſt: Malim tamen ſubſtitui loco *propagata*, vocem *propagabilis*, idque de regulâ intelligi; cum dubium non ſit, eum quoque Nobilem eſſe, qui nobilitatem *perſonalem* adeptus eſt. Et ſi vel maximè definitionem accipere de Nobilitate *gentilitia* velis: tamen etiam hi, qui perſonalem obtinent Nobilitatem, directam tamen, non aliam gradu & effectibus cæteris, quam gentilitiam conſequuntur.

(*b*) NOVI HOMINES. Præclara eſt hanc in rem annotatio *Bœcleri* ad *Lib. II. Vellej. Pater. c.1?. pag. 201.* & multis facti videtur eſſe ea [illegible], non juris: quaſi Nobilitas illa præſtantior ſit, quæ ex *virtute propriâ* oritur. Unde licet N[illegible] juris Gentium eſſe quoad formam generalem rectè dicatur, tamen ſi ad *ſpecificam* tranſeamus, [illegible]tudinem illam nominis, qua Nobiles ſive N[illegible]les fiunt in Republica: non ubivis terrarum illam *hæreditariam* eſſe videmus. Nec facilè eſt, rationem *æquitatis* hac in re defendere, adeò ut nonnulli eam licentiæ meræ, per quam Nobiles *viribus* potentes hereditariam dignitatem ſuſtinent, & conniventiæ Principum imputent. Verius tamen eſt, *ex re & uſu publico* cenſendum inſtitutum illud, dum liberi Nobilium hac ipſo neceſſitate quâdam adſtringuntur, ne ab iſtorum probitate degenerent: quam in rem *Inſignia* & imagines, ut virtutes patrias ipſi poſteri æmulentur, comparatæ ſunt, ut nempè eadem virtutibus ſuis augere ſtudeant, nec in filiis protinùs gloria hæc extinguatur: cùm in nepotibus & poſteris, facultatibus & patrimonio ſuffultis, ſpes virtutis in Rempublicam proficuæ propagari poſſit. Interim novi homines contemtui ducendi non ſunt, nam & majores cæterorum novi fuere, ſaltim quòd inter pares dignitate eum, qui *priùs* illam ſeu antiquius *nactus* eſt, præferri oporteat. Cæterùm in dubio Nobilitatem non perſonalem, ſed *realem* collatam eſſe, præſumitur vid. *Perez.* ad *Tit. C. de Dignit. n. 24.* [illegible] ſimul exponit, quâ ratione Principi expediat, ut novos creet Nobiles, cumprimis divites.

II. Cæterùm ad hunc locum non pertinet conſideratio Nobilitatis, ut eſt ordo Reipublicæ ſive equeſtris, ſive patriciorum; hoc enim ad regimen civitatis pertinet; heic nihil eſt aliud, quàm civilis qualitas in

in sola honoris suprà plebem eminentia consistens. Claritudinem illam parentum, unde reputatio Nobilitatis, diversæ gentes aliter atque aliter æstimaverunt. Apud Græcos & Romanos Nobiles habebantur, quorum progenitores summis in Republica honoribus præfulserant; qui primi honores meruerant, novi potius, quam nobiles dicebantur. Igitur Romæ postquam honores maximi cum plebe nobiles fuerunt, ut de Claudiis constat, qui *omnes nobilissimi*, (*c*) pars tamen plebeji censebantur; perindè ac equites ibi plebejos fuisse constat.* Scilicet Romanus populus in plebem & patricios dividebatur, sub plebe erant equites, patriciatus erat gradus major nobilitatis eorum, qui ex antiquissimis senatoriis familiis oriundi, vel postea numero illarum extra ordinem erant inserti.** Unde patet, suo magis arbitratu quàm latinè loqui inter nostrates eos, qui ex familiis honoribus claris sunt nati, quod cum nobiles se ferre non audeant, modestiæ causâ patricii gaudent appellari, quod certè non minùs, imò proprietate latini sermonis amplius, quàm Nobilitas est; quanquam jure suo isti tales & nobiles & patricii poterant vocari, ut statim videbimus. Apud gentes Germanicas, quæ per omnem Europam se diffuderunt, Nobilitas ex re militari oritur, accedente Principum auctoramento, qui vel feudum cum titulo nobili, vel præmium nobilitatis per se, aut cum insigni ordinis equestris largiuntur. Unde ad posteros propagatio. Quod tamen ita nolim ad rem militarem restringi, ut caussa, qua Imperatores & Reges nobilitatem largiantur, non sit etiam Doctrina. Scientia nobilissima facit.***

* *Sueton. in Claud. in pr.*

** *Sigon. lib. 2. de Juris Civ. Rom. cap. 20.*

*** *l. Providendum C. d. postul.*

(*c*) OMNES NOBILISSIMI. Prædicatum Nobilissimi sub *Monarchiâ* Imperatoribus proprium factum est, quanquam & Nobiles dicti fuerint. vid. *l. 3. d. natal. restit.* Et in nummis legitur *Constantinus Nobilis Cæsar.* Principes etiam *successores* pueri Nobilissimi dicebantur. *l. 6. C. Theod. ad SC. Claud.* confer. *Gutber.* de *Offic. Dom. Aug.* Romanam verò Nobilitatem benè distinguit *Pufendorff. l. 8. c. 4. §. 28.* ubi simul cum *Auctore* ostendit, postquàm *Plebeji* bonorum redditi fuerint participes, etiam hos *Nobiles* factos, & imò Gentem sibi asseruisse, nec novam illam prærogativam, quam *Patricii* in *sacris gentilitiis* communenti fuerant, diu substitisse. Tradit etiam in *§. 29.* quâ ratione *Equites* Nobiles non fuerint, neo adeò dignitas eorum fuerit aliqua, sed *ordo* quidam: de quo conferri debet *Cyriac.* Lentulus *Lib. I. Apic. Roman. glor. cap. 5.* Prout autem virtutibus *togatis* inter *Romanos* Nobilitas tributa est, & sic paci magis, quàm bello originem debet: ita in plerisque

Europæ Regnis Nobilitas nunc quidem militari virtute comparatur. [illegible] *Pufendorf*, d. l. §. 30. atque hinc non tantum insignia armorum nomine veniunt, sed & *Feuda* militiæ, compendia equestria, deputata ut plurimum sunt, quippe quæ honoratius putatur, & maxime [illegible] est. Et quamquam *Germani*, ut e *Tacito* patet, *rem equestrem* parum curarunt, & *pedites* præcipuè instruere nitebantur; tamen postmodum sub *Regno Francico* præcipua vis & dignitas exercitus in equitibus fuit, inde[illegible] Nobiles [illegible], qui *Equites*, Ritter. [illegible] voce Ritter-Dienste, ut tamen Equitum [illegible] appositi [illegible] *Torquati*, *Ordinis Johannis* & [illegible] eminentem Dignitatem, eamque *per* [illegible] præferant. *vid.* Speidel. *in Notab. voce* Ritter, & *Franciscum* Mennenium *in Deliciis Ordinum Equestrium*.

III. Denique sola monarcharum auctoritas fons nobilitatis vulgò in universum habetur, adeò, ut in populis, qui plurium Imperio reguntur, vix ulli nobiles fieri posse credantur. Sed hæc ratio perperam se habet, dandaque est opera, ut hujus rei doctrina ad exemplum Græcæ Romanæque disciplinæ intelligatur, potius quam ex barbarico instituto, ut de hoc genere nobilitatis non nemo locutus est, quatenus quicquid eruditis populis ignotum, ab exteris & incultis receptum est, barbarum solet appellari *. Planè si jus creandi Nobiles sit ex juribus summæ potestatis, quod nemo negat, manifestum est, illud æquè in plurium quam singulorum Imperiis posse constitui. Quod si in liberis Rebuspublicis feuda talia vel diplomata non distribuantur, dicendum est, sufficere ad nobilitatem alia argumenta voluntatis eorum, qui summam habent potestatem. Tale est in Republica Venetorum jus communionis in Imperio civitatis, cujus qui participes sunt, eos vocant patricios, eosdemque Nobiles jure meritoque. In Republica, ubi Imperantes seu perpetui, sive temporales, ex plebe partim & ex Nobilibus creantur, ùt in nostrâ; hi, qui pro Nobilibus in supremo comitio admittuntur, maximè si hoc sæpius factum, ipsi quidem non fiunt propriè nobiles, sed eorum posteri haud immeritò nobilitatem vindicare sibi possunt; modò opes professioni respondeant, sine quibus hoc decus comparari vix potest; etsi partum custodiri facilius. In cæteris sequemur institutum, quod apud Græcos & Romæ juris publici fuit, ut Nobiles putemus, quorum majores insignia Reipublicæ munia gesserunt. Neque enim ulla ratio proferri potest, quare id minus hodie juris sit, minusve moris esse debeat.

* *Sciopp. in Scalig.* ὑποβολ. dix. *lib. 2. Digress. cap. 24.*

IV. Quo autem majores sunt dignitates, eo major quoque nobilitas

bilitas propagatur, quemadmodum jure Romano alii magistratus sunt *illustres*, (*d*) ut præfectus prætorii & urbis; alii spectabiles, ut proconsules, denique clarissimi, ut prætores; etsi clarissimorum vox aliquando & spectabiles complectatur, denique Senatores iisdem gradibus & terminis distinguebantur *; Non quod nati ex illis similiter illustres, clarissimi, spectabiles sint, (etenim magistratuum hi sunt tituli) sed quia de majoribus genitum esse illustribus amplius est, sicut Romæ, qui ex familiis censoriis, consularibus, prætoriis similibusque orti, alii aliis erant nobiliores.

* *Vid. Pacium Isag. ad tit. D. de Senator.*

(*d*) ILLVSTRES. Vid. post *Sigonium* & alios *Commentatores* ad *tit. C. de Dignit. Lucam de Penna, Aurayam*, item *Perez. num. 3.*

V. Denique usu temporis immemorialis cum jura quælibet, etiam majestatis, acquiri possint, nihil est causæ, quare nobilitas eodem modo quæsita haud perinde legitima censeri debeat; quasi *ex tacita voluntate* (*e*) eorum, qui cujusque Reipublicæ tenent Imperium. Et quidem hic modus ideò cæteris validior videtur, quia Nobilitas res admodum inepta est, si reputatio ejus cum populari existimatione minus conveniat, affectataque magis quam credita videatur: præscriptio autem, sive usus longissimi temporis, in ipsâ populari usurpatione consistit. Quicunque igitur docere possunt, quod à longissimo tempore ab omnibus habiti & agniti sint pro Nobilibus, etsi nullum initium causamve decoris sui producere possint, tamen optimo jure nobiles se ferunt, atque hoc modo verum est, veteres divitias multos rusticos fecisse, ac etiamnum facere Nobiles. Scilicet, quatenus in Civitatibus hæc res aliter non est definita legibus; Quid enim si album sive matricula nobilium familiarum extet? præscriptio non potest ex usu tacito tribuere, quod expressam nominationem requirit.

(*e*) EX TACITA VOLVNTATE Sunt tamen & alia argumenta *Nobilitatis tacitæ*, de quibus consuli potest *Nebienus de Nobilibus cap. 5.*

VI. Majoris excellentiæ gradus, ut Baronum, Comitum, Marchionum, Principum, Ducum, propriè sunt nomina potestatum seu summarum, sive aliis tam feudi quam civitatis jure subjectarum. Atque

Atque ita non nisi per modum successionis propagantur, quod tamen *secus in quibusdam gentibus* (*f*) obtinet, ubi plerique titulorum illorum exemplo Nobilitatis ad omnes posteros, etsi potestas penes unum maneat, transmittuntur.

(*f*) SECUS IN QUIBUSDAM GENTIBUS. Exemplum hujus est in *Comitibus de Hohenzollern*, quorum natu major tantùm *Principis* titulo utitur.

VII. Ex his jam colligi potest, fundamentum Nobilitatis non consistere in virtute, neque fama rerum gestarum, sed esse eam nihil, quam *hereditariam* (*g*) in civitate honoris prærogativam, quæ tantò major quidem est, quantò cujusque majorum fama virtutum meritorumque celebrior fertur; absque ea tamen perinde haberi potest, ac sæpe honores alii, cum dignis & indignis communicantur. Honos virtutum, quique belli & pacis artibus defertur, à reputatione hujus eminentiæ toto genere diversus est, ut frustra sint, qui nobiles esse negant omnes à majorum virtutibus degeneres. Interim nobilitatis initium à virtutibus famaque secundà ut plurimum duci, multisque eam à summis potestatibus in præmium virtutis tribui, quin & hanc præstantissimam esse nobilitatem, haud ægrè concedimus. Ut tamen hi, quibus *auro venditur*, (*h*) nobilitas aut favore sine judicio datur à Principibus, non minus quam isti sint nobiles, perinde ac prætor æquè fuit Vatinius quam Cato, Consul tam Gabinius quam Cicero. Ratio alioqui primitus impulsiva recipiendæ Nobilitatis fuit hæc sine dubio, quod populi sperarent, virtutes eorum, qui bene Rempublicam gesserant, imitaturos esse, qui nascerentur ab illis; item ut eò magis quilibet ad virtutem accenderetur, si intelligeret, non perituram, verum usque seros nepotes victuram dignitatem se adepturum. Proinde si primi familiæ conditores potentiam suam insignibus vitiis corruperint, hi quidem idonei nobilitatis auctores vix judicabuntur.

(*g*) HEREDITARIAM. Emendandus est *Cl. Auctor* ex his, quæ ad *num. 1.* diximus, ubi [illegible] ipse loquebatur.

(*h*) AURO VENDITUR. Est venditio illa [illegible] commendabilis, quâ *Veneti* uti solent, ut [illegible] competitores illum [illegible] etiam plura [illegible] numeri, cui Nobilitatem [illegible] circumponunt, accommodatior est, ita *Boxhornius* *Lib. I. Polit. cap. 8.* Nuper admodùm singulare institutum *Regis Daniæ* observatum est, da Ihro Majestät vor gut erachtet, alle im Rang begriffene Dero Räthe, Beysitzer, und Secretarien, in deren Collegiis oder Versammlungen, so keiner Adelichen Ankunft sind, in den Adelichen Stand zu erheben, worgegen ein jeder 500. Rthaler für versiegelt Papier, 100. Rthaler dem Ceremoni-Meister, und die Cantzley-Gebühr, abtragen und bezah-

bezahlen, derjenige aber, so solche hohe Königliche Gnade auszuschlagen oder zu verachten sich unterstünde, seines Rangs und Ehren-Amts verlustig seyn sollte.

VIII. Momentum, quod Nobilitas habet in Republicâ, non modo quod ad inania honoris, sed & in functionibus Reipublicæ capiendis, ignotum est nulli: Quæritur, an & jus aliquod hac parte Nobilibus competat, quo urgere & exigere possint, ut aliis præferantur, in tantum, uti secus injuria illis fieri dicatur, quod Catilina præ se ferebat; ideo civile bellum se movere, quod ipse & socia Nobilitas statum dignitatis suæ non obtinerent.* Fuit hæc res in Græcis civitatibus creberrima seditionum materies; sed ratio est, Nobilitatem nihil juris habere proprii & perfecti, nisi ex conventione civitatis, id est, Lege; citra quam probabiliter tamen aliquod præcipuum illis tribuendum, minimè verò ut injuriæ & ultionis causa, si neglecti fuerint, oriatur. Quin & prærogativa illa cedit haud dubie virtutum & doctrinæ meritis, planè ut Franciscum Galliæ Regem servasse vel dictitasse ferunt, quòd pluribus honorem ambientibus, primum quis laude moribusque ad illum aptior, rogitabat; nullo notabili discrimine, eum, qui Nobilitate excelleret, *præferendum judicabat.* (*i*)

* *in Epist. ad Catil. apud Salust.*

(*i*) PRÆFERENDVM JVDICABAT. Locum hunc illustrat *Tiraquellus* de *Nobilit. c.* 20.

CAPVT VII.

De

Diversis Civium Ordinibus.

ARGVMENTVM.

Antiquissimum genus civium fuisse agricolas. Dignitate etiam mercatoribus olim potiores habitos, secus hodie, ratio differentiæ. Quæstio, an naturaliter liceat in emendo vendendoque se invicem circumscribere? terminatur. De fœneratoribus, & an fœnus Jure Naturæ divinoque sit licitum; non tamen id, quod vulgo Lombardicum vocatur. Mercatores sequi Piscatores & Mechanicos artifices, sed milites ordinem in civitate proprium non constituere. At eruditos omninò, tàm qui docent artes studiorum, quàm qui faciunt illas.

I.

HÆ fere ſunt differentiæ ex qualitatibus civium; Dantur & aliæ ex variis vitæ generibus ac profeſſionibus: Unde ordines hominum diverſi componuntur.

II. Antiquiſſimum vitæ genus eſt agricultura, idemque innocentiſſimum nec minus Reipublicæ utiliſſimum, ideoque apud priſcos omnes populos *meritô honoratum.* (*a*) Unde & Legibus fovenda tuendaque imprimis, ut à Romanis factum; quò pertinet, quod inſtrumenta ruſtica loco pignorum capi & agricolis auferri prohibeantur *; quanquam id eſſe juris neceſſarii non videtur, ſicubi ceſſent rationes, quas Jus Romanum præfert, ne tributa intercidant, ne rura deſerantur. Quò minus *Imperii* in civitatibus Ruſtici *participes* (*b*) habeantur, nulla quidem ratio obſtat, idque olim in laudatiſſimis civitatibus obtinuiſſe nota res eſt: hodiernis temporibus aliter uſurpari videmus, ubique penes urbes aut nobiles ſummâ conſiſtente rerum: non aliâ ex causâ, quam quod hi, qui opibus & ingenio pollent, agriculturam odio laboris faſtidiant, eamque iis relinquant, qui ad rem nullam præterquam ad ſerviendum ſunt apti.

* *Vid. l. 7. & 8. cum auth. agricult. C. Quæ res pign. oblig. non poſſ.*

(*a*) MERITO HONORATUM. Inde *nobiles*, utut propriis manibus ruri operentur, dignitatis tamen ſuæ luminibus eos per hoc non obſtruere, notat Schütz *Vol. I. Colleg. Jur. Publ. D. 9. theſ. 8. lit. c.* & Nolden. cum pluribus *aliis* in *Tr. de Nobilib. cap. 23. num. 19. & ſeqq.*

(*b*) IMPERII PARTICIPES. Utique in *Germania*, præter *mediatos*, Juris Comitiorum provincialium participes, (quod de Friſia Orientali referunt,) etiam *immediati*, freye Reichs-Bauren, reperiuntur; & hi quidem in partibus Franconiæ, Marchiæ Brandenburgicæ, item in Principatu Elwangenſi. vid. J. Pac. *art. 5. §. 2.*

III. Poſt agricolas ſunt origine Mercatores; illos neceſſitas, hos utilitas commendat; quando nulla re compertum eſt, celerius increſcere & rurſus deficere, quam florente vel coarctatâ mercaturâ, civitates. Plerique veterum dignitate poſt agricolas collocant mercatores, quia ſane apud hos minus eſt ſimplicitatis & *crebræ fraudes ac impoſturæ.* (*c*) Ideòne & his diebus Nobiles, qui agros, ſaltem per alios, ipſimet exercent, mercaturæ miſceri indecorum exiſtiment? ſed hæc quidem ratio aliter conſtat. Monarchæ ut liberius imperarent, plebi arma excutere eaque ſoli committere Nobilitati curæ habuerunt; at

à ſtu-

à ſtudio armorum nihil alienius eſſe conſtat mercaturâ. Accedit & ratio coercendi *monopolia*, (*d*) quæ per homines potentes & nobiles facile contraherentur, quamobrem Jure Romano cunctis potentioribus mercaturâ interdictum *. Philoſophi idcircò illam deteriori loco habere videntur, quod cum ſimplicitate Juris Naturæ minus conveniat, rem eandem minoris emptam vendere pluris: nam in venditionibus, aut ubi pecunia rarior, in permutationibus commercia potiſſimum conſiſtunt. Fundamentum ** hujus quæſtionis decidendæ petendum eſt à voluntate contrahentium; His enim conſentientibus in eam, quæ arguitur, inæqualitatem, nulla ratio eſt naturalis aut civilis eam reprehendendi. Voluntas autem ementium *ex indigentia* (*e*) colligitur, prout enim quisque magis aut minus aliquâ re indiget, ita pluris aut minoris eam æſtimare ſolet. Sic tamen, ut indigentia non reſpectu ſingulorum ſpectetur, ita, ut venditor captet unius neceſſitatem, eamque precio enormi circumſcribat, ſed in univerſum, quatenus æſtimatione communi res quæque cenſetur. Proinde non modo lucrum, quod ſimpliciter penſationi laboris operæque reſpondeat, ſed & juxta ſubitum indigentiæ incrementum licite capi poteſt. Eſt omninò tacitus ubique gentium & publicus in hanc rem conſenſus, ut res emptas cum lucro diſtrahere liceat; quæ generalis conſenſio in Jus Gentium abit, idque frequenter Naturale dicitur; unde Romani JCti, *naturaliter* licere contrahentibus ſe invicem *circumſcribere* (*f*) docent***. Quanquam monopolia, quibus jus vendendi certis hominibus, excluſis reliquis, permittitur, eſſe prohibita, ſatis hinc intelligitur, quod commercii libertas Juris Gentium eſt; nihil tamen vetat, quin civitas ob civiles quandoque cauſas ea permittere poſſit, quale fuit monopolium Joſephi in Ægypto & eſt Indicæ ſocietatis in Belgio. Cæterum dignitas Mercatorum in liberis Rebuspublicis aliquantò major habetur, & omninò plures apud populos etiam, qui regnantur, diverſa, quam ſolebat, reputatio invaluit, ut ubi lucrum eſt, ibi quoque honorem eſſe arbitrentur, adeò, ut Reges quoque & Principes aggregari mercatoribus non dedignentur.

* *Vid. L. unic. C. de Monopol.*

** *Vid. Grot. lib. 2. cap. 12. § 14.*

*** *JC. in l. 16. §. 4. ff. de minorib.*

(*c*) CREBRÆ FRAUDES AC IMPOSTURÆ. Hinc cùm genus hoc vitæ vix immune ab abusu esse possit. vid. Ecclef. 25, 2. ideò honoratioribus indignum reputatum fuit omni tempore: Tiraquell. *de Nobil. cap. 33.* tantùm quòd venditio aut permutatio rerum, quæ in *fundis* ipsorum nascuntur, integra illis sit: de quo ùt & moribus diversis exterarum quorundam Rerumpublicarum ad *l. 3. C. d. commerc. & mercat.* agit Tabor in *Tract. de Jure cerevisiar.*

(*d*) MONOPOLIA. Differunt monopolia à *propolis*, dem Vorkauff. Sed monopolium cum propolio sæpè conjunctum est; vid. de propolio, & cur illud in civitatum perniciem permittendum non sit: Mevium *Part. VII. decis. 122.* quòdque Principibus propolia vini, frumentorum & similia, exercere liceat, Klock. *Lib. II. de ærar. cap. 81. num. 6. & seqq.* necessitate videlicet Reipublicæ, (de quâ disponere optimè censetur velle Princeps,) sic exigente: nam & Regibus & Principibus magnam mercaturam exercere concessum est. Hermes *cap. 35. Fascic. Jur. Publ. num. 26.* Et Klockius de *ærar. d. L. II. c. 26.* idem de monopolio tradit, quando negotiatio nimis ampla sit, quâ nervum Reipublicæ negotiatores ad se pertrahere videantur, quòd tunc etiam Princeps soli sibi negotiationem ejusmodi sumere possit: id quod *Veneti* quoad commercia in Flandria etiam & Anglia instituerint. Cæterùm licèt monopolium ne privatus quidem præscriptione acquirere possit: Mev. *VII. Decis. 267.* & in R. J. passim monopolia prohibita reperiantur; R. A. zu Cölln de anno 1512. §. Und nachdem. R. A. de anno 1524. §. Und dieweil. R. A. de anno 1591. §. Nachdem die Monopolien. Ordin. Pol. 1548. Tit. von Monopolien. additis *DD.* ad *l. un. C. de monop.* Sunt tamen casus multi, quibus eadem permitti convenit, ut 1) si spectent ad favorem & adjumenta commerciorum, dum civitas magnâ adeò copiâ mercium non indiget, sub promiscuâ autem vendendi licentiâ nemo illi generi commercii studere cupit, ob spem exiguam, quid inde lucrandi. 2) Per æquitatem, ut illis qui commercii, vel opificii genus non levibus impendiis in civitatem introducturi sunt, prærogativam ejus, in redhostimentum curæ & impensæ, concedatur. 3) Ob emolumentum ipsius magistratus, si is pro usu publico peculiare commercium sibi sumat; vid. Kœppen *Decis. 59. num. 28.* ùt Elector Bavariæ salis monopolium, & civitates nonnullæ Germaniæ vini Rhenani, exercent: Sunt tamen multa, quæ *speciem monopolii* habent, & monopolia tamen non sunt, ùt rectè Pufendorff *Lib. V c. 5. §. 7.*

(*e*) EX INDIGENTIA. De justo rerum *pretio* elegantem Commentarium edidit Dinnerus; & Pufendorff *Lib. V. cap. 1.* de pretio amplâ ratione tractavit; ubi pretium in vulgare & eminens distinguit, pretium ad nummum referens. Et *vulgare* quidem pretium, de quo potissimum hic disquiritur, ita investigandum esse censet, ut in eo respectus ad *fundos* haberi debeat: inquirit etiam in *§. 16. ejusd. cap.* An *salaria*, quæ ante totidem annos lauta sat fuerunt, hodiè non sint justo tenuiora?

(*f*) CIRCUMSCRIBERE NATURALITER. Non videtur Auctor assecutus esse indolem hujus vocis *naturaliter*: nam JCti circumventionem hanc permissam esse volunt, ex necessitate consequentiæ, quæ fit ex *re* & *negotii*, non juris, *naturâ*, *ἐμπορικῶς*, ut Gothofr. *ad Nov. 97. c. 1.* non Jure Naturæ, *Novell. 77.* Cujac. in *Recitat. Cod. de resc. vend. pag. 373.* nec minùs eleganter Wesenb. *ad tit. ff. eod. n. 4.* Aliter Jac. Gothofr. ad *l. 23. de R. J.* ubi naturale ad eum ferè sensum capit, ùt *naturalia* in contractibus, opponi solent substantialibus & accidentalibus, quasi hic sit status & *natura*, modus item & terminus *contractuum*, & hactenus naturaliter se circumvenire liceat: Quæ quidem expositio probari ex *locis* ab eo *citatis* non potest; Vulgariter quippe sumitur vox illa, quasi dixerit JCtus, naturam sive *indolem commerciorum* aliter non admittere, quàm ut circumventionem eam, quæ non ex proposito, sed ex *re* ipsâ sive *eventu* contingit, inemendatam in Republica relinqui oporteat. De eo major disceptatio est, cur Juris conditores læsionem *ad dimidium* usque permiserint, & non arctiorem ei præstituerint terminum, puta tertiam vel quartam: nam & Pufendorffius *Lib. V. cap. 3. §. 9.* putat, licèt quis *infra dimidium* læsus sit, tamen negotium de Jure Naturæ rescindendum esse. Rectiùs *Nostrates*, sive JCti *Civiles*, qui nec in forô *Ecclesiæ*, propter læsionem minorem, agere licere statuunt, vid. præ cæteris, Merendam *I. controv. 38.* quò facit potissimùm incerta rerum æstimatio *arg. l. 12. §. 2. rem rat. hab. l. 6. §. 3. de off. Proc. l. 41. de hered. inst. §. ult. J. quib. ex caus. man. non lic.* ubi in similibus *mediam viam*

insti-

instîtere autores Juris. Neque enim permittendum erat, ut per regulam generalem, quæ ad res quotidianas. nec magni adeò pretii, æque pertinebat, contractûs frequentiùs everterentur, si non in enormi quopiam, & quidem juxta communem rerum æstimationem, læsum se esse unus alterve contrahentium ostendere posset; quorum quilibet etiam cautiùs mercari debebat: nec Jus Naturæ omnem inæqualitatem, si necessitas Reipublicæ & natura negotiorum aliter non admittat, ad momentum usque exigi debere, suadet: Ut satis tutum reputare possimus eum in conscientiâ, quem & rerum diversa conditio & indigentiæ, item pretii varietas, solari potest.

IV. Juxta mercatores censeri cupiunt fœneratores, qui pecuniis pro mercede mutuo elocandis suam vitam exercent, quos alii non modò penitus è civitate vellent ejectos, sed & fœnus in universum Juri Naturæ & divino contrarium judicant, quod scil. non damnum penset illatum aut lucrum cessans, nec quod *puniat* (g) debitores frustrantes, sed quod ob solum infligitur quæstum. De Jure Naturæ nobis certum est, id non prohiberi, quatenus *nulla est ratio*, (h) cur non ex pecuniâ meâ lucrum immediatè percipere queam, perinde ac aliis rebus pecuniâ comparatis. Jure divino fundamentum prohibitionis est charitas *, cujus Legibus si possit usura non adversari, dicendum, dari quoque usum ejus non nefarium. Atqui ut ab eo, qui nostrâ pecuniâ in suum commodum utitur, mercedem capiamus, id non repugnat officio charitatis **. Nec audimus τὸν μέγαν à se ipso dissentientem, quando sufficere ait, debere Legem ab Hebræis latam, ne à gentilibus suis capiant usuram; cujus cum honesta sit materia, Christianos quoque per illam obligari, quippe vocatos ad majora virtutum specimina. Nos hoc admisimus pridem in his, quæ merè sunt moralia, licet non necessaria, ut aliàs dictum; ejusmodi autem hoc præceptum esse non videtur, ut *ex conditione* liquet *illius populi*, (i) agrestis & à commerciis alieni, nam idcirco & aliæ gentes versuram interdixerunt, quam alii necessariam experiuntur. Præterea quod morale totum est, id omnibus ex æquo populis congruere oportet, hanc autem de fœnore Legem Deus ipse ad alienigenas noluit extendi. Quatenus autem *Legi dilectionis* (k) adversetur usura, id ex solidâ & infucatâ dijudicatione circumstantiarum, quæ in universum terminari nequeunt, cuique colligendum.

* *Vide omninò Carolum Molinæum tract. de usur. num. 10.*

** *Grotius lib. 2. cap. 12. §. 20. de jure belli & pacis à se ipso dissentiens in lib. 3. manuduct. ad Jus Holland. cap. 10. §. 20. & seqq.*

(*g*) PUNIAT. Atqui usuras *punitorias* reverà non esse distinctas à *compensatoriis*, ex *l. 17. §. 2. h.* alii colligunt. v. Rittersh. *Lib. IV. diff. J. Civ. & Can. cap. 11.* Quid quòd æquitatem *compensatoriæ* usuræ non consistere dicant in compensatione damni; quoniam ratio damni non habeatur in Jure nostro in stipulatione usurarum, sed simpliciter adjudicentur, quòd in *stipulatum* deductæ essent: & deductæ ideò fuerint in stipulatum, quòd creditores damnum rarò ostendere possent. vid. Bach. ad Treutl. *th. 2. de usur.* unde ei, *quod interest*, certus modus præstitutus non reperitur: *l. 24. de re jud.* cùm quidem usurarum modum legibus præscriptum non liceat excedere. *l. 26. C. de usur.* Quicquid tamen sit, distinctio illa recepta in *compensatorias*, *lucratorias*, & *punitorias*, retinenda est. Nam licèt punitoria etiam compenset suô modô, tamen compensatoria vicissim non punit: pœna *moram* respicit, quæ in compensatoria non attenditur, quippe quòd ibi citrà moram usuræ adjudicari debeant. *Lucratorias* autem usuras penitùs & Jus Naturæ & Jus quoque Civile abhorret.

(*h*) NULLA EST RATIO. Quod enim dicitur, 1) mutuum sui natura *gratuitum* esse debere, 2) nummum esse rem *sterilem*, 3) in rebus fungibilibus, & quæ usu statim *consumuntur*, dominium ab usu non distingui, ut adeò pro usu rei, quæ alterius facta est, nil videatur exigi posse: ad hæc satis respondet Pufendorff. *Lib. V. cap. 7. §. 10.*

(*i*) EX CONDITIONE ILLIUS POPULI. Nempe ex forma Reipublicæ illius & conditione ejus seculi: erat enim forma popularis, in quâ opum æqualitatem servari oportuit; hinc leges similes de annô Jubilæo & remissionis, ut & de non alienandis in perpetuum fundis: Deinde populus rem faciebat ex pecuariâ, agricultura & operis manuariis, & (quod Auctor ait) pene alienus erat à mercatura, aut modicâ tamen utebatur: quo in statu nemo mutuum accipit, nisi inopiâ pressus. Conf. *Deut. 28, 12.* Denique lucrandi ardorem illô etiam seculô Deo prævisum idem coercere voluit, ne per eum tenuiores opprimerentur: Cæterùm quâ ratione legem divinam circà usuras in *Exod. 22, 25. Lev. 25, 37.* & *cap. 19, 14. Deut. 20, 19.* Hebræi veteres explicaverint, *Seldenus* latè persecutus est, *Lib. VI. de Jure N. & G. sec. discipl. Hebræor. c. 9.* ex quô sua mutuavit Pufendorffius. *d. c. §. 8. & sq.*

Et ex his colligi omninò potest: legem illam non moralem, sed *forensem* fuisse, ut rectè Kloppenb. *de fænor. cap. 7. & 8.* & Hagen *in cap. 2. de usu usurar.* Quin & Jure *Canon.* usuras tantùm mordaces esse prohibitas, idem *Hagenus* docet *cap. 4.* quanquam certum sit, disputationem *Cameralium*, quæ nempè ante Constit. Imperii, von wucherlichen Contracten, in Camerâ *Spirensi* viguit, latiùs porrectam, & ad quaslibet usuras, non habitâ subjectorum sive personarum distinctione, extensam fuisse: velut apparet, ex *Vol. I. Decis. Meichsneri, Dec. 12. & 13.* Utique enim etiam inter *Canonistas* plerique in universum usuras damnant. vid. Zoes. *ad tit. X. de usur. num. 7. seqq.* Menoch. *II. arb. quæst. 398.* Anton. Fabr. *Lib. IV. C. tit. 24. def. 2.* & ne hodiè quidem in Camerâ usuræ aliter, quàm ex morâ adjudicantur, (nec adeò ex conventione,) quas compensatorias appellamus: Rodingius, *L. III. Pand. Camer. Tit. 6. pag. 525.* nisi quòd remedium huic rei (ne aliàs mutuationes pecuniarum in Republica impedirentur,) in *annuis reditibus*, dem Gülde-Kauf, repertum fuerit, factâ tamen ad quincunces præstationes restrictione; præterquam si majus interesse damni emergentis & lucri cessantis quis probare vellet: ita Stammius, Assessor olim Cameræ Imper. *Lib. I. de servit. personar. Tit. V. cap. 3. num. 11.* & Rulandus *de Commiss. Part. IV. Lib. VI. cap. 6.* Intereà in Judiciis Camerâ inferioribus discrimen ejusmodi non attenditur; quin potiùs in multis locis *semisses* adjudicantur; vel quòd ante Constitut. Imperatoriam ita statutis obtinuerit: siquidem aliter publicæ rei consuli non potuisse, statûs plures, in suis territoriis, adverterint; Vel denique, quòd non tam verbis inhærendum, quàm ad rem ipsam attendendum esse, crederent: quanquam de cætero *Frantzkium* hactenus nemo probaverit, quando in *Lib. I. Resol. I. n. 59. & 62.* annuum reditum, (den Gülde-Kauf) ab usuris reverà non distingui, sed palliatum tantùm mutuum referre asseruit.

(*k*) LEGI DILECTIONIS. Hanc probè evolvit Osiander *ad* Grot. *Lib. II. cap. 12. num. 20.* ubi discernit 1) inter usuram rigorosè dictam, & qualecunque, quod suprà usuram datur; 2) inter homines mutuantes, eorumque indigentiam & paupertatem: per quæ temperat dicta in *1. Joh. III, 17. Matth. V, 42.* & *2. Cor. VIII, 14.* junge Besoldum, in *Tract. de vita & morte hom. cap. 5. n. 7.* Nec putandum

tandum est, in *Veteri Testamento* permissionem respectu alienigenarum tantùm effectum impunitatis, & non etiam jure liciti, habuisse: nam & hoc dubium eximit Osiander *d. loco*; ubi etiam exponit, non modò ad Cananæos, sed quoslibet extrà populum Israeliticum alios, permissionem hanc respexisse; neque etiam in *Novo* testamento majus quid à Christianis exactum esse. Cæterùm quod de usuris dictum est, idem etiam observari debet circà ea, quæ *similia* sunt, ut sunt *antichresis, reditus annuus, cambia*, item *montes pietatis*, de quibus optimè post Moralistas, & qui de *ærario* scripserunt, (ut Bornitium, *l. de ærar. cap. 7.* Klock. *Lib. II. c. 20. n. 5. & 15.* & Pellerum *ibid.*) Harsdörffer im Schau-Platz Lust- und Lehrreicher Geschichte, *cap. 147.* quò non minus etiam *Mohatra* pertinet, seu contractus ille realis, quô aliquis rem carius emit pecuniâ creditâ, & eandem eidem mox viliùs revendit, pecuniâ numeratâ, ut quam mutuò non potuit habere pecuniam, sub his involucris accipiat, v. g cùm ille, qui 10. thaleris indiget, pannos à mercatore emit pretio 30. thalerorum, post annum solvendorum, mox eidem numeratâ pecuniâ 10. thalerorum eos revendit, vid. Ziegler. integrâ *dissert.* de *Mohadra*, cumprimis *§. 29. & 30.* Sed hi modi omnes, & vel *Montes pietatis*, iniquitati & impietati multifariam suppositi sunt, in quibus, ut & Auctor in *§. 4.* hic insinuat, non tam in thesi, quàm hypothesi, & in exemplis injustitia argui potest.

V. Nos utcunque eos, qui artem ὀβολαστικὴν exercent ob necessitatem tolerandos, ita qui fœneratorium toto vitæ instituto artificium exercent, laudandos minimè putamus; quoniam etsi mutuum suâ naturâ gratuitum, non male quandoque fiat usurarium, id tamen extraordinarium juvandique alterius causâ, non promiscuè, ut faciunt mensularii, fieri debet: quemadmodum, etsi bellum sit licitum, non ideò, quibus bellum est ars, idque agunt, ut conducenti cuivis locent operas, vitæ genus justum sequi videntur. Planè qui apud nos trapeziticam exercent, quorum primi è Longobardiâ oriundi nomen gentis professioni dederunt, ne quidem, uti res habet, ferendi in civitate erant, nisi ipsos Magistratus tenerent implicitos; quæ tamen honorifica societas nihil argentariis ultra impunitatem tribuere, neque sane labes Reipublicæ *intrinsecam rei spurcitiem* (*l*) tollere potest.

(*l*) INTRINSECAM REI SPVRCITIEM. Huc pertinet disquisitio, quatenus *emtio spei* in Republica, dum certum pro incerto datur, tolerari possit? & quidem de *sponsionibus*, apud *Stracham, Santernam, Besoldum* in *Thes. pr.* voce Wetten, it. Finckelth. *obs. 33.* Scheffer *I. quæst. 34* junctâ *Reform. Francof.* tit. von Wetten; nec non *de Assecurationibus* & Bodmeriis, integris tractatibus constat, quid negotia in Republicâ licita constituant; sicut non minùs inter ludos hæc differentia habenda est, ut tolerentur, nisi in aleam incidant. Sunt quidem, qui etiam in *chartis* & *tesseris* in victoriam quid poni posse, illicitum non esse tradunt, ut *Dunte* in *Casib. Consc. c. 10. sect. 2. qu. 76.* Balduinus *Lib. IV. cap. 4. cas. 10.* & *Christinæus Vol. I. decis. 195.* alii tamen lucrum in Chartulario lusu & similibus furto accensent, ut Dannhauer. *Part. II. Theol. conscient. pag. 210.* Amesius *L. II. Cas. conscient. cap. 45. n. 13. seqq.* junctô Carpz. *III. crim. quæst. 134. num. 3.* maximè circumstantiis, ratione personarum & quantitatis, concurrentibus. De *Lotteria*, wenn ein ieder was zulegt, und sie alle um dasjenige, so dergestalt bezahlt wird, spielen, quod licita sit, exponit Pufendorf. *Lib. V. cap. 9. §. 6.* Quid autem de *ollis fortunæ*, oder Glücks-Töpffen, habendum est? Posse eas sub certis requisitis in Republica

pub'ica admitti, ex his, quæ tradit Harsdœrffer *cap. 198.* der Lust- und Lehr-reichen Geschichten, colligi potest. Addenda sunt his omnibus, quæ *DD.* commentari solent, ad *l. 5. de naut. fœn.* ubi studiosè explicatur, quidnam dici solent, *in aleam incidere.*

VI. Mercatoribus jure meliori succenturiantur, qui Piscatoriam maximè Oceani, quique mechanicas exercent artes; sed de his Politici habent quod moneant, de illis quod juris est, hoc in loco de Jure maris videbimus.

VII. Milites ordinem in civitate proprium constituere non videntur; utique non, si delectu civium habito identidem bello confecto, ut olim Romæ, dimittantur; tunc enim pars civitatis sunt, non ordo civium peculiaris; neque verò, si perpetuis stipendiis modo in castris, modo in præsidiis habeantur, ut recenti Româ: nam qui tum cives ex illis sunt, manent cives jure priori, alienigenæ mercenario servitio civilis unionis non fiunt participes; proinde nec originariis civibus militare ministerium quicquam juris, quo civilis mutetur character, superaddit: quod verò secus *apud Romanos* (*m*) obtinuerit, id vitium ac pestis, non jus fuit Reipublicæ.

(*m*) APUD ROMANOS. vid. *DD.* ad *l. ult. C. de re milit.* atque comparationem integram militiæ Romanæ cum modernâ apud *Rupert.* in *L. II. ad Val. Max. cap. 3. Differt. 1.* item: An hodiernus militiæ status, stipendiorum expers, cum statu bonæ conscientiæ conciliari queat? *Dannhauer. Part. II. Tom. 1. Dial. 3. Theol. Conscient. quæst. 12.*

VIII. Sed qui studiis honestarum artium exercentur, hi optimo merito civilis ordinis censentur: sunt autem duplicis differentiæ, qui *docendis* tantum eruditis *disciplinis* (*n*) dant operam, & qui faciunt artes, seu praxin earum, ut vulgo, exercent. Qui institutionem scientiamque earum artium profitentur, quibus Ecclesiæ & Civitates reguntur, & utilissimi humano generi & ab omni seculorum memoria honoratissimi fuere; præterquam ubi corruptis moribus præmia virtuti & doctrinæ debita ignaris bonarum artium promiscuè tribuuntur. Qui exercent in civitate disciplinas, hi quod attinet rerum divinarum scientiam alium locum, quam est is, de quo jam loquimur, in Republica tenent, idemque de JCtis in loco videbimus. Medici & Philosophi huc quidem pertinent, sed de juribus illorum vix est, ut *in hac arte universali,* (*o*) materia dicendi occurrat.

(*n*) Do-

(*n*) DOCENDIS DISCIPLINIS. Has omnes ad statum [illegible] *icum* referunt nonnulli: quos recte refellit Walther. *de statu Doctorum*, §. 49. quanquam cum eo tempore, quo Pontifices *Academias* sibi integras, in orbe Christiano, subjicere nitebantur, doctrina illa invaluerit, ut omnes in Academiis viventes *Clericis* annumerarentur. (vid. Conring. *de Antiquitat. Academ.*) Exhinc vestigium aliquod in *titulis* diu remansit, ut Jurium quoque DD. in Cancellariis titulo contracto Er pro Herr, ut olim domnus pro dominus, compellarentur. vid. Barthium *l. IX Advers. 9.* Quod verò ad Ecclesiasticum magis, quam ad politicum, statum Doctorum pertineat, ipse Waltherus largitur, *cap. IX. §. 49.* Cæterum *Doctorum* tantam esse dignitatem *Menochius* tradit cum aliis, *Lib. IV. præsumt. 189. num. 86.* ut ne indignus quidem Doctor fit, cui *comitissa* nubat; nec tamen illustres aut *Comites* esse, etiamsi per vicennium docuerint, ipse tradit, in *Arbitr. quæst. cas. 68. num. 41. & seqq.* Interim *Equitibus* aliquando assimilati fuêre, quæ & ipsa dignitas Equitum *personalis* est, ad instar dignitatis illius litterariæ. vid. R. A. zu Augspurg de anno 1500. ibi: die von Adel, so nicht Ritter oder Doctores sind, junct. Noldio *de Nobilib. c. 3. num. 63. & seqq.* & *cap. 6. num. 27. & 66.* Quid vero de Professoribus, quos Limnæus in *Lib. VIII. Jur. Publ. cap. 3 num 1. Sophistas* à Romanis dictos fuisse, auctoritate *Cujacii* se probasse, putat? vid. omninò Tabor *de metat. pag. 199.* ubi illum eô nomine satis refellit.

(*o*) IN HAC ARTE UNIVERSALI. Quasi non tam videantur statum Reipublicæ sustentare, quàm singulis prospicere, in vitiis corporis & animorum sanandis: Equidem *JCtos* eâ ratione *Medicis* præferri communiter tradunt *DD.* vid. Otton. *ad J. P. p. 635.* & alicubi DD. Juris, Doctoribus Medicinæ, etiamsi hi tales Professores sint, ut Lipsiæ, præferri constat; ex traditis Philippi *ad §. 9. J. de J. N. G. & C.* Unde A. Faber licet ad *tit. 9. Lib. IX. C. Sabaud. def. 4.* & Doctores quoslibet Nobilibus accenseat, Medicos tamen in *def. 9.* nec Nobiles esse, nec ullâ dignitate præditos, ait, excepto unicô Medicô Principis quem quidem ex *l. 1. §. 1. ac var. & extr. cogn.* item *l. 6 & tot. tit C. de Prof. & Med.* aliisque rationibus, satis refutat dictus *Tabor*, in *Arstam.* Parte speciali *de hoplophoria cap. 3. §. 14.* & in *Tr. El. de Metat. pag. 203 & 270.* Pertinet huc disquisitio: num unicè in Rep. Rom. *servi Medicinam* exercuerint? Quod adstruit Dion. *Goth. ad l. 1 §. 1. C. de commun. serv. manum.* Utique per *libertos* non minus eam exercitam fuisse constat ex *l. 25. §. 1. & seq. de oper. libert.* donec Jul. Cæsar Medicos Professores civitate donavit, apud Sveton. *cap. 42.* & Augustus illis immunitatem civilium munerum dedit. Conferend. *Goth. ad l. 5. C de Prof. & Med.* Philosophos quod attinet, cùm honorum & divitiarum contemtum profiteantur, præterquam quod Reipublicæ manum non admoverent, vel tamen non ut Philosophi: (vid. iterum Taborem *d. c. 3. §. 1.* & *de Metat. art. 2. §. 7. pag. 203.*) ideò ad illos, qui collegia publica constituunt, & ordinem civium, Auctor eos non retulit. Denique cùm varia vitæ genera huc pertineant, de *redituariis*, oder denen Renthenirern, notandum est, quòd Balduinus *Lib. II. cap. 1. Casuum Consc.* nisi inhabiles sint ad suscipienda officia & munera publica, eos conscientiæ suæ non rectè consulere, doceat. De *Canonicis* an status eorum talis sit, in quo vitæ tabernaculum figendum & consenescendum sit, *Danhauerus* expedit, ipse membrum Collegii Canonici Argentoratensis, in *Tom. I. Theol. Conscient. P. 2. Dist. 3. quæst. 6. pag. 713.*

CAPUT VIII.

De Universitatibus Personarum.

ARGUMENTUM.

Post singulos, corpora hominum consideranda & Universitates. Definitio illarum difficilis, tentatur tamen, ut & divisio, quod vel singulæ personæ vel integræ in eas familiæ

cum

cum omnibus rebus conveniant. Definitio alia & accuratior Universitatis ejusque exegesis. De effectu Juris Universitatibus competentis, ubi & de Academiis & Jurisdictione illarum. Esse & Ecclesias Universitates suo sensu, qui explicatur.

I.

QUæ adhuc dicta ſunt, ea ſingulis ferè civibus conveniunt; plerumque autem & plures perſonæ vel familiæ communis utilitatis causâ in unum conveniunt, quæ corpora ſive univerſitates dicuntur.

II. Quid ſit univerſitas, difficile dictu eſt, prope ut hic illud uſu veniat ὃ δεῖ παντὸς ἔργου ζητεῖν, nam quia diverſiſſimæ Univerſitates ſunt naturæ, definitio ægrè, omnibus quæ conveniat, dari poteſt. Fortè facilius negante, quam ajente ſenſu; Univerſitas *eſt Multitudo* (*a*) communis utilitatis cauſa certo ordine regiminis ſociata, quæ nec ſit familia neque Reſpublica. Nam quia verba definitionis his quoque conveniunt, nec tamen hæ Univerſitates ſunt hujus generis, nominatim ſeparandæ videntur; deficientibus verbis, quibus aliter diſtinctio illa colligi poſſit, niſi quid fortè ſtatim melius occurrat.

(*a*) EST MVLTITVDO. Rectiùs quàm *Caſtrenſis, ad L.3. Quod cujusque univerſitatis nom.* quod ſit perſona myſtica, ex pluribus perſonis ſingularibus conſtans: nam *perſona* in jure noſtro univerſitati opponitur: *l.9. §.1. quod m.c.* nec ſtatutum, quod de perſona loquitur, ad univerſitatem extendi poteſt; Homo etiam non eſt univerſitas, & perinde in cauſa univerſitatis unus poteſt eſſe teſtis *c.5. X. de teſtibus;* Et ſi arbiter pronunciaverit, incolas in illa univerſitate hôc vel illô jure uti: eos hoc pronunciatum etiam adjuvat, quod eô tempore non fuere in univerſitate: per *l.7. §.f. d.t.* Porrò cives ſinguli non poſſunt pro debito civitatis arreſtari. *Berlichius I. concl.52.* Non obſtat, quòd univerſitas poſſit condere leges, quibus bona civium ſingulorum obligentur. Ergo etiam inire ejusmodi contractus. Reſp. poſſe utique Leges fieri ad defenſionem bonorum, nam hanc omnes expetunt; non verò ad alienationem, niſi ex dominio eminenti: neque leges fiunt contrà ſingulos, ſed contrà omnes. Hinc contractus non poteſt obligare omnes & ſingulos? *l.37. de priv. Cred.* nec liberatio univerſitatis prodeſt ſingulis, nec procurator univerſitatis negotia privatorum obire poteſt. Ex quibus patet, definitionem *Caſtrenſis* quoad Genus multis inſtantiis obnoxiam eſſe: cùm non ſit per omnia idem, univerſitas, & perſona, ex quibus illa componitur: nam univerſitas unum per accidens denotat, & poteſt perdurare, licèt nemo ex ſingulis ſuperſit. Simile eſt in flumine, quod idem manet, quamvis alia atque alia aqua fluat, nec non in legione & militibus, in populo & civibus, in judicio & judicibus: nimirum plura individua ad inſtar materiæ habent, formalis autem ratio eſt, conceptus omnibus illis individuis, etiam ſuccedaneis, communis, ab intellectu formatus, ſecundum quem ſinguli plures unum quid intellectui repræſentant. Non eſt univerſitas, niſi hominum collectio, in unum corpus, abſtractivè ſumtum, ſed non homines collectivè ſumti: vel, eſt multitudo iisdem juribus ſociata, & quidem in uno loco; quâ ratione *Provincia* non eſt univerſitas. Pleniùs & ſatis accuratè Auctor *in §.5. infrà.* nam Brüning. *de jur. univerſit.* extrâ oleas vagatur, ut ne quidem definitionem ſuppeditet.

III. Partimur Univerſitates, quod vel perſonæ ſingulæ vel integræ

tegræ familiæ cum omnibus ſuis rebus conveniant. *Corpora*, (*b*) quæ perſonali tantum unione conſtant, propter uſus aut civiles aut ſacros congregantur. Illæ vel ob mechanicas artes, vel ſtudia bonarum artium haberi ſolent: ſuntque collegia artificum & rurſus Academiæ; nam Scholæ & Gymnaſia per ſe Univerſitates non ſunt, quia nullo regimine civili continentur. Quæ ob ſacra congregantur univerſitates, Eccleſiæ dicuntur, quæ utcunque à Republica ſeparatæ ſunt, membra tamen civitatis negari eſſe nequeunt. Univerſitates, quæ non modò perſonas, ſed & familias domosque complectuntur, ſunt vici, pagi, oppida ſeu municipia, territoria, provinciæ & ſimiles.

(*b*) CORPORA. Quòd Corpus differat à Collegio, Wiſſenbach expoſuit *ad l. 85. de V. S.* Eſt autem *Collegium* non niſi trium. Puſend. *VII. c. 2. §. 19.* Non obſtat, quòd *duo* Conſules *collegæ* dicantur; multum enim intereſt, an collegam appelles, *corporis* intuitu, an *poteſtatis*.

IV. De his omnibus in genere ſtatuendum, Nullas jure conſtitutas videri univerſitates, nec ullas omninò tolerandas, niſi quæ ab eo, qui ſummam habet poteſtatem, aut ſi minoris momenti ſint, ab his, qui delegatam à Principe habent poteſtatem, probatæ vel confirmatæ ſint. Ratio eſt, quia prætextu collegiorum fundamenta ſeditionum ſtabiliri poſſunt, præter quod nihil in civitate majoris momenti, quam à ſumma poteſtate conſtitui queat; nec quicquam facile pluris, quam civium conſociationes, in civitate occurrit. Unde haud immeritò criminis extra ordinem rei ſunt, qui ἑταιρείας ſodalitia, collegia formaverint, ut non magis *Jure Romano* (*c*) receptum, quam Univerſali Jure Publico ſtatuendum eſt. Quo facit, quod in variis civitatibus maximè, ubi fundamentum Imperii eſt Democraticum Univerſitates civium *quaſi uſum habent curiarum*, (*d*) ut olim populus Romanus in XXX curias diviſus de publicis rebus conſulebatur.

(*c*) JURE ROMANO. Vid. integr. *tit. ff. de colleg. & corp. illic.* additô de conventibus collegiorum, quem modum capere debeant, *Mevio* in *Lib. IV. ad Jus Lub. tit. 3. num. 17. & ſeqq.*

(*d*) QUASI USUM HABENT CURIARUM. Ut 30. curiæ efficiebant *curiata*, ita Centuriæ *Centuriata*, tribus tributa Comitia, efficiebant, *curiata* ex generibus omnium conſtabant, *centuriata* ex cenſu & ætate; quam *cenſûs* rationem & *centurias* civium Romanorum optimè exponit *Boxhornius Diſſert. VI. de Imp. Rom. §. 6.* *Tributa* verò, quando ex regionibus & locis ſuffragia ferebantur, Roſinus totô *Lib. VI. de antiquit. Rom.* itemque Sigonius *Lib. III. de antiquit. Jur. Provinc. cap. 1.*

V. Forſitan ex his omnibus definiri poteſt concinnius quàm

modò

modò Univerſitas, Cœtus ſubditorum ſub certo regimine permiſſu ſummæ poteſtatis ad utilitatem communem ſociatus. *Cœtum* dicimus, quia ipſum corpus civium pro univerſitate habemus; iterùm ſpreta eorum ſubtilitate, qui *formam moderationis* (*e*) propriè loco generis collocatam vellent. Numerus ſociatorum variè ſe habere poteſt, minimus omnium, à quo initium capere poſſit Univerſitas, habetur trium perſonarum. *Subditorum* non civium, ſiquidem & advenarum temporaria poſſunt eſſe collegia & univerſitates, ut mercatorum, ſtudioſorum, denique Eccleſiæ. *Sub certo regimine*; his verbis conſtat differentia à ſocietatibus, quæ non raro pro univerſitatibus fallunt, quales Romæ Publicanorum hodieque Mercatorum: enimverò nomina nequem decipiant, tenendum ſocietates ſæpe dici, quæ ſunt maximè Univerſitates, ut Indicæ apud Belgas. *Permiſſu ſummæ poteſtatis*, plerumque immediatè, aliquando *per Magiſtratus.* (*f*) Sic autem à familiâ diſcernitur univerſitas, quæ non eget conſenſu publico, ſimul à civitate; cujus anima eſt ſumma poteſtas, nec ante civitatem exiſtit; at quod permiſſu ſupremæ poteſtatis fit, hoc eam præexiſtere ſupponit. Denique hæc verba, exercitus terreſtres & maritimos, etiam ſingulas naves bellicas, ſeparat ab Univerſitatibus, quia non permiſſu, ſed nomine & juſſu ſummæ poteſtatis inque ejus commodum immediatè ſociantur. *Ad communem utilitatem*; Finis in omni legitimâ univerſitate neceſſarius; vox *communem* recipit duplicem ſenſum, pro communi coëuntium & pro civitatis communi, id eſt, publico bono. Utrumque requiritur; neque enim aliter ab Imperantibus corpora permittuntur. Meritò igitur Romani Principes vetuerunt eſſe ἑταιρίας, *ſodalitia*, in quibus commeſſandi potiſſimum gratiâ homines conveniunt, meritòque in Academiis Belgicis abolita ſunt Collegia Studioſorum Nationalia, quæ finem præcipuum ſympoſia publicæque diſciplinæ everſionem habebant.

(*e*) FORMAM MODERATIONIS. Pertinent huc ea, quæ *ſuperiùs* notata ſunt, dum rempublicam à civitate diſtingui nollet Autor.

(*f*) PER MAGISTRATUS. An autem civitates municipales jus collegii dare poſſint, quæritur? Affirmatum eſt, ſi ita privilegio aut obſervantiâ obtinuerit, Mevius *IV. Dec. 301.* nec tamen ſi collegium everſum vel extinctum ſit, idem ſinè venia Principis reſtaurari poteſt. Idem *IV. dec. 378.*

VI. Regiminis univerſitati quantum ad cujusque moderationem ſatis

ſatis eſt, nec ultra conceditur, ut quam minimum publicæ autoritatis vigori decedat. Hinc Collegia artificum & Mercatorum habent *notionem cauſarum* (g) ad inſtitutum ſuum ſpectantium & mulctæ dictionem, Imperium tamen ſive facultatem exequendi regulariter non habent, niſi foris, ubi manu publica adjuvari non poſſunt, agant, ut in longinquis navigationibus, ubi & Meri Imperii exercitio privatis ſocietatibus concedi ſolet. Jus etiam habent *condendi ſtatuta* (h) profeſſioni ſuæ convenientia, dum ne aliquid ex publico jure corrumpant, aut aliorum commodis adverſentur, veluti, quæ ad monopolia ſpectant; quibus accenſetur, ſi artifices ſtatuant, ne opus ab alio inchoatum alter abſolvat, aut plus nomine pretii vel mercedis exigant *, quam Lex vel conſuetudo permittant, quæque ſimilia lucri ſacra fames hominibus ſuggerere ſolet. Aliquando tamen è Republica eſt, ut monopolii quoddam genus certis collegiis permittatur, cùm varias ob cauſas, de quibus politici, tùm ideò, quod majori opus ſit concordiâ potentiaque ad ſtabiliendam mercaturam, quod magno cum fructu in ſocietate Indicana apud Belgas factum.

* *Vid. Tit. Cod. de Monopoliis & conventu negotiatorum illicito vel artificio ergolaborum & pactionibus illicitis.*

(g) NOTIONEM CAVSARVM. Eſt communis doctrina, quòd collegiis opificum Jurisdictio competat, & quidem per *l. ult. C. de Jurisdict. om. Jud.* ita Knipſch. tradit *Lib. V. de Jur. Civ. Imp.* Carpz. *Part. II. C. 6. def. 9.* Verùm in *L.* illa *ult.* nil aliud habetur, quàm quòd is, qui eſt de collegio aliquo licito, *judicem* peculiarem habente, poſſit ibidem conveniri, de negotio *ad collegium* pertinente, ut tamen *præventioni* coram ordinario locus ſit: Quòd verò collegiis *judicem* ſibi propriâ autoritate eligere liceat, illud in ea conſtitutione non habetur; ut adeò rem rectè reſtringat Auctor ad *notionem* ſimplicem, quam tamen ab eo, qui ſuperioritatem in loco habet, opificibus conceſſam eſſe oportet, vel ſaltim obſervantiâ firmatam: ut *mulctas* ſæpè dicant, non tam ex jure poteſtatis, quàm jure conventionis & placiti.

(h) STATVTA CONDENDI. Condunt etiam ſtatuta multò magis *collegia honorata*, quo pertinet *Jus equeſtre* das Ritter-Recht, multis locis. vid. Mevium, *II. Dec. 355.* it. *Facultatum* in Academiis, & quidem ſtatuta ejusmodi non minùs *contractûs* jure regulariter valent. *d. l. fin. cod.* & *l. 2. §. f. C. de conſtit. pecun.* ut collegia exhinc non de aliis rebus, quàm quæ conventionibus & placitis ipſorum ſubjacent, ſtatuere poſſint; Neque illa alios extrà collegium obligent, atque adeò, non virtute obedientiæ, ſed *fidei* membra collegiorum ex illis obligentur; niſi etiam facultatem ſtatuendi pro commodo collegii ſui à ſuperiore acceperint: quale quid *Facultatibus* in academiis plerumque tribuitur; nam ita etiam alii extra collegium, qui certâ ratione ſubſunt facultatibus illis, ſtatutis ejusmodi tenentur; Quod vero Opifices concernit, illis hodiè vix tribuitur, arbitrium ſtatuendi, quin potiùs ad ſtatutorum ab illis validitatem *ſuperioris* confirmatio plerumque exigitur. Richter. *II. Dec. 80.* Carpzov. *I. Reſponſ. 48.* Hermes in *Faſcic. Jur. Publ. cap. 35. n.* . Et undè, ubi confirmatio non deſideratur, ibi à ſtatuto iniquo appellatio permiſſa eſt, de quâ vid. Mevium V. *Dec. 15. 171. & VI. Dec. 73. & 217.* Cæterum An Magiſtratus Provincialis

cialis de tribuum privilegiis quid mutare possit, an cogere opifices ad operam præstandam, an inspectionem & quam habeat in tribus opificum? exactè tradit Victor. *Sect. III. Dec. 3. & 4.* ubi simul plura habet de statutis opificum, v. g. an justum sit statutum, quò quis filiam opificis ducere tenetur, ut membrum collegii fiat; item ut oporteat lanificii artem didicisse, si cum lana negotiari velit, ut tantùm indigenis opificibus uti teneamur: plura etiam ibidem cumulat, de his, qui justè à tribubus excludi possint, & an in duabus quis possit tolerari. Quod verò statuta *monopolium* foventia attinet: de iis, & quæ pro talibus habenda sint? vid. Mevium *Lib. IV. ad Jus Lübec. tit. 13. art. 3. num. 39.* & in *addit.* juvat. Colleg. Argentor. *ad tit. de Colleg. & Corp. illic. thes. 11.*

VII. Ejusmodi universitates quatenus suum corpus extra fines civitatis, cui sunt subjectæ, extendunt, habent se instar Reipublicæ subordinatæ, omnes Imperii actus velut in civitate exercentes, qui tamen infirmari ob iniquitatem & prohiberi possunt. Unde summa potestas nullo modo illis adscribi debet.

VIII. Illustres Scholæ olim non erant universitates; sed ante aliquot secula factæ sunt, datâ illis jurisdictione in Studiosos, qui foro civili & ordinario per omnem Europam ferè sunt exempti, alioqui multitudo docentium discentiumque per se non est Universitas. Sunt tamen Academiæ, quibus notio de rebus studiorum duntaxat tributa est, quæ & sufficere videtur ad regimen universitati constituendæ necessarium, ut in collegiis artium mechanicarum. Ast dignitas liberalium scientiarum præ vulgo aliquid etiam externi decoris postulat; præsertim, quia imperiti & profani literarum, sæpe insolenti odio erga divinarum artium cultores feruntur, quorum scientia totus illuminatur mundus & ad obediendum Deo ac potestatibus vita subjectorum informatur, ut prædicat de illis fortissimus Imperator. *

* *In auth. habita. Cod. ne filius pro patre.*

IX. Habent igitur Academiæ *jurisdictionem*, (*i*) consequenter & Imperium quod mixtum vocatur & in executione ac modica coërcitione consistit, sine quâ juventus, hac præsertim morum ætate, in officio contineri non potest. Cum jurisdictione habent & omnia Academiæ, quæ magistratus aliarum Universitatum & urbium in suis exercent, quatenus usum inveniunt; Proinde Magistratus oppidorum, in quibus sunt Academiæ nihil juris ulla ex parte in cives Academicos exercere possunt, non magis quam in alterius civitatis incolas. Nam quod in hos nihil possunt, non facit mœnium sed jurisdictionis diver-

diverſitas, quæ non minus inter Academiam & urbem ſui ſitus diverſa eſt, quam inter urbes ſitus diverſi. Proinde ineptos ſe admodum præbent, qui jurisdictionem ideò non competere Academiis cavillantur, quod territorium non habeant; quippe cum nihil ſit clarius, quam jurisdictionem univerſitati, quæ ex hominibus conſtat, adſcribi, non glebis & ſilicibus. Merum Imperium, ſive jurisdictio criminalis, quam vocant, haud aliter ad Academias pertinet, quam ſi diſerte à ſummâ poteſtate conceſſa ſit, ratione in loco reddenda. Cujus autoritas in univerſitatibus ſtudiorum eò magis neceſſaria eſt, quod jus conferendi honores artium ſupremos ſit ex minoribus Majeſtatis, quâ causâ honorati in Academiis ad uſum & praxin doctrinarum in omnibus Reipubl. partibus admittuntur. Scholæ tamen illuſtriores hoc jure deſtitutæ, generali ſenſu univerſitates non malè appellantur, quatenus notione aliqua de rebus ad profeſſionem ſuam ſpectantibus non carent; ſumptâ tamen per excellentiam univerſitate, ut fit, hac appellatione non gaudent. Tentari poterat, Academias quæ nihilo plus jurisdictionis habent, etſi honores ſummos largiantur, nihilò magis eſſe Univerſitates, ni ſecus ferat uſus popularis, quo privilegium dandi literarios honores potiſſimum ſpectatur. Quâ in re certum eſt, non advertendum cujus impenſis Academiæ habeantur, ſed quis jura legesque dederit: in quo ſufficit ſolo eſſe poteſtatem ſummam, licet ille, qui fert ſumptus, alii ſit ſubjectus. Jurisdictionem Academiæ eſſe penes Rectorem & reliquos juventutis Magiſtros ab Friderico Cæſare conſtitutum & ubique receptum eſt, de reliquo regimine, quod eſt peculiare Academiis, ſuperſedebimus; locus communis erit *infrà* de jurisdictione.

(i) JVRISDICTIONEM. Quid verò quòd *relegatio* Academiis competat? Equidem relegatio ad merum ſpectat imperium; ſed non eſt ejus generis relegatio Academica, indeque ad inferiorem ſive baſſam Jurisdictionem rectiùs refertur; ceu ex causâ patet, quia vix ob alia delicta infligi ſolet, quàm quæ moribus noſtris ad imperium mixtum ſeu *inferiorem* Jurisdictionem pertinent; & plerisque locis Academiæ *cognitione* ſolùm pollent, num cauſa *criminalis* ſit nec ne? quô cognitô, ad judicem *mero* imperio præditum, criminoſus ſi quis fuerit, remittitur: quocircà etiam minùs rectè Arumæus & cæteri arguunt, Academiæ imperium merum *minùs plenum* competere; cum tali imperio ne quidem jure Juſtinianeô gaviſæ fuerint, neque illud ex *Auth. Habita.* extrui poſſit: ex qua non meliori cum ſucceſſu alii defendunt quòd ſtudioſus actor reum, *ad forum ſuum trahere* poſſit. Neque enim hoc *cit. Auth.* ingerit; quanquam privilegiô ejusmodi Academiæ *Lovanienſis* & *Leidenſis* gaudeant, de quibus *alibi* pleniùs. Eòque pertinet, quum Autor ſuper Jurisdictione Academiæ *Franeckeranæ* cum Cornelio *van Eck*, tum temporis Collegâ ejus, habuit disceptatio.

Quan-

Quantum verò ad Magistratus *oppidorum* pertinet, licèt in personalibus omnes eos, qui de Academia sunt, Jurisdictioni ipsorum exemtos esse constet; tamen quod *realia* concernit, Jurisdictionem sibi plerumque in bona ipsorum, ſo burgerlich ſind, vindicare solent, contrà quam assertionem integram facit consilium in calce consiliorum *Brunnemanni*, & quæ *Cothmanna* in Respons. Academ. pro immunitate Professorum plenè tractavit.

X. Ecclesias quoque inter Universitates posuimus, non eo sensu quo Johannes Hus * rectissimè dicebat, Ecclesiam esse Universitatem prædestinatorum, neque ita cum quemlibet cœtum qui communionis sacræ causâ, quovis tempore habetur, hoc nomine appellamus. Sed multitudinem credentium Deo, quæ certo loco publicum & stabilem religionis cultum exercet, *rectè Universitatem dici* (*k*) arbitramur, quia definitio superius collocata perspicuè illis convenit. Est enim quævis Ecclesia *cœtus subditorum*, tam civium, quales plurimùm, quam advenarum & peregrinorum. Habetur *communis utilitatis* gratiâ, quam nos in definitione ad commoda, quæ pecuniariam habent rationem non restrinximus, cum & diversam Academiæ habeant. *Permissu* quoque *summæ potestatis* institui debent Ecclesiæ ut sint Universitates; nam etsi conventus sacrorum causâ, invitis Imperantibus celebrari possint, universitates tamen cum ullo effectu juris civilis non sunt. Exempli causâ: nullus cœtus potest habere jus & effectus personæ competentes, nisi aliqua civili unione constet; non potest res acquirere; non vindicare suum jus, non stare in judicio, nisi permissu civilis Imperii stabilitus; addo, & probatus sit; talis enim hæc esse debet permissio. Ecclesiæ igitur prohibitæ non sunt universitates ex ratione juris publici, nec proinde hereditates aut legata relicta capere, non emere, conducere ullave commercia exercere, multò minus in judiciô stare possunt.

* *Testatur id de Johanne Husso Martinus Lutherus Wormatiæ apud Sleidanum lib. 3.*

(*k*) RECTE UNIVERSITATEM DICI. Non hic accipitur *Ecclesia* in sensu sacro, pro cœtu vocatorum ad regnum Dei, ùt *Psalm. XLVIII. & LXXXVII. 1. Pet. II. 1. Tim. III. Actor. VI. 9.* & multis *locis*, nec etiam in significatu *forensi* pro quâlibet concione; sed potius, pro corpore quopiam, quod ex personis constat; certis juribus unitis ad hoc, ut cultus Dei in Republica conservetur, certis ad hoc facultatibus & patrimonio instructo. De hoc corpore olim dubitabatur, num id heres institui & legata capere posset? siquidem pro personis *incertis* habebatur. vid. *DD. ad tit. C. de person. incert.* & cumprimis Strauchium *integr. dissert.* præcipuè §. 6. & *seqq. cap. 6.* ubi rationem *prohibitionis* collocat in eo, quòd hereditatem *cernere* non potuerit, sive facere, ut viderint alii, ipsam esse heredem. At verò jus hoc immutatum esse, jam tempore *Marci Imperatoris* in Mancipibus, & dehinc in aliis collegiis & corporibus licitis, ex *l. 20. de reb. dub.* constat. *Christianorum*

tamen

tamen Ecclesiæ, æquè ac *Judaeorum*, nondum relinquere quid licuisse per *l. 1. C. de Jud.* constitutum est; donec per *Constantinum* pax Ecclesiæ *Christianorum* affulserit, sub annum Domini 312. vid. *l. 1. de SS. Eccles. l. 4. & 27. C. de Ep. & Cler.* Et tamen *singulis* Judæis, singulis item Christianis, legata relinqui, & iidem heredes instituí potuerant. vid. Finckelth. *O. XXIV. num. 23.* & Wissenbach. *Disput. ad Inst. th. 10.* Quod verò *collegiò* herede institutô, *universum* institutum esse censeatur, in dubio, non *singuli* de collegio, ostendit Richterus *Dec. 37. n. 25. seq.* etiamsi verbis *concretis* institutio facta fuisset. v. g. civibus, Professoribus, ministris Ecclesiæ si quid relinquatur.

XI. Quæri potest, an hoc ejusmodi Ecclesiis tribui debeat, quæ publicè tolerantur, cultumque suum libere profitentur & in corpora conveniunt, improbantur tamen & pro hæreticis aut schismaticis ab his qui civitati præsunt habentur. Dicendum, illis hactenus jura personarum videri concessa, quatenus ad exercitium liberi cultus necessariò requiritur, non etiam in illis, quæ ad τὸ εὖ εἶναι, ad meliorem faciendam conditionem pertinent; Possunt igitur emere, conducere domos in quibus conveniant, in quibus suos ministros collocent, aut fundos reditusque alios, ex quibus impensæ necessariæ redundent comparare; atque in his similibusque habebunt legitimam in judicio standi personam, omnibusque legum beneficiis fruentur. Non idem in lucrativis, ut hæreditatibus legatisque vel aliis rebus, quæ ad amplificandam rem illarum faciunt statuendum, quia quatenus non apparet eas veniam accepisse, nihilo secus ac illicita collegia considerantur.

XII. Alia res est cum Ecclesiis, quæ per modum conventionis receptæ & stabilitæ perque omnia juris publici communione donatæ sunt, ut non modo *tres Religiones* (*l*) in Germania, sed & Reformati in Galliis Edicto Nannetico.

(*l*) TRES RELIGIONES. Nunc quidem per *Instrumentum pacis:* nam licet *Reformati* ante tempora Pacis Monasteriensis confessionem suam non esse aliam defenderent, quam quæ Carolo V. Imperatori in Comitiis *Augustanis* anno 1530. à *Protestantibus* oblata fuerat; tamen contrarium acriter defenderunt Theologi *Hassiæ* superioris, in controversia *successionis Hassiacæ*, utriusque lineæ Darmstadiensis & Cassellanæ, cumprimis in der Gründlichen Deduction derer Theologorum *Darmstadiensium*, & hanc subsecutâ Widerlegung, quæ autorem habet Johannem Dietericum, Conradi Ulmensis fratrem Germanum. Quoad *Reformatos* in *Galliis*, primum firmamentum religio & doctrina ipsorum cœpit, post colloquium Possiacenum, annô 1561. tempore *Caroli IIX.* Regis, cui *Beza* interfuit. Tunc enim Carolô adhuc sub tutoribus vivente, pax dissidenti Galliæ reddita est, per Decretum, quod vocant *Januarii*, quô Reformatis Ecclesiis, quarum præcipuam *Genevæ* in Sabaudiâ Taurellus, Viretus & Calvinus adornaverant, Exercitium permissum est; sed insecuta sunt deinceps acria bella, *Guisiis* Pontificiis adversus *Condæum*, Reformatæ religionis assertorem, insurgentibus, quos *nuptiæ* illæ *Parisienses*; (seu laniena potiùs,) subsecutæ sunt; donec lætior sors Reformatis sub *Henrico III & IV.* affulgeret, & quidem ab Henrico IV. *Hugonotis* libertas religionis, Edicto

Nanne-

Nannetensi confirmata fuerit: utrôque tamen ob hoc, immissis successivè Papæorum sicariis miserè interemptô. Post hæc enim sub regimine Cardinalis *Richelii* privilegia hæc Reformatorum iterum concussa sunt, factô initiô, à *Bernensi* Ducatu, à quo totos jam 60. annos Papismus prorsus exulaverat: nec tamen *Richelius* religionem tàm respiciebat, quàm ut provinciam hactenùs à regno Galliæ separatam, Galliæ legibus reduniret; quod exemplum metuentes, reliqui *Hugonotæ*, sic dicti ab anno 1560. quòd Turoni ad portam Hugonis convenire solerent, *Rupellis* coierunt, ibique fœdere sancitô, & in partes vocatô *Jacobo* Britanniæ Rege, arma contrà Regem suum sumserunt; donec tandem Rupella, post diutinam obsessionem anno 1629. cùm prima defectio in annum 1621. incidisset, fracta est: subsecuta tempora & *persecutiones*, maximè verò *ejectionem* Reformatorum nostris temporibus à Ludovico XIV. Annales loquautur.

XIII. Atque hæc obiter; Ultimum, quod in definitione Universitatis Ecclesiæ applicandum, est, *regimen certum*, quod in omni Ecclesiastico cœtu haberi nemo ignorat. Quanquam autem quod ad exercitium *potestatis clavium* (*m*) spectat regimen, Imperio non subjacet, tamen non executio modò sine ope extraordinaria Potestatis civilis fieri nequit, sed nec ordinaria administratio, quæ per modum judiciali similem debet fieri, aliter quam externi juris adeoque dependens ab Imperio potest censeri.

(*m*) POTESTATIS CLAVIUM. *Claves* solius Christi sunt in *Apocal. I. 18. Ecclesia* clavium œconoma est ac ministra: *Matth. XIX*, & quia Magistratus nobilior pars est Ecclesiæ, & facultas *excommunicandi* fori *exterioris* disciplinam respicit; hinc ad potestatem secularem exercitium istud clavium non minùs pertinet. Reinking. *III. de Regim. Sec. & Eccl. class. 2. c. 2. n. 30.* Grot. de *Imperiô Summar. Potestat. circa Sacra p. 237.* Ex quo patet, Ecclesiam alio sensu in *dictô cap. XIX.* accipi, quàm in tractatione, quam Auctor hic suscepit, adeoque pro integro cœtu fidelium & statu triplici, œconomicô, politicô, & Ecclesiasticô.

XIV. Planè omnis hierarchia sive gubernatio Ecclesiarum, quæ jure divino præscripta non est, haud aliter quam Imperii summi permissu constare potest, ut præcedente libro collocavimus. Unde sequitur, omnia corpora Ecclesiastica esse Universitates suo modo civiles (nam & aliter civilibus opponuntur) quia civiles personarum habent effectus in rebus acquirendis, in causis judicio persequendis vel suscipiendis, denique in omnibus, quæ non ad intrinsecum jus sacrorum à DEO præscripta sunt. Ita quod apud nos à consistoriis ad classes, à classibus ad Synodos aut prius ad eorum Legatos provocetur, hoc civile esse apparet, siquidem ultima provocatio ad summam potestatem fieri debet, cui proinde inferiores appellatos, fuisse oportet, qua tales, subordinatos. Hoc eodem modo se habere in vetustâ subordinatione presbyterorum aliorumque inferiorum sub episcopis, archiepisco-

piſcopis ſeu metropolitanis, denique patriarchis, ſive, ut latini, ſub primatibus, notum; fideque hiſtoriæ teſtatum eſt, Imperatores ultimam manum Eccleſiaſticis impoſuiſſe controverſiis. Aſt ubi Romanus obtinuit Pontifex, ut ad ſe ultima fieret Provocatio, per hoc ipſum non modo ſibi jus Principum arrogavit, ſed univerſum quoque ordinem Eccleſiaſticum Imperio & Reipublicæ ſubduxit. Unde palàm eſt, ubi Papa non regnat, ibi Eccleſias rectè dici Univerſitates civiles.

CAPVT IX.

De
Univerſitatibus Familiarum.

ARGVMENTVM.

Vicos & cohabitationes, quæ nullo peculiari regimine continentur, non eſſe Univerſitates. Urbes diſtingui in metropoles & inferiores, haſque vel ſubjectione vel reverentiâ, quæ videantur, nec tamen ſint metropoles. De territorio & de provinciâ: non omnes univerſitates videri. Neque Collegia Magiſtratuum aut Judicum. An & quatenus ex facto vel contractu rectorum univerſitates teneantur.

I.

QUæ fuerunt Univerſitates, quanquam ſine rebus non habentur, per ſe tamen perſonales ſunt, aliæ ex familiis cohabitandi cauſâ inſtituuntur, ut pagi, territoria, oppida, provinciæ &c. De quibus id ex definitione pridem poſitâ tenendum, quod non aliter ſint univerſitates, quam ſi aliquo regimine peculiari contineantur.

II. Hinc vici, in quibus nihil eſt quam vicinitas incolarum, ſine ullo magiſtratu vel rectore proprio, non ſunt univerſitates, etſi *res quaſdam habeant communes* (*a*) earumque reſpectu agere & conveniri poſſint, ut perſonæ; nam hoc de omnibus qui rem habent communem ſeu cum ſeu ſine ſocietate juris eſt notiſſimi. Atque in hoc differunt à vicis pagi (mittimus hic ſignificationem, quâ integra territoria pagi dicuntur) quod certo regendi ordine conſiſtant, ſeu per unum rectorem vel paucos aut totius ſuffragatione plebis. Idem evidentius in urbibus, quæ abſque regimine vix unquam fuere, liquet, tametſi exemplum *Capuæ* extet *Romanis deditæ*, (*b*) &, in pœnam defectionis

ad Hannibalem, omni facie civitatis privatæ ac diſſolutæ, ut nihil quo dici poſſet Univerſitas retineret *.

* *Vid. Liv. lib. 26.*

(*a*) Res qvasdam habent commvnes. Hinc facilè apparet, cur plures ſocii *Syndicum* non poſſint dici conſtituere; *arg. l. 28. commun. div.* Lauterb. *Exerc. IV. concl. forenſ. n. 14* & tamen pagus Syndicum conſtituere poſſit; licèt non habeat corpus præſidens, ùt civitas: videlicet pagus certô & perpetuô regendi ordine, eôque publicè, conſtat, & aliàs quoque univerſitates tantùm aliquæ per conſilium regens gubernantur, *l. 3. quod cujusque univerſ. nomine*; reliquæ verò reguntur communi omnium conſenſu, ſeu ut Autor loquitur, totius ſuffragatione plebis. Ubi autem conſilium regens reperitur, ibi iterum diſcernendum eſt, ut alia ſit conditio univerſitatis, quæ per modum Ariſtocratiæ, alia quæ per modum Democratiæ regitur, ùt *infrà* patebit.

(*b*) Capvæ romanis deditæ. Vid. Florum & Commentatores in *Lib. II. c. 6.*

III. Diſtingui ſolent urbes in *metropoles* (*c*) & inferiores, hæ autem vel ſubjectione vel reverentiâ: minores ſubjectione dicuntur, quando ſumma poteſtas aut originale duntaxat Imperii jus eſt penes metropolitanos, ut Romæ, Venetiis, apud *Florentinos.* (*d*) Reverentia, cum reliqua oppida comiter obſervant metropoleos dignitatem, ut coloniæ Græcorum & fœderatæ civitates Athenienſium ac Spartanorum, quæ ſub ducatu quidem, at ſub Imperio nequaquam tenebantur. Falluntur autem, qui metropoles appellant omnes magnitudine aut opibus præcellentes, vel eas, in quibus principes ſummave Reip. collegia ſuas habent ſedes, ut Lutetia in Pariſiis, Londinum, Amſtelodamum aliæque ſimiles.

(*c*) Vrbes in metropoles. Conditionem *Metropoleos* & differentiam diligenter excuſſit Strauchius *in Beryto c. 3.* qui ſimul etiam in *cap. 2.* conditionem *coloniarum* diſtinctè exhibet.

(*d*) Apvd florentinos. Nam Ducatûs *Florentini* fundamenta in *urbe* Florentina jacta ſunt, quæ cùm variis factionibus & diſſenſionibus ad exidium penè agitata, multisque bellis implicita eſſet, quæ *Friderici* & *Henrici* Impp. in Italia gerebant, tandem cives ſuos ex ruina propinquorum ſub *Ottone IV.* auxit, emtâ deinde à *Rudolpho* Cæſare libertate; & quanquàm diſcordiis internis dehinc aliquoties concuteretur, tamen ex familiis cæteris *Medicei* caput extulerunt, civium opulentiſſimi, atque ſenſim Principatum urbis ad ſe traxerunt: ſic enim *Joh. Mediceus*, qui theſauris ſuis rempublicam juverat, *Princeps ſenatus* anno 1374. conſtitutus eſt, donec ſenſim ſuppreſſâ Senatus autoritate *in Ducatum* Principatus ille verteretur.

IV. Cæterum Coloniæ Græcorum & metropoles non tam erant Univerſitates *quam Reſpublicæ*; (*e*) nec Roma fuit Univerſitas, quia non habuit conformationem à ſummâ Imperii diſtinctam, ſed Magiſtratus Senatusque urbis Romæ iidem erant Imperii Univerſi: nec tamen Reſpublica fuit ſola per ſe; neque enim Italia & Provinciæ, non erant membra

membra Reipubl. neque plus quam una fuit Respublica; caput igitur aut cor fuit Roma Reipublicæ. At reliquæ non tam matres quam primariæ urbes, quales modò nominatæ, sunt verè membra subjecta & Universitates nostræ definitionis.

(*e*) QVAM RESPVBLICÆ. Nec enim regimine subordinatô sed propriô constabant; neque etiam *fœderis* directio imperium in fœderatos confert. *Add.* de *Coloniis* Pufend. *Lib. 8. c. 11. n. 6. & c. 12. n. 5.* ubi de accretione urbium.

V. Plures pagi corpus territorii, plures insuper urbes faciunt provincias, neque tamen *numerus sufficit*, (*f*) universitates enim ut sint, proprii ordo regiminis, quo connectantur pagi & urbes, requiri certum est. Quare in Despoticis Imperiis provinciæ, quæ missis ab aula regnatrice Præsidibus & Præfectis *immediate* (*g*) gubernantur, sine ullis populi aut Nobilium ordinibus, universitates non sunt.

(*f*) NVMERVS SVFFICIT. Ad hoc ut fiat universitas, cum quælibet provincia non sit universitas.

(*g*) IMMEDIATE. Nec propriis adeo juribus ac directione.

VI. Denique si Respublica è diversis provinciis conflata in unum, non nisi pariter & junctim regatur, *peculiari nullo regimine* (*h*) stabilito, singulæ provinciæ universitates non sunt, etsi ordinis causa in concursu regiminis ut distinctæ considerentur. Exemplum liquet domesticum. In Frisia Urbes XI. partem regiminis quartam constituentes Universitatem constituere non videntur unam; neque etiam tres pagani tractus, quibus reliquum corpus Reipubl. componitur: quam rem ita intelligi, ut revera se habet, communis interest utilitatis.

(*h*) PECVLIARI NVLLO REGIMINE. Superiore scilicet omnibus, sed tamen ut in fœdere consistant, omnes, & quælibet suô regimine singulari gaudeat; quod tamen cum subordinatum non sit, sed summum, exinde universitas non conficitur.

VII. Denique Collegia Magistratuum totius Reipublicæ non esse universitates ex definitione præmissa facile colligitur, quia in universitate requiritur, ut scopus & usus à summa Republ. diversus & coeuntibus sit peculiaris, quod de collegiis, quibus *jura Majestatis exercenda* (*i*) committuntur, adfirmari non potest.

(*i*) JVRA MAJESTATIS EXERCENDA. quocirca eum instrumenta sint Majestatis, quæ à causâ principali elevantur, non possunt eo ipsô dici universitatem constituere; quippe quòd universitas regimine peculiari & distinctô gaudeat, eóque *mediatô*, non quó immediatè jura Majestatis, & qui-

& quidem ad summam exercentur. Potest etiam aliâ ratione dici, collegium magistratuum Universitatem non constituere, quia universitas totum & *completum* quid est, quale quid non est magistratus, quippe qui subditos respicit, qui tamen ipsi in illo collegio Magistratuum, ut partes universitatum in universitate non continentur: unde nec Magistratus urbis provincialis universitas aliter, quàm repræsentativè, dicitur.

VIII. Diligenter idcirco advertendum, Universitates qua tales distinctum à constitutione corporis, *unde summa potestas* (*k*) integratur, habere respectum, tametsi & ipsæ ad eandem *integrationem* (*l*) cum aliis concurrant.

(*k*) UNDE SUMMA POTESTAS. Vel potius subjectum ejus.

(*l*) INTEGRATIONEM. Sed non quà regimen universi inde componitur; nam omnes universitates sic comparatæ sunt, ut scopum à Summa Reipubl. diversum habeant: juxta §. *praced.*

IX. In Republ. ubi Imperium communiter penes urbes & pagos habetur, hi & istæ *singuli singulæque* (*m*) sunt universitates, quæ jure privatorum utuntur, & Magistratibus qui summæ potestatis sunt ministri non modo parere, quatenus hi potestatem summam repræsentant; sed & Collegiis delegatorum ac Judicum per se *dignitatis reputatione* (*n*) cedere debent; quæ proportio & ad singulos extenditur: eædem verò universitates in actibus & exercitio summæ potestatis quæque ad eam rem pertinent *summis collegiis* (*o*) omnino præferuntur. Unde liquet, non repugnare, ut aliqua Universitas concurrens aliquo modo ad integrandum regimen civitatis, aliis quæ ab tali concursu sunt alienæ (quatenus utraque est *proprium corpus* (*p*) & universitas) dignitatis æstimatione non sit superior.

(*m*) SINGULI SINGULÆQUE. Etenim quà universæ spectantur, ita imperant, nec universitates adeò constituunt; Cæterùm licèt regulariter universitates *jure privatorum* utantur, tamen plures legibus exprimuntur exceptiones. vid. *l. 30. de usur. l. 27. de reb. cred. l. 1. de pollic.* & cetera, apud Wissenbach. *ad l. 10. de V. S.* quæ quidem regulam firmant in casibus non exceptis.

(*n*) DIGNITATIS REPUTATIONE. Sic enim quà *singula* spectantur.

(*o*) SUMMIS COLLEGIIS. Delegatorum: nam hæc ab istis dependent, eò quod à majestate dependeant.

(*p*) PROPRIUM CORPUS. Et ut singulum adeò considerari potest, quô ipso respectu urbs seu civitas, quæ regiminis aliàs particeps est, nihilominùs ùt *singula* considerari potest, & sic melioris conditionis non est, quàm civitas alia in eâdem Republica; licèt hæc ipsa civitas de vi regiminis nil participet.

X. Cæterum habere Universitatem *jus personæ* (*q*) dictum est aliquoties, quod tamen videndum, ne non ita capi oporteat, ut de Civitate dictum aliàs, quod summa potestas sit *persona civitatis*, (*r*) ita ut quic-

quicquid illa facit, contrahit aut delinquit in Imperio exercendo, id civitas tota facere & contrahere videatur, quæ exinde sine discrimine obligata intelligitur. Nam in delictis, utique non videtur, quicquid ordo municipii aut rectores universitatium admiserunt, hoc corpora consociata luere oportere, idque non modo in corporalibus pœnis, sed ne quidem in pecuniariis mulctis statuendum videtur. Imo & de contractibus, nominatim de mutuo, jure Romano proditum est, civitatem mutui datione posse obligari, si ad utilitatem ejus pecuniæ versæ sunt, * alioquin ipsos solos qui contraxerunt non civitates teneri.

* *Ulpian. in l. 27. ff. de reb. credit.*

(q) Jus personæ. Vid. Barbos. *Lib. XIX.* thes. axiom. *c.37. n. 2.*

(r) Persona civitatis. Utique enim summæ potestatis alia est ratio, sive ut ex hypothesi sua loquitur Auctor *§. 12. h.* fœderis civitatis, quam universitatis, v. g. civitatis subordinatæ, quin & Princeps *personam civitatis* conficere dicitur, non nisi in his, quæ Rempubl. potissimum versus *alios* respiciunt.

XI. Intelligitur, hæc dici de civitatibus, quæ per modum *Aristocratico similem* (s) gubernantur; nam si democratiæ instar se habeant, non est dubium, quin aut civitas tota teneatur, si populus sit consultus, aut non teneatur, si inconsulto sit gestum.

(s) Aristocratico similem. Videl. universitates aliquæ reguntur, communi *omnium* consensu, ut pagi & collegia, aliquæ per consilium *regens* gubernantur. *l. 3. quod cujusque univers. nom.* In posterioribus etiam status vel Aristocraticis vel Democraticis institutis accedit: si *Aristocraticis*, Senatus omnia facit, Carpz. *P. 1. C. 13. d. 7.* Si *Democraticis*, respiciendum est, an agatur de solius *curiæ* præjudicio, & sic etiam sola rem conficit. Mevius *II. Dec. 36.* an *totam universitatem* tangat, & sic consensum tribunorum plebis requiri oportet, v. g. quando de alienandâ re universitatis agitur, Carpz. *Tit. V. Process. art. 4. n. 29. & seqq.* aut de obliganda universitate; Coler. *II. Process. exec. c. 3. n. 351. seqq.* nisi etiam de levissima causa ageretur. Mynſ. *1. Obs. 76.* sed hæc omnia intelligi oportet de universitatibus *propriè* sic dictis, ut hoc loco accipiuntur, in quibus vix est, ut *pura* Democratia locum habeat, secus utique totus populus convocandus est, in *Republ.* videl. Democratica; nisi Delegatis aut Administratoribus Ipse rem commiserit.

XII. Ratio autem diversitatis inter fœdus civitatis & constitutionem Universitatis obscura non est, siquidem populus liber, Imperio translato, Imperantes ita suo loco statuit, ut nullo remedio se utique adversus exteros tueri possint. Nam si Imperantes officii limites excesserint, ea inter populum & ipsos sit disceptatio, Exteri id quoad ob oculos est sequuntur, personam scilicet civitatem repræsentantem.

XIII. Ita

XIII. Ita quoque inter Universitatem & eos qui præsunt est conventio & obligatio, ut nomine communionis res gerant; ideoque de his, quæ ad communem administrationem pertinent, valide universitas per rectores suos obligatur, & quidem *erga alios indistincte* (*t*) sive in rem civitatis fuerit, vel secus: fere ut de Exercitoribus & Magistris quòd ad contractus super negotiis quibus hi sunt præpositi tradunt ICti.

(*t*) Erga alios indistincte. Hæc sententia *legi 27. de reb. cred.* & ad eam traditis *JCtorum* non congruit, nec idoneum est argumentum *à præpositione* negotiationis *exercitoriæ*, vel similis, ad civitatem; ut senatus cum *Magistro navis* conferatur; Non enim civitas respectu senatûs instar præponentis se habet, sed instar *pupilli*, qui alienô consiliô regitur: unde quoad *dict. l. 27. Ecclesia* quoque cum civitate comparatur. Fachin. *Lib. II. controv. 76. seq.* it. *loca pia.* Gratian. *Tom. 1. Discept. c. 196. n. 5. & seqq.* & quæcunque tandem universitates, quæ per administratores curantur: Goedd. *c. 2. de reb. credit. conclus. 10. n. 242.* nec tenebitur adeò unquam universitas, si mutuum in rem ejus versum non fuerit; quin potius præfecti unicè conveniri possunt, non à communitate, *ut Auctor §. seq.* sed à creditore ipso; Nec Auctor in *§. seq.* constare sibi videtur, quando dicit, universitates teneri, non onus in præfectos devolvi, si in rem civitatis pecunia versa non fuerit; nisi ipsum de effectu intelligas, sed tamen hæc sententia nullibi probatur, siquidem universitas, si in rem versio probari non possit, non tenetur, nec tantum onus in præfectos *redundat*, sed ipsi protinùs ab initio commutatâ actione per creditores conveniuntur.

XIV. Verum si pecuniam in rem universitatis non converterint, præfecti tenentur ad damnum communitati sarciendum, qualis actio inter supremos Imperantes & subjectos, ut ex principiis libri præcedentis clarum est, nulla dari potest. Ideo tenentur quidem Universitates è contractibus rectorum nomine publico initorum; ast onus, nisi credito in rem suam verso, in præfectos redundat, apud quos pecunia resedit, vel qui in culpa sunt, quod ubi non liquet omnes tenebuntur.

XV. *Administratores* (*u*) verò, qui non ipsi Universitati sed rebus ejus præsunt, si quam mutuam acceperint pecuniam, non aliter obligant Universitatem, quam si creditor doceat, mandatum speciale publicum intervenisse, aut pecuniam in rem communitatis esse versam: nec alia modò relata juris Romani sententia esse videtur.

(*u*) Administratores. Hi sæpè cum *Syndicis* pari significatione veniunt, & quàm maximè in contractibus universitatum; aliàs autem omninò differunt, & Syndici rebus potiùs *judiciariis* præesse dicuntur. Itaque in *contractibus* idem est dicere, per Syndicos esse contractum, h. e. Delegatos à Senatu, atque per administratores sive senatum ipsum. *vid.* Goedd. *c. 2. de reb. credit. n. 247.* Hic verò Auctor Administratores accipit, non pro Senatu integro, nec pro Syndicis seu Delegatis, sed

sed pro *Camerariis* ut dicuntur, qui non uno alterove actu, sed perpetuum pecuniæ reipubl. præsunt: de quibus ipse putat unicè *l. 27. de reb. cred.* procedere. At vero hæc sententia nec juri nec moribus probatur: nam si vel maximè totus senatus mutuum acceperit, tamen aliter universitas non tenetur, quàm si *in rem versa* fuerit pecunia.

XVI. Jam in delictis, quorum ratio *mere personalis est*, (*x*) minime dubitatur, quin soli delinquentes ad pœnam teneantur: quod si adeo sit populare commissum, ut innocentes discerni nequeant, pœna in universitatem non in singulos exercenda, ademptis juribus aut mulctâ indictâ vel dissolutâ universitate: *Decimatio* (*y*) aliæve graves pœnæ, quâ nocentes & innoxii involvuntur, magis ad publicæ utilitatis quam justitiæ & æquitatis exempla referenda.

(*x*) Mere personalis est. Proinde civitas tota tùm demum deliquisse censetur, si universi cives communicatô universorum civium consensu, quid perpetraverint. Colerus in *Process. Exec. II. c. 3. n. 365.* veluti tota dicitur accepisse pecuniam, si omnes convocati fuerint; licèt non omnes compareant. Adeò ut quando de obligandis bonis *singulorum* non agitur, *absentes* utique, quod universitatis bona attinet, teneantur, vid. *l. 2. C. de decur. l. f. C. d. autor. præst.* Interim in *delictis*, quando ad singulos pœna procedere debet, strictior consensus & consilii ratio ineunda est: neque enim ex delicto universitas tenetur, etiamsi omnes vel major universitatis pars, licèt sub vexillo in delinquendo adfuerit; nisi præcesserit delinquendi consilium aut deliberatio, aut saltim ratihabitio subsecuta sit v. g. si cùm de castro quis dejectus fuisset, universitas illud retineat: Nam aliàs singulos potius puniendos esse cum Schurffio *III. Consil. 205.* respondendum, sicque *Alvarotti* sententia *ad c. 1. quibus mod. feud. amitt. n. 12.* tenenda est, quod universitas, licèt pars ejus dominum deseruerit, feudo tamen non multetur. Quid verò si *tanquam universitas* civitas aliqua coercenda sit? Ita *civiliter*, in quantum ad eam pervenerit, tenebitur; *Criminali* autem pœnâ vel dissolvenda vel privilegiis mulctanda vel duces facinoris castigandi sunt. vid. Zahn. *c. 92. Ichnograph. Municipal.* An autem semper possit exigi pœna post longum tempus, quia semper *durare* videtur universitas, quæritur? Probè rem expendit Piccartus in III. *Polit. Arist. c. 3.* quâ ratione *populus* maneat *idem*, & *JCti*, ad *l. 76. de judic.* it. Commentatores ad Grot. *L. II. c. 9. §. 3.* utique, quoad hunc locum, sublatis delinquentibus pœnam cessare oportet, ut non obstet Deut. *c. 13, 12. & seqq.* nam ibi de anathemate agitur, ob idololatriam continuam, junge Grot. *Lib. II. c. 21. §. 8.*

(*y*) Decimatio. Est decimatio pœna, quâ ex pluribus delinquentibus is, quem in numero definito vel decimo loco, vel quo aliô, tertiô, quartô, sors tetigerit, ob crimen suppliciô afficitur: quanquàm aliàs decimatio ad causas alias non minùs porrigatur: ut in navi v. g. decimo vitam ad famem sedandam adimere, eumque in cibum redigere licitum esse, multis videatur Seneca *de Ira cap. 20.* Sed hæc illicita species decimationis est, quam sors tueri non potest, cùm Deus non concurrat specialiter, nisi sortibus licitis, & maximè *divisoriis*. Quantum verò ad decimationem *pœnarum* attinet, nullam illa habet injustitiam, siquidem multorum supplicium clades est Reipubl. non medicina. Tacit. *II. ann. 49.* & quem tangit supplicium, ille ex merito coercitionem subit, (cùm supponamus casum, ubi *omnes* ex æquo rei sunt, cum Grotiô *Lib. II. c. 20. §. 9.*) qui verò periculo pœnæ eximuntur, eorum aggratiatio bono publico nititur, ne civitas exhauriatur, vel exercitus, & parcatur sanguini; dum finis pœnæ nihilominùs obtineri potest: quin & periculum mortis subire, pœna est. Conf. Grot. *d. l. §. 22. seq.* Hinc si duo vel tres mortem promeriti sint, cùm ex illorum supplicio Resp. non labefactetur, atque cessent rationes reliquæ jam adductæ, rectè *Zieglerus* sortitionem non admittit, ad Grot. *L. II. c. 1. §. 15.* Ut nesci-

nesciam, cur Auctor decimationis justitiam vellicet? nisi quòd comparativè loquatur: quâ ratione derivari posset traditio ejus in eam sententiam, quâ dicimus decimationem quidem justam non esse, sed tamen non injustam, & sic magis negante quàm ajente sensu; ùt multa ejus generis, quæ publicæ utilitatis argumentô fulciuntur. Interim Auctor gravius quid imputâsse decimationi videtur, dum innoxios huic pœnæ involvi autumat, quod tamen decimatio non admittit: & malè Boxhorn. *L. 1. pol. c. 4. §. 12.* si autores sceleris ignorentur, etiamsi in innocentes supplicium caderet, jure *dominationis*, ùt appellat, modum hunc supplicii adhiberi posse, docet: Nam si reverà innocentes in universitate quadam delinquentium reperiantur, nequaquam decimatio locum habebit; si vero innocentes in tantum, ut aliquos oporteat fuisse autores sceleris, qui tamen investigari non possunt, decimatio locum habebit hactenus, ut sortem in pœnâ non summa quidem sed media, quam omnes promeriti sint, subeant; secùs & ubi innocentes simpliciter facinorosis mixti sint, tutius est omnes absolvi in re magni discriminis, quàm unum innocentem ferire, ùt rectè Grot. *L. II. c. 23. §. 5.*

XVII. Cæterum ut Universitas à singulis differt, ita res quoque & bona Universitatis, perinde & onera atque obligationes Universitatis, à juribus singulorum distinguuntur. Nec proinde *singuli* magis *de ære alieno* (z) Universitatis, quam hæc ob debita singulorum, tenentur. Quia tamen ex partibus totum componitur, fieri non potest, quin ubi universitas obligatur, onus ad singula membra redundet. Si quis patriæ meæ, ut recte Seneca *, pecuniam credat, non dicam me illius debitorem nec hoc æs alienum profitebor, tamen ad exsolvendum *pergit idem*, cives singuli portionem suam dabunt, non tanquam pro se solventes, sed tanquam pro patriâ conferentes. Proinde non bona tantum Universitatis à creditoribus distrahi possunt, verum omnes quoque & singuli, collatione factâ, pro communitate persolvere debent.

* *Lib. 6. de benef. cap. 19. in fin. & cap. 20.*

(z) SINGULI DE ÆRE ALIENO. Nec Princeps *singulorum* bona obligare potest, præterquam si herus sit omnium. vid. Grotium *Lib. III. c. 20. §. 6.* Ut adeò, licèt communibus suffragiis, in statu *Democratico*, constituti sint administratores accipiendis pecuniis, hi quidem universitatem ex mutuo obligent; quamvis pecunia in rem ejus versa non sit. At vero *singulos* aut bona illorum absque speciali eorum consensu non obstringant; Gratian. *Tom. 1. disc. for. c. 196. n. 19. seqq.* neque executio adeò in bona singulorum fieri possit *l. 2. Quod cujusque univ. nom. l. 5. §. si quidem. eod.* Coler. *P. 2. process. Exec. c. 3. n. 369.* ceu privilegia civitati concessa cujusque particularia dici nequeunt. Cephal. *IV. consil. 515. n. 33. seqq.* Non *obst.* quod res singulorum sint quoque res universitatis: nam sunt tales impropriè. vid. *l. 6. §. 1. de rer. div.* & tantum per consequens æs alienum universitatis *singulos* gravat. Quòd si bona universitatis non sufficiant, collecta singulos premens indicatur, Köppen *Dec. 60. n. 18.* & *Auctor in fin. b.* Sunt autem singuli obligati, quando vel singuli se subscripserunt, aut singuli mandatum dederunt, ut tamen nec *absentes* possint gravari obligatione præsentium; Col. p. 2. *d. cap. 3. n. 375. seqq.* Nec major pars præsentium obligare minorem potest; quoniam bona sua non ùt universi, sed ut singuli possident; Losæus *p. 1. de jure univers.*

univerf. c. 3. n. 32. Licet vero ſinguli etiam conſenſerint, & nomine univerſitatis concepta deinde fuerit obligatio; non tamen ſinguli in ſolidum conveniri, aut bona unius alteriusve pro toto credito arreſtari poſſunt, ſed beneficiô *diviſionis* fruuntur; *arg. l. 11. §. 2. de duobus reis.* Niſi huic expreſſè renunciatum fuerit. Denique ſi diviſa per *factiones* fuerit civitas, & tunc pars una mutuum contraxerit; ita redactâ poſtmodùm in concordiam civitate ab omnibus deberi intelligitur: ſicut Athenis poſt legem Amneſtiæ (de qua peculiari Differt. *Beclerus*) à creditoribus Lacedæmoniis conventi, cives omnes contribuerunt. Num vero quod in *mutuo* dictum eſt, imprimis ex *Jure Rom.* de probandâ in rem verſione, ad alios quoque contractus, & quosnam eorum, pertineat, ea de re in *Comment.* ad tit. de rebus Credit. *in ff.* plenius diximus.

CAPVT X.

De Magiſtratibus & Jurisdictione.

ARGVMENTVM.

Quid Magiſtratus. Poteſtas ejus duplex, Imperium & Jurisdictio. Imperium majus quod & merum, aut minus, quod & mixtum. Utriusque differentia, ubi quæſtio, an merum ſit magiſtratus proprium, quod affirm. & objecta removentur. Merum non poſſe mandari. Quid jurisdictio. Differentia ejus à notione & audientiâ. Diviſio prima in voluntariam & contentioſam. 2. In ordinariam & legitimam. 3. In propriam aut alienam, & hæc rurſum, mandata vel prorogata, cujus vulgò dictæ ſpecies examinantur. De his quæ per requiſitionem fiunt. De mixto imperio quæque ad hoc pertineant. Denique notionis nudæ uſum fortean hodie exiguum eſſe aut nullum. Quomodo amittatur Jurisdictio & Imperium.

I.

QUi præſunt Univerſitatibus præſertim majoribus, quæque familiis conſtant, dicuntur Magiſtratus, quorum tamen latius quam ad *rectores* (*a*) univerſitatum patet appellatio; ſiquidem Magiſtratus nihil ſunt aliud, quam miniſtri ſummæ poteſtatis ad vices illius in minoribus Reipubl. partibus obeundas poteſtate debita inſtructi.

(*a*) RECTORES. Nec enim rectores univerſitatum protinus ſunt *Magiſtratus.* Interim jure Rom. illi, qui *provinciis* præerant, omnes dicebantur Rectores, atque tùm *ſpectabiles* erant, ùt Proconſul, item Comes orientis & præfectus Auguſtalis; tùm *Clariſſimi*, ùt Præſides, Correctores & Conſulares: juxta Cujac. *in Parat. C. de off. Rect. prov.*

II. Miniſtrum cum dicimus, ipſos qui ſummum habent Imperium à nomine Magiſtratuum ſatis excludimus, quod idem ratio juris & latini ſermonis exigit proprietas, etſi aliter plerique politici ac fere Theologi. *Vices ſummæ poteſtatis* (*b*) exercent, ac ita medii quodammodo

modo ſunt inter ſupremos Imperantes & ſubjectos, quo reſpectu & in adminiſtratione civitatis nonnihil de Magiſtratibus dicendum. Nec tamen hoc loco prætereundi, tàm per occaſionem Univerſitatum, quam quod ordo illorum ad ſubjectivam Reipublicæ conſtitutionem omnino pertineat. Dicuntur *in minoribus Reipubl. partibus* (*c*) occupari; ut majora, hoc eſt, jura Majeſtatis à Magiſtratuum officiis aliena intelligantur.

(*b*) VICES SUMMÆ POTESTATIS. Hoc quidem non omnibus magiſtratibus competit, vel ſaltim non in pari gradu *dignitatis*, nec quoad latitudinem *objecti*. Sic enim vicarius *Regis* à magiſtratu quolibet aliô diſtinguitur. Interim ſuo modo verum eſt, etiam infimum Magiſtratum nullâ pollere autoritate, niſi *alienâ*, Principis videlicet, quamvis intermediâ poteſtate aliâ, quæ tamen & ipſa dependens eſt: nempe magiſtratus quilibet *inſtrumentum* eſt ſummæ poteſtatis, nec aliquid habet imperii per eſſentiam, ſed *per participationem*, velut animam ſenſitivam rationalem eſſe dicimus: nec adeò rectè magiſtratus *medius* inter Imperantes & ſubjectos conſtituitur, quia potiùs ſubditus eſt Magiſtratus, & quà fungitur poteſtate aliquâ, in ſolidum ad principem refertur; Eſt enim Princeps magiſtratus *virtualiter* ſeu *eminenter*, ipſe autem magiſtratus talis eſt *formaliter*.

(*c*) IN MINORIBUS REIPUBL. PARTIBUS. Ita quidem autor ex hypotheſi ſuâ, dum aliter jura *majora* definit, quàm ex communi ſententiâ, de quo *ſuperiùs*.

III. *Poteſtas Magiſtratuum* (*d*) *eſt duplex* (*e*) Jurisdictio & Imperium, quarum illa in jure dicundo; hæc in manu & coërcitione conſiſtit. Imperium rurſus aut majus aut minus eſt. Majus, quod conſiſtit in animadverſione capitali *aut aliâ graviore*, (*f*) quod Romani ob magnitudinem & periculum *abuſus* (*g*) cunctis Magiſtratibus permittere noluerunt, ſed extra ordinem & lege ſpeciali*: quæ res ob uſum juris Romani per Europam fere in univerſalem abiit diſciplinam. Minus, quod modicâ coërcitione conſtat & *jurisdictioni ordinariæ* (*h*) adjungitur, eamque perpetuo comitatur, ut vim executionis vigoremque judiciis neceſſarium addat: Hinc & mixtum dicitur, quia cum jurisdictione ita miſcetur, ut ab eâ nunquam ſeparari queat **. At majus illud ab ordinaria jurisdictione prorſus eſt diſcretum adeoque Merum Imperium, id eſt, *nihil quam Imperium* (*i*) atque ita JCtis *Merum* dicitur.

* *JC. in l. 2. §. 23. de Origine Juris.*

** *JC. in l. ult. de offic. eor. quibus mand. eſt Jurisdict. & l. 3. de Jurisdict.*

(*d*) POTESTAS MAGISTRATUUM. In univerſum poteſtas illa vel in cauſis civilibus vel criminalibus conſpicitur. In *civilibus* iterùm defertur vel *immediatè* à lege, vel jure magiſtratûs competit.

petit. Illa est *extraordinaria Jurisdictio* & vel simpliciter vel modò quôdam talis; ad *hanc* posteriorem pertinent *legis actiones*, ùt adoptio, manumissio vindictâ, & emancipatio, & quæcunque Jurisdictionis sunt *voluntariæ*; (quanquàm nunc quidem voluntaria jurisdictio ad Jurisdictionem, quæ jure Magistratus competit, transierit.) Quæ verò *jure Magistratus* habetur potestas, *propriè* dicta est *Jurisdictio*, & huic *inest*, (tanquam potentiæ suæ virtus, sese quando opus est exserens,) *mixtum imperium*. Fungitur autem quis jurisdictione ejusmodi vel ipse vel per alios: hinc *mandata* jurisdictio, & quoad subjectum passivum, aliquando *in alios*, quam qui Jurisdictioni ejus subsunt: hinc *prorogata* Jurisdictio, eaque tum *spontanea*, tùm *legalis*. Denique potestas cognoscendi in *criminalibus* est *Merum imperium*, in quo non tantum executio criminum, sed & *cognitio* involvitur. *Hodiè* Jurisdictio latè accepta, ùt omnem potestatem Magistratuum complectitur, vel superior est vel inferior: & quidem ad *inferiorem* nonnulla etiam referuntur, quæ sec. Jus *Justinianeum* ad merum Imperium pertinerent. vid. Carpz. *P. 3. quæst. 109. n. 29. & 31.*

(*e*) EST DUPLEX. Imò est *una*, sc. *Jurisdictio*, cui inest mixtum imperium, quà Jurisdictio in *complexu* seu ut *Cujac.* ait, in concreto sumitur; Sanè cùm Auctor Jurisdictionem Imperio *opponat*, & *hoc* in duas species distinguat, non poterat Jurisdictionem aliter, quàm pro qualibet cognitione, etiam in criminalibus, accepisse; & tamen ille *§. 4.* in ipso mero Imperio hanc cognitionem de criminibus, (& rectè quidem) *inesse* docet. Equidem *Imperium cum Auctor* distingui non debet, cùm *genus* illud imperii eô modô non sit *univocum*, quoniam mixtum imperium competit jure Magistratus, merum simpliciter ex lege, item mero imperio inest cognitio, mixto imperio nulla. Non obstat *l. 3. de Jurisdict.* ubi mixto imperio inesse dicitur Jurisdictio. Nam ibi latè accipitur *Imperium*, ùt ex *t. t. de Jurisdict.* colligitur: quô sensu uti Jurisdictioni *in concreto* acceptæ mixtum imperium, ita huic quoque Jurisdictio inesse dici potest: cum tamen *in abstracto*, & strictè, si res expendatur, Jurisdictioni potiùs innexum sit mixtum imperium, & quod satis ab eâ, ratione *formæ*, licèt non quoad *subjectum*, distingui possit.

(*f*) AUT ALIA GRAVIORE. Imò & minori: nam *relegatio* pœna capitalis non est: & *pecuniaria*, it. carceris pœna, si ob crimen infligatur, *meri* Imperii est.

(*g*) ABUSUS. At verò hæc non est ratio, sed quòd imperium, cui libertas & vita civium Rom. subjacebat, non nisi quibusdam majoribus, concreditum vellent. vid. Scip. Gentil. *in Diss. 1. de jure Publ. Rom.*

(*h*) JURISDICTIONI ORDINARIÆ. *Ordinariam* Jurisdictionem accipit Auctor pro omni ea, quæ mero Imperio opponitur, quà videl. Magistratibus civilibus competit, ùt *ex seqq.* colligitur: quòd si tamen rem accuratiùs concipiamus, non omnis potestas in civilibus *ordinaria* est; sed hactenus aliqua cum mero Imperio convenit, quòd *speciali lege* concedatur; indeque *extraordinaria* Jurisdictio dicitur. An huic quoque insit *mixtum imperium?* dubitari potest: sunt enim qui putant, totam Jurisdictionem extraordinariam esse voluntariam, quod tamen falsum esse, alibi ostendimus: cùm etiam nonnulla contineat, quæ Jurisdictionis sunt *contentiosæ*, & si imperium mixtum in illis utique se exserat: quanquàm non probem illorum sententiam, qui putant, dari *tertiam* speciem, quæ videl. ex voluntaria & contentiosa quid participet. Est etiam hoc observandum, quòd aliud sit, esse quid *Jurisdictionis* extraordinariæ; aliud, esse *cognitionis* extraordinariæ; nam & hujus esse possunt, quæ ordinariò jure Magistratus competunt.

(*i*) NIHIL QUAM IMPERIUM. Quod tamen ipsum cognitionem involvere Auctor rectè docet; *§. 4. seq.* sed cognitionem *non ordinariam*: nam ita non esset *mera*, ùt est ipsum Imperium, & involveret quid *Jurisdictionis*, quæ tamen non jure speciali, sed *ordinariò* competit, & hinc econtrà *mixtum* imperium dicitur, quia immixtùm est Jurisdictioni seu potestati, quam Magistratus Romani, *quà tales*, habent.

IV. Hoc autem præter rem ipsam merum à mixto distat Imperium, quod hoc sola coërcitione absolvatur, quoniam jurisdictio, cum

qua ſemper junctum eſt, ſibi cauſarum cognitionem vindicat, at Meri Imperii pars quoque criminum cognitio habetur *. Nam quia criminalia ordinariæ jurisdictioni plane ſubducta ſunt, deque his non niſi certis magiſtratibus jus dicere licet, palam eſt Merum Imperium, non eſſe officium exequendi judicata aliorum, ſed & cognoſcendi & exequendi judicata criminalium cauſarum.

* *Per d. l. 2. §. 23. de orig. Jur. & l. 6. in pr. de offic. proconſ.*

V. Secundum hæc, etſi frequenter neque abſurde Merum Imperium criminalis jurisdictio appelletur, nos tamen more Romano, hæc diſtinguemus, Imperium Merum, Jurisdictionem, mixtum Imperium. Quid ſit Merum jam intelleximus, poteſtas animadvertendi in facinoroſos *, aliter jus gladii, idque modò plenius evolutum, ubi & diſcrimen à mixto. Aliud alii inculcant, mixtum ſcil. unà cum jurisdictione proprium eſſe cujusque Magiſtratus, merum uſu quidem & exercitio eorundem, proprietate vero ejus qui ſummam habet poteſtatem, idque Henricus V. Imperator inter *Lotharium* (*k*) & Azonem JCtos arbiter ſponſionis electus adprobaſſe memoratur.

* *JCt. in l. 3. de jurisdict.*

(*k*) LOTHARIUM. Qui ſententiam ab A. diſſidentem per *l. 1. ff. d. Offic. ej. cui mand. eſt jurisdictio* probâſſe fertur.

VI. Scilicet popularis eſt error doctis etiam (at non legum) ſcriptoribus familiaris, Merum Imperium vel pro ipſa poteſtate ſummâ vel pro jure vitæ necisque capientium. Unde factum, ut jurisdictionem Magiſtratuum quidem propriam; haud æquè Merum Imperium interpretarentur. Sed ratio eſt, quod à Poteſtate ſummâ deſcendant omnia in civitate Imperia & jurisdictiones; quam ob rem, ſi quis illud jus originale proprietatem, derivatum inde & inferius velit uſum vocare & exercitium, hoc de jurisdictione *perinde ac Imperio* (*l*) tenendum. At ſi jurisdictionem velis propriam dicere, quod immediatè à principe & non beneficio alterius magiſtratus habeatur, nulla cauſa eſt, cur non idem de Mero Imperio ſtatuendum *. Jus vitæ necisque ut ab hac poteſtate differat, in capite de majoribus Majeſtatis juribus eſt dictum; unde labitur argumentum, eò quod *damnatis ignoſcere*

ignoscere nequeat (m) is, qui merum habet Imperium, ideo id jure proprio non haberi.

* *JC. in l. 4. de jurisdict.*

(*l*) PERINDE AC IMPERIO TENENDVM. Nequaquàm hic sensus est eorum, qui docent, merum imperium ad magistratûs olim propriè non pertinuisse; sed illos solùm ejus habuisse *exercitium*, ut tantùm illud penes populum vel Principem resederit: Oportet enim, ut quando Jurisdictionem dicimus Magistratui *propriò* jure competiisse, non respiciamus dependentiam à summâ Majestate: cùm proprium quid esse non possit eô respectû, quô simul *dependens* est: Videl. Præfecti urbi & quidam alii imperium merum statim quidem habuère à creatione sua; *l. 1. de Off. præf. urb.* sed tamen ita non minùs ex peculiari concessione *Legis* Corneliæ. Non *obstat*, quòd quæstiones rerum criminalium, per ejusmodi Magistratûs exercendæ perpetuæ jam factæ essent: unde in constitutione *Præfecti urbi* adhuc Legis illius fiebat mentio: estque altera concessio *legis*, quâ ordinaria defertur Jurisdictio, (*l. 6. de Jurisdict.*) longè diversa à *lege* illâ meri imperii: Nam istâ, sc. Jurisdictionis, quàmprimùm Magistratus quis constitutus fuerat, ei Jurisdictio delata, ipseque constitutus eam *suo jure* i. e. *Magistratûs*, eôque *mediante*, non etiam à lege immediatè multò minùs solùm quoad usum & precariò habere, censebatur *l. 5. eodem.* Hinc *mandari* non poterat merum imperium, ùt possunt ea, quæ propriô jure competunt, & alterius nomine non exercentur. Nec sequitur, qui potestatem habet, non tantùm exercitium habet potestatis; Videl. etiam mandatarius potestatem habet, sed solùm *alienam* habet, aut potestatis, quæ alteri jure propriô competit, *exercitium:* (Obiter hoc notandum est, quòd Henricus, cujus *Autor §. 5.* hîc meminit, *Quintus* numero dicatur illis, qui *Henricum Aucupem*, tanquàm à Pontifice non coronatum, inter Imperatores omittunt, cùm quidem alias sit, connumeratô Aucupe, Henricus VI.) Nec malè dixerimus, quod ea quoque, quæ lege speciali Magistratui in civilibus competunt, illi non competant jure *propriô*, ùt sunt ea, quæ *voluntariæ* Jurisdictionis habentur: cùm enim in actuum illorum plerisque de *capite* aut *fortunis civis Rom.* agatur, & vero de his statuere non licere cuiquàm, nisi autoritate *populi*, & aliquo tempore in *Comitiis*, ùt in adoptione, emancipatione, it. insinuationibus actuum & confirmationibus eorundem: hinc licèt potestate illâ Magistratûs suos *populus* mactaverit, illi tamen eâ de jure tantùm populi gavisi sunt.

(*m*) DAMNATIS IGNOSCERE NEQVEAT. Hinc in formulâ *sententiarum*, si clementiam superioris imploret inquisitus, & causæ aggratiandi ex actis appareant, pœnam ordinariam decernere quidem solemus; sed adjectâ clausulâ: es wolte denn die hohe Lands Obrigkeit ihm in ansehen &c. Gnade erzeigen, auf solchen Fall würde Er mit der ordentlichen Straffe verschonet &c. Est enim *aggratiatio* jus superioritatis territorialis, eôque mortis pœnam in relegationem aut pecuniariam convertere potest superior; (modò crimen sit ejusmodi, quod lege divina non singulariter Magistratui commendatum sit, ut sunt imprimis homicidium, adulterium, blasphemia, sortilegium, Sodomia, in quorum nullô remissio pœnæ obtinet, sed tantùm commutatio:) & quidem ob causas jure probatas, & intrà modum, qui in judiciis receptus esse reperitur, maximè quod homicidium it. alia scandalosa facinora, ùt incestum & similia attinet. Quod vero ad Magistratus inferiores, seu qui merô imperiô non vi superioritatis, sed ex privilegiô, consuetudine, investiturâ aut conventione, gaudent: illi pœnam mortis non possunt remittere, si vel maximè aliunde quàm ex jure divinô penderet, nec eandem in relegationem vel pecuniariam convertere, quinimo ne mortis quidem modum mitigare seu alterare; quanquàm adhibitô consilio prudentum, acerbitatem supplicii, ex certis causis, temperare queant, v. g. culeum, in pœnâ parricidii, omittere, (maximè si flumen in eo loco non reperiatur,) nec non fustigationem, relegationem, ut & mulctam, quia pœnæ hæ *arbitrariæ* sunt, nec tamen hoc aliter nisi ex prudentum consiliô, (quod tam Ordinatio criminalis, quàm pleræque constitutiones *provinciales* exigunt,) in *mitiorem* convertere non prohibeantur. Heig. *p. 2. quæst. 22.*

VII. Est

VII. Est & alia objectio, quod proprium magistratibus est, id posse mandari, nec tamen merum posse mandari Imperium *. At hoc non minus esse vanum facile probabimus. Nam quia jus gladii ob similitudinem quod habet cum jure vitæ necisque, nobilissima pars ejus juris est, quod Magistratibus datur, merito placuit, hoc à nemine exercendum, quam ab eo, cui specialiter à Principe concessum fuerit: qui proinde nec in alium pro parte vel totum jus suum transferre potest, ne quidem mandati titulo. Idque per Europam etiamnum servari videtur. Nam quod aliqui putant Principes, Comites, Dominosque immediatos Merum Imperium sibi commissum aliis mandare, speciem qua fallat incautos, habet. Illi enim Magistratus non sunt, sed jurisdictionem Imperiumque *habent in patrimonio* (*n*) non minus quam ipsa territoria, cum quibus illa jura per successionem, per venditionem aliosque contractus transeunt, quod à Magistratuum officio longe alienissimum est. Quoties igitur alios suo loco substituunt, qui de criminibus judicent, committere magis Imperium aliis jure quodam analogico principatus, quam sibi commissum mandare videntur. Hinc & illud sequitur, Jurisdictione & Imperio alicui à Principe in oppidum pagumve dato, *non videri* Merum Imperium hoc ipso *permissum* (*o*); quia nominatim hoc expressum oportet. Idque dicendum, etiamsi recepta ponatur divisio jurisdictionis in civilem & criminalem, quia non sufficit *nomen generis*, (*p*) ubi specialis commemoratio necessaria est.

* *JC. in l. 1. de offic. ej. cui mand. jurisd.*

(*n*) HABENT IN PATRIMONIO. Hinc ut populus Rom. non poterat dici *mandare* merum imperium, dum Præfecto urbi coercitionem criminum permitteret: ita nec in Principibus aliisque, qui nunc vi Superioritatis Territorialis mero imperiô seu potius jure vitæ & necis gaudent, dici potest, quòd Officialibus suis merum illud imperium mandent: Et cum vel maximè quoad Episcopos, & Prælatos in Imperio nostro difficultate res non careat: ideò rem expendimus *in Dissert.* de mero imperio *Aphor. VI.*

(*o*) NON VIDERI MERUM IMPERIUM PERMISSUM. Utique si expressum fuerit mit denen Gerichten, moribus nostris voce eâ, ùt & *Jurisdictionis*, non *minùs criminalis* & superior Jurisdictio venit. Meichsn. T. III. Dec. *33. n. 133.* Indeque dubium minus est, si in eâd. regione prædiis talibus *communiter* merum imperium adhæreat; & cumprimis si in eo, quod conceditur, prædio, Antecessor eâd. Jurisdictione usus fuerit, quòd tunc jurisdictione una merum imperium seu criminalis transiisse videatur. Mev. *IV. Dec. 290.* & Carpz. *Disp. 4. feud. th. 24.*

(*p*) NOMEN GENERIS. Ut nec alias speciei per genus derogatum esse censetur, quando speciei peculia-

peculiaris ratio est vid. *N. 69.* junct. *tit. C. quando imperat. int. pupil.* & *vid.* non obst. *l. 7. C. de Jurisdict.* *Optimè Barbosa L. VII. c. 5. Thes. axiom. 4.* ubi ampliationes & 9. limitationes habet.

VIII. Jurisdictio post Merum Imperium *nihil est aliud*, (*q*) quam de causis civilibus cognoscendi & judicandi potestas, cui adjuncta est exequendi facultas. Ultima verba secernunt jurisdictionem à notione nudâ, quæ executionis vim ignorat, qualem *arbitri* (*r*) & judices qui Romæ *pedanei* (*s*) dicebantur, habent.

(*q*) Nihil est aliud. Fortè sic definitur accuratius: *Jurisdictio* est potestas statuendi & exequendi in causis civilibus, jure Magistratiis competens. Nam malè *notionem* pro genere supponit Collegium Argentoratense: quoniam *potestas* in notione cessat, *l. 2. §. 3. de liber. caus.* in jurisdictione haut unquàm, *l. 215. de V. S.* verùm semper Magistratui inest, nec aliter ille notionem suam, quàm vi Imperii, expedit.

(*r*) Arbitri. Differentiam inter arbitrium & judicium diligenter explicat Pacius in *Method. C. de recept. arbitr. c. 6.*

(*s*) Pedanei. Quasi ad pedes Magistratuum sedentes, (ità Gell. *L. XIV. c. 2.* explicatè magis Feltmannus *de juram. per Eorresc. c. 20. n. 18.*) alias etiam judices *dati*, vid. Coll. Arg. *de Jurisdict. th. II.* ubi exponit, cur primùm coram Magistratu *de jure* experiundum fuerit: additô Gilhaus. *in arbor. Jud. civ. p. 42. n. 61. seqq.* Cæterùm differentia judicis pedanei à *mandatario* ùt & ejusdem à *Delegato* alibi exponitur vid. Bachov. in *πρωτ p. 408.* Franzk. *ad tit. π. de off. ejus cui mand. est Jurisdict.*

IX. Ejusdem fere generis est *audientia episcoporum* (*t*) & *consistorialis* (*u*) in Ecclesiis, de rebus quarum cognitio illis à potestatibus Reipubl. permittitur. Nam censura morum & declaratio indignorum communione sacra, toto genere ab hoc loco diversa est, siquidem hic de jure *quod à summa potestate desluit*, (*x*) agimus.

(*t*) Audientia episcoporum. Fluctuant Auctores in describenda Episcopali *audientiâ*. *Cujacius* putat ipsos Jurisdictionem non habuisse, nec apparitionem nec executionem; sententias autem ipsorum *Executioni* dedisse Magistratum civilem. *l. 8. C. de Episc. aud.* Alii *Jurisdictionem* illis adscribunt, sed *restrictam*; *l. 13. C. eod.* ut tamen porrigat se notio ipsorum etiam ad *crimina* pœnâ Ecclesiasticâ coërcenda, relictâ pœnâ seculari civilibus Magistratibus. vid. Perez. *ad C. de Episc. aud. n. 4.* Longè aliter se habet Jurisdictio Episcopalis *Jure canon.* & *Pontificiô* modernô. vid. Reinking. *l. 3. d. R. S. & E. cl. c. 10. & 11.* & omnium optime *Taborem* ad *Colleg. Arg. de judic. th. 269.* ubi solidè exponit ab origine *audientiam* Episcopalem, ejusque fata, & successionem juris, ad nostra usque tempora, exhibet.

(*u*) Consistorialis. Sed valde differt hæc ab audientia Episcopali. Illud constat, quòd in Consistoriis non sint tractanda illa, quæ *internam* potestatem Ecclesiasticam concernunt, nec quæ ad totam pertinent Ecclesiam; verum ea tantùm, quæ soli Principi reservata sint; ùt sunt caussæ, quæ ordinationibus & observantiâ *consistoriales* factæ sunt, ut puta de sponsalibus & matrimoniis, de usurarum excessibus (quanquàm hi quoque ex præventione ad secularem Magistratum aliquando perveniant:) caussæ decimarum, beneficiorum, seu præbendarum, stipendiorum, patronatus, suspensionis & destitutionis clericorum, absolutionis à juramento, (ut tamen *relaxatio reservata* maneat Principibus,) & denique quandocunque in civilibus vel delictis levioribus, quæ mitiùs quàm relegatione coërcentur, ratione personarum

 Juridi-

Jurisdictio consistoriorum in *Clericis*, & *qui* eò pertinent, Kirchen- und Schul-Diener, fundari potest, vid. Carpz. *Lib. III. Jurispr. Consist. def. 2. 3. 5. 6. 7. 11. & 12.* Unde apparet, quod cognitio illa consistorialis reverà speciem *Jurisdictionis* conficiat, nec Auctor Judicum *pedaneorum* cognitioni eam æquiparare potuerit; nisi quòd Consistorialis illa in multis ad *coërcitionem* non porrigatur: At vero hoc etiam in Jurisdictione civili sæpius accidit.

(*x*) QVOD A SVMMA POTESTATE DEFLVIT. Quasi videl. *indignus communione* Ecclesiasticâ judicari non possit à potestate summâ, quà hæc ipsa talis est, & rectè; nec tamen solum ad *ministerium* illud pertinet: nam licèt huic potestas clavium *concredita* sit, judicium tamen super exercendâ potestate illâ, *totius* est *ecclesiæ*, Principis & subditorum, ùt ejusdem membra sunt; Quâ ratione tamen Consistoria, tanquam Ecclesiæ totius in eo loco *repræsentativa*, cum & constent ex Secularibus & politicis consiliariis, vice *Ecclesiæ* in eâ re funguntur; ut hinc Auctor, si hanc potestatem à Consistoriis alienam esse voluerit, omninò deserendus sit.

X. Noli tamen putare, nullâ re quam exequendi jure notionum à jurisdictione distare. Nam autoritas, qua in jus vocantem sine conventione prævià sequi oportet, quæque præterea ante causæ cognitionem fiunt, non aliò quam ad jurisdictionem officiumque Magistratuum *referri possunt* (*y*).

(*y*) REFERRI POSSVNT. Et tamen autoritas hæc, atque illa, quæ *in jure*, antequam Judex pedaneus cognitionem suscipiat, peraguntur, ad executionem non pertinent: Videl. plus est in Jurisdictione quàm Executio, nec tamen plus ei annexum est, quàm *mixtum Imperium*: etenim mixtum Imperium non rectè definitur per solam *exequendi* potestatem; sed est potestas jubendi & coërcendi Jurisdictioni tuendæ inserviens. Quid vero quòd Judex quoque *pedaneus* directiones quasdam habeat, seu *jussiones?* nimirùm illæ non sunt aliæ, quàm quibus nudæ notionis expediendæ causâ indiget. *l. 11. §. 4. de interr. act. l. 15. C. de judic. l. 2. §. 7. C. de jurej. propter cal. dand.* & sic solò genere à coërcitionibus, quæ mixti imperii sunt, distinguuntur.

XI. Divisio *jurisdictionis* (*z*) prima est in voluntariam, quæ non nisi inter consentientes, & contentiosam, quæ inter contradicentes exercetur. Ad priorem spectant adoptiones, emancipationes, Legitimationes, *non æque tutorum dationes*, (*a*) *veniæque ætatis* (*b*) impetrationes: simile de similibus esto judicium.

(*z*) JVRISDICTIONIS. Sed ita non oportet Jurisdictionem sumere pro *ordinaria*, quatenus extraordinariæ contradistinguitur: quanquàm pro tota Jurisdictione, quà mero imperio opponitur, divisum hoc accipiant complures; quod tamen nec ipsum recipiendum est: non enim est distinctio hæc *generis* in *species*, saltim non generis *univoci* in sua univocata: siquidem Jurisdictio voluntaria non est Jurisdictio seu potestas, quæ jure Magistratûs competit, sed cum termino quasi *alienante*, Jurisdictionis *extraordinariæ*, habetur.

(*a*) NON ÆQVE TVTORVM DATIONES. An fortassis *mixtæ* Jurisdictioni, quæ ex voluntaria & contentiosa quid participat, accensendæ erunt? Nequaquàm, non enim datur ejusmodi mixta Jurisdictio, quin potiùs tutoris dationem *voluntariæ* Jurisdictioni accenseri oportet: *l. 2. §. 2. de tutel. l. 19. §. 1. de tutor. & curat §. 5. J. de Attil. aut.* Nam & in *aliis* actibus voluntariæ Jurisdictionis *contentiones* quædam suboriri aliquando possunt, qui tamen actus naturâ suâ per hoc non excidunt, nec ad diversos Magistratus prædus

perducuntur: quin potiùs ipsa disceptatio vi ejusdem extraordinariæ potestatis expedienda est.

(*b*) VENIÆQUE ÆTATIS. Rectè Auctor nisi ubi *Magistratui*, ùt tali, ejus rei potestas concessa est, sicut in Ducatu *Würtembergico*: Aliàs omninò venia ætatis, it. legitimatio liberorum, *Majestatis* est, aut ex privilegiò aut præscriptione immemoriali Superioritatis, ùt rectè Vinnius *c. VI. de Jurisdict. §. 6.*

XII. Contentiosa dividitur, (missa partitione *in civilem & criminalem* (*c*) quod sit ordinaria vel legitima. Ordinaria quæ competit Magistratui quà tali & more solito absque speciali sanctione. Legitima sive extraordinaria, quæ competit iis tantum Magistratibus, quibus expressa lege, vel constitutione data est; quò apud Romanos pertinebat tutoris datio, consilii exercitio, permissio alienandi bona pupillorum & minorum, ipsumque Merum Imperium, ut modò indicavimus.

(*c*) IN CIVILEM ET CRIMINALEM. Malè sic distinguit Jurisdictionem contentiosam Pauermeisterus, *L. 1. d. Jurisd. Imp. c. 16. n. 23.* nam merum imperium à potestate causarum civilium penitùs separatum est: unde non minus *Auctor* licèt *suprà §. 5.* dixisset, se Jurisdictionem ab Imperio mero distincturum esse, hoc tamen loco emendandus est. Nam licèt merum Imperium referat ad *extraordinariam* Jurisdictionem, *in fin. h.* tamen hæc quoque Jurisdictio quamvis jure Magistratûs non competat, ad causas tantùm *civiles* ubique restringitur: & quanquàm quædam extraordinaria sit etiam contentiosa, ùt *supra* diximus; tamen contentio illa nunquam criminalia tangit, adeòque ipsum merum imperium non modò ab ordinaria, sed etiam extraordinariâ *Jurisdictione* separatam rationem habet. Deinde *Autor* minùs rectè actùs, qui hic sequuntur, ad *contentiosam* Jurisdictionem extraordinariam refert, siquidem tutoris datio, consilium, decretum, omnia voluntariæ Jurisdictionis sunt.

XIII. Ordinaria jurisdictio rursus est vel propria vel aliena, quæ ad legitimam non pertinet differentia, quoniam hæc in alium nullo modo transferri potest, quippe cum nulli competat, nisi cui vi legis data atque adeò cujus propria est. Etenim propria dicitur, quæ immediatè à summâ potestate sive specialiter seu generali jure proficiscitur. Aliena, quam quis exercet vice alterius Magistratus ex voluntate ejus cui propria, *vel consensu partium* (*d*).

(*d*) VEL CONSENSU PARTIUM. Non sufficit: nam *legalis* prorogatio Jurisdictionis per *reconventionem* sc. non est ex consensu partium.

XIV. Illa dicitur mandata, hæc prorogata. Jurisdictio mandatur tota vel pro parte. Tota cum Magistratus omnes officii sui partes obire impeditur, aliumque pro tempore substituit, neque enim licet in perpetuum, nisi abdicato Magistratu, quo facto redit ad fontem.

tem. Pro parte fit dupliciter; ſunt enim partes aut ſubjectivæ aut potentiales, ut in Schola loquuntur; pro parte ſubjectiva mandatur jurisdictio, cum Magiſtratus oppido alicui aut territorio vel pago ſuæ provinciæ aliquem præponit, in quem uſum Præſides olim *ſuos habebant Legatos* (*e*); pro parte potentiali, cum pro actu aliquo juris dicendi alium ſubſtituit. Poſſunt autem mandari & ſub mandata ſimpliciter jurisdictione comprehenduntur omnia, quæ modo non veniunt ex ſpeciali Lege vel conſtitutione; Ideoque mixtum quod dicitur Imperium per mandatum * quoque tranſit, non æque merum aliaque *legitimæ jurisdictionis*, (*f*) ut dictum.

* *JC. in l. 1. & l. ult. cod. tit. de off. ej. cui mand.*

(*e*) SUOS HABEBANT LEGATOS. Provinciarum ſc. Conſularium ſeu ſenatoriarum, i. e. *Proconſulum*, nam *Præſides* non habebant legatos, ipſi Legati Principis. At vero legati Proconſulum non erant mandatarii, ſed habebant *propriam* Jurisdictionem à Senatu Rom. in *actu primo*, quæ per admonitionem ſeu excitationem Proconſulis in actum *ſecundum* deducebatur. Hinc non alteri, quàm *illi legato*, mandari ſeu committi poterat, *l. 4. §. 6. de off. Proc.* nec adimi per Proconſulem, *l. 6. §. 1. eod.* appellari autem poterat à Legato ad Proconſulem, tanquam *diſtinctam* Jurisdictionem tenentem, *l. 2. qui & a quibus appell.* qui & ſuos ipſe proprios habebat Aſſeſſores, lictores, apparitores, *l. 6. §. f. de pæn.* indeque *propria* ipſius expreſsè dicitur Jurisdictio *l. 4. de Off. ej. c. mand. eſt Jurisdict. l. 13. de Off. Proc.* atque inter *Magiſtratus Rom.* ubique refertur, *Conſ.* Cujac. VII. O. 21. Obrecht. *L. 3. de Jurisdict. c. 17.* Sutholt. *de Jurisdict. th. 347.*

(*f*) LEGITIMÆ JURISDICTIONIS. Poſſunt tamen, quanquàm non niſi *ſpeciali* mandato, illa mandari aliis, quæ cognitionis *extraordinariæ* ſunt, nam & hæc ſunt *Jurisdictionis* ordinariæ, ùt *ſupra* diximus.

XV. Prorogari jurisdictio tantum poteſt *in ſpecialibus cauſis* (*g*). Neque enim ut Magiſtratus totum id, quod habet rectè transfert, ita, privati plusquam de ſuis rebus cognoſcendi jus tribuere poſſunt. Vulgo quadruplex prorogatio traditur, de loco ad locum, *de tempore ad tempus*, (*h*) de causâ ad cauſam, de perſonâ ad perſonam. Judicium de his ſpeciebus in eo vertitur, quod privati de jure quidem ſuo remittere aut decedere, jus publicum autem mutare vel jurisdictionem privato dare neutiquam poſſint. Cum igitur extra territorium, cui præpoſitus eſt, nemo jus dicere queat, Magiſtratus v. c. Mutinenſis Bononiæ, clarum eſt prorogationem de loco ad locum *impingere in principia juris*. (*i*). Cum etiam qui ad tempus certum conſtituti ſunt Magiſtratus, eo præterlapſo, ſint privati, palam eſt, privatos in eum ut arbitrum quidem compromittere, judicem eligere non poſſe, unde perit

perit prorogatio de tempore, ad tempus. Sed nec ea, quæ de causa ad causam dicitur, *usum habet frequentem* (*k*), Judex enim qui de certis rebus judicare jussus est, de aliis toto genere diversis ne partium quidem voluntate judicium recte exercet, neque enim is, qui ad civilia constitutus est, de criminibus cognitionem suscipere; nec qui de fideicommissis aut familiis erciscundis duntaxat est datus, de rebus aliis adiri potest, utique non vi jurisdictionis, sed per modum arbitrii tantum. Quod si negotium sit ejusdem generis, quantitatis tamen majoris quàm Judici præscriptum sit, nihil obstare videtur, quominus consensu litigantium jurisdictio ad majorem summam prorogetur, quia nihil apparet, quare inde judiciorum confusio sit metuenda*.

* *JC. in l. 74. §. 1. de judic. l. 28. ad municip.*

(*g*) IN SPECIALIBUS CAUSIS. Videtur *Auctor* planè rationem in suâ tractatione *prorogatæ* Jurisdictionis non habuisse ejus speciei, quæ *à lege* dependet, & per *reconventionem* constituitur; quod tamen fieri non debebat. Equidem legalis prorogatio regulariter in omnibus causis locum habet, etiam *invitis* partibus, saltim reconventô invitô.

(*h*) IMPINGERE IN PRINCIPIA JURIS. Videl. Magistratus extra territorium est privatus. *l. 3. de Offic. Præs. l. fin. de off. præf. urb.* & in invitos non potest exerceri in alieno territorio, imò nec *in volentes*, Jurisdictio contentiosa, quanquàm possit *voluntaria*; sed hoc non ex prorogatione partium, verùm ex Jurisdictionis illius *naturâ*.

(*i*) DE TEMPORE AD TEMPUS. Et rectè speciem quoque hanc rejiciunt alii; vid. Sutholt. *d. Jurisd. in aphor. 374.* Vinn. *l. 1. quæst. c. 4.* non obst. *l. 2. §. 2. de Judic.* nam illa non loquitur de Jurisdictione prorogata, sed cùm Judex datus esset, ut notionem suam *intrà tempus præfixum* expediret, quòd partibus integrum esse debeat, (quippe in quarum favorem terminus ille constitutus fuerat) tempus adjectum prorogandi.

(*k*) USUM HABET FREQUENTEM. Imò nulla est planè prorogatio *de causa ad causam*, eò sensu, ut ad diversi generis formæve causas, velut à civili ad criminalem fieri posse debeat: *l. 61. §. 1. de judic.* Nec enim ubi Jurisdictio seu potestas non est, eadem per privatum tribui potest: & ne limitata quidem Jurisdictio potest produci ad causas alias. An autem causæ qualitas generalis & *summa* sufficit, velut quà civilis alia dicitur, alia criminalis, ut prorogari possit? ita quidem Vultejus & Brunnemannus juxta quos si qualitas specialis alia sit, Jurisdictionem civilem hanc ad civilem causam *diversæ speciei* prorogari nil impediet; modò alias personæ Magistratui illi *subjectæ* fuerint. At vero quomodo ad *potestatem* prorogabitur à privatis cognitio? quam potestatem Magistratus non habet; Potius civilem Jurisdictionem, ne quidem ad civilem diversi generis prorogari posse, asserendum est: quam in sententiam Auctor inclinare videtur in vers. *quod si negotium*, eamque *l. 1. C. de Jurisdict. omn. Jud.* convenire ex inspectione constat, eaque fatente ipsô Vultejo *ibid. n. 107. usu* recepta est.

XVI. Præcipuus est usus prorogationis de personâ ad personam, quæ dicitur, quando is qui judici alicui non subest, ejus jurisdictioni se submittit, quod vel tacite fit ipso actu vel expresse *per conventionem* (*l*) antecedentem. Prius, quando qui non subest judici alterum in

jus vocantem ſequitur & litem cum eo conteſtatur *; tunc enim declinare forum ſuoque judici ſe adſerere non eſt amplius integrum, quod ſi petitionem adverſarii tantum audiverit, neque reſpondere voluerit, non videtur ſtabilita jurisdictio **.

* *JCt. in l. 52. de judic.*

** *JCt. in l. 18. de jurisdict.*

(*l*) PER CONVENTIONEM. Fieri prorogationem ſpontaneam *per conventionem* minùs aptè dicitur, nec enim pacto Jurisdictio tribuitur, aut ſtipulationis alius eſt effectus, quàm ſi magiſtratus ille non adeatur, ut tunc ad hoc agi poſſit, quod intereſt: Videlicet, ſi ad prorogandum judex adeatur, litisve fiat conteſtatio, *l. 4. C. de Jurisdict.* ita prorogatio conficitur: quanquàm quod *Autor* hic docet, & ante eum Paurmeiſterus *L. I. c. 27. de Jurisdict. n. 18.* quaſi per *litis conteſtationem*, & non aliter, prorogatio inducatur, recipiendum non ſit: nam & per oppoſitionem *exceptionum dilatoriarum*, omiſſis declinatoriis, prorogationem induci per *l. 52. pr. de Judic.* rectè aſſeritur; Nec tantum per conteſtationem litis, quippe quæ vel maximè partem litigantem ipſumque judicium reſpicit, ſed etiam *aliis modis* judex jam probatus eſſe potuit. Hinc in univerſum prorogationem tunc factam eſſe cenſemus, quando quid intervenit, ex quo colligi poſſit, quòd quis *jurisdictioni* alterius *ſe ſubjicere* voluerit.

XVII. Conventio de recipiendo judice, cui debitor non ſubeſt, ſine dubio valida eſt, ideoque ſi non ſtetur eâ conventione, ſtipulatori actio in id quod intereſt dabitur, vel ſi quem præterea effectum obligatio ex conſenſu habere poteſt, is obtinebit. At publici juris ratio privata pactione *nihil immutatur* (*m*). Hinc vi ſubmiſſionis ſub noſtro judice factæ, civis alterius Reipublicæ non poteſt in jus vocari, dum manet in altera civitate; non ibi in loco, quia nulla poteſtas in alieno Imperio ullos actus jurisdictionis inſtituere poteſt, neque per Edictum in finibus noſtræ Reipubl. ut in ſubditos profugos fieri ſolet, quia deficit medium, quo citatio, quæ eſt actus Imperii, alienum civem obligare poſſit. Nec quidem actione in id, quod intereſt, rectè convenietur, niſi expreſſum ſit, ut extrajudiciali denunciatione admonitus ſe ſiſtat. Idem dicendum, ſi quis ſe judici ejusdem Reipubl. cui nec mediatè nec immediatè ſubjectus eſt ſubmiſerit; quia & *in collateralibus* (*n*) unius Imperii Magiſtratibus vera eſt regula, nulli extra territorium ſuum jus dicenti eſſe parendum. Sed in utrisque effectum habebit ſubmiſſio directum, ſi is qui foro ſuo renuntiarit, in loco judicis prorogati territorioque ſit *deprehenſus* (*o*) ibique citatus; tunc enim jurisdictio fundatur, ut litem ille conteſtari cogatur. Maximum porrò uſum habet hæc

hæc prorogatio in his, qui se immediatè superioribus submittunt Judicibus, ad quos *prima alioqui instantiâ* (p) vocari non possunt. Nam ubi foro proprio & immediato renunciaverint, nihil obstat, quo minus superior Magistratus, quem pro supremo agnoscere debent, jurisdictionem in illos *exerceat* (q).

(m) NIHIL IMMUTATUR. Quid vero quòd *Autor* in *§. præcedente* prorogationem per conventionem fieri posse docuit? Videtur hic in *§. 17.* ad jus hodiernum respicere, quò plerique docent, prorogationem spontaneam, seu quæ à partibus fit, non amplius obtinere, quoniam in patrimonio est Jurisdictio, quam Magistratui conventione subducì non oporteat, indeque non nisi legalem prorogationem nunc quidem admittunt. Enimvero hæc doctrina procedit, si diversa territoria & diversas in eodem territorio Jurisdictiones *patrimoniales* supponamus; Nam in eodem principatu v. g. ut olim in Imperio non minùs tota *prorogationis spontaneæ* doctrina quotidiè exercetur, quâ nimirum principis, coram quonam collegiorum suorum quis conveniatur, non interest, sed etiam quando ne foro renunciare possint, in favorem ipsorum & non publicum constitutum fuit; secùs & cumprimis *externum* forum prorogantes mandatis pœnalibus, etiamsi in causâ conclusum fuerit, *avocantur.*

(n) IN COLLATERALIBUS MAGISTRATIBUS. Est tamen ubi ex conventione publica Jurisdictioni civitatis unius reliquæ submittuntur, velut civitates *jure Lübecensi* utentes olim ita inter se convenerunt, ut *appellationes* Lübecam, cui tamen nulla cæterarum suberat, deferrentur.

(o) DEPREHENSUS. Ut licèt ex suo loco non possit ad peregrinum judicem vocari; (nec enim hic aliter subditum alienum, quàm *per subsidium* citare potest,) tamen si hic in territorio magistratûs peregrini reperiatur, perinde ibidem citari possit, atque dicimus aliquem forum sortiri ex contractu in loco contractus, si modò ibidem deprehensus fuerit, ùt quidem habet doctrina communiter recepta, *apud* Carpz. *in 2. resp. 30.* adeò, ut tùnc demum locum contractûs forum competens constituere, (licèt ibi reus non reperiatur,) *Dd.* observent, si *arrestum* rerum intervenerit; vid. Mev. *P.* 1. *Dec. 239.* quanquàm de jure constituto verior sit *contrà* Bachov. *Vol.* 1. *Tr. D. 3. th. 8. lit. C.* aliorum sententia, quòd contrahens in loco contractus conveniri possit, licèt ibidem non deprehendatur; idque ob text. generalem in *l. 19. §. 1. de Judic.*

(p) PRIMA ALIOQUI INSTANTIA. Cujus rei exemplum est illustre in statibus & immediatis Imperii, quando *Austregis* renunciant, ut tunc immediatè in Aula Cæsaris, vel Camerâ Spirensi conveniri possint, vid. Schubhard. *cap. 7. de Austregis.*

(q) EXERCEAT. Quanquam aliàs etiam observari debeat, quod si cuiquàm Princeps Jurisdictionem seu instantiam primam concessit, possit subditos ipsius non quidem in causis ad Jurisdictionem Vasalli v. g. pertinentibus, sed tamen in aliis, v. g. ut testimonium in judicio Principis dicant, & similibus, *immediatè* citare, ùt rectè Franzkius *Resol. 18.* dissentiente licèt Carpz. *p. 1. C. 27. D. 11. & C. 16. D. 29.*

XVIII. Haud dispar judicium est de causis, ob quas homines diversis judicibus subditi propter continentiam negotii omnes ad unum vocantur, ut hoc rectè in eadem Republicâ, non perindè fiat *in diversis*, (r) nisi spontè sistant se: * quia neque Lex civilis illum concursum in diversis Imperiis operari, nec in jus vocatio contra non subjectos expediri potest.

* *Vid. JC. in tit. ff. De quibus rebus ad eundem judicem eatur.*

(r) In

(r) IN DIVERSIS. Imò etiam in diversis, prout hodiè diffitendum non est, territoria statuum in Imperio ad instar diversarum Rerumpublicarum habere, & tamen quotidiè ob *continentiam* causarum subditi territoriorum alienorum ad unius v. g. ubi bona sita sunt, citari, velut in *concursibus* creditorum, (Mevius *V. Dec. 125.*) in continentia ex *accessorio* (Jurisd. *Dec. 355.*) nam hoc ipsum non tantùm lex Civilis exigit, sed *naturalis* quoque ratio, de quâ vid. Blum. *in Proc. Cam. tit. 40. n. 2.* idque non modò in continentia rationе causæ, velut possessorii & petitorii; Vid. Carpz. *I. Resp. tit. 8. resp. 74.* & *tit. 3. proc. art. 5. n. 9.* sed etiam quoad speciem continentiæ, quæ *ex personis* pendet; quanquàm hæc eò plerumque dirigatur, ut rei diversis foris subjecti coram omnium superiori conveniantur, velut mandans & mandatarius v. g. diversis Jurisdictionibus subjecti, ob injurias coram utriusque superiore conveniri possunt. Vid. Vultej. *L. I. de Judic. c. 4. n. 227.* quanquam *Carpzovius* hac in re difficilem se præbeat *II. Resp. 17. n. 12.* contrà quem vid. Berlich. *II. Dec. 220.*

XIX. Sed omnibus illis casibus, quod directâ vi jurisdictionis fieri nequit, per requisitionem inter civitates ob reciprocam utilitatem receptam, fieri solet ac debet. Idem juris & moris est, in criminum reis, quos cum in loco admissi publicè intersit animadverti: idcircò alibi deprehensos istuc remitti oportet, quæ remissio in eodem Imperio vi legis necessaria potest fieri, ut *Jure Romano* (s) cautum: * in diversis Rebuspublicis non nisi voluntatis mutuæque humanitatis est.

* *Justinian. in Nov. 134. cap. 4. & 5.*

(s) JURE ROMANO. *Nov.* hic citatâ, *l. 7. §. ult. de accus. l. 7. de Cust. reor.* Sed nunc *remissiones* cessant, Franzk. *de judic. n. 46.* Carpz. *3. quæst. cr. 110. n. 45. seqq.* nisi conventione mutuâ aut observantia seu consuetudine ita placuerit, vel etiam reus latâ jam sententiâ aufugerit.

XX. Hæc de Jurisdictione pro hoc loco sufficiunt. Superest mixtum Imperium, quod in modicâ coërcitione consistit & jurisdictioni, ut dictum, civili adjungitur, eamque perpetuo comitatur, ut vim executionis vigoremque judiciis necessarium addat. Quanquam & *per se consistere potest* (t), ut nullam sequatur jurisdictionem, quoties Magistratus tralatitia hominum admissa aut contumacias per & propter se coërcent, veluti mulctæ dictione, pignoris capione, carcere, verberibus aut opere publico temporario, aliâve ignominiâ. Nam hi omnes modi ad Imperium mixtum referuntur, uti & manus militaris & missio in possessionem, aliaque ad executionem ac coactionem comparata.

(t) PER SE CONSISTERE POTEST. At vero hoc non est mixtum imperium à Jurisdictione separatum, si *Jus Justinianeum* respicias, ubi magistratus non minùs ob delicta, quæ lege publicâ judiciorum notata non fuerant, nec adeò meri erant imperii, carcere aut mulctâ coërcere poterat; verùm etiam *hodie*, ubi mixtum imperium ad bassam seu *inferiorem* jurisdictionem respicit, ejusmodi delictorum *correctiones* non minùs *Jurisdictionis*, cui mixtum imperium inest, esse dicuntur.

XXI. Cæte-

XXI. Cæterum nudæ forſitan notionis in hodiernis Imperiis uſus eſt perexiguus aut nullus? Nam arbitris etſi perfectè competat jus cognoſcendi & pronuntiandi, tamen hoc ad ſtatum civitatis aut ordinem Imperii non pertinet, ſed ad jus privatum & conventiones ſingulorum. Epiſcopi & Conſiſtoria Eccleſiarum quam habent audientiam, ea toto etiam genere differt, non minus à notione quam à jurisdictione civili; ſed analogice non minus cum hac quam illâ comparari poteſt. Mos autem dandi judices pedaneos, quam Magiſtratus Romani faciebant, ut cauſas viderent & ſententias ferrent, quemadmodum recentiori jure Romano ſuppreſſus, ita noſtris temporibus omnino incognitus eſt. Nam quod Commiſſarios Curiarum multi huc trahunt, error manifeſtus; ſiquidem illi nihil ſunt aliud, quam delegati *ad præaudiendas partes*, (*u*) ut tamen ipſi Judices & diſceptent merita cauſæ & ſententias dicant.

(*u*) AD PRÆAVDIENDAS PARTES. Zur gütlichen Handlung, ſed ita ſtrictè ſumi *commiſſarios*, eôque modô infinitæ commiſſariorum ſeu deputatorum ſpecies recenſeri poſſent. vid. *noſtra* ad *Tit. ff. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

XXII. Apparet ex his quæ diximus, Jurisdictionem eſſe facultatem moralem, quæ perſonæ competit, à ſumma poteſtate expreſsè delatam, quæ proinde nec aliis modis acquiri, neque amitti, niſi ex voluntate ſummæ poteſtatis poſſit. *Præſcriptione* (*x*) igitur illam propriè nemo acquirere poteſt, ut alias dictum, neque ſecus amittitur, adeo ut nec abdicare ſe Magiſtratus ſuâ poteſtate, ignaro vel invito principe, poſſit. At morte, velut cuncta perſonalia, ſine dubio finitur, maximeque tempore præfinito in functionibus ambulatoriis.

(*x*) PRÆSCRIPTIONE. Antehac nec *negativè* præſcribebatur Jurisdictio, ut nempe quis contra eam liber tempore fieret, nec *poſitivè*, ut quis in Magiſtratum è privato abiret; nunc tamen Jurisdictio longô tempore adverſus aliam quàm ſuperiorem cum territorio, ſed abſque eo longiſſimô præſcribitur. vid. *l. f. C. de long. temp. præſcript.* adverſus *Principem* vero ſeu ſuperiorem immemoriali tempore opus eſt. Thoming. *Conſ. 22. n. 68. ſeqq.* ſi titulô careat præſcripturus, ſeciis ſolùm 40. annos deſiderant. *Arg. c. 1. X. de præſcription.*

XXIII. Sed uſus fert, ut jurisdictio cum reſpectu ad ſubjectum territorium appelletur; eodemque jure quo ipſa territoria cenſeatur. Hoc ſenſu præſcriptione poteſt acquiri & amitti jurisdictio, ut Magiſtratus cuique territorio præfecti latius aut anguſtius imperent, & ſi

Ooo terri-

territorium jus Universitatis habeat, tum nec ipsa potestate summa illud jus tolli potest, quatenus Universitas idem habet, quod privatus in suis rebus.

CAPUT XI.

De *Subjectione Rerum.*

ARGUMENTUM.

Res cujusque subjectas eidem Imperio cui persona. Divisio rerum in corporales, & incorporales; rursus illarum in mobiles & immobiles: earumque differentia quod ad juris effectum, quà de re disputatur. Divisio alia; res sunt vel singulorum vel communes vel publica vel universitatis aut nullius. Quid singula species. De rebus nullius agitur latius; primò de his, qua per occupationem acquiri possint; quo loco probatur, fuisse initio mundi Communionem rerum. Quo jure nitatur jus venandi feras principibus solis addictum, accuratius docetur. Tum de rebus, qua dominium non recipiunt, cujus natura probatur esse mare, certis tamen sub cautionibus; ne quidem Imperium maris ullum per se dari, citra illas cautiones. De publicis rebus & earum differentia. De insulis in flumine, de ripis, de alveis, de alluvionibus, denique de rebus verè aut quasi sacris earumque alienatione, de rebus sanctis, & religiosis.

I.

POst homines, qui subjiciuntur Imperio, transeamus ad res. Intelligimus autem per res in jure ea, quæ Græci χρήματα appellant, quæ Aristoteles * ait esse πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται, *omnia quorum valor pecunià æstimatur:* quæ & *bona* dicimus à beando, unde latinè beati, id est, divites. Cum autem propter homines habeantur bona, consentaneum est, eos, qui Imperium habent in personas, eandem in res habere potestatem. Nempe, ut antea diximus, tam proprietas bonorum quàm libertas corporum singulis in civitate salva intelligitur, Imperium nec non eminens dominium, in singula vim suam pariter extendit, ut similiter dictum.

* 4. *ad Nicomach. cap.* 1.

II. Res sunt vel corporales vel *incorporales* (*a*). Illæ mobiles aut immobiles, quas inter magnum juris discrimen aliqui constituunt. Nam quia mobilia proxime & immediatè ad usum personæ spectant, ideo

ideo ſubjacere volunt hæc imperio illius, cui ipſa perſona ſubjecta ſit, quocunque loco bona reperiantur. Adeo ut Princeps, qui bona civis ſui propter delictum redigit in fiſcum, ea quoque mobilia, quæ ſub alterius imperio latent, jure ſibi vindicet. Similiter Leges & ſtatuta de ſucceſſione bonorum, quæ in locis, ubi quisque civis eſt, obtinent, iis quoque in bonis habere effectum, mobilibus ſcilicet, quæ ſub alterius ditione reperiuntur. At ſecus in rebus ſoli ſive immobilibus eſſe; nam hæ cum partem Reipublicæ ſubjectivæ, id eſt, territorii conſtituant, non poſſunt alterius, quam qui regit eandem civitatem, ſequi autoritatem. Ideò leges de ſucceſſionibus, quæ in unâ obtinent Republ. quod ad res alibi ſitas, ubi diverſum jus viget, non poſſe valere, idemque de confiſcationibus dicendum.

(*a*) INCORPORALES. Ab his aliæ ſunt *incorporeæ*. Sunt autem res *incorporales* veræ relationes â jure productæ, & non entia rationis. Corporales vero res ſunt mobiles vel immobiles: has non facit tales ſola *deſtinatio* Patrisfamilias. Aliquando etiam res *incorporales* ad corporalium jura trahi anguſtia vocis legiſlatoriæ, aut hominis diſponentis jubet, quâ ratione vel mobilium vel immobilium jure cenſentur: atque de actionibus *realibus*, quæ ſcil. rem ſequuntur, pro diverſa conditione rerum ſtatuendum eſt: Quod vero actiones *perſonales* attinet, idem dici debet, ut ſi ad rem immobilem reſpiciant, in cenſu immobilium rerum non minùs habeantur, ſi ratione mobilium, v. g. ex mutuo, locus in quo creditor degit, reſpiciendus ſit, quod ad *fin.* §. *4.* hic obſervandum eſt.

III. Verum his ratio juris vetat adſentiri; quatenus certum eſt, nullo modo poſſe fieri, ut principis ullius ſtatuta vel decreta in alterius Imperio vi directâ ſortiantur effectum. Publicatio igitur bonorum tam mobilium quam immobilium, quæ in alieno territorio ſint ſita, non poteſt inſtitui, quam altero conſentiente Principe, cui de rebus penes ſe poſitis pro arbitratu diſponere licet.

IV. Quod ad ſucceſſionem attinet, res quidem ita ſolet explicari, at longe diverſâ, ut opinor, ratione, quæ non à jure imperii ſed *voluntate petenda defunctorum*, (*b*) quæ in privatis ſucceſſionibus utramque facit paginam; & ſine dubio quisque de rebus ſuis ubicunque ſitis libere diſponendi habet facultatem. In dubio autem præſumitur, ea quæ ad perſonam ſuam pertinent eamque ſequuntur, voluiſſe deferri ſecundum jus illius loci, ubi perſona ipſius egit: mobilia verò dicuntur ſequelam habere perſonalem. Non æque res ſoli, quas non ad perſonæ ſuæ rationem, verum potius ad regionis, cujus portio ſunt,

mores & instituta destinasse videtur. Eadem ratio est in rebus incorporalibus, ut sunt jura, obligationes, reditus & similia.

(*b*) Voluntate petenda defunctorum. Imò vero ubique *imperium* prævalet, idque sequimur, videl. non quia id voluit defunctus, sed quia non aliter voluit, modò in eo loco, ubi bona sita sunt, *testamentorum* usus, & ut voluntas hominis legi prævaleat, receptum sit. Cæterùm *hereditas* tanquam universitas non censetur ex loco, ubi bona sunt, sed ubi relinquitur hereditas, quod fieri intelligitur, non ubi quis *moritur*, (quanquàm si ibi condidisset testamentum, quoad *solennia* actûs, illud sec. requisita illius loci censeretur; ut ad bona extra illum locum quoque reperta porrigi possit. Mynf. *V. th. 20.* Gail. *1. th. 123.*) sed ubi *domicilium* habet, *l. 1. C. ubi de her. agi.* cui quis creditur bona sua adjecisse. *l. 27. §. 1. de fund. instr.* Jacob. Schultes. *I. quæst. 39.* nisi ex jure *loci* ubi sunt, aliud constitutum vel receptum reperiatur: nam ita potest fieri, ut circa bona mobilia, it. nomina, diversum servetur, si quidem *mobilia* illi quoque loco subsunt, ubi reperiuntur. (aliter atque *Auctor* hic docere videtur.) Quod si etiam constet, bona mobilia ideò in alium locum quem transtulisse, ut ibi *perpetuò* essent, & sec. jura seu statuta ejusdem censerentur, tunc iterum domicilium morientis non respicitur. *l. 35. §. 3. de hered. inst. l. 32. de pign. l. 86. de leg. 3.* Carpz. *VI. resp. 38. n. 29.* exemplum habet in pecuniâ alibi sub usuris elocatâ: quod tamen exemplum meritò quis in dubium revocaverit; nisi aliæ circumstantiæ concurrant, ex quibus animus defuncti apertiùs colligatur: v. g. si appareat bono filiorum fratris, qui in loco domicilii defuncti cum patruis succedere non poterant, in eum locum, ubi eorum fuerat ex jure repræsentationis successio pecuniam eum constituisse. Quod *immobilia* attinet, certum est, statuta *loci*, ubi illa sita sunt, respici: ita Reinking. de *retract. consangv. quæst. 1. n. 45.* Bocer. *Class. I. Disp. 3. n. 44.* Denique quòd bona *publicata* alibi sita ad dominum loci, in quo ex crimine bona delinquentis publicantur, pertinere non possint, ejus rationem rectè *Auctor* in eo collocat, quòd nil valeat imperium publicantis in bona quæ alibi sita sunt; Interim dubium non est, quòd etiam possit dominus territorii peregrini, si judicatam rem alterius agnoscat, bona delinquentis sub suâ Jurisdictione deprehensa, in fiscum redigere.

V. Præterea dividuntur res, quod sint vel singulorum, aut communes vel publicæ, aut Universitatis, denique Nullius. De rebus singulorum, quæ ad privatos pertinent, modo occupatum est, notumque vim Imperii dominia privata relinquere intacta. Quid autem Rex verus in illa ex ratione publicæ utilitatis aut necessitatis, quid Monarcha despoticus *jure possit ordinario*, (*c*) alibi explicatum.

(*c*) Jure possit ordinario. Num itaque non dabitur in Monarcha despotico *dominium eminens?* aut an omnia, quæ *ipse* peragit, vi dominii eminentis peragere videbitur? Neutrum asseri potest, nam & despoticum Imperium justum est, & imò tyrannicum faciem justi imperii eòusque sustinet, donec infima summis permixta, & in statum hostilem respublica conversa fuerit, quô statu frustrà deinceps de ordinario vel extraordinariô regimine seu potestate imperantis quæritur.

VI. Res communes sunt, quarum usus & proprietas cunctis hominibus æqualiter competit, vi divinæ largitionis condito & instaurato generi humano factæ*: dicuntur & Nullius, eo quod *peculiari dominio*

minio (*d*) à nemine adhuc ſint comprehenſæ. Quæ ſunt hujus generis eæ vel ſunt tales, ut à quolibet occupari queant, aut penitus dominii ſunt incapaces.

* *Geneſeos cap. 1. & rurſus cap. 9.*

(*d*) PECVLIARI DOMINIO. Diſtinctè hic procedendum eſt, & quidem inter omnes conſtat, etiam eos, qui *communionem primævam* nullam unquam fuiſſe docent, quòd res quædam *communes* hodienum dentur, ſic dictæ, quatenus vel natura ſuâ in proprietatem, ſeu ùt *Auctor* hic, in peculiare dominium transſcribi non potuêre, dum earum uſus & fruitio omnibus animalibus neceſſariò relinquendus fuit (etiamſi nec uſum in his talibus, aëre, v. g. aurâ, ventis, in quibus nulla libertas utendi eſt, propriè dixeris,) vel quatenus ob innoxiam, quæ inde aliis obvenire potuit, utilitatem, eas ad ſe gentes propriô jure pertinere noluerunt: Inde non rectè communes hæ res manſiſſe dicuntur, tanquam *ex derelicto*, quaſi videl. anteà omnes occupatæ fuerint dominiô quôdam *potentionali*, *ùt Strauchio aliisque* dicitur: Sanè dominium illud potentionale æquè figmentum eſt, atque illa quæ multis etiamnùm placet, & vel ipſi *Seldeno, in Lib. de mari Clauſ.* actualis communio, & quidem ut communionem illam rejiciamus, eô planè ſenſu, quô *Puſendorfius* uſus eſt; Etenim is, *in L. IV. c. 4. §. 5.* ſtatuit communionem *negativam*, quâ ſc. res non magis ad hunc quàm illum pertinuerint: (hoc eſt, omnes res *nullius* ab initio fuiſſe aſſerit, prout rectè dicitur communio *poſitiva* eſſe, quâ res plurium eſt) adeò ut ne quidem Adamum pro *Domino* rerum creatarum agnoſcat, niſi quòd voluerit dominum eum fuiſſe (*§. 13. d. cap.*) *aliô* quôdam & diverſo dominii *genere* ab eo quod nunc habemus, id quod ipſe *Inchoatum*, neque tale formaliter, ſed conceſſivè atque dominium, nec actu tale, quo nos utimur, ſed *potentiâ*, appellat. Quæ quidem omnia ſi *Puſendorffius* intellecta velit de rebus aliis præter eas, quas Adamus *actu* tenuit, eô ſenſu, quo nos rem explicavimus, admitti poſſent; at vero cùm ille dominium ne quidem Adamo in rebus ab eo *occupatis* tribuat, & ideo quidem, quia nemo juxta Adamum, poſitô quòd ſolus manſiſſet, adverſus quem *dominii jure uti* potuerit, extitiſſet, quando videl. proprietas *excluſionem alterius* præciſe notat: hinc ei accedere non poſſumus. Nec enim proprietas ùt *ſervituti* opponitur, hic cum dominio æquiparanda fuerat. Et deinde ſatis prodit principia ſua Puſendorf. *in §. 6. d. cap.* Nec enim potuiſſet ille dogmata *Hobbeſiana*, de *pactitio* ſc. *receſſu*, à ſtatu *belluino*, aliter quàm ex hypotheſi jam adductâ defendere: Nim. à communione receſſum ille docet per *conventionem*, & hactenùs eum *Grotio*, quæ conventio tùm *expreſſa* fuerit, per diviſionem, tùm *tacita*, per occupationem, quaſi hôc poſteriori modô actum id fuerit inter homines, ut quod unus occupaſſet, alter ipſi pacis cauſa non eriperet. Hinc enim ait, feras quidem etiam ſibi rapere res in pabulum, ſed tamen etiam ſi quid ſepoſuerint, poſſe alteram id eripere, quia ſc. feræ invicem *conventione* ſibi non teneantur; Explicat deinde *§. 6.* ſatis eleganter, quâ ratione *communio* rerum *perdurare* moraliter non potuerit: quanquam hæc explicatio magis ad uſum hiſtoricum & quidem occupationis (non etiam *diviſionis*, quippe quæ nulla fuit,) quàm *juridicum* faciat. Ex dictis ſequitur, ap. eund. in *§. 4. it. 9. ſeqq.* quod *Deus* non ſit cauſa *immediata* dominii (puta ex reſpectu *Puſendorffii*, prout illud effectum habuerit *ad alios* homines, quem tamen fruſtrà ſupponi anteà admonitum eſt) ſed ex *facto humanô* illud proceſſerit; unde nec *modum* rebus *utendi* à Deo præſcriptum eſſe ait: quod quidem poſterius, quoad modum ſcilicet, certâ ratione admitti poſſet; ſaltem quòd *natura* hominem de variis juribus (& ſic Deus non minùs, naturæ Autor) inſtruxerit, ut quamvis adeo dominium naturale ſeu phyſicum *qualitatem* rei non eſſe, facilè quis conceſſerit, tamen non omnino admitti poſſet, quod dominium non à natura ſit, ſed ab impoſitione & inſtituto. Nobis quidem diſtinctiùs & cum evitatione omnium, quæ doctrinam hanc de communione implicatam aut ſuſpectam reddunt, in *Diſp. de jure rerum aph. 13.* ita res definiri poſſe viſa eſt, ſi ſtatueremus, *primævam communionem* nullam unquàm fuiſſe, nec diſceſſionem adeò ab eâ, ſive per diviſionem, ſive per occupationem: non etiam fuiſſe *dominium* aliquod *potentionale*,

 nec

nec dominium fuisse ullum *ante proprietatem rerum*; fuisse autem jus aliquod & *facultatem*, dominium rerum *acquirendi*, atque sic *modum* acquisitionis primævæ esse *occupationem*, *Titulum* verò esse *concessionem* illam summi rerum Conditoris Dei; inde cùm jus occupandi præsupponat actu rem *nullius* esse, ideò jus vindicandi, it. dominium potentionale, cum isto occupandi jure stare non potuisse, differt ergo communio illa dissentientium actualis à dominio potentionali, differt ab utroque jus occupandi & se dominum faciendi; communio actu facit dominos etiam quoad fruitionem; dominium potentionale dominos facit solùm in actu primo, ut tamen Domini re ipsâ quoad proprietatem sint: (solâ deficiente possessione, quam quidem qui communionem rerum tenent, & ipsi communem habent) jus vero occupandi solùm confert *facultatem*, dominium rerum per occupationem acquirendi: eamque non primum hominem solum habuisse dicendum est (nisi *repræsentative*,) nec enim ille poterat acquirere & apprehendere omnia; sed quemlibet hominum, qui subsecuti sunt, quibus ab ipso creatore ad omnia facultas patebat, ut illa, quæ ante eos ab aliis occupata non fuerant, acquirere sibique appropriare potuerint. Interea non minùs acquisitio *derivativa* in rebus jam acquisitis ad alios transferendis ex facultate illa & instituto creatoris suo modò pendet.

VII. Prioris naturæ sunt omnes res, quæ possessionem & occupationem stabilemque custodiam recipiant, ut sunt feræ bestiæ, volucres, pisces, gemmæ, metalla nondum effossa, res derelictæ, aqua profluens, omnesque maris insulæ regionesque desertæ *. Ejusmodi res naturali ratione cedunt occupantibus. Etenim posteaquàm à communione primævâ consensu non minus quam necessitate humanæ societatis recessum est, constanter receptum fuit, ut quod unusquisque apprehendit nullius existens cum animo sibi habendi, id ei à nemine citrà injuriam eripi posset **.

* *Grot. lib. 2. de jure belli & pac. cap. 2. §. 2. & lib. 2. Jurispr. Holl. cap. 3.*

** *Joh. Henr. Boeclerus comment. ad libr. 2. Grotii cap. 2. §. 2. Strauchius de Imp. Mar. cap. I. Joh. Bapt. Burg. lib. I. de dom. Reip. Gen. in mari Ligust.*

VIII. Quod enim aliqui disputant, ea quæ de communione primæva dicuntur, esse fictitia, id demum vere, si quid, unquam, fictitium est; Nam si communio sit jus, quo res eædem plurium pro indiviso propriæ sunt, res loquitur, cum creator Deus cunctis mortalibus dederit jus in res hujus inferioris naturæ, nihil potuisse illud esse quàm communionem: adeoque ridiculæ sunt in contrarium rationes. Neque verò metuendum, quia fatemur, in quibusdam rebus statim desiisse communionem, ne nobis obloquamur, quasi communio nequidem animo concipi possit, eò quod proprietas sit in ipsa possessione. Nam quia factum saltem, id est, occupationem, si non pactum expressum ante primum à communione recessum requirimus, palam est,

mente

mente saltem aliquod jus ante illud factum concipiendum. Dein, etsi quædam res incontinenti desierint esse communes, multæ tamen diutissime tales manserunt; neque enim nisi lapsu multi temporis pleraque terrarum occupari potuerunt, *quæ nec etiamnum omnes tenentur* (*e*). Præter quod in animalibus quæ cælo, quæ mari terraque continentur, in aqua profluente, aliisque rebus, non potuerat desinere communio, quia nunquam *desinere poterat occupatio* (*f*). Certum quoque est, quod totus populus æquale jus habeat in feras, volucres & pisces, item metalla thesaurosque subterraneos, qui in territorio ab ipsomet occupato reperiuntur. Unde clarum, quod communi consensu, id est, per legem singuli à jure suo recedere, idque in unum vel certas personas transferre possint.

(*e*) QUÆ NEC ETIAMNUM OMNES TENENTUR. Prout exponit inter cæteros *Phil.* Cluverius *Lib. ult. Geograph. c. 16.* de terra *Australi* incognita seu Magellanica, ubi & in Notis, quid ex ea hactenus detectum sit, & de terræ illius felicitate, epistolam Petri Ferdinandi *de Quier ad Hispaniarum Regem citat.*

(*f*) DESINERE POTERAT OCCUPATIO. Speciosa hæc ratio magis est, quàm vera; Potiùs dicendum est, quòd quarundam rerum usus & fruitio omnibus animalibus necessariò relinquendus fuerit, ut in aëre, aquâ profluente, & similibus. Nam *feras* quidem quod attinet, earum ratio planè diversa est; & quanquàm cujuslibet occupationi initiò fuerint relictæ: tales tamen sunt, quæ in jus proprium describi potuerint: hinc quoad eas ratio *Auctoris* non concludit, quoniam in illis nunquam desinit occupatio: Postquàm tamen communes non mansêre, quod etiam *Auctor* tradit: inde singulos à jure suo, quod in feras habuerunt, *recessisse*, idque juxta *§. seq.* fundamentum præbere Principibus, ut venatione *hodie* quidem soli gaudeant, illud utique falsum est. Etenim jus aliquod in feris seu venatione singulis hominibus antè non competiit, nisi *negativum*, h.e. quod cùm Principes quid de ea nondum statuissent, absque ullâ injuriâ quilibet feram in medio relictam suam facere posset: ut hactenus rectè *Grotius*, venationem eò usque promiscuam mansisse dicat, quoad nulla lex civilis aliud induxerit, *Lib. II. c. 5. §. 5.* Nam utique jure *imperii* seu superioritatis Principes venationem subditis interdixisse rectiùs statuitur, quippe quòd per illud aliter id definiri potuerit, quod nullo desuper statuente jure Naturali aut Gentium hactenus *in medio*, tanquam promiscuum, relictum fuerat; idque ob rationes, post Wesenbec. in parat. Franzk. *exerc.* IV. *quæst.1.* & Carpz. *II. qu. crim. 54. n. 11. seqq.* à Pufendorffio etiam traditas. *L. IV. c. 6. §. 6.* quanquàm illas nihil efficere putent hi, quibus libertas illa promiscua, in suis regionibus, adhuc defenditur. Cur enim illis malis non vexati veteres? & nonne possent statuta tempora præfiniri, instrumenta facilioris & promiscuæ occupationis interdici, & alia, ut eversio nimia ferarum evitaretur. Quid quod agricolæ canes & equos ad venandum ne quidem alere possunt? quocircà *Hispanos Aucupia* hodienum liberè permittere constat, nec *piscationes* ubivis terrarum privatis interdictas, nec in Belgio prohibitionem tam rigidam esse. Enimverò inde nil efficitur, quàm ut inde pateat, penes imperium *civile* esse, pro conditione & natura cujuslibet regionis, de venatione statuere. Cæterùm si quæ Principis sit aliqua constitutio, eidem propter conscientiam parendum est; (quod malè negat Gudelinus *de Jure Noviss. Lib. II. c. 2.*) ut in conscientia is peccet, qui privatim leporem capit, licèt res illa ante constitutionem nullius fuerit. Quod vero *pœnam capitalem*, quæ non nullibi contra legem venantibus indicta est, concernit, quanquam eam Carpzovius *d. l. n. 38. & seqq.* defendat, ei tamen sententiæ alii se opponunt, eò quòd Magistratus quidem jus vitæ & necis habeat, sed non ex

ex quolibet delicto, verùm ex ejusmodi, quod pœnam mortis *mereatur*: vid. Grot. *L. II.c. 1. §. 14.* Neque *rigor* ille Magistratui, de quo *l. 11. pr. de pæn.* (in arbitrariis puta) ita nec principi legislatori affectandus est, quippe quòd contemtus Principis rem non conficiat, nisi ex lèvissimis delictis, quæ facilius omitti poterant, contemtum quòque Principis multò majorem elicias. vid. Harppreclit ad *§. 11. de R. D. n. 34. & seqq.* Interim sæpiùs iteranti, & cumprimis in feris majoribus, capitis pœnam impingi posse, rectè statuitur cum Heigio *d. P. 1. quæst. 15. n. 80.* Bocero, *cl. d. V. O. 3. th. 30.* Knich. *de Sax. non privandi jure c. 5. n. 206.* Et Tabor. *in armam. p. 144.* ipsoque tandem Carpz. *d. l. n. 32.* & seq. maxime *n. 45.* qui non minùs de feris minoribus *n. 72.* & piscium furibus ibidem agit: ut rectè Einsiedel *c. 3. n. 368. de Regal.* arbitrariam pœnam esse voluerit; quanquam regula quidem sit, ut fustigatio ei præfigatur. Carpz. *d. l. n. 32. & seqq.* His legibus autem *exteros* quoque teneri. Grotius *L. II. c. 2. §. 5.* rectè docet, cùm contrarium in *piscatione* contrà Seldenum *de mari liber.* defenderat: nam privatus quidem non poterat prohibere, ut fundum ejus ingrediens captum suum faceret; Princeps v. respectu exteri territorium suum ingredientis non est privatus, & in eo territorio feræ communes non sunt ampliùs. Illud certum est, (quod & *Zieglerus* docet, *L. II. c. 8. ad Grot. §. 5.*) quòd ante capturam ferarum ne quidem Princeps ipse dominium illarum habeat; sed tantùm legem is statuere potest, ut ipse solus feram suam facere possit. Unde falsum est, quod Vinnius *ad §. 13. j. d. Rer. Div.* docet, & ipse etiam Zieglerus *Lib. II. c. 2. §. 5.* quòd privati in ejusmodi territorio, si quid ferarum capiant, adhuc suum faciant, eò sc. quòd rei, quæ nullius est, dominium occupanti eripi à lege non possit. Cur enim Princeps id, quod promiscuum est, non posset sibi proprium facere, & effectum acquisitionis subditis interdicere? nisi vel totum jus venationis hoc ipso iterum subvertere velimus. Apparet ex jam dictis, quòd malè asserat Klock. 1. *Consil. 50. n. 153.* jus venandi subditis ademtum esse per *patientiam* suam: nam *superiùs* dictum est, jus quoddam *positivum* commune subditis venationem non tribuisse, & ne quidem *divini juris* hunc sensum esse, (dum homini dominium ferarum tribuit,) cum cæteris Pufendorffius *d. l.* ostendit. Pejus adhuc tempori immemoriali adscribit id Finckelth. *Obs. 41.* nam privati rem suam contra patientiam Principum intra tempora usucapionis vindicare ne quidem potuissent. Heig. *P. 1. quæst. 15. n. 44.* Imò illud quod jure G. occupatione quilibet proprium facere potest, saltim *negativò*, non prohibitivo, præscriptioni alterius non subjacet *l. 45. de usucap.* Fallit etiam Hornius *Lib. 2. Politicæ Architecton. c. 3. n. 5.* quando hanc ademtionem venationis nullum aliud argumentum tueri posse opinatur, quàm *dominium eminens*: nam ita quidem prohibere possent principes, ne quis fundos, in quos illi dominium eminens sibi asserunt, venandi gratia, ingrederetur; qui tamen, si mandato conveniret, captum nihilominus, vulgari saltim dominio suum faceret. Porrò *Dd.* Juris G. hic emendandi sunt, quando jus civile Rom. ipsimet emendare infeliciter præsumunt. Ita Grot. *L. II. c. 8. §. 3.* taxat *JCtos*, quòd protinus, atque fera custodiam nostram evaserit, capientis alterius faciant, *§. 12. J. de R. D.* cùm in rebus aliis amissâ possessione, non protinùs amittatur dominium. *l. 13. §. 13. de acquir. poss.* Oportere itaque non tam renovationem libertatis in ferâ, quàm difficultatem recuperandi, rem conficere: At verò hæc doctrina recipi non potest; nec sola, ùt putat, desperatio rem conficit, alias etiam oves à lupo abreptos perderemus, quod quidem malè alibi asserit ipse Grotius *L. II. c. 4. §. 5.* Ubi idem de rebus *in mare projectis* asserit: nam potest utique adhuc in hisce rebus, cum spe projectâ, subsistere *animus* rei per dominium inhærendi, quod ex objecti demum destructione corruit; cùm quidem spes etiam ob arduum quidpiam perimi non possit. Longè rectius *Nostrates* in *l. 44. de A. R. D. l. 8. §. 5. fam. herc.* quod in animalibus quidem mansuetis & rebus aliis dominium cum possessione non amittatur, sed in *feris* longè aliter habeat, & quidem ob solam *amissionem possessionis*, non ob derelictionem tacitam, quæ quidem cum desiderio feram recuperandi consistere non potest. Deinde Pufendorffius *L. IV. c. 6. §. 20.* feram *vulneratam*, si lethale vulnus & in eo fundo, in quo Jus venatori versandi erat, acceperit, eam ab alio non posse intercipi, putat. Multò rectius *JCti Rom.* qui quandocunque & ubivis intercipi posse feram, nondum perfectè captam, docent, ut tamen intercipiens in alieno *injuriarum* teneatur. Denique Grot. *L. II. c. 8. §. 2.* feram, quæ in sylva circum-

circumseptâ versatur, ad Dominum sylvæ pertinere, contra *l. 13. §. 14. de acquir. poss.* docet: Et tamen ad occupationem actum corporalem requiri, nemo non videt; secus si quis feram sylvæ circumseptæ immisisset: tunc enim etiam, quæ inde nascerentur, *immittentis* forent. Itaque nec qui sinus maris dominus est, dominus quoque erit *piscium* inibi natantium.

IX. Atque *hoc est fundamentum*, (g) quo jus feras venandi, aucupia, piscationes, metallifodinæ, thesauri & similia principibus aut proceribus hodierno gentium usu vindicantur. Non tamen efficere potest Lex, quod vult Grotius, ut Principes * immediate domini ferarum etiam ante occupationem fiant **, quia jus illorum non potest esse prius quam populorum, à quibus illud habent: atqui feræ donec capiantur, manent nullius tam respectu populorum quam singulorum. Sed hoc potest Lex, ut quicunque aliquam istarum rerum capit, hoc faciat, ut minister ejus, in quem populus suum jus commune transtulit: adeoque ut Princeps in ipso occupationis actu dominio potiatur. Unde non male dicitur, eos qui feram lucri faciendi animo detinent aliquando furti se obstringere, quod negant qui solâ venatione privatis interdictum, dominia autem ferarum principibus nullo modo adfecta putant; quod inde refellitur, quia ne fortuito quidem feræ captæ cedunt occupantibus, sed in publicum deferendæ sunt.

* *Dix. in digression. Justinian. lib. 4. cap. 20.*

** *Vid. eand. digress. ut & cap. praced.*

(g) HOC EST FVNDAMENTVM. De universa acquisitione rerum ita habendum est, ut duo genera ejus, postquàm nimirùm *occupatione* res unius alteriusve propriæ factæ sunt, statuantur, unum acquisitionis *originariæ*, quod jam ante obtinuit, alterum *derivativæ*: Utriusque iterum considerandi sunt & *tituli* seu caussæ, qui *efficientis* locum sustinent, & *modi*, qui *formam* conficiunt; *Originariæ* acquisitionis unus est modus, *occupatio*, sed *tituli* sunt varii, puta venatio, bellum, inventio &c. de quibus hoc *ad Grotium* notandum est, *L. II. c. 8.* quòd *JCti Romani* aliquos rerum *juris Naturæ* esse dixerint, qui tamen ne quidem *juris Gent. primævi* sunt, sed secundarii; quosdam etiam dixerint *Juris Gentium*, qui tamen ex compacto quarundam civitatum proficiscuntur; quanquàm in universum omnes *ratione naturali*, si non primâ ubique, remotiori tamen; & ad prudentiam *Romanæ* legislationis valdè probabilem exactâ, consient. Sic ergò protinus alterum modum acquisitionis originariæ à Grotiô *in L. II. c. 3. §. 2. & seq.* confictum rejicimus, rejectâ videl. communione illâ, cui *divisionem* hanc Grotius superstruxerat. Est autem *Occupatio* iterum vel *vera* & directa per *Apprehensionem*, quò pertinent caussæ speciales jam antè indicatæ, quæ communiter solam occupationem constituere dicuntur; vel *ficta*, quæ fit per *Accessionem*; eamque vel naturalem vel *industrialem*, quæ *Adjunctio* dicitur; *naturalem* in *animatis*, quò foetus pertinet, licèt ex alterius mare genitus sit. *vid. Pufendorff. L. IV. c. 7. §. 4.* Secus atque Grot. *L. II. c. 5. §. 29.* & *c. 8. §. 18.* quando is, contrà dispositionem *Juris Rom.* foetum æqualiter ad dominum genitoris & genitricis pertinere debere asserit. Et *inanimatis*, per Alluvionem, quæ in genere sumta vel continua est vel discreta. *Continua* per incrementum latens, *quam alluvionem* in specie dicimus, vid. Besold. *Thes. pr.* voce Zufluß, & Pu-

fend.

fend. *L. IV. c. 7. §. 11. & 12.* ubi de alluvionibus in territorii finibus mutatis, it. in fundis privatorum; de quibus etiam Buchner. *de Jure aquatico. th. 89.* ut & *in th. 90.* in agris *limitatis* hodiè jus illud alluvionis obtinere docet: additô autem Carpz. *p. 3. C. 13. d. 17.* ubi, quâ ratione augmentum per alluvionem Emphyteutæ, vafallo, & usufructuario proficiat, decidit: Vel incrementum est *evidens* per *avulsionem* seu coalitionem, *§. 21. d. R. D.* junct. *l. 5. §. 3. d. R. V. Alluvio* (quam in genere accepimus) *discreta*, contingit vel *circumluvione* vel *inundatione*; de inundatione vid. Grot. *L. II. c. 8. §. 10.* ad quem notandum est, quòd *inundatione* proprietas non reverà sed dubitativè, quà in ancipiti est, adeòque potentiâ *amitti* dicatur. *l. 23. quibus mod. ususfr. amitt. l. 24. §. ult. eod.* Bachov. *ad Tr. D. 20. th. 5. lit. g.* & *ad §. 23. J. de rer. div.* id quod maximè obtinet, si inundatio non simplex fuerit, ùt *l. 7. §. 6. d. A. R. D.* fed cùm flumen totum uno impetu, alveo desertô, in agrum aliquem se effundit: *Circumluvio* est vel omni ex parte, vel tantùm ex unâ; *priori* modo fit *Insula*, de qua *inferius*: *Posteriori* mutatio *alvei*, de quâ cùm ob traditionem *l. 7. §. 5. d. A. R. D.* JCti *Rom.* dissensisse videantur, *Dd.* negotium variè expediunt, ùt apud Coll. Arg. *th. 29. eod.* post cæteros videre est. Putem, esse distingv. an flumen diurno tempore agrum occupaverit, an aliquo saltem? *hôc* modo, quia *propè inundationem* est, speciem mutatam non videri; *illô* vel *non integrum* vicinum agrum occupavit: & tunc si sensim recedat, pars alvei relicti vicinis jure *alvei* advenit. *l. 28. d. tit.* si impetu, tunc *strictâ* ratione novus alveus relictus vicinis cederet. *d. l. 7.* Verum ratio illa, si *æquitas* spectetur, extendi huc non debet, fed ager potiùs ad pristinum Dominum reverti: cùm ad vicinos non videatur pertinere jure *vicinitatis*, (utpote quòd jus illud in eo tantum alveo, qui nullô unquam tempore in bonis alicujus fuit, obtineat; nec etiam jure *alluvionis*, quia nullâ diligentiâ impetum fluminis coërcere poterat. Conf. de *Fori* usu, Carpz. *p. 3. C. 31. d. 14. seqq.* & an quoties flumen cursum mutat, simul etiam *terminus Imperii* per flumen constitutus mutetur? Grot. *L. II. c. 3. & 16. seqq. Accessio industrialis* est vel simplex vel mixta seu proventus ex ipsa re: *simplex* tùm in re *mobili*, tùm immobili: *illa per conjunctionem* & *specificationem*. *Conjunctio* est vel *in textura*, de quâ contrà H. Grot. *L. II. c. 8. §. 21.* defendit Pufend. *L. IV. c. 7. §. 9.* quòd *purpura* etiam majoris pretii vestimentum sequatur. Referri quoque huc poterit, si loco intexturæ nomen *adjunctionis* in specie acceptæ substituas, *Applumbatura* & *ferruminatio*, *cum similibus*. *Commixtio* est tum rerum liquidarum, in specie *confusio*, tùm solidarum, quæ nomen generis habet. In Confusione, si *forma* prævaleat, res est *specificantis*, & sic *in aliud genus* transit. Richt. *Decis. 96. n. 109.* Quoad *specificationem* optimè rem *JCti Rom.* definierunt, quando *etiam malâ fide specificanti* dominium rei ex *forma* prævalente tribuerunt, & lites, si dictamina *Juris Rom.* sequamur, non modò evitantur, sed & suum cuique tribui potest; ut immeritò jus illud impugnet Pufendorff. *L. IV. c. 7. §. 10. Accessio* in re immobili, sit tum *Inædificatione*; tum *Implantatione* & *satione*: & quidem quoad *Inædificationem* in jure Rom. nil adeò desiderant Dd. Juris Gent. Ipsi autem *JCti Rom.* difficultatem, quæ quoad mala fide ædificantem, (dum *donandi* animum aliquo casu habuisse creditur, in *l. 2. C. de R. V.* residet,) satis expediunt, quanquam variè; ùt apparet ex Ummio *Disp. 22. ad proc. th. 13.* Fach. *1. contr. 55.* & *aliis*. De *implantatione* iterum contra Grotium *L. II. c. 8. §. n. 22.* Pufend. *L. IV. c. 7. §. 5.* defendit, quòd *arbor*, quæ radicem in alieno solo egit, ad Dominum soli pertineat; Difficultatem *l. 26. §. 2. Nostrates* satis feliciter resolvunt: ad quam illustrandam conferri poterit *ad Instit.* Paulus Voëtius. Fuit *Accessio* vulgaris; *Eximia* sequitur, quæ conspicitur tùm in charta, tùm in pictura: *Charta* scripturam cedere, indiguè fert Pufendorf. *L. IV. c. 7. §. 7.* & tamen *hodiè* illud servari Ludwell. perhibet, *Exerc. 4. th. 7. lit. c.* contra quam Harpprecht. punt. *in §. 34. J. de R. D.* Interim *ex æquitate* Judex nonnunquàm possessorem chartæ absolvet, si pretium ejus, & si quid interfit, præstiterit. Enimverò in his, quæ juris publici fiunt, qualia olim omnia scribebantur, longè rectiùs dispositio *§. illius* obtinere posset; aliud dicendum est de eo casu, si quis vel *secreta* sua, vel inæstimabilia *commenta* aut *rationes* imprudens chartæ alienæ inscripserit. Conf. omninò *l. 3. §. ult. ad exhib.* & *l. pen. eod.* De *Pictura* in eo dubium vertitur, quâ ratione, cùm tabula illi cedat, nihilominus Domino tabulæ, si picturæ impensam refundat, efficax detur adversus pictorem actio, in *l. 9. §. 1. de A. R. D.* junct. *§. 35. J. de R. D. vers. quo casu.* videl. etiam illo

illo casu adhuc Dominii *prævalentis* effectus est, quod si pictor pretium tabulæ offerat, domino eiusdem præferatur. Tantum de acquisitione originaria. *Derivativæ* iterum *modus* unicus est, *Traditio*: *Tituli* quamplurimi. Traditio autem fit vel in personam certam vel in *incertam*. Huc *missilia* pertinent, quæ antequam ab aliis occupentur, non sunt nullius, & hinc rectè ad derivativam acquisitionem referuntur; aliter ac cum rebus *pro derelicto* habitis obtinet, quas omninò ad *inventionem* referri oportet: & quidem de hoc acquirendi genere ad *l. 43. §. 11. de furt.* *Nostrates* agunt, atque inter res derelictas & *pro desperatis* habitas distinguunt. Siquidem in his semper desiderium habendi superest, quamvis in eas quis inquirere cessaverit. vid. *l. 11. de R. J.* junct. *l. 14. de A. R. D.* Quod verò *d. l. 43.* attinet, eam de jactu spontaneo nonnulli exponunt, non propter naufragium; eamque responsionem formari dicunt ex *§. 3. d. l.* item ex *§. praeced. ejusd.* Et quanquàm *Bachov.* solidam hoc modô rationem dubitandi non fore putet, tamen cùm in *§. 10. d. l.* JCtus disquirat, si quis rem jactaverit, non quasi pro derelicto, sed levandi sui aliave causa, an si tum eam abstuleris, furti teneare? & Respondeat distinctionem de jactu in terra, non posse perinde præsumi rem pro derelicto haberi, sicut si in *mare* abjiciatur; ut solùm ad *furti* imputationem & ad tollentem, non item ad abjicientem, rem eam, nec adeò ad derelictionem principaliter respexerit: ideò hæc ipsa sententiam prædictam non improbabilem reddunt. Traditio in personam *certam* vel est propria vel impropria seu ficta: *hæc* iterum conjuncta est cùm translatione corporis seu rei; (& vel brevi vel longâ *manu* fit, utrâque vel mediata vel immediata) aut sine translatione peragitur, velut per *constitutum*, *l. 1. C. de donat.* A. Fab. *lib. 2. C. tit. 3. def. 6.* Tiraquell. & *alii* plenis Tractatibus.

X. Ex his clarum est, quæ res extra territorium cujusque populi vacuæ sunt, eas à nemine quam per occupationem acquiri posse: occupatas autem ab aliis omnino neminem rectè sibi vindicare. Quare non immerito barbarus Rex Peruanus irrisit immanem Pontificis Romani arrogantiam, à quo terras novi orbis, quæ ab indigenis antiquissimâ possessione tenebantur, Regi Hispaniæ *donatas* (*h*) intellexerat.

(*h*) DONATAS. Est illa donatio, quam *Alexander VI. Papa*, litigantibus super jure occupandi novum orbem Hispanô Ferdinandô Catholicô & Lusitanô seu Portugalliæ Rege, *Diplomate* peculiari suscepit, factâ illa determinatione, ut lineâ mentis cogitatione descriptâ per utrumque cœli cardinem 100. omninò Leucas seu milliaria, ultrà Insulas Hesperides, quæ ad viride promontorium jacent, quicquid terrarum ad solis occasum inveniretur, Hispano cederet, cætera Lusitano relinquerentur. Quod diploma, cùm novæ subinde lites orirentur, aliquoties Pontificem corrigere oportuit. vid. Marian. *Lib. XXVI. de Rebus Hisp. c. 3.* & Diplomata ipsa ap. *Calixtum* in calce tractatus de *Arte nova*. Nec tamen *Pontificio dominio* cuipiam, quod Pontifex in terras ejusmodi sibi asseruerit, concessionem hanc adscriptam volunt, sed *Redoanus* potiùs *Tr. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, cum *aliis*, rationem in eo ponit, quòd Pontificem oportuerit, ad pacem & tranquillitatem orbis conservandam, pro *officio suo* providere, ne plures simul ad eas regiones accederent, & ut illi eas aggrederentur, qui *viribus* idoneis ad conficiendum illud negotium instructi, & simul intenti essent, ad *religionem* Christianam & Dei gloriam inibi firmandam: quâ in re autoritati & judicio Pontificis meritò putant Principes Christianos cæteros concedere debuisse.

XI. Atque hæc de rebus communibus occupationem recipientibus; supersunt res dominii incapaces, cujusmodi esse videntur *tam aër quam mare* (*i*). Nempe ut distinguantur aquæ marinæ & aëris particulæ

ticulæ ab aëre atque mari ipſo. Illas enim occupari & in dominium redigi poſſe nulla dubitatio eſt.

(*i*) TAM AER QVAM MARE. Equidem dominium *aeris*, aquæ profluentis, luminis & caloris ſolaris, malignè quis ſibi ſumeret, & contra humanitatem. Interim cùm illis *absque terris* uti non poſſimus homines, inde liber uſus per conſequens *intercipi* poteſt, ut carcere, ſervitute luminum, proſpectûs, venationis, aucupii, idemque in *ventis* uſuvenit, quoad molendina pneumatica: Hinc malè dicunt nonnulli, non licere, molendinum pneumaticum erigere, niſi *aerem* quis à Principe obtinuerit, ût *ap.* Gryphiandrum *de inſulis c. 11. n. 27.* & Modeſt. Piſtor. *1. conſil. 19. n. 15.* ad quem pertineat liberum ejus loci uſum cuique concedere: quod quidem ideò à Principibus ſeu territorii dominis difficulter fieri ſolet, *ne multitudo molendinorum* rem molarem penitus evertat, non etiam quaſi aeris conceſſio ad ſuperioritatem territorialem reſpiciat.

XII. Sed mare per ſe totum vel quod ad præcipuas partes *non recipere dominium*, (*k*) cum effectu, ut jus ſit Principi vel populo alios prohibere piſcari in eo, navigare, aquam haurire, conchas & naufragiorum reliquias colligere, probatur hiſce rationibus*. Prima eſt, quod in mari ceſſet ratio, per quam dominia inſtinctu neceſſitatis ab hominum primis diviſa fuere. Nam reliquæ res humanæ inter ſingulos dividi oportuit, quia non omnes pariter ad uſum ſui admittebant, & quod ſuus cuique labor prodeſſe deberet. At mare commodiſſime toti humano generi ſufficit, neque recipit opera permanentis induſtriæ, quæ auctores ſibi ſolis vindicare debeant. Alterum argumentum ſit, quod mare propter fluiditatem & vaſtitatem occupari nequeat, id quod in formâ tale eſt: quæ res non recipit poſſeſſionem, ea nec dominii jure Gentium capax eſt; quia naturalis cauſa ac iterum effectus dominii eſt, ut res ſit in poteſtate noſtrâ eique inſiſtamus. Sed mare non recipit poſſeſſionem, quia poſſeſſio eſt ſedium poſitio & rei detentio; at in mari neque ſedes unquam poni, nec ipſum detineri aut cuſtodiâ coërceri poteſt. His accedit auctoritas juris Romani, quo mare inter ea refertur, quæ in primævâ communione manſerunt, perinde ac feræ beſtiæ, volucres, piſces, terræque deſertæ, habentque ſe, ut ea quæ primum à naturâ ſunt prodita & in nullius adhuc dominium pervenerunt. Ex his ſequitur, jus piſcandi; balænas capiendi, per cuncta maria in omnes terras navigandi & commercia exercendi à nullo principe vel populo jure prohiberi poſſe. Quæ autem de dominio maris ubique ſcriptorum leguntur, & ab Seldeno

aliis-

aliisque accumulata sunt, ea non aliter quam de potentiâ rei maritimæ intelligi posse res ipsa loquitur, & alibi à nobis probatum est.

* *De hac quæstione dix. latè in digress. lib. 4. cap. 13. & seqq. ubi & ea quæ allegantur.*

(*k*) NON RECIPERE DOMINIUM. Est hæc *Grotii* sententia *L. II. c. 2. n. 13.* & in *Tract.* de *mari libero*; quem in eô plerique, non tam veritati, quàm genti suæ studuisse, advertunt: Ipse tamen in *Epist. 17.* scribit, se in colloquio *Anglos* ad metas silentii redegisse; *Seldenus* deinde, jussu Caroli Regis *Grotium* refutare aggressus est; Seldenum iterum *Pontanus* privato scripto; qui tamen pleraque hujus rei, quæ ad thesin pertinent, præterit: publicè refellere eum jussus erat *Graswinckelius*, decreto Ordinum, sed cùm librum offerret Ordinibus, dixit unus eorum, recensente *Aizemâ*, optimè res illas *ferrô* agi, indeque liber *ineditus* mansit. Cæterùm pro *Grotii* sententia, cùm non tantùm inter Belgas & Anglos, sed etiam inter *Hispaniæ* Regem & Remp. *Venetam* de dominio maris disputatum fuerit, pugnarunt Joh. Baptista Valenzuela *Valasquez. Consil. 100.* Anonymus Autor *Italicus*, cui *Pacius* respondet, & *Graswinckelius* in vindiciis maris liberi, adversus Petrum Baptist. *Burgum*, Ligustici maris dominii assertorem. Ulteriùs Franc. *Stypmann.* in *jure marit.* & *Loccenius* in tract. simili. Pro *Anglorum* vero hypothesi *Seldenus* in mari clauso (rectiùs Grot. *ταλασσοκράτικον* vocat,) Thom. *Rivius l. 3. Histor. naval. mediæ. c. 37. Pacius* in *discept.* de domin. mar. Hadriat. *Jac. Gothofr. ad l. 9. ad L. Rhod.* dictus *Burgus*, Joh. *Strauchius de Imperio maris*, qui cumprimis *Stypmanni* instantias repressit, atque nuper Joh. *Palatius*, (Autor ille Monarchiæ occidentalis,) *libris duobus* de Dominio maris *Reipubl. Venetæ* dicatis, & qui argumenta pleraque expendit multâ perspicuitate Pufendorffius *L. IV. c. 5. §. 5.* seqq. quanquàm inibi de *communione* aliqua misceat, quæ ex *superiùs* dictis facilè examen patiuntur; maximè tamen exponit, quâ ratione in usum proprium cedere possit, & unde argumenta ejus repetenda sint, cum quibus ea, quæ Bynckershoekius prodidit, committenda sunt. Equidem *magnitudo* maris, quò minus in jus proprium cedere queat, non impedit: nam & terra omnibus sufficere poterat; & tantò faciliùs mare dividitur, quòd culturâ non indigeat: *terminis* quoque, si non suis, tamen alienis, & per lineas, de quo Gryphiander. *c. 45. de Insul. n. 92.* gaudet. Non obst. quòd terrâ major sit oceanus: Nam adhuc terra continens est, seu limitem præbet, *Job. 38. 8. ap. Selden. lib. 1. c. 32.* Possent autem effectus dominii maris esse (1.) ut exteri ob caussam justam & publicam transitu prohiberentur. Grot. *L. II. c. 2. §. 13.* (2.) possent vectigalia institui (3.) delinquentes in mari puniri, (4.) ut vela extraneos submittere oporteat iisdem injungi. Posset etiam hoc dominium teneri, quatenus mare *præsentiam* nostram *dominatricem* è littore vel navibus admissurum est. Nec tamen, si quis mare proprium sibi assereret, ad quod Pufendorff. *§. 9. d. cap.* malè communem omnium consensum requirit, ut jure suô cedant, (neque enim jus tale est omnibus *actu*, quod Pufendorff. in rebus quoque cæteris commentus fuerat) solus & unus ubivis terrarum istud defendere poterit, sed junctis aliorum *auxiliis*: quod tamen cum in vasto oceano nullius utilitatis & magnæ difficultatis esse appareat, à nemine quidem suscipitur; & quæstio adeò simpliciter est de eo, *num repugnet conditioni maris*, ut in jus proprium cedere possit? Nam partes quidem maris jam ubivis terrarum occupatæ sunt, quod ipse *Grotius* fatetur *L. II. c. 3. §. 8.* ubi tamen non rectè acquisitionem partis fieri posse negat, quando mare speciale ejusmodi cum terris comparatum, illis majus sit, ut istud portio illarum non possit videri; malè etiam ibid. Grotius *§. 11.* docet, quòd terris occupatis unà vicinum mare occupatum non esse videatur.

XIII. Recipit tamen hæc sententia aliquas cautiones & limitationes. Prima sit, quod & aër & mare sub dominium veniant, quatenus sunt partes & accessiones terræ, quoniam hactenus requisita veræ

 occu-

occupationis conveniunt. Hinc dicimus, eundem qui dominus est soli, esse dominum cœli, quod supra illud solum est, & qui partem aliquam maris undique suis terris complectitur, eum hanc partem satis occupasse atque possidere intelligi. Nam ut privatus particulam maris fundo suo immittens dominium ejus consequitur, uti fecit Lucullus Neapoli, sic nihil est causæ, cur non Rex aut populus sinum maris occupare queat suis terris undique comprehensum, ita ut dominio suo perfecte contineatur. Dein, conventione populorum fieri potest, ut quidam jure & usu certi maris cedant, aliique liberam ejus dominationem permittant; quod scilicet universale jus non mutat. Tertio observandum, fieri quandoque ut divisio maris instituatur (& divisio aliquam supponit occupationem) non ad possessionem stabiliendam, sed curam piratas coercendi & securitatem præstandam. Denique ratione territorii adjacentis pars vicina maris videtur esse sub Imperio Principis aut populi, qui navigantes è terra pro lubitu cogere potest: tunc enim custodia illius coerceri videtur. Extra hos casus nec dominium neque imperium maris jure cuiquam competere posse, prædictis rationibus constat,

XIV. Fuit, cum Imperium facilius quam dominium acquiri posse idque minus juris continere *putavimus*; (*l*) sed verius est, imperium tribuere omnia, quæ dominium maris principi aut populo tribuere queat, adeo ut jure imperii exteris prohiberi & piscatio & navigatio posset, æque ac introitus in terras alienigenis ab eo, qui imperat civitati, interdici potest. Habet quidem dominium effectus ab Imperio separatos, sed imperii illa vis est, ut exteris eos præcludere possit. Perinde ac jus in feras omnium quidem est hominum, sed dominus in suo fundo quilibet impedire potest, ne quis illuc ad venandum procedat. Plane ita habendum; ubi non est dominium, ibi nec in res Imperium esse potest; hoc enim illud præsupponit.

(*l*) PUTAVIMUS. Videtur *Auctor* respicere ad cit. locum *Digressionum*, in *pag. praeced.* num ibi largitus fuerat, posse divisionem maris institui, non ad possessionem stabiliendam, sed ad curam *Piratas coërcendi* & securitatem præstandam, quam in rem *Grotium* quoque in *Lib. II. Jurisprud. Holland. cap. 1.* citaverat.

XV. In

XV. In qualibet gente duplex occupatio rerum fit, per fundos & per universitatem, hæc tempore prior est, & plenam occupatæ regionis initio continet proprietatem, tàm quod ad dominium quam Imperium. Dein per fundos instituitur partitio, qua singuli cives dominium suæ portionis consequuntur, Imperio apud universitatem relicto. Flumina tamen & lacus majores omnesque terræ cultoribus vacuæ & quicquid dominum singularem non recipit, manet in primævo statu, quo cuncta pleno jure fuerant Universitatis.

XVI. Ex quibus evidenter liquet, Dominium & Imperium non esse quidem unum, pari tamen utrumque ambulare passu, nec unum existere, ubi alterum non sit. Imo si mare sit Imperio Principis aut populi, idem dominio quoque ejusdem esse deberet: quia occupatio prima, quæ fit à populo, jus plenum tribuit, modo privatâ divisione ab eo non recedatur, quod in mari ne quidem intelligi potest factum.

XVII. Simul hinc discimus, quæ res sint, quas publicas appellamus, sc. quarum proprietas certi alicujus populi est; eæque duplicis sunt generis; aut enim in occupatione per universitatem substiterunt, nec à singulis divisæ sunt; aut ex post facto originem habuere. Prioris generis sunt portus & flumina, lacus plerique, & loca deserta ac vacua, aut ab initio ad sustentationem Imperantium vel publicos usus sequestrata. Ex postfacto publicum dicitur, quicquid ex collatione singulorum, aliove instituto, proprium liberæ Reipubl. constituitur; ut est ærarium, bona vacantia, fiscalia, & quicquid præterea cujusque in populi patrimonio noscitur. Ex natura cujusque rei de usu judicandum. Quarundam enim usus rerum omnibus patet, ut fluminum portuumque; aliarum usus Reipubl. quâ tali illisve qui præsunt civitati solis conceditur, ut ærarii, fisci & domanii quod dicitur*.

* *Dix. in digression. d. l. 4. cap. 21.*

XVIII. De insulis quæ in fluminibus nascuntur, jure Romano traditur, quasi ex jure Gentium, quod privatis, qui habent proxima prædia, cedant, sed *ratio vult* (*m*), ut publicæ, hoc est, ejusdem juris cum fluminibus, quorum sunt partes, censeantur. Haud dispar ratio in ripis est, qui pro partibus alvei merito habentur, ideoque ejusdem

dem ac alvei juris esse videntur; etsi rursus aliter jure Romano, cujus ratio benignitatis magis civilis, quam juris universalis est.

(*m*) RATIO VULT. Sic etiam Grotius *L. II. c. 8. & seqq.* ubi idem in *alveo exsiccato* seu derelicto asserit. Enimverò cùm *Insula* videatur esse decerpta ex prædiis vicinorum, ideò *Romani* diversum sensêre, & quidem quod *alveum* concernit, ille populi non esse censetur, nisi quà flumen supernatat. *l. 30. §. 1. de A. R. D.* Hinc facilè respondetur ad hoc, alveum esse partem totius fluminis, alvei vero partem esse Insulam. *Hottomannus* sanè pro *jure Rom.* hanc quoque rationem perhibet, quia insula in flumine publico nata, fluvium dilatare, & vim profluentis ad vicinos agros allidere solet: unde tantundem in utriusque ripis adversi agri occupet, atque insulâ contineatur. (Sed melior est ratio ante præbita:) unde alveus quoque à flumine relictus non amplius est pars fluminis, nec populus flumen occupasse videtur, nisi in forma fluminis. Posses etiam dicere, videri, recedente flumine, ex hac ipsâ ratione populum alveum pro *derelicto* habuisse, ut tunc primi illum inter se occupasse censeantur vicini, quò mala à flumine sibi ante hac illata resarciant, id quod *jus vicinitatis* appellamus; maximè quòd publico conducat, rem culturâ privatorum in censum venire posse. Illud superest, cùm *l. pen. §. 2. de A. R. D.* insulam *juris publ.* esse dicatur, ut notemus *jus Rom.* privatis ob incommoda fluminum, proprietatem quidem Insulæ permisisse, ut tamen *usu* publica maneret: quanquàm multi Nostratium *textum* accipiant de insula, quæ non ex alveo egeritur, sed in virgultis nata & *sustenta* est, cujus rei exempla *Wissenbachius* habet *d. t. n. 18.* Hodiè tamen Insulæ in plerisque locis à domini territoriorum occupantur: Sixtin. *L. II. de Regal. c. 3. n. 29.* Buchner. *in Dissert. de Jur. aquat. th. 114.* quod cum neminem facilè pauperiorem reddat, utique introduci potuit, juxta *Busium* ad *l. 3. §. pen. de Jur. Fisc.* Unde si luculenter appareat, cum decremento vicinorum agrorum insulam natam esse, adhuc illis vicinis eam *Heigius* relinquendam esse censet. *P. II. quæst. 40. n. 58.* De *alveò* quoque *relicto*, quòd is etiam Fisco *hodie* in plerisque locis cedat, *Gryphiander* testatur *dict. tract. c. 11. n. 45.* Nam ita quidem obtinuit, ut *Adespota* Principes sibi vindicent, id quod ad *thesauros* etiam extensum est; quamvis Grotius *L. II. c. 8. n. 7.* malè doceat, universali consuetudine hoc inductum esse, siquidem *Jus Rom.* in *Hispania* adhuc obtinere *Molina*, in *Galliâ* Paponius, in *Germaniâ* Sixtinus *L. II. c. 2. de regal.* & Heigius *quæst. 23.* (ubi & vom Schatz, so mit keinem Pflug erreichet wird, seu qui Vomeris ictu profundior est,) sec. *Jus Sax.* testantur. Equidem *Jus Rom.* ex eo satis sibi constat, quòd sæpè res possint in avito fundo à majoribus reconditæ fuisse, aut saltim, (cùm & in *noviter acquisito* fundo thesaurus domini inventoris fiat,) quia dominium in *ignorata* ferri nil prohibeat, si contenta in fundo sint: quòcirca ut fundi beneficia dantur; utut de cœtero injustum non sit, ut res illa, quæ hactenus nullius est, & quæ iure communi definitionem necessariam non accepit, per Legem *Principis Fisco* attribuatur: quam idcircò injustam *Dominicus à Soto* habere non debuit.

XIX. De alveis exsiccatis idem esto judicium. Cum enim flumine tecti sine dubio sint publici juris, nihil est causæ, cur aquis nudati publico subtrahantur; Quod enim ex re cujusque superest, id ipsius est, & ab ipso vindicari potest. Jus Romanum quod dominis adjacentibus alveos adscribit, derelictionem Reipublicæ præsupponit, quo præintellecto non potest aliud fieri quam constitutum est.

XX. Sed quæ per alluvionem adjiciuntur *, quia non constat, quantum quoque tempore accedat, & quia natura id quod adjicitur, par-

partem facit ejus cui advolvitur, necessario cedunt iis, quorum proximi sunt agri & non Reipublicæ. Quod si tamen à privatis incrementum alluvionis notabile occupatum non sit, quia tunc ratio prior cessat, Respublica cæteros antevenire potest.

* *Vid. digress. d. l. 4. c. 22.*

XXI. De parte, quæ per avulsionem, uno quasi ictu ablata uni, alterius agro adjecta est, dicendum videtur, dominium cujus antea fuit, ejusdem remanere, donec cum fundo coalescat, quo casu pars ejusdem erit cujus est totum.

XXII. Jam de rebus Universitatium, nihil præcipui potest adfirmari, siquidem corpora subjectorum, quod ad res suas, eodem jure quo singuli cives, utuntur.

XXIII. Res nullius vocantur, quæ commercio ita sunt exemptæ, ut à nemine in dominium redigi possint, quales sacræ, sanctæ, religiosæ. * Sacras Romani dixere, quæ rite per Pontifices Deo sunt consecratæ, nec abludunt recentiores Romani Christiani; à quibus separantur res piis usibus destinatæ, quas alii haud ineptè quasi sacras appellarunt. Utræque summæ potestati subjectæ sunt, ut leges de illis ferantur, quibus inviolatæ maneant & bene administrentur: dominium autem verè sacrarum Nullius est, sed Dei immediatè, ut quidem definitio postulat. Quapropter neque potestas civitatis, neque Ecclesia potest *eas alienare*, (*n*) nisi ob ejusmodi causas, quas Deus in literis suis quodammodo sibi proprias fecit, ut ob alendos in fame pauperes, redimendosque captivos, similiaque inevitabilis opera misericordiæ: qualis etiam necessitas æris alieni ab Ecclesiâ propter id genus rationes contracti & distrahendi.

* *De alienatione sacraru mrerum dix. in d. l. 4. digress. c. 25.*

(*n*) EAS ALIENARE. De rerum sacrarum alienatione *superiùs* dictum est.

XXIV. Res quasi sacræ, quod ad dominium sunt Ecclesiæ, à quibus & libere administrantur & flagitante utilitatis ratione etiam alienari possunt, multò magis ob necessitatem; Enimverò quòd pro lubitu diminui nequeant, hoc à voluntate eorum, qui res illas Ecclesiæ donarunt

narunt & à lege & à fundamentali universitatis causam habere palam est. Quod vero nec ab his, qui Civitati præsunt, ea bona vel in profanos usus converti aut absque summâ necessitate distrahi possint, alio loco dictum est. *

* *Vid. cit. c. 25. lib. 4. Digressionum.*

XXV. Cæterum res verè sacras in statu renovati fœderis per Christum esse nullas, cum ratione dicendum, quia consecratio per quam character aliquis rebus imprimatur, sine dubio ex cerimoniis est, quæ ut umbræ per adventum corporis *evanuerunt* (*o*).

(*o*) Evanuerunt. Quidni res *sacras* diceremus? si paganum aut Pontificium sensum abstergamus: nam consecrare est addicere, ap. Rhodigin. *L. XII. Antiq. c. 11.* it. inaugurare, atque superstitiones & ritûs Pontificiorum ipsimet aversamur. vid. Ziegler. *ad* Lancell. *Lib. II. tit. 18. §. 12.* neque *Templis* adeò dedicatis singularem effectum & ἐνέργειαν tribuimus; imò ne quidem illa in N. T. ut præcepta habemus, multò minus sacrificiis materialibus offerendis destinari potuerunt, sed ex libertate tamen Christiana introducta sunt. vid. Polydor. Virgil. *Lib. V. de invent. rer. c. 7. & 13.* Nimirum quâ humanis usibus exemta sunt, ita *sacra* dicimus, indeque *sacrilegia* in *locis* venerabilibus admissa: cùm & loca privilegiata alia, ut curiæ civitatum & Palatia Principum, licèt modô *remissiori* sacra dicere nil vetet. Conf. Mev. *Lib. IV. ad Jus Lüb. tit. 15. art. 2. p. 123.* Aliàs notum est, quòd *Reformatorum* sit cum Nostratibus disputatio, dum εὐχαριστίαν *sacrificium* esse dicimus, & tamen longè alio sensu, quàm *Pontificii* eâdem voce utuntur, cùm nos potiùs *sacrificium* propriè & formaliter tale in ea non agnoscamus, juxta *Hebr. 9, 12.* sed *sacramentum*, indeque verba institutionis, quæ *consecrationem* dicimus, non tantùm recitativa cum Reformatis esse asserimus, sed *operativa*, ut nempè vi verborum elementa fiant media exhibitiva & ad usum sacramentalem adhibeantur, quando post consecrationem manducatio & bibitio subsequitur.

XXVI. Res sanctæ quas Romani dixere, muri & portæ civitatium *nihil præter superstitionem* (*p*) habent, quo à publicis aut Universitatium rebus separentur.

(*p*) Nihil præter superstitionem. Vid. simulacra in *portis* collocabantur, quæ transeuntes salutabant; indeque à *Diis* ejusmodi *tutelaribus* portæ *nomina* accipiebant, ut apud Gruter. *in Inscriptionibus* & *alibi* reperimus. Conf. de *Consecrat.* urbium apud Hebræos Petrum Cunæum *de Rep. Hebr. lib. 1. c. 7.* Nobis tamen *hodiè* abstersâ omni superstitione res ejusmodi adhuc *venerabiles* habentur, & quæ *violari* non debeant, vid. de Principum castris & propugnaculis Berlich. *I. Dec. 70.* nec etiam quoslibet *muros* sanctos esse cum *Berlichio* volunt alii: qui hactenus probandi sunt, ut violatores murorum & portarum in *municipiis arbitraria* pœna, nec adeò protinus capitali coercendi sint, juxta Menoch. in *II. Arbitr. Quæst. 483.* Richt. *consil. 20.*

XXVII. Denique religiosa loca, præter memoriam humanæ fragilitatis, quam repræsentant, nihil etiam à privato jure dominii separatum, continent, cum & in commercio perinde ac aliæ res habeantur, nisi

nisi quod apud Pontificios cærimoniis quibusdam sepulchra consecrentur.

XXVIII. Reliquæ res, singulorum sunt patrimoniales. Patrimonium *duplici jure* (*q*) constat, *in Rem* (*r*) & *in personam*, (*s*) quod vulgo ad Rem dicitur. Juris in Re species sunt Dominium, servitus, pignus &c. Jus in personam, est Creditum. Sed utriusque in subjectione ad Imperium Civitatis eadem ratio constat, de quâ dictum *suprà*.

(*q*) DUPLICI JURE. In *jure civili* distinctio hæc juris rerum quoad rem ipsam, non etiam quoad verba, reperitur. *l. 3. pr. de O. & A. Canonistæ* autem id, quod A. dicit *jus in personam*, jus *ad rem* appellant *c. 40. de præbend. in 6. c. 8.* de *concess. præb. in 6. Clem. un.* de *sequest. poss. & fruct.* quam appellationem in Foro sequimur, estque illa magis apta, quàm si cum *Auctor* jus in personam dicatur, quô eam v. g. ex conventione, obstrictam habet: quoniam ita solùm ratione *rei* tenetur, & quà debitor est. Equidem *actio in personam* dicitur, *§. 1. J. de act.* quòd in personam videl. dirigenda sit. At vero actio hæc æstimatur ex *causa* sua, quam jus *ad rem* conficit, non jus in personam, quippe quòd hoc *impressionem* quandam indicet: nec congruum etiam fuerat, jus aliquod ad personam nuncupare: Aptè itaque oppositum est jus *ad rem* juri *in re*; Atque Jus *in re* est jus *rerum* seu jus circà *rem* aliquam, ad quod *res ipsa* devincta est, ùt rectè Sutholt. *Disp. 4. aphor. 2.* & Molina *tit. 1. d. 1. & tr. 2. d. 2.* Jus verò *ad rem* est jus circà rem, quô persona ad dandum aliquid vel faciendum aùt præstandum adstringitur. Quam definitionem cùm in *Tract.* suô *de jure in re* & *ad rem* carperet *Feltmannus*, eidem satis ab aliis jam responsum est.

(*r*) IN REM. Est verò *Jus in re* vel *plenum* vel *minùs plenum*; *plenum* rerum tùm *singularium* tùm *universalium*. Illud est *dominium*, ùt & jus dominio *simile*, quò *b. fidei possessio* respicit. *Hoc* est *Hereditas*, nam illa actionem in rem parit. *l. 25. §. 18. de petit. hered.* & facilè constat, non hic sumi hereditatem *materialiter*, pro ipsis rebus hereditariis; nec *efficienter*, pro *facultate* morali, quâ ad acquisitionem hereditatis pervenimus; sed *formaliter* & *effectivè* pro acquisitô jure universali illorum, quæ defunctus reliquit: Nam multa *morte* intereunt, *l. 3. §. f. quib. mod. usufr. l. 196. d. R. J. l. 7. de except.* aliqua etiam non nisi *factô* heredis quæruntur *l. 23. de acqu. poss.* quanquàm utilitatis causâ Leges Rom. constituerint, ut licèt *possessio* in herede ipsô non continuetur, tamen in eod. continuetur, licèt, nec dum factâ apprehensione rei, *usucapionis conditio.* Distinctum vero jus in re esse à *dominio hereditatem*, probata dudum est sententia. Nullum enim rerum *alienarum*, nullum *incorporalium*, est dominium, sed tamen earum est *hereditas*, nec *in dominio* se fundat is, qui petitionem hereditatis instituit, nec reus contrà *hoc* excipit. Nullum est dominium *universitatis*, saltim non tale, quòd omnimodò *autorem*, à quo res in me transit, repræsentet, & vi cujus omnia per defunctum relicta à quolibet possessore successor consequi possit, quodque onera omnia, quæ defunctum attinebant, consequantur: nam *Dos* quidem suo modô est *juris universitas*, quæ ratione *objecti* plures res continere potest, indeque fructus ejus nomine intelliguntur, aliter ac fructus *ex re*, quæ simpliciter v. g. & citrà respectum dotis in *vindicationem* deducitur; quocircà in dote etiam *indefinita sententia* valet. Interim dos *ultrà se* nec commodum nec damnum adfert, & extinctis rebus ipsa quoque exspirat, *l. 10. pr. & §. 1. de jur. dot.* cui simile quid reperitur in *peculio*: nam & hoc *universitas juris* est, adeoque hæ universitates juris toto genere differunt ab *universitate* illâ *eximiâ* hereditatis, quæ *repræsentationem personæ*, cum omnibus commodis & incommodis ad eum pertinentibus, à quo res in nos proficiscitur, continet *l. 3. pr. de bon. poss. l. 37. de O. & A.* ùt quidem alibi *pleniùs* executi sumus. Hoc saltim ex jam dictis constat, quòd licèt in natura non nisi res *singulares* sint, neque res naturaliter designata

detri-

detrimentum recipere, nisi naturale possit, dum vel facto vel casu fit deterior, extrinsecus autem nec à debito detrimentum, nec à credito incrementum recipiat; *jure* tamen non tantùm *Romanô*, sed omnium quoque Gentium placuerit, ut per successionem alterius, defuncti spiritus, quoad ea videl. quæ reliquit & relinquere potuit, in alterum *continuari* possit, atque in hoc ille *quasi superstes* sit; idque longè aliâ ratione, quàm si cuiquam *titulo singulari* in re quâdam succedamus, quas quidem successiones causâ & potestate Juris seu *titulô* Gentes distinxerunt, qui titulus non modò hâc rat. nascitur, quòd successio universalis illis fiat, qui ex hac vita decesserunt, singularis verò contrà: nam etiam *mortuis* titulô *singulari* succedimus, velut legati, fideicommissi, donationis mortis caussa, & vicissim *vivo*, v. g. deportato, per *universitatem*, it. *arrogato* eod. modô. Hinc fieri non potest, ut licèt bona omnia cuiquàm *donentur*, donatarius in *universa jura* donantis succedat, eò ipso videl. quòd *titulô singulari*, quem jura universitatem juris repræsentativam continere noluerunt, ab autore suo bona illa consequatur, vid. omninò Casp. Schifordegherum *L. 1. Tr. 13. ad Ant. Fab.* Nec *homo* etiam universitatem ejusmodi condere potest, quanquàm possit compingere corpora & res plures ut junctim spectentur, uti sunt *gregis* & similium *l. 1. §. f. de R. V. l. 30. pr. de usuc.* adeò ut nec modos quidem universitatis relinquendæ alios, quàm qui *legibus* constituti sunt, homo introducere valeat: cùm *publici juris* repræsentatio illa per universitatem meritò habenda fuerit: eaque ferè præcipua est ratio, quòd LL. Romanæ *pactis* hereditatem transferri posse, non admiserint, nec etiamnum illud *hodiè*, nisi variis restrictionibus & cautelis, nec ullibi tamen quàm sub permissione *Juris specialis* admissum sit: prout in *Dissert.* de *Pactis* distinctè ostendimus. Itaque hereditatis *tanta* vis est, ut etiam *sinè corpore*, sinè bonis subsistere possit: *l. 12. pr. de petit. her.* non ita se habet unquàm *dominium*: & vani igitur sunt, qui hereditatem à dominio *distinctam speciem juris in re* non constituere, etiamnum propugnant. De eo non minùs disquiritur, an *dominium* quoddam *incorporalium* dici possit, de quo ampla est disputatio *ap. Coll. J. Arg. d. A. R. D. th. 3. & seqq.* Equidem non magni interest, & tamen cùm *Eybenius aliique* nuper admodùm putaverint, *affirmativam* communiter rejectam defendi posse, quia de servitute, de pignoris jure, de actionibus *disponere* liceat, & verò Dominium nil aliud sit, quàm disponendi de re facultas: ideò in Diss. *de jure rerum aph. 33.* huic argumento respondendum fuit, ubi diximus, dispositionem illam *dominio* cuidam rectè non tribui, sed *arbitrio libertatis generali*, ne in *infinitum* procedendum foret, nec de juribus ipsis tam decerni, quàm de *rebus sec. jura*, per quæ nobis devinctæ sunt: & quæ plura *ibid.* reperiuntur. Non minor est disceptatio, quæ ex modò dictis procedit, quâ ratione *dominium definiatur?* communiter placuit, esse dominium jus in re corporali, per quod de ea nomine propriô liceat *disponere:* & hanc dispositionem non de *alienatione* intelligere oportet, siquidem *immutatio* quoque rei dispositio est, quæ quidem *usufructuario*, quanquàm plenissimum rei emolumentum habeat, non competit; & licèt usufructuarius de re quadantenus disponere non prohibeatur, tamen hæc dispositio *limitibus* circumscripta est: unde addunt nonnulli definitioni dominii: de *re tanquam sua;* alii quoque adjiciunt, nisi *lege* prohibeatur. At vero superflua est hæc adjectio, cùm dispositio non alia, nisi *legitima* intelligatur. Illud potissimùm huc pertinet, quòd nonnulli jus disponendi non putant *rationem formalem* dominii constituere, sed potiùs *effectum:* quibus *Osiandrum* accessisse videmus ad Grot. *L. II. c. 3. §. 6.* Malè utique, nam dispositio est *effectus* dominii, non ipsum *jus* disponendi, ut adeò inanis sit definitio, quam ipsi substituunt, quod dominium sit *habitudo* ad rem, tanquàm propriam; quis enim patriam potestatem definiret per habitudinem ad filium, ùt talem: sanè omnia jura habitudines seu relationes præferunt, sed *fundamentum* relationis seu *habitudinis* illius, rem seu formalem ejus rationem, exprimit, estque impossibile, ut relatio dominii antecedat facultatem de re disponendi, quia potius hæc facultas inducit relationem ad rem, quæ dominio subjicitur. Quid vero de his, quibus *animus* vel planè *deest*, ùt sunt furiosi, vel *non plenus* est, ùt infantis, & quænam in his locum habere potest *dispositio?* Equidem à negatione dispositionis absolutâ ad negotiationem dominii non valet consequentia, & habet ergò dominium rerum suarum infans & furiosus in *actu* etiam *secundo*, licèt modus ille sit, ut non possit fieri dispositio,

sitio, nisi certis requisitis; Unde *Grotius* malè dissentit *L.II. c.3. §.6.* nam rationis quidem usus non requiritur, nec etiam *acceptatio* ad acquirendum præcisè necessaria est, vel saltim vicem ejus lex vel tutor implere potest. Equidem de *alienatione* jam *supra* diximus, quòd rationem formalem dominii non ingrediatur; aliàs enim Deus non haberet dominium rerum creatarum, quippe cujus providentiæ, concursui, & dignitati caussæ primæ, repugnaret dominium creaturarum à se abdicare. Cui simile quid ratione Majestatis occurrit, quando eam non minui, ex denegatâ Regi facultate alienandi, *suprà* notavimus. Hinc apparet, quid censendum sit de distinctione Pufendorffii, quando *L. IV. c.4. §. 15.* putat, non posse infantem originaliter acquirere, posse tamen *derivativè*, dominium sc. rerum ab aliis accipiendô. Quidni enim infans rem apprehendendô, quæ *nullius* fuerat, suam faceret? quidni etiam quicquid in re infantis v. g. ædibus ejus, vel aliàs, ubi infans versari poterat, reperiretur, illud infantem acquisivisse censendum foret. Et sanè cum non minùs in acquisitione *derivativâ* quàm originaria *animum* requiri ipse largiatur *Pufendorffius*, quòd rationem differentiæ solidam indicare non possit: nam quod ait, receptum esse, inter Gentes, ut etiam qui in utero est, acquirere possit modô derivativô, & retinere, eò quòd consensus præsumtus in rebus jam acquisitis sufficere potuerit: illud non pertinet ad acquirendum, sed ad retinendum seu continuandum, quò & ipse respicit: & si ad retinendum: cur non etiam eadem ratione animum *imperfectum* infantis in acquisitione ordinaria lex Gentium ubivis terrarum supplere videretur; maximè quod infans cumprimis pluribus vitæ subsidiis indigeat. Videntur *LL. Romanæ* quàm optimè rationem naturalem investigâsse, quando volunt, ut non quidem ipse infans & pupillus ejus ætatis, ut intellectum non habeat, *possessionem* apprehendere, nec adeò dominium acquirere valeant, *l. 1. §. 3. 9. 10. l. 10. §. 1. de acquir. poss. l.26. C. de don.* (non obst. *l. 60. de R.V. l. 1. §.5. eod. l.32. §. 2. de acquir. poss. l. 28. de usuc. l. 3. C. de acquir. poss. l. 11. de pign. act.*) neque tamen rerum acquisitione indignè defraudentur: licèt vel maximè de eo genere acquisitionis ageretur, quô non ipso jure dominia, sed *facto* hominis, transeunt. Hinc etiam utilitatis causa receptum est, ut si non soli possessionem apprehendere possint, prohibente videl. id ipsum ratione naturali, quam omninò animum *perfectum* ad hoc requirere, cumprimis quoad *effectus* etiam *onerosos* ex possessione resultantes, verius est; possint tamen acquirere possessionem *autore* tutore *l. 4. §. 2. l. 1. §.3. 11. l.32. §. 2. de acquir. poss. l. 3. C. eod.* & in hoc à *furioso* infantem distinxerunt. Nam infans dicitur acquirere *ipse*, sc. autore tutore, quia sensum habet, licèt *non plenum*, ceu capiendus est *§. 9. J. de inut. stip. l. 32. §. 2. de acquir. poss.* non etiam ut *per* tutorem acquirat, quale quid de furioso constitutum est, ut hic nil possit acquirere cum consensu curatoris, possit verò *per* curatorem, vel potiùs curator possit *nomine furiosi*, cùm furiosus animo planè deficiat. vid. *l. ult. C. de Cur. furios.* Bachov. *vol.2. ad Tr. D. 21. th. 3. lit. A.* Et tamen ubique videas magnâ benignitate *Jus Rom.* furioso legibus suis, æquitate naturali plenis, prospexisse. Post subjectum seu personas in acquisitionem dominii venientes, de *formâ* & quidem acquisitionis, quænam *jure N.* ad transferendum dominium requirantur? videamus. Equidem posse *nudâ voluntate* transire volentis, Jure Naturæ dominium transire, asserit Zieglerus *ad* Grot. *L.II. c.6. §. 1. & c.8. §.25.* it. Reuter. *de alienat. lib.II. c.5. §. 5.* sed contrà disputat *Feltmannus* de *Jure rerum c. 13.* ut tamen *subtili* & tacitâ traditione contentus sit, dum civiliter quidem ait, dominia non concessionibus aut contractibus sed *traditione* transferantur: *l. 13. pr. de O. & A. & seq.* adeò rationem juris Naturæ sequi ipsa jura civilia etiam in pignore seu pactô hypothecæ, in legatis & fideicommissis: siquidem in pignore non conventioni quà tali sed traditioni *subintellectæ* aut legi, vicem ejus explenti, quæ omnium rerum regina sit, *constitutio* juris in re adscribenda sit: quoad *hereditatem*, *suos* retinere potiùs dominium, *extraneos* defunctum repræsentare, dominium *legatarii* ante traditionem fictum esse, adeòque subtiliorem traditionis modum minimùm intervenire: quem in sensum accipit *l. 3. pr. de publiciana*: vel *patientiam* esse loco traditionis, lege *nuda* translationem dominii nusquam fieri, ita Feltmannus. Pro *Ziegleri* sententiâ dici potest, quòd solâ conventione non possit acquiri dominium in jure nostro, illud *merè civile* & arbitrarium esse, perinde ut nec ex pacto oriatur plena obligatio, siquidem minus è RepubI. visum fuerit, jura perfecta & peremtorii præjudicii adeò fa-

cilè constitui & stabiliri; unde adhuc *judicium*, idque magis *externum*, *ejusque* auctoritatem requisitam videri posse; Et quanquàm in *§. 4. d. R. D.* habeatur, *(jure N. traditione,)* tamen rationem ibi subjectam pro *Grotii* sententia non minùs facere; quanquàm certum sit, plus esse efficaciæ in voluntate, quæ cum dimissione actuali rei conjuncta est, Aliàs utique sufficit jure N. ad perfectionem actûs *internè* deliberatio & electio, *externè* signum constantis voluntatis, nec apparet, cur *jus incorporale*, ùt est dominium, citrà actum corporeum transire non possit? imò si *jure N.* requireretur *traditio*, nunquàm sinè eâ dominium transiret, contrà quàm *§. 43. J. de Rer. Div.* & *l. 46. de R. V.* constitutum est, it. in *l. 50. §. 1. de R. V. l. 80. de leg. 2. l. 64. in fin. de furt.* ubi testatoris & cujuslibet alterius *declaratio* sufficit; subtilis traditio, quàm *Feltmannus* supponit, à defunctis nulla fit, ne quidem ex hoc: do, lego; nam ubi hic *traditio?* & *patientia* morientis, ut heres res sibi fumat, nil commune habet cum *patientia* usûs *in servitutibus*. Ex quibus omninò sequitur, *ad dominium* præcisè spectatum *traditionem* ne quidem *jure N.* requiri, quà videl. dominium à possessione & commodis, quæ citrà possessionem ex re percipi non possunt, præscindit. Interim si de dominio quoad *plenum usum* ejus & *exercitium* disquiramus: ita omninò traditionem intervenire necesse est. Omnium optimè *LL. Rom.* quæ de hac re diversimodè statuerunt, ùt vel in solo articulo *hereditatum* & *legatorum* videre est; adeò, ut *gradûs* etiam dominii, saltim quoad legata, constituerint, & in his inter dominium *fictum* & *verum*, inter ejus *actum primum* & *secundum* distingui oporteat; dum aliter videl. legatarius dominus esse dicitur legati, *à morte* testatoris, aliter *ab aditâ hereditate* & plenissimè demum quoad rei *tractationem* seu omnimodum exercitium, postquàm res ei tradita fuerit.

Denique ad *effectum dominii* respicit, totum *cap. X. Lib. II. ap. Grotium*, quod inscripsit ille: *de obligatione, quæ ex dominio oritur*, quam inscriptionem, saltim ut ægrè faciat *JCtis Rom. Pufendörff. L. IV. c. 13.* retinet, ubi in *§. 5.* ait, obligationem hanc procedere ex conventione universali inter homines: quo circà non tam ex dominio, quàm circa illud, ex generali æquitatis ratione unum alteri obligari, asserere videtur. Et sanè non potest non esse lusus in verbo *obligari*, de quo *vid.* Bachov. *D. VII. de action. th. 11.* Neque enim ex proprio jure obligationis, quòd quis rem nobis restituere teneatur, procedit; *l. 17. §. 1. l. 20. de R. V. l. 5. C. eod. l. 5. pr. de aut. tut. l. 3. pr. commod.* sed ex potestate *actionis realis*, & judicii *arbitrarii*, quod apud *Romanos* duas habet clausulas, unam de restituendo vel tradendo, quod probato dominiò actoris & possessione rei conventi, judex meritò ad hoc, ut *suum cuique* tribuatur, injungit; alteram de litis æstimatione, quæ contumaciam rei restituere nolentis subsequitur: ut tamen si culpâ restituere non possit, mitiùs cum eo agatur. vid. *l. 70. de R. V. add.* Cujaciò *ad l. 68. eod.* Utique Grotius in *d. cap.* infinitis modis, etiam in ipsis vestigiis *Juris Nat.* labitur, ut erroribus planè caput istud scateat, prout sæpiùs evenire necesse est illis, qui à *JCtis Rom.* solidiori prudentiâ instructis, abscedere malunt. Sed cum longè rectiùs hi de restitutione rei, quoàd fructûs ejusdem, distinxerint, atque satis ab illis evictum sit, quòd bonæ fidei possessor fructus perceptos non industriales solùm sed & naturales lucretur, ipsumque adeò jus N. velit, ut bonæ fidei possessorem non tam juvet, industria ipsius (quæ non minor esse potest in malæ fidei possessore,) quàm justa potiùs possessio; ideò rectiùs utique hæc doctrina ex *Dd. nostris* quàm ex *d. cap. Grotii* haurietur. Illud solùm addendum est, quòd valdè erreut illi ex *Moralistis*, qui putant rei alienæ actum positivum *restitutionis* de Jure N. aut divino non requiri, sed pœnitentiam seu contritionem ad hoc, ut peccatum eluatur, sufficere. Nam omninò res ad æqualitatem redigenda est; aliter nulla est justitia: non etiam contritio seria esse potest, nisi fiat restitutio: Idem est moraliter, retinere res alienas, ac subtrahere: in furto uterque actus positivus & negativus inhibetur; etiam *fama* restituitur; non quidem honor fundamentalis, seu id, ob quod honor exhibetur, (nam is ne quidem ablatus esse potuit,) sed honor exhibitivus, quem *injuriâ* alteri quis detraxerat. Et quanquàm restitutionem ad salutem necessariam non esse obvertant, tamen facilè ad hoc reponere licet, non esse quidem necessariam, ùt conditio impetratoria, aut meritoria, sed tamen ut suspendatur salus à restitutione, tanquam à conditione omittendi oppositum, sive

sive non continuandi furtum, tanquàm opus malum seu damnabile.

Satis de dominio rerum singularium. *Hereditas* autem (nam de cæteris *modis* per universitatem res deferendi, ùt sunt honorum possessio, arrogatio, addictio cum similibus, *alibi* pleniùs agitur) vel testamento defertur, vel ab intestato: *Testamentum*, utcumque Juris naturalis non sit positivè, tamen eidem non repugnat, & *negativè* adeò juris naturalis esse dicitur, quâ videl. non invitô Jure naturali, Jus *civile* ubique ferè rationem testamentariam introduxit: Possum enim aliquem etiam *inter vivos* facere dominum rerum mearum, qui talis mortuo me maneat: quidni possem inter mortuos efficere, ut per omnia, quodcunque patrimonii mei est, ad alios transeat? & detur adeò successiva dominii perpetuitas; ut tamen voluntas testatoris sit ambulatoria usque ad mortem: & abinde incipiat jus heredis: ut hic adiret, si vellet; nec tamen in omnibus, sed exceptis quibusdam, defuncti personam repræsentet, & quæ alia ad *modum* disponendi pertinent; prout modus ipse testamentarius, juris positivi haberi debet: ceu facultas *absolutè* disponendi, non minùs ùt dominium & jura alia, ex naturali jure procedit. Posses etiam dicere, testamenta *Juris G.* esse, videl. *subjectivè*, quòd pleræque Gentes eum modum disponendi receperint, non aliter ac *Feuda* Juris Gentium esse dicimus. Num vero *Germani* nostri usu testamentorum, etiam nuncupativorum, caruerint? *Pufendorffius* inquirit, *L. IV. c. 11. §. 18.* idque asserit, de illis non minùs, ut de aliis quibusdam populis, & commendat valdè institutum, quô bona *avita* in familiâ conservantur, de propriis vero seu *acquisitis* testari permissum est. Equidem sunt multi, qui testamenta usui publico adversari opinantur, ùt *Argentræus* in *consuetud. Brittanniæ Tit. 22. p. 1902.* & *Boërius* in *Consuetud. Bituricensibus*, ad *tit. de testam.* quòd *lites* inde oriantur, quæ sunt clades patrimoniorum, quòdque continuari potiùs oporteat dominia, à majoribus accepta, ad posteros, quasi perpetuô fideicommissô, & quòd æquitati naturali repugnet, extraneos sæpè fratribus, aliisque conjunctis, præferri: cumque successio naturâ debeatur, eo ordine, quô civili lege eam ab intestato definitam videamus, ideò testamenti usus supervacaneus sit; id quod *Plato* agnoverit Lib. XI. d. LL. quem citat *H. Grotius L. II. c. 7. §. 9.* sed locum non persequitur. Enimvero *lites* si respicias, per accidens enascuntur, & viventium actûs eodem modo sustuleris. Deinde beneficia cessabunt omnia, si fas erit cognatis sinè discrimine actus conjunctorum inclamare: In exheredatione nihil odio datur, nec in præteritione, sed justitiæ habendum est: conjuncti enim indigni beneficiô esse possunt. Infiniti bona non habent à majoribus: exempla Gentium paucarum non tollunt prudentiam & æquitatem cæterarum; neque locus Platonis huc adeò pertinet, quod *Boeclerus* ad *Grotium* ostendit, *p. 271.* Leges utique civiles testamentis ubique modum imposuerunt, ne in æquitatem naturalem impingerent: Hinc *liberis* primum locum fecerunt, qui quasi finis matrimonii & patrimonii sunt, & partes parentum, quibus debetur, quod totius est: in *fratribus* non eadem ratio obtinuit, nec ortus communis id efficere potuit, ut non benefactores & amici illis præferri potuissent: Et quanquàm ordo successionum *ab intestato* definitus sit, tamen illa definitio in defectum testamentorum obtinet; cùm potior voluntas hominis in hac universitate rerum esse debuerit, quâ quilibet, tanquam fructu & emolumentô laborum suorum, gaudere posset, multa cæteroqnin neglecturus, si dispositionem de illis post mortem ereptam sibi etiam cognosceret. Illud saltim obiter observandum est, quando nonnulli testamentum non tam *alienationem* quàm continuationem dominii esse docent, quòd id non nisi quoad repræsentationem verum sit: nam testamentum alienationem esse, etiam quoad *liberos*, certum est, quippe quòd ii solùm analogicè *domini* rerum paternarum, vivô patre, esse dicantur, quarum rerum dominii quicquam non habent; adeò ut ne quidem *legitima* æs *alienum* ipsorum propriè dici possit. Hinc prohibitâ *alienatione*, non censetur permissa esse translatio rerum in alios, per testamentum; nisi liquidò appareat, quòd alienatio testamentaria permissa sit, ùt rectè docet Knipschildus *c. XI. de Fideic. Famil. n. 155. & 164. seqq. 168. 177. 182.* & *c. VII. n. 137. c. XVI. n. 328.* Denique cùm testamentorum solennia ex lege civili pendeant, disquirendum superest: num heres ab intestato veniens testamentum jure civili invalidum, in quo tamen voluntatem testatoris certò contentam esse, novit, *in conscientia* servare teneatur? v. g. filius ex solâ legitimâ institutus, non possit uxori vel amico te-

statoris

ſtatoris, cui ſatis conſtat, teſtatorem reliqua omnia deſtinâſſe, hæc ipſa eripere, ideò, quòd unus alterve teſtium, qui teſtamento adhibiti ſunt, inhabilis ſit? Quòd poſſit ſalvâ conſcientiâ, *Noſtrates* docent communiter; ſaltim in foro illa ſententia obtinet, quanquàm *Bachovius* ad *Treutl.* Vinnius *ad Inſt.* Amefius *L. V. c.* 41. *§.* 15. *Molina*, *Vaſquius* & *alii*, diſſentiant: omninò malè. Nec enim velle videbitur teſtator, qui non legitimè voluit, ipsô J. N. hoc dictante, ut *modus* à lege civili præſcriptus, ad fraudes & alia incommoda evitanda ſervaretur, & ne propediem tota illa in fumum abeat *legiſlatio.* Eſt lex rerum noſtrarum domina, quod in *uſucapione* videmus, imò hæc ipſa lex ſc. communis eſt Reip. *ſponſio: l.* 1. & 2. *de LL.* ut nil videatur quisquàm civium prætendere velle, niſi annitente Lege ſibi debeatur: cui ſimile quid in quarta *Falcidia* legatariis detrahendâ, ut & in remiſſione ex credito, lege publicâ creditoribus injunctâ, occurrit; ne per rigidam exactionem depauperati debitores publicâ calamitate, cum pernicie communi omnium peſſundentur; Nec quod *Ameſius* urget in contrarium, quid efficere poteſt, quòd nimirum lex civilis inventa ſit, ut *fraudem* excludat; eſſe verò de fraude nos ſecuros, quando de veritate teſtatoris conſtat: nam ceſſante ratione legis in *particularibus*, non eſt judicis à *generali* conſtitutione recedere: quoniam ita jus *incertum* haberemus in omnibus actibus, ubi requiſita *civilia* eô fine conſtituta ſunt, ut ne quis læderetur; velut in alienationibus minorum, interceſſionibus mulierum, inſinuatione donationum, &c. Videlicet reſtitutio minori non dabitur, ſi ille ſit viriliş prudentiæ? ex pacto dabitur actio, cùm deliberatum eſſe conſtat? contrà quàm tradit Sandius, *II. Deciſ. tit.* 9. *def.* 14. & num teſtari poterit impubes pleni judicii? num non poterit minor imprudentior? Sanè judex, qui teſtamentum nullum pronunciat, non fundat ſe in præſumtione fraudis, ſed in generali diſpoſitione legis. Et ſi non legiſlator quem tutum vellet in conſcientiâ, qui *Legibus tutus* eſt, an non miſera hæc foret legiſlatio, quæ animas perderet, bona conſervaret? Equidem Jus naturale convenit cum conſcientia, & ex ejusmodi teſtamento non ſolenni naturalem obligationem oriri *Bachovius* objicit. At verò non oritur inde naturalis *obligatio.* Et num ſalvâ conſcientiâ quis uti non poterit SCto Vellejano, Macedoniano, & aliis juris civilis beneficiis? quorum nullum utique eſt, quod non ratione naturali, & *vera* quidem illa ſeu *profundâ* nitatur. Etenim Jura *civilia* ſolùm contrà ſeu præter ſimplicitatem naturæ, aut potiùs contrà ea diſponunt, quæ juris naturalis, ſi primô intuitu & abſolutè rem ſpectes, eſſe videntur; ſed non contrà jus naturale ſeu rationem ejus *exactiorem*: ùt quando v. g. mulier creditoribus anterioribus præfertur: nam omnium horum ratio ex jure *naturali* vel maximè pendet. Interim certum eſt, ſepoſitâ ratione legum civilium, & non habitô reſpectu ſolennium, heredem de voluntate defuncti certum in conſcientiâ, ad eam implendam obligari, idque jure etiam naturali dictari; modò *leges* civiles *ſolennia* attendi non velint, prout ad hanc ſimplicitatem teſtamenta *privilegiata* (v. g. parentum,) reſpiciunt, vid. *l.* 38. *de Fideic. libert.* ſed aliàs non licet civibus ſe opponere Legibus, & negare eis obſequium, publicæ utilitatis causâ. Certum quoque eſt, ſi roganti teſtatori ſe præſtiturum eſſe, quod velit ille, fidem exſertè dederit heres, eum in conſcientiâ omninò obligari, *arg. §.* 1. *J. de fideic. hered.* licèt aliàs, nullâ intercedente ejusmodi promiſſione, ad fideicommiſſum exequendum, cui requiſita civilia deſunt, heres non teneatur, ùt ex *l. f. C. de fideic.* & *§. fin. J. de fideic. hered.* patet; non attentô, quòd *Alii* textûs eos ſimpliciter accipiant, quaſi heres ejusmodi, quando fideicommiſſum ſpontè *fatetur*, ad exequendum illud obſtrictus ſit, de quâ ſententiâ vero Taborem *in Partit. Elem. part.* 2. *§.* 46. *p.* 86. *ſeqq.* quanquam *illa* in Foro reprobata, & ſec. eam fruſtranea Juſtiniani conſtitutio futura eſſet: ut adeò potiùs rationem ejus in voluntate Legiſlatoris & ſpecialitate casûs quærere oporteat. Ulteriùs, certum eſt, poſſe heredem rem à teſtatore ſibi verè, ſed nec ſec. requiſita civilia relictam, ſalvâ conſcientiâ *retinere:* ſiquidem leges taliter relictorum præſtationem non prohibent. Grotius *L. III. c.* 7. *§.* 6. Videl. obligatio naturalis tantiſper ex teſtamento durat, donec virtute legis ab herede expugnetur, aut ſaltim obligatio naturalis, ſi vel maximè retinentem heredem non tueatur: tamen ipſum ſatis tueatur, quòd in alterius arbitrio, num infirmiter relictum ſibi aſſerere velit, poſitum ſit, nec tantùm hujus derelictio, ſed & defuncti certa, licèt non ſolennis, voluntas, conſcientiam retinenti ſalvam præſtet. Tandem laudabile utique & honeſtius

nestius esse potest, (prout moralia sanè gradibus hactenùs non destituumur,) ut defuncti voluntatem legum solennitati quis præferat; id quod ex circumstantiis definiendum est. Quid enim si Pauperibus quid legatum sit? si personis aliis miserabilibus? vid. *l. 38. de fideic. libert. l. 5. §. 15. de don. inter vir. & ux.* nam ita vir bonus sinè morsu animi vix retinere potest ea, quæ ducente pietate vel ipse personis à testatore designatis, cumprimis de lucro sibi adveniente, impertiri tenebatur.

Quanquàm vero LL. civiles non unâ ratione civibus de bonis suis post mortem disponendi facultatem concesserint: quòd si tamen eâ quis usus non fuisset, ipsasmet leges ordinem successionis ab intestato eum induxisse videmus, qui non quidem voluntati defuncti in particulari, videl. hujus vel illius, sed potiùs rationi hominum communi & publicæ utilitati congrueret. Hinc utique frustranea sunt, quæ *Grotius L. II. c. 7. §. 3.* & communiter cæteri Juris Gent. Doctores, eum sequentes, de voluntate *conjecturata* cujuslibet defuncti, ad fundandam æquitatem successionis ab intestato proferunt: quasi videl. cùm defunctus non videatur voluisse, ut bona ipsius occupanti cedant, potiùs ad eum illa deferenda fuerint, ad quem dominum illorum ea pervenire voluisse probabiliter colligi poterat. Nam occupanti quidem ut cederent bona ejusmodi citrà absurditatem lex nulla unquam permittere potuit, & quod defuncti voluntatem concernit, omninò certum est, innumeros decedere, quorum voluntas, quâ præter ordinem legalem aliis bona sua relicta cuperent, intercludatur; innumeri etiam, quorum hæreditas ipsis invitissimis, per *Legem*, ingratis liberis, fratribus item defertur & imò proximo agnato, de quo ne quidem defunctus cogitaverat. Hinc apparet, quòd minus cautè Nostrates, ut Strauchius *Diss. XI. aph. 1. aliique* delationem hereditatis ab intestato testamentum tacitum appellent; potiùs hæc successio merè legalis est, ut tamen prout nulla lex, cum primis in universitate bonorum, & integro adeò civis unius & alterius patrimonio, sinè ratione inducitur: ita non minùs ordines succedendi ab intestato potissimùm rationem sanguinis respiciant, & communem adeò habeant respectum, non hujus aut illius defuncti; nec adeò tam hominis quàm humanitatis: & præterea conservationis familiarum, cùm interesse cujuslibet videatur, ut æternitatem nominis inter mortales, quantum fieri potest, sibi adstruat, & vel maximè respubl. ex splendore & divitiis familiarum conservetur: utut hic respectus non ubivis terrarum, nec omni tempore in unâ Republ. æqualiter, attendantur. Hinc in *Rom.* quoque *Imperio*, sepositâ adeò sanguinis ratione, pristinis temporibus, familiarum rationem præcipuè leges habuerant, ut in exclusis emancipatis, cognatis, & matribus adeò, quibus tamen sanguinem, amorem & affectum interiorem debemus, satis apparet; donec sensim *ante Justinianum*, & *per ipsum* plenô impetu successiones ad conjunctionem *sanguinis* reductæ fuerunt. Vanum itaque est dicere, ubi lex adest, ibi creditur defunctus id voluisse, quod lex voluit; quanquàm hoc rectius dicatur, ubi nulla lex est, (qui tamen casus ne quidem in ullâ Republica dabilis est,) ibi id voluisse creditur, quod æquitas jubet. Cæterùm vult omninò æquitas, ut cessante provisione defuncti eum ordinem sequatur patrimonium, qui communiter in civitate, & in genere omnibus decedentibus, ex ratione etiam communi, & publicâ, præfinitus est: Hinc licèt defunctum apertè constet plus amicum dilexisse, quàm eum, qui sanguine ipsi conjunctus fuerat; lex tamen, publicum familiæ respectum præferendum esse, existimavit: nec quod defunctus voluisset, sed, quod voluisse debebat, maximè cùm facultate illâ & licentiâ disponendi, quam leges ipsi indulserant, semel exciderit. Et quamvis amicus ad bona comparanda sæpè juvisse defunctum potuerit, non tamen certum est, num meritis provocatus id non fecerit; sufficit etiam, quod mei saltem ei ad gratitudinem teneantur, imò ingratis etiam vel propinquis nostris potiùs condonâsse videbimur, cùm nihilominus conjunctio sanguinis arctissima sit, & in tantum familiæ suæ rationem quilibet habere videatur, ut propterea leges plerumque ultrà certam portionem bonorum, uxoribus defunctorum ex patrimonio maritorum, quibus tamen conjunctissimæ vixerunt, nil adeò deputent. Quid etiam si extrà rationem subjectorum, quæ facilè deprehendi possunt, ut sunt liberi, parentes, fratres, Leges civiles respicere voluissent, ad merita quæpiam, ad amicitiam & propensionem singularem, quæ non sanguine, non naturâ, certò definitur, & variè æstimari potest: num non ita litibus inter se civitas

 collide-

collideretur? ut adeò pacis & tranquillitatis omninò interfit, rectam illam & communem viam servari, licèt vel maximè per hoc voluntas particularis multorum negligeretur: Accedit, quòd liberalitate aut gratitudine fucceffio ab inteftato niti non debuerit, fed obligatione aliis profpiciendi, neceffitudine fanguinis, & injunctâ propenfione nomen fuum augendi & confervandi: quod quidem pofterius, cùm *Juftinianus* ampliatâ fucceffione & extensâ in eos, qui extra familiam funt, non attenderit, à multis eidem ad Tyrannidem imputatum eft, quafi videl. Principatum liberiorem aliâ ratione meliori inducere non potuerit, quàm divitias atque ftatum familiarum infringendô, fervorum infinitam multitudinem ad libertatem perducendô, uxoribus nimium favendô, quò dominis & maritis ægrè faceret: de quibus *alibi* difpiciendum eft. Sanè quod fucceffionem *ab inteftato* attinet, non prohibuit *Juftinianus*, quemlibet familiæ fuæ confulere poffe, & proftant plura fucceffionum ejusmodi genera per Majoratus, per fideicommiffa familiæ, & pacta gentilitia: Unde in controverfiis fucceffionis ab inteftato adhuc dum auctoritatem *juris Juftinianei* Gentes *Europæas* ubivis refpicere videmus; quippe quòd rationem naturalem illud optimè præferat, ceu *Boeclerus* agnofcit ad Grotium *L. II. c. 7.* it. *Betfius c. 5. de pact. fam. illuft. p. 220* junctô Carpzoviô *II. Confift. tit. 25. def. 407.* & *aliis.* Exempla illuftria reperimus *apud* Buchananum *Lib. XVII. Hift. Scot. p. 265.* Thuan. *Lib. XXXV. p. 727.* Cambdenum *Part. II. hift. Angl. p. 202.* Paulum Piafecium in *Chron. geftorum Europ. fingularium p. 92.* & *infinitos* alios, ut inane fit ftudium eorum, qui fucceffiones Regum & Magnatum Chriftiani orbis ex fluctuante illo, nec ad liquidum reductô, Jure N. quod vocant, definire præfumunt; nec enim credendum eft per tot fecula, in Republ. optimè conftitutâ, & ingeniis excelfis atque exercitatiffimis refertâ, rationem J. N. prudenter fatis excuffam non effe.

(*s*) IN PERSONAM. Nam *jus* ad *rem*, quod nunc fequitur, perfonam afficit. Eô jure pofitô, ponitur *obligatio*, & viciffim: *l. 137. §. 4. de V. O.* Relata enim funt, nec eô ipsô Synonyma: nam obligatio non eft in creditore, fiquidem ille non adftringitur: & vinculum quidem inter duos eft, fed quod folum debitorem liget; Non etiam jus ad rem effectus obligationis dici poteft: nam ex obligatione oritur actio cum refpectu paffionis; fed quà actio eft, ex jure ad rem oritur: Ita jus ad rem in creditore, obligatio in debitore reperitur. Equidem illud falfum eft, quod *Grotius* docet *L. II. c. 11. §. 3.* quempiam poffe dici obligatum effe, ut nullum jus ponatur in alio, utcunque hoc quandoque imperfectum fit. In univerfum obligationes diftinguuntur à *Pufendorffio L. III. c. 4. §. 4.* in *congenitas* & *adventitias.* Ad *illas* refert obligationem adverfus Deum: (quanquàm de eo, quando hæc obligatio fe exferat, quid ad *Pufendorffii* hypothefin notandum fit, fuperiùs expofuerim:) & refellit ibid. *Hobbefium c. 14. §. 19. & c. 15. §. 2. de Cive*, qui *Atheifmum* puniri non poffe, tanquam in *imprudentia nudâ* confiftentem, ftatuit. *Adventitiam* ex *facto* hominis deducit: quod fi ita intelligas, ut factum quoque ejus, qui Remp. feu civitatem ingreditur, refpicias, quippe quô omnibus juribus in eâ obtinentibus fe fubjicere cenfetur, admitti poteft: id quod tamen nimis remotum eft; nam & *citrà factum* ejusmodi, nudâ æquitate, & ante legem *civilem* infinitis modis quis obftringitur, communi puta Jure N. & G. Noftrates obligationem accuratiùs diftinguunt in *naturalem* & *civilem*: illam imperfectam feu *minus plenam*, & perfectam feu *plenam*, ut *prior* illa, nullâ factâ promiffione antecedaneâ, ex jure honeftatis & æquitatis, nafcatur, ut tamen de eâ indiftinctè & fepofitô omni circumftantiarum difcrimine, dici non poffit, quòd quem *in confcientia* obftringat, ùt *Strauchius Diff. X. th. 2.* docuit. Hæc autem, *plena* fc. five arctior, quà fibi relicta eft, jure civili effectûs tantùm remiffiores apud *Romanos* producit, ùt retentionem, compenfationem *&c.* nec tamen in omnibus, cùm fæpè naturalis ratio fortior urgeat, ob quam ne quidem æquum fuerit, effectûs ejusmodi admififfe; velut in *impubere*, in muliere *intercedente*: quàpropter nullô periculô afferere licet, in ejusmodi perfonis naturalem obligationem *videri* potiùs, quàm ut reverà in illis reperiatur; nec enim aliàs naturalem obligationem lex civilis tollere poterat. Et fanè, fi *prodigum* reverà naturaliter obligatum diceres, quidni poffet juramentô promiffioni fuæ adjectô de bonis fuis efficaciter obligari? videl. ne quidem naturâ obligari poffe videbatur, cui difpofitio de rebus fuis planè adempta fuerat; In pupillo etiam & muliere intercedente fatis naturalem obligationem abeffe,

esse, infirmitas intellectûs & imbecillitas sexûs nimia, in articulo intercessionum, arguit. *Merè Civilem* obligationem quod concernit, quæ nim. æquitate naturali vacua est, eam dari nonnulli ex *Nostratibus* malè negant. Equidem *naturale quid* hactenus illi obligationi subest, quòd eò usque agentem judex audiat, donec reus exceptionem deficientis naturalis æquitatis probaverit; quô factô, subtilitas civilis effectu destituitur. Nam sola obligatio, quæ ex naturali & civili, vel verè vel *præsumtivè*, *mixta* est, (ùt sunt, ex posteriori genere præsumtiva obligatio ex re judicata, ex transactione, ex literarum obligatione, post biennium sc.) actionem efficacem in foro producit: & hæc distinctio obligationis à caussa *efficiente externa* petita est: Ab *interna* & subjecto aliæ profluunt, ùt est in *personalem* & *realem*. Ubi not. est, non omnem conventionem cum populo initam esse realem, licèt subjectum sit permanens: nam certo tempori conventio includi potest; idemque obtinere, quàmvis populus cum populo contrahat, nec etiam si cum Rege contractum sit, licèt fœdus quoddam fuerit, realis est obligatio, contrà quàm Grotius *Lib. II. c. 16. §. 16*. Quâ rat. autem obligatio seu pactum personale vivô autore in successorem singularem transire possit, ad *l. 17. §. 5. de pact.* alibi expositum est. Deinde obligatio vel *mutua* est vel *non mutua: illa* vel utrinque principaliter vel ab unâ parte secundariò; *Pufendorffius* mutuam vel imperfectè vel perfectè talem constituit, & imperfectionem inter Principem & Subditos agnoscit: quod vel maximè verum est in eâ, quæ inter hos concipitur, de *modô imperandi*, conventione; ùt ad doctrinam de *Capitulatione* latiùs exposuimus, cur sc. non protinus, quando Princeps unum alterumve articulum Capitulationis negligit, imperiô & Principis jure excidat?

Cum verò in genere, quoad doctrinam obligationum, (quantum quidem ad hoc institutum,) de *fide* earundem, de *veritate* item ac *Justitia* agendum sit: Ideò quod *fidem* concernit, promissionem *internam* animô non manifestatô de J. N. non obligare, constat: Nam licèt proposito animi quid superaddat, tamen inchoatio tantùm est promissionis, non complementum. Et quanquàm animô quidem possit haberi pro derelicto, & amitti etiam, *possessio;* prout ad *Tit. de acquir. & am. poss.* docemus: tamen non potest res in alium transferri actu illô solô interno, & facilius id desinit, quàm in alterô incipiat, nec tamen ulla potest fieri acquisitio, nisi inter duos, ita ut priusquam animus derelinquendi pateat, alter non teneat rem, quoad intentionem perfectam, licitè, nec teneat formaliter, quàmvis quoad effectum, & tamen nunc solùm ratione objecti; At vero in reipsa non est perfecta moralitas, cùm aliud sit rem derelictam occupare, aliud rem ùt derelictum & sub habitudine illa, quæ moralitatem conficit. Hinc non obst. quòd tota vis negotii à voluntate interna pendeat, & actus solùm ad cognosci requiratur, non ad esse: nam utique ipsa perfectio actûs externa signa requirit, estque aliud ipsa voluntas donandi seu donatio animô concepta, aliud ipsa donatio, quoad totam sui perfectionem; Nec potest justitia dari acquisitionis, nisi simul fides & veritas negotium comitentur: imò aliena esse res non desinit vel saltim alterius facta esse; non dici potest, priusquàm animus verbis proditus sit, quod veritatis est, & ut factum verba subsecutum sit, quod fidelitas exigit. Inter homines enim requiritur connexio sensibilis, cùm de animo alterius citrà externa certi esse non possimus: Hinc non potest dici esse infidelitas, nondum datâ fide, nec deceptio, si non præstatur id, quod animo destinatum erat. Jam verò si ratione fidei alteri quid non quæsitum est, nulla inde promissio conficitur, quippe quæ fide non minùs constat. Denique *Juramentum* quòd obliget, cùm animo conceptum est, inde procedit, quòd versus Deum dirigatur, nec tamen si homini non fiat, aliter habet, quàm instar voti: & hinc nullo respectu, nisi quatenus rem bonam complectitur, obligat. Quando vero ad externum actum animus processit, an tunc ad jus transferendum *acceptatio* requiratur, an verò citrà eam alteri quid acquiri possit, quæritur? Negativa quòd non possit, verior est, & quòd donanti ante acceptationem pœnitere liceat: quanquam enim ex acceptatione tanquam ex caussa directa non oriatur obligatio, tamen illa tanquam conditio sinè qua non requiritur, non aliter atque animus habendi, ùt sumn, ad dominium requiritur. Undè si piæ caussæ vel Reip. quis quid *polliceatur*, quod exindè efficax subsequatur obligatio peculiari ratione, ut & in promissione ad *pias causas*, ob favorem publicum religionis & pietatis, constitutum est. Quapropter quando ante

ante acceptationem is, cui promissum erat, moritur, heres ejus acceptare non potest, ùt rectè Grotius *L. II. c. 11. §. 16.* ubi simul in *§. 17.* exponit, an promissor revocare possit promissionem, si mortuus sit *internuncius* ante delationem? Utiquè tertius si referat absenti promissario, hic ne quidem acceptare potest, nisi tertius ille mandatum habeat; nam aliàs non concurrunt duorum voluntates in unam; & tamen modi sunt varii, quibus fieri potest, ut donatio v. g. licèt nondum acceptata à donatario, non tamen revocari à donante possit, ùt diligenter exposuit *Andreaus*, in *Controv. forens. c. 292. per tot.* Quid si præsens sit alter, quem negotium concernit, num ille pro consentiente, si *taceat*, habebitur? Aff. Grotius *L. II. c. 4. §. 5.* & *L. III. c. 24. §. 1.* Etenim cum consensus plus dicat; quàm repugnantiam dissensûs, & positivum quid sit, ita ut silentium sui naturâ hæsitantem potiùs indicet: hinc consensus ex silentio colligi non potest, nisi accessu aliorum indiciorum, ùt ex qualitate materiæ sub consensum cadentis, velut habet *c. 44. d. R. J. in VI.* ubi, quòd is qui tacet, non fateatur, nec utiquè negare videatur. Quapropter in universum, & non modò quoad contractûs, sed in aliis etiam negotiis, dicendum est, cùm de commodo cujusquam agitur, tacentem regulariter haberi pro consentiente, maximè si proptereà præsens sit, ut de illâ re agatur. Deinde, qui non prohibet, pro se quem intervenire, mandare creditur. Ulteriùs, si quis dissentire aut contradicere debebat & taceat, consentire videtur? ùt reus à Judice interrogatus: porrò, cùm de incommodo alterius & obligatione ejus seu præjudicio agitur: tunc silentium sine re aut facto non satis probabilem conjecturam voluntatis efficit, ùt si puella de matrimonio interrogatur, & nullo facto vel indiciô interpositô taceat. Equidem in Criminibus nudum quandoquè silentium pro causa morali habetur, sed hoc tamen lege sanciendum est; ùt in Crimine Majestatis constitutum esse reperitur. Deniquè, ubi lex etiam tacentem pro consentiente aut confesso habendum esse vult, non minùs talis, cùm legi subsit, si tacet, habebitur. Quod verò de acceptatione diximus, ad *vota* non pertinet: de quibus optimè scripsit Seldenus, *Lib. VII. d. J. N. & G. c. 2.* Post fidem succedit *Veritas*, ubi frequens est disceptatio; An quis sermone possit uti, qui sit *mendacium?* sive an mendacium absolutè & secundùm se consideratum, non habitô respectu ad finem externum, sit turpe? Asserunt hoc multi cum *Augustino*, qui nec *officiosum*, quod dicunt, mendacium probârit, & quidem (1.) perfectioni Dei, in genere morum quodlibet falsiloquium repugnare dicunt, veracitati sc. æternæ. (2.) abusum continere sermonis, qui ad aperiendum animi sensa homini concessus sit. (3.) fallendum neminem esse datâ operâ, cùm nemo ipse ab alio falli cupiat: ita jus Canonicum *c. XXII. quæst. 2. can. 4.* quòd quidem verum tacere liceat, sed non item falsum dicere: similiter disparatam nos posse dicere veritatem, ùt *1. Sam. XV. 6.* item conditionem subintelligere, ùt *Luc. XXIV.* sed tamen præsumtibilem à quovis, etiam mediocriter intelligente, ùt: se abiturum; nisi rogetur; non verò non præsumtibilem, & ìmò sæpè oppositam sermoni exteriori. Nec tamen eum ne quidèm veritatem legere aut celare posse, qui contrahit aut reus est, idque ob fidem publicam & Dei ordinationem. Non obsistere, quòd is qui docet, falsum sæpè dicat discipulo, ad hoc ut profectus ejus exploret, cùm ut mendacium juxta illos oratio sit quædam externa, interno conceptui opposita, & ad fallendum directa: hinc Doctorem ejusmodi non mentiri ajunt, quia non dicit quid assertivè sed tentativè, nec ut fallat, sed ut fallaciam caveat. In Medico autem qui melancholico quid persuadet, solertiam esse dicunt, quam frustra mendacii nomine insignias: quanquàm aliàs dolus bonus in scripturâ non fundetur, ut tamen dolus negativus seu occultatio veritatis non sit dolus, ne quidem bonus. Aliàs ne quidem ut vitam alii servemus, mentiri licere: quid enim ajunt, si custodes aliter quàm stupro promovere seu corrumpere non possis, an ita stupro uti licitum est? scilicet ut corporaliter vivat unus, non debet alter mori spiritualiter; Facta dicunt esse indifferentia, ùt quando *1. Sam. XXI. 14.* David se stultum simulavit, ut periculum evaderet (conf. etiam *Jos. VIII. 15.*) posse enim facta illa diversimodè à diversis intelligi. Exemplum *Job. XI.* & *I. Job. II. Luc. XXII.* & *alia*, non urgere, quippe quòd illis mendacii definitio non congruat. Quòd vero Deus dicto suo juramentum addat quandoquè, ex hoc non colligi posse, quòd nonnunquam seriò non dicat: siquidem juramentum dicto ejus autoritatem addere non possit, quia non est major

jor se ipso, per quem juret; adeò ut potiùs sit obtestatio, quâ ad immutabilem essentiæ suæ veritatem nos advertere jubet. Enimverò Grotius *L. III. c. 1. n. 9.* argumenta hæc & similia probè expendisse videtur, quanquàm valdè fluctuet; ita ut semet vix expedire possit. Docet ibid. quòd nulla possit ostendi circumstantia, quæ intrinsecè & per se fundet turpitudinem mendacii absolutè & sec. se consideratì. Et sanè quia importat falsam significationem, ex parte *materialis*, ideò quoad hunc respectum turpe non est, quia etiam id quod falsum est, indifferens est, in genere morum, signô exprimere, idquè ex bona intentione, ut homines id falsum esse doceantur. Nec etiam ex parte *formalis*, sc. intentione fallendi, turpe est: nam fallere est scienter quicquàm proferre cum significatione, quæ mentis conceptui seu intelligendo seu volendo disconveniat. Igitur huc res redit, si mendacium in sensu communi accipiatur, pro disconvenientia, ita non omne mendacium in vitio est, sed si in sensu stricto, quando videlicet accedit repugnantia cum jure ejus, ad quem sermo aut nota dirigitur, ita turpe est omninò. Redeunt eò, quæ docet Pufendorffius, *L. IV. c. 1. §. 7. usquè ad 14.* quando ait, omne mendacium esse falsiloquium, sed non omne falsiloquium esse mendacium; hoc omne esse turpe, seu speciem alteram falsiloquii, & hinc non omne falsiloquium; Est enim ubiquè respiciendum, num alteri jus sit, à me verum expetendi? si illô destituatur, possum simulare & dissimulare pro lubitu, nec mendacium erit: Indè sequitur licere falsum dicere pro aliorum salute, (modò Magistratui non fiat, nam huic jus quæsitum est veritatem à me explorandi, licèt minus juridicè disquirat) posse pravè curiosis illudi, licere hosti falsum dicere. Idem Pufendorf. *d. l. §. 16. 18. 19.* ubi tamen, quæ de reo criminis *§. 20.* tradit, probari non possunt; neque ea, quæ de Advocato *§. 21.* habet, examen effugient. Et certum adeò est, JCtos non malè docere, quòd *dolus bonus* adhiberi possit, quanquàm hâc appellatione, cùm duriuscula sit, abstinere conveniat, quoties de sanctis, ùt de Abrahamo, Jeremiâ &c. multoquè magis de ipso Christo, sermo est: cùm tamen quoad rem ipsam dubium non sit ampliùs, quin Deus possit scienter quid proferre, quod mentis humanæ conceptui disconveniat; quanquàm hoc ipsum non aliter sit capiendum, quàm ut cæteris attributis divinis, & cum primis, quod Deus fallere homines, ad perniciem ipsorum, non possit, conveniat: cùm enim dissentientes hoc vel maximè refugiant, ne distinctionem illam divinæ voluntatis, quâ heterodoxi utuntur, ut alia sit voluntas *signi*, alia *beneplaciti*, admittere cogantur: Hinc utiquè doctrina jam adstructa cautiùs habenda est. De *Confessione fidei* nostræ quantum eam obtegere liceat, quæritur? Jubet eam confiteri, *1. Petr. III. 15.* sed affirmativa præcepta non ad semper obligant. Unde prudentiam commendat Christus discipulis suis, *Matth. X. 16.* & fugam. *vers. 23.* adeoquè respiciendum est, an in confessione nostrâ vertatur gloria Dei, & ædificatio infirmorum, an potiùs scandalum, periculum turbarum, calumnia & veritatis ludibrium, indè exoriri possint. Deinde respiciendum est, an confessionem fidei à nobis exigendi potestatem quis habeat, nec ne? an illi, quibus confessio edenda sit, sint personæ capaces, sint dociles, nec malevolæ, & qui eò fine confessionem petant, ut nos prodant, deferant, vel ludibrio habeant, ac proindè diversa longè fuit necessitas confessionis in *Martyribus*, quippe qui veram utilitatem & gloriam Dei, aliorumquè salutem, promovere debuerunt: Quod quidem peregrinantibus nunc quidem vel aliis sæpiùs sperare non licet, ut cùm plus damni sibi, quàm utilitatis aliis per confessionem allaturi sint, eam potiùs in tempus & locum commodiorem differre liceat: nam & Christus non semper interrogantibus, vel saltim non directè, respondit, nec sanctum canibus dari voluit, *Matth. VII. 6.* nec præfractis inculcari, *Luc. XXII. 68.* secùs omninò, confessioni sinceræ præmium maximum, dissimulationi pœna gravissima proposita est *Matth. X. 32. seq. Marc. VIII. 38. Luc. XVIII. 8. & 9. Rom. X. 10.* Denique acceptissima est confessio, quando cum fortunarum discrimine, ùt nunc in *exulibus* videmus, & cum vitæ periculo cùm opus sit, conjuncta fuerit.

Post hæc de *sensu sermonis* habendum, quòd verba intelligi debeant ex proprietate populari, cùm sermo rationem societatis habere debeat, cujus gratia homini datus est. Itaquè cessent *æquivocationes & reservationes mentales*: nàm veracitas respectum non dicit solùm ad Deum, quasi propositio enunciata, quando conjungitur cum altera, quæ mente retenta est, veritatem integram consti-

conficiat; sed ad proximum potiùs, cum quo nobis est negotium, respici debet, qui sermone nostro falli non debet: id quod futurum est per hoc, quòd sensus ille verborum esse non possit, qui mente retinetur. Neque ipsi reservationum patroni æquô animo patiuntur sibi per eas illudi. Quid quòd Doctores earum, dum licitas esse dicunt, mentalem habere possint restrictionem? & cùm juramentum debeat esse finis controversiarum, quomodo cum reservatione mentali poterit consistere. Itaque rectiùs reservationes illas rejicit Grotius *L. III. c. 1. §. 17.* de quibus multa etiam in *Montaltii literis provincialibus* leguntur, atque nuper *Uffelmann.* in *c. 13.* de *jure, quo homo homini in sermone obligatur*, refutationem eorum, qui reservationibus ejusmodi patrocinantur, instituit. Utique finis, quòd dicant, studio *se conservandi*, inventum ejusmodi probandum esse, rem non conficit, siquidem licitis mediis fieri debet conservatio, *Rom. III. 3.* nec fornicandum est, v. g. sanitatis vel tentationis causâ. Et quando quoad *judicium* obvertitur, licere judici tunc saltim respondere cum reservatione mentali, quando *juridice* non interrogat: illud facilè eliditur; nec enim veritatem tàm judici debemus, quàm judicio: & periculosum est, cuilibet permittere, ut de eo dijudicet, num Judex Juridicè interrogaverit.

De *Juramentis* nunc etiam quæ disquiruntur, videamus. Sunt enim illa finis controversiarum, *Ebr. VI. 16.* quem locum frustrà *Mennonitæ* de hominibus carnalibus accipiunt; neque enim Christus *Math. V.* juramenta absolutè prohibet: aliàs legem *Deut. XI. 13.* & *Exod. XXII. 10.* solvisset, imò ipse *d. c. V. v. 18.* juravit, junge *Es. LXV. 16.* videl. tantùm non temerè Christus jurandum esse voluit, necessitate se non exigente, nec promiscuè, & per cavillum, ut Judæi per creaturas, proximo illudentes. Aliter non posset homo quicquàm eloqui præter ita ita, non non, vid. Ziegl. *ad* Grotium *L. II. c. 13. in fin.* Nec tamen ipse *Grotius* ad juramentum promissorium dictum locum *Math. V.* restringere debuit, quasi illud ibi, non etiam cetera, prohibeantur. Ita sanè omnes contractus jurati prohibiti forent: ita promissiones Regum juratæ, pax & fœdera juramentis firmata, illicita forent: & tamen hoc solùm Christus voluit, non tantum peccari perjuriis; sed etiam verum jurando, si cum temeritate fieret: nam hic demum error *Pharisæorum* refutandus ipsi fuerat. *Christiani* autem primæ *Ecclesiæ* ideò juramenta refugerunt, quòd *per genium* Principis, quem Gentiles divinitatis participem & proindè occultorum testem & fraudis vindicem esse, credebant, jurare nollent; utcunque per *salutem* Principis sacramenta dicere non recusaverint, & quòd de cætero Christiani juràrint, ex *Vegetio* patet *Lib. II. c. 5.* de *re milit.* Est autem juramentum assertio religiosa, quâ divinæ misericordiæ renuntiamus, aut in nos vindictam Dei reposcimus, nisi fidem dicta nostra habeant. Quanquam enim *religio* per se & semper appetibilis sit, non tamen semper juramus, & rectè nihilominùs juramento inesse dicitur religio, in hypothesi videl. necessitatis, & quando ut juremus, negotia humana requirunt: quocircà tunc etiam Deo, quid debere, & imò reddere ei gloriam, nim. omniscientiæ & veritatis, dicimur. *Matth. V. 33.* An autem juramentum ad substantiam sui *verba* desideret, quæritur? Utique non in ordine ad Deum, cui animô votum & juramentum concipi potest, nec etiam quoad hominem, verba prolata, sed tamen concepta, requiruntur, aut signa, quæ animi sensum liquidè ostendant. vid. Franzkium *Lib. II. resol. 1.* Quid verò si intentionem seu *animum* jurandi non habeat is qui jurat, num ita verbis prolatis juràsse videtur? certum est enim, qui verba alieni idiomatis juramentum continentia, non intelligens ea, enunciat, non jurare, nec eum qui historicè & enunciativè verba jurantia profert. Qui verò juramentum sine debita consideratione, verumnè sit, quod juratur, profert, perjurium committit, in divino judicio. Sic & incautum juramentum, sine deliberatione, num jurare velim nec ne, in perjurium coram Deo quodammodò incidit; cùm nec verba jurantia in vanum protrudi debeant: Interim ad præstandum verba illa non obligant, quæ obligarent omninò, si perjurium non forent, sed juramentum. Qui autem verba jurantia profert deliberatò, etiam citrà animum, is omnino obligatur. *laud.* Franzkius *Lib. II. res. 2.* Etenim abalienatio animi, non detecta proximo, nil efficit: Deus enim in falsum testem non est vocandus, & citiùs debet velle promissum servare, qui Deum invocat, quàm ut ergà acceptantem contemtum Numinis fovisse videatur.

Undè Deus non accipit juramentum ex intentione jurantis, sed prout accipiens fidem eam ex verbis

verbis jurantis colligere potest. Per *falsos Deos* præstitum juramentum non quidem ex se obligat, quia per id non invocatur verus DEUS, sed in veri Dei potiùs contumeliam tendit, ut obligatio adeò ejus ad religionem & pietatem verè non pertineat; sed tamen obligat, quia ex *conscientia erronea* proficiscitur, quæ utique vim obligandi habet. Quocircà Deus non interpretatur illud, sub ratione perjurii, in suam injuriam, si per falsos Deos pejeratum sit; sed sub ratione violatæ conscientiæ jurantis, quantumcunque erronea fuerit. Potest autem exigi juramentum ejusmodi in genere, sed non potest præfigi pagano, ut per falsos Deos juret, aut hoc vel illud idolum invocet. Nimirum peccatum, ex suscepto juramento, sequitur per accidens, ex ipso jurante, qui posset aliter jurare, si vellet; ceu non peccat is, qui sub fœnore licèt immodico mutuum à quoquam sumit; cumprimis quòd necessitate urgeatur. An autem juramentum *Josephi* in Deum injurium fuerit, dum *per vitam Pharaonis*, item *Elisæi*, dum *per vitam Eliæ* juravit, quæritur? Non utique nec juramentum id fuerat, sed obligatio per comparationem rei gratissimæ; Aliàs Christus in universum *per creaturas* jurare prohibuit, quia plerumque juramenta ejusmodi, cum cavillo & noxâ proximi, conjuncta fuerunt, dum licèt per indirectum ad Deum respiciamus, Domini tamen nomen vitandò seriò agere non videmur: imò *Es. LXV. 26.* per solum Deum expertè jurandum esse, disponitur. Distinguuntur communiter juramenta in *promissoria* & *assertoria*; quanquam suo modo in promissoriis etiam sit assertio. *Promissoria* iterum præstantur, vel *obligationis* inducendæ causâ, vel actûs *firmandi* gratiâ, quæ *confirmatoria* dicimus. *Assertoria* sunt *facti* tùm *proprii* tùm *alieni*, quò juramentum *testium* & alia referunt. Utique prout negotia humana varia sunt, sic etiam juramenta diversas sortiuntur & novas subindè species. Hinc juramenta *extrajudicialia* sequentia ferè reperiuntur: juramenta *Regum* in exordio regiminis, *homagia* subditorum, eaque multiplicis respectûs: juramenta *officiorum* civilium & militarium, *Vasallagia*, juramenta *tutelæ* & curæ: tùm deinde *promissoria*, *confirmatoria*, quò juramenta *renuntiationum* hæreditatis, beneficiorum, respiciunt; ùt minorennitatis, SCti Vellejani &c. juramenta *voluntaria*, quibus controversiam *extrajudicialem* decidimus. *In judicio* deindè juramenta occurrunt necessaria, *suppletorium*, *purgatorium*, juramentum *litis æstimatorium*, eique inter Saxones affine *minorationis*, *Testium* deinde juramenta veritatis, credulitatis, porrò juramentum *partium*, *judiciale* in specie dictum. Ad ordinationem *Judiciorum* pertinet Juramentum *judicis*, juramentum *Calumniæ*, *paupertatis*, *perhorrescentiæ*, juramentum de *sistendo* judicio, item *dandorum*, *respondendorum*. In Instantia *secundâ*, juramentum *appellationis*, deniqne in causâ *Criminali*, præter cœtera, juramentum exultionis seu *Urphedæ*.

De *causis* juramentorum videamus, cumprimis quâ ratione juramentum *metu* extortum *dolovè* elicitum servandum sit? & de *metu* quidem quæritur: si quis prædoni quà tali, pro vita suâ conservandâ, pecuniæ summam juratò promiserit, an naturali jure promissio hæc obliget & servanda sit? affirmativam tuetur *Grotius*; negativam cum *Cicerone* in *1. & 3. offic.* Pufendorf. *L. IV. c. 2. §. 8.* & in *Elem. Jur. Nat. Lib. I. def. 12. §. 21.* mediam, ùt videtur, sententiam fovet *Lessius Lib. II. de J. & J. c. 42. n. 27.* ubi putat, obligatum quidem esse promissorem ad solvendum; sed tamen, quia momentaneâ solutione promisso satisfieri possit, è vestigio ipsum pecuniam posse repetere. Equidem de hâc sententiâ postmodùm videbimus. *Pufendorffius* pro suâ sententia potissimum hæc adduxit, quòd juramentum metu præstitum, non sit directum ad *Deum:* inde huic non quæri obligationem, licèt Deò teste latroni quid promittam; in *latrone* autem vitium esse, ut non possit acceptare: non obligare simplicem promissionem metu extortam, quin potiùs dari restitutionem in integrum, ex quò colligi posse, ait, naturaliter quem ex obligatione meticulosâ non obligari: prædones illos non esse hostes tantùm publicos, sed communes, ità ut licet hosti fides servanda sit, non tamen ea servari idcircò prædoni debeat. Et imò plus dicere poterat pro suâ sententia *Pufendorffius*, quàm dicit, & ante eum ex *Nostratibus* non minùs sententiam ejus plures amplexi sunt, *Rauchbar*, *Setserus*, *Gail. A. Faber & alii:* Facit enim ulteriùs pro ea, quòd nec fundatum esse videatur hoc juramentum in *justitia*, cùm nil latroni debeatur, nec in *liberalitate*, cùm id non velit promissor, nec in *fidelitate*, cùm promissio ex injuriâ procedat, nec ex *religione*, quia hæc ex hypothesi & objectò æstimanda

manda videatur. Neque etiam per se istud ut *votum* subsistit; tanquam accessorium verò non potest non illicitum censeri, si objectum cum injuriâ conjunctum est. Votum metu extortum, item matrimonium meticulosum ipsô jure nullum est, quidni multò magis tale juramentum hoc fuerit? redderet etiam latronem audaciorem, nec tamen juramentum vinculum *iniquitatis* esse debet. Cultus *Spontaneus* tantùm Deo placet, sed cultûs divini species est juramentum. In periculo vitæ aggressorem *occidere* licet, salvô quinto præceptô, quidni jurare in vanum, salvô secundô. Accedit, quòd non tantùm ipsum jus Civile in *auth. sacr. pub. C. si advers. vend.* juramentum vi aut metu extortum nullius esse momenti jubeat, sed etiam jus *Canonicum* in *C. 20. X. de jurej. C. quamvis de pact. in VI.* & *c. 2. X. de jurej.* Utcunque autem hæc valdè speciosa sint: tamen sententia *Grotii*, quæ & *Theologis Nostratibus* plerumque probatur, (vid. Chemnit. *P. 1. locorum, de Lege Dei praecept. 2. quaest. de juram.*) omninò amplectenda est, quòd obliget nimirum juramentum ejusmodi de *Jure N.* & in *Foro conscientiæ*, tanquam de re possibili & temporaria. Nam jus quidem *personæ*, quoad latronem exinde non simpliciter competit, sed tamen, in respectu ad *Deum*, jurans tenetur efficere, ut ab ipso non adducatur Deus in testem falsæ promissionis: quanquam non quidem *duplicem* obligationem statuere oporteat, ut una sit versus Deum, altera versus latronem, adeoque distinctè quælibet considerari possit: cùm si persona gratiam jurisjurandi faciat, jam ampliùs Deo jurantem non teneri, constet. Adeò, ut licèt justitia obligationis ad *latronem* non referatur, nec in gratiam ipsius pecunia præstanda sit, nihilominus tamen obligatio in gratiam Dei, tanquam sponsoris, in ipso latrone & ad ipsum, terminatur: & sufficit adeò respectu Dei & ipsius jurantis licitum esse & justum, (nempè ut vitam pecuniâ redimas,) quod promissum est; licèt latro, abstractô & præcisô juramentô, injustè illud accipiat: nam & prodigus injustè dat, pauper justè accipit eleemosynam: & sic justè potest dare unus, alter injustè accipere. Equidem in *simplici* & non juratâ promissione, (utut hæc magis spontanea sit, quod ad principium internum & finem actionis attinet) ex metu quis restituitur: nec tamen *restitutio* est nisi *læsi*, & quidem in patrimonio. At verò ubi juramentum accessit, ibi citius *rem caducam* dimiserimus, quàm ut Deum lædamus, cui quidem non obligamur, nisi quando fidem fregerimus. Quod dicitur de *accessorio*: illud tunc procedit, quando ratio ejus eadem est cum principali. Quod verò de *virtutibus*, quasi nullam earum comitem hoc juramentum habeat: id facilè refellitur, cùm sit actus charitatis, quô se à periculo mortis quis liberat, & civem Reip. conservat. *Voti* quoque alia ratio est, quanquam votum coactum, sivè omni consensu, Deo non placeat; de cætero autem votum ex nuda & pura *voventis* voluntate pendeat, & majorem adeò libertatem requirat, juramentum verò respiciat *materiam* ejusque capacitatem, num quod promissum est, sinè periculo *animæ* præstari possit? *Matrimonium* fit directè ad obligandum, & inter homines, inter quos ex injuriâ obligatio oriri non potest, nec stare tàm arcta animorum conjunctio cum violentiâ; sed juramentum per se & primò ad obligandum non tendit, verùm ad confirmandum objectum ordinatur: idcircò cùm ad Deum respiciat magis, quàm ad hominem, licèt hic injuriosus est, tamen rem non illicitam homini promissam, eidem, Dei tanquam Sponsoris intuitu, quis solvere tenetur. *Necessitas vitæ* redimendæ, ut proximum perimam, efficere potest, sed non ut in *Deum* irreverens sim, & præceptum *primæ tabulæ* infringam. Quid quòd etiam invasor directè vitam meam petat, & nullam viam elabendi mihi relinquat; ac si aliter quàm præstatione pecuniæ, evadere mihi liceat: nam vitæ quidem semel ablatæ restitutio impossibilis est, sed pecuniam reparare, vel saltim me præstatione illius morti eripere, possum. Deniquè in *Auth. sacr. puber.* juramentum metu extortum non dicitur nullum simpliciter & per se, sed *oppositivè* ad ea, quæ spontè præstita *inviolabiliter*, citrà ullam retractationem, custodienda sunt: nam metu extorta juramenta ex *jure Canonico*, quod posterioris ævi *Imperatores* secuti sunt, relaxari possunt: quanquàm hic non de eo quid positivi, sed quid *naturalis juris* sit? quæratur. Utique enim *absolutionem*, salvâ conscientiâ, in casu juramenti meticulosi peti non posse, opinor, quippe quæ tunc solùm locum habet, quando super re *impossibili*, & ex parte jurantis *peccaminosa*, quis juraverit: nam prout ad juramentum ejusmodi subeundum adeò procedere quis non debet, ut mortem

mortem citiùs pati teneatur: ita si juramentum nihilominùs præstitum fuerit, & sumtum adeò nomen Domini in vanum, absolutione utiquè jurans *à peccato*, sed non etiam à *vinculo juramenti*, (quippe quod per se *nullum* est,) opus habet. Potest etiam jus *Civile*, ùt in *cit. Auth.* contigit, juramenta ejusmodi metu præstita *ab initio* pro irritis declarare: & tunc quò minus ea servanda non sint, dubium non est. Nec tamen in eâ specie juramentorum tale quid facilè Statuto vel lege introduci debet: cùm ita haut dubiè plures à latronibus enecarentur; ne videlicet scelera, vi publicâ admissa, detegi possent. Quod ipsum efficit, ut nunc quidem lex ejusmodi non reperiatur, & imò ad ductum *Authenticæ* prædictæ nemo absolutionem quærere præsumat, sed citiùs velint omnes juramentum servare, juxta dictamen *Psalmi 15. 1.* licèt rei ipsis damnosa fuerit; secus atquè se res habet cum *relaxatione juramenti* ad effectum *agendi*, quæ in *Ordinatione Camerali* illis promissa est, qui injuriam sibi à Magistratu illatam non vindicaturos se esse jurarunt: nam in eo quidem videtur Legislator ad salutem publicam respexisse, quæ salvari aliter non poterat, quàm si ejusmodi juramenta relaxari posse statueretur, secùs atquè dixi eventurum esse, si de juramentis, quæ latronibus præstantur, simile quid Lege constitutum foret. Cæterùm, quod *Lessii* temperamentum attinet, illud cum illusione & irrisione nominis Divini conjunctum est; adeò ut ne quidem *restitutionem* in integrum admittendam putem: ne dum semper restitutionem illam admitteremus, (cùm nunquam non *metum injustum* latro inferat,) omninò illa juramenta inania & nullius momenti esse assereremus. Sic & in vanum est, quod *Pufendorffius* adfert, quasi *per compensationem* is, qui juravit, latroni solvere videatur, siquidem ad *refarciendum* latro teneatur juranti, quod ipsi damni *injuria* dederit: nam velut *alibi* ea de re disquiritur, num si alter, cui juravimus, nos præstituros quid esse, vicissim nobis quid debeat, eidem per compensationem solvere, sive per hanc juratò promissum præstare possimus, ita ad compensationem impropriam, (nec enim alia est illa *Puffendorffii* in hoc negotio, tàm *strictæ* interpretationis,) deveniri non potest: cùm nequidem dubium sit, si vel maximè latro quid juranti anteà debuisset, quòd non hac *actum* esse censeatur per juramentum, ut non, *seposito* hoc ipso debitò, jurans promissam summam *realiter* præstare debeat. Illud addendum est, num si latroni juratum fuerit, non velle nos vim nobis illatam Magistratui *denunciare*, non attentô juramentô, vel saltem absolutione ab eodem obtentâ, deferre vim eam non liceat? Et quidem plures, qui in præcedenti quæstione nobiscum faciunt, objectum hujus juramenti videlicet contrà *publicam salutem* vergere, & hinc juramentum de *impossibili* esse, censent, ut omninò *absolutio* ab eo impetrari debeat, quò & alii similibus periculis eripiantur, & ipse qui juravit, suspicioni collusionis cum latronibus se eximat. Enimverò cautiùs incessere *Theologi Jenenses apud* Dedekennium *vol. II. sect. 13. n. 10.* qui hoc saltim voluère, ut Magistratus in genere moneretur, quò malis hominibus provinciam expurget. Et tamen cùm conscientiæ facilè scrupulus injici possit, tutius existimem, si quando expressè latroni silentium promissum fuerit, ut tunc de violentia sibi illatâ ad Magistratum nec in specie nec in *genere* quicquam quis deferat: quò facit, quòd non modò crimina omnia necessariò à Magistratu terrenô non puniantur, nec etiam ad delictum quodlibet revelandum obstricti simus, & prætereà, si ne juramento quidem ejusmodi latrones quem obstringere possent, citiùs futurum potiùs sit, ut cædes longè plures subsequi oporteat: quod quidem nemo non videt, cum magno communis & Reip. periculo conjunctum esse. Quid tamen si Magistratui aliundè de iniquitate facti constare cœperit? ita faciliùs putant *interrogatum* à Magistratu ad *veritatem* dicendam obstrictum esse: nam ita casus juramenti, re videlicet detectâ, jam extitit. Quoad juramentum *dolò* elicitum sana est *H. Grotii* sententia *L. II. c. 13. n. 2. & 3.* quod servari illud debeat, quando dubium sit, an, licèt jurans verè negotium scivisset, non etiam jurâsset nihilominùs; eoquè refert juramentum à Josua *Gibeonitis* præstitum: nam nulla lex prohibuit parcere Cananæis, si idolis valedicerent, vid. *Deut. XX. 10.* & quanquàm juramentum illud ex positiva deceptione paciscentium ortum, & sic *in voluntarium* fuerit, tamen ex materia suâ non fuit illicitum, nec Hebræis injuriosum aut nocivum: neque etiam, cùm objectum illius, positâ vel maximè notitiâ circumstantiarum, habile fuerit, juramento substerni, ignorantia in essentiali quopiam substitisse dici potest: prout iniquitas sola à parte ejus, cui juramus,

juramus, efficere non potest, ut juramentum negligere liceat; quin potiùs si possit servari citrà peccatum, utique nomen Domini in vanum sumtum esse non debeat. Qui enim contrariam probant sententiam, illi conscientiam minùs tranquillant. Videlicet putant illi, *Josuam* pacturum non fuisse, si *Gibeonitas* ex vicinis populis scivisset, ob *Deut. VII. 3.* it. *XX. vers. 16.* idque constare ex Principum populi dubitatione & murmuratione populi ipsius. *Jos. IX. 7.* ex ipsa deinde *Gibeonitarum* interpretatione *vers. 24.* & deliberata ab illis præventione, *vers. 3. seqq.* Ad exemplum vero *Rachab*, dicunt, peculiare id fuisse, & quòd Salomon. *I. Reg. IX. 20:* circà Cananæos constituisse legitur, illud eum fecisse ad exemplum Patris sui *Davidis*, cui de relaxatione interdictæ divinitùs internecionis constiterit. At verò non potest probari, quòd à populo ipsum juramentum improbatum fuerit, aut ejus observatio; sed potiùs indignatus fuit populus, quod cum Gibeonitis, tanquam longè *dissitis*, *fœdus sociale* primores iniissent; quod quidem *Lege divina* interdictum fuerat. Confer ulterius Frantzkium *L. II. res. 4. n. 5. seqq.* Interim juramentum istud in pœnam dolosæ circumventionis *Josua* strictè satis interpretatus est; maximè quòd alias etiam illi, qui ex hostibus Israelitis se dederant, *servitutem* personalem subire tenerentur. Selden. *Lib. VI. d. J. N. c. 14.* Quod verò de objecto & *materia* Juramenti diximus, sufficere ad hoc, ut ab inde recedere non liceat, si materia jurata licitum quid fuerit, eò pertinet Disquisitio de juramento, quod *contrà Benjaminitas* reliqui Israelitæ conceperant: non daturos se esse illis filias suas in matrimonium; Videl. obligatorium id fuit omninò: siquidem istud non erat contrà charitatem aut legem divinam; quia non potest evinci, Deum voluisse omni casu tribum hanc salvam manere, quodcunque etiam flagitium admisisset. *Scortatio* autem & periculum *Idololatriæ*, si eum *Gentilibus* eos matrimonia inire oportuisset, exorta essent per accidens; quanquam nec casus *extremæ necessitatis*, si tribum ex defectu uxorum extingui oportuisset, sub juramento contentus esse videatur. De cœtero, licèt quoad *jus Civile* juramentum tanquam *accessorium* consideretur & si modò actus cui confirmando adjicitur, *ipsô jure nullus* sit, licèt non fuerit illicitus seu turpis moraliter, ipsum quoque juramentum corruat; tamen *jus Canonicum* longè rectiùs hac in parte conscientiæ providit. ubi juramentum, si materia contrà Deum, Remp. aut Proximum quicquam non contineat, adeoque sinè peccato servari possit, omninò servandum est. Quâ de re egregiè Frantzkius *Lib. II. resol. 5. & 6.* De *interpretatione* autem juramentorum in universum observari debet, quòd quidem cavillationes jusjurandum quodvis excludat, *conditiones* tamen tacitas & *limitationes* ex re ipsâ desumtas non respuat: vid. Pufendorff. *L. IV. c. 2. §. 13. & 14.* atque cum de juramentis *studiosorum* dubium esse possit, quando injurias sibi illatas se consultò vindicaturos non esse, promittunt, sed super illis Magistratum imploraturos: num toties perjuria non committantur, quoties vindictas privatas ab illis suscipi videmus? ideò dicendum est, *disjunctivè* promissionem illam accipiendam esse, quod scilicet velint, aut legibus obedientiam præstare; aut, si contra venerint pœnam æquo animô ferre, prout alias etiam Lex ipsa obligat aut ad obedientiam aut ad pœnam, & in legibus dicitur, quod velit ob delictum vocatus, & discedere jussus, obedire: quâ ratione violatio legum in ipsis jam præsupponitur, ita ut ob eam perjuri non habeantur; sed tamen si jussui Magistratus non pareant, nemo utique eos à perjurii reatu immunes esse pronunciaverit. Juramentum *Officiatium*: Die Dienst-Pflicht, quoad usque obliget, & an is statim perjurus sit, qui non ex asse facit officium suum? Pufendorffius expendit, *d. c. 2. §. 23.* Ulterius, quoad obligationem *heredis*, certum est, in eum *juramentum* defuncti, quoad reatum perjurii, non transire. Est enim juramentum personalissimum, vid. Græv. *ad O. 27. Gail. consil. 1.* licèt in hæredem transeat *obligationis necessitas*, & imò quoad hanc, cùm defunctus v. g. *præcisè* ad *factum*, si præstari potuerit, obligatus fuerit, heres tamen ejus solùm quoad interesse tenebitur, & in obligatione *dandæ* pecuniæ liberatur dando bona in solutum; maximè si præstatio pecuniæ difficillima & impossibilis futura sit. Hodiern. *ad Decis. 30. Surd. per tot.* Quid etiam si defunctus contractum *usurarium* juramentô confirmasset? ita vero dubium non est, quòd heres eum servare non teneatur: *vid.* Meichsner *Lib. I. Decis. 12. n. 47. 53. 165. & seqq.* Aliquando juramentum, quod defunctum præstare oportebat, prodest heredi, ut *pro præstito* habeatur.

Sed

Sed quæ in eo casu requirantur? vid. *apud.* Fabr. *L. 14. C. Sab. tit. 1. def. 14.* Gail. *II. O. 43.* Coler. *I. Decis. 116.* Mevium, *V. Decis. 46.* & ad Jus Lub. *Lib. IV. p. 185. & 208.* Num possit aliquis jurare *in alterius animam?* de eo nota est disceptatio inter *Carpzov.* & *Oldencop.* qui *posterior* argumenta adducit, cur Reip. & conscientiæ magis consulatur, si in propria persona ad jurandum partes cogerentur. Et tamen postquam *procuratorem* pro *nuncio* in hoc articulo juramentorum, habere soleamus, vid. *c. ult. de procur. in VI.* personalitas, quò minus per os alterius *ipsimet* juramentum enunciemus, non impedit; nisi quod in casibus nonnullis peculiari ratione adhuc dum juramenta per procuratores præstari non posse, constitutum sit. Superest, ut de *contrariis* jurisjurandi nonnulla subjungamus: Ubi quæritur: si quis contrà juramentum quid faciat, an hinc *illud* per se *nullum* sit? Et *negatur*, est quidem id illicitum & perjurium indè committetur; sed tamen irritum habendum non est, v. g. quando quis juravit, se *testamentum* hoc *revocaturum* non esse, & tamen postmodùm revocet, posterius hoc testamentum utiquè subsistet, sublatô priori: quia testamentum ex se revocabile est, & juramentum super ipsum *actum* ferri videtur, ut cùm ipse retractari possit, juramentum non consideretur, nisi quoad *jurantem*, quem perjurum efficit, conf. *c. cum contingit. X. de jurej. c. 12. & 31. X. de Sponsal.* si verò juramento *simpliciter* quis voluntatem suam firmaverit: ne quidem, si deinceps eam mutet, inde perjurus esse existimabitur: quia jusjurandum per se vim clausulæ derogatoriæ ad futura testamenta non habet, neque aliud vult, quàm hanc esse testatoris voluntatem: *vid.* Merenda *Lib. IV. controvers. c. 50.* quanquàm aliter statuat Finckelth. *obs. IX.* ut si causam habeat revocandi testator, revocare possit, quia sic mutatis circumstantiis juramentum non ampliùs obliget. *c. 25. de jurej.* quod si causas non habeat, secus esse *c. 70. eod.* quæ sententia probari non potest, nisi juramentô se testator obligaverit, quòd hanc voluntatem revocare nolit. Quid si *juramentum contra juramentum* præstitum fuerit? *prius* servandum est, ut rectè Sandersonius, *de juram. promiss. prælect. 2. §. 11.* An autem quis ex capite *læsionis* adversus juramentum *in integrum restitui* possit? *Franzkius* disquirit *L. II. resol. 4. n. 13. seqq.* cumprimis autem *n. 27. usquè ad finem.* Denique Principem posse reddere irritum juramentum, *antequam* juretur, & vetare *ne impleatur*, postquàm juratum est. Osiander *ad Grot. L. II. c. 13. n. 20.* frustrà statuit, nec videmus tale quid unquam à Principe ullo susceptum esse; adeò, ut nec quoad juramenta, quæ per latrones exigi solent, Principes simile quid audere, constet: Quod enim in relaxatione *Urphedæ* per *constitutiones Imperii* aliud quid provisum sit, ejus rationem jam *suprà* exhibuimus. Nec juvat adeò *Osiandrum*, quòd dispensatio ipsum juramentum respicere non videatur, sed *materiam* juramenti, & quidem *futuram*; quæ cùm possit eventu aliquô illicita esse, dispensatio in ea admitti debeat: Nec enim in casum res conjicienda est, ut sufficiat, si aliquô eventu materia illicita fieri possit, neque etiam materia iniqua juramenti obligationem tollit, si modò à jurante licitè præstari possit: ut adeò potestas Civilis in his talibus, quæ conscientiam tangunt, magnâ circumspectione uti debeat.

Et nunc de *Justitia Obligationum* tàm quoad *personas* & *res* in illis intercedentes, quàm etiam quoad *modos*, præcipuè in *pactis* & *contractibus*, dispiciendum est. Ratione *personarum*, principia actionis humanæ supponuntur, & cumprimis quoad *intellectum* usus rationis requiritur: vid. Grotium *L. II. c. 11. §. 3.* unde *impuberes* licèt *naturaliter* quando pubertati proximi sunt, obligari dicantur: tamen cùm perfecto nondum polleant judicio, vel ipsa æquitas naturalis jussit, ut *LL. Rom.* eam *ætatem* in effectu, (maximè quod *ipsos* impuberes concerneret) obligatam nollent, saltim quòd *fidejussor*, v. g. pro impubere interveniens, & quidem absque *regressu* ad impuberem, teneretur. Similiter *mulieres intercedentes* quamvis *naturaliter* obligari videantur, tamen SCtum *Vellejanum* non minùs rationem *fortiorem* æquitatis secutum est, ut ne quidem ad Jus N. exactiùs pensitatum mulieres, ob imbecillitatem, videl. in hoc negotiô *singulariter* obviam, naturaliter obligarentur, adeòque figuratè dicatur Jus Civile *naturalem* obligationem per SCtum Vellejanum *tollere*; cùm quidem, ubi verè naturalis est obligatio, eam tollere jus Civile haut quaquam possit. In *prodigo* intellectus deficere, & ipsô naturali jure, censetur, quod *bona* ejus attinet; quamvis quod *delicta* concernit, aliter se habeat. Hine ne quidem *juramentô* firmatus contractus prodigum obligat,

æquè ac *furioſus* ſeu mente deſtitutus *jurandô* non obſtringeretur, quanquàm huic etiam accedat, quod *diſpoſitio rerum qualiſcunquè* prodigo à legibus ademta fuerit, & ſic objectum conventionis planè deficiat. Quoad *voluntatem* non tantùm Puſendorff. *L. III. c. 6. §. 11. & 12.* ſed etiam aliqui ex *DD. noſtris* in eâ ſunt ſententia, quaſi *metus* negotium, præprimis bonæ fidei ipsô jure nullum reddat: ita poſt Buſium *ad l. 21. quod m. c. & 16.* Cujacium, Jac. Gothofr. *ad l. 116. de R. J.* quaſi videl. conſenſus ſuſtineat bonæ fidei judicia, qualis in meticuloſa actione nullus ſit, cùm dolus eum auferat, metus verò non abſquè dolo inferatur. Hinc *Puſendorff.* procedere ait, quòd in Foro Civili reſtituamur in integrum, & *actio* ſolùm detur *ipſo jure* ob exceptionem metus in facto dubiam, ſuper qua in judicio experiendum ſit. Enimvero metum quoad principium ſi ſpectemus, neceſſitatem voluntati contrariam habet, ſed ſi *poſt principia* eum attendas, ſecus eſt, nam ita *voluntarius* eſt actus, non tantùm ratione finis, ut majus malum evitemus, ſed & ratione principii *interni*, voluntatis, quæ deliberat, eligit, imperat; undè quod infirmitas negotio per reſtitutionem in integrum ineſſe arguatur, illud non ex involuntario, aut defectu adeò Principii actionis moralis, nec præcisè ex injuriâ metu illatâ (prout Grotius *L. II. c. 11. §. 7.* velle videtur,) verùm indè procedit, quòd ſimul *damnum iniquè* patiatur is, cui metus illatus eſt: Hinc ne quidem is reſtituitur, cui vis *à creditore ſuô* adhibita eſt, ut ſolveret, ſed *vis aliâ* ratione coërcetur, vid. *l. 12. in fin.* & *l. 13. quod m. c.* multò minùs *conſenſus* in negotio meticuloſo deficit: nam *dolus*, qui metui *ineſſe* dicitur, tantum *materialis* eſt, quatenus nihil planè, quô delinquimus, à dolo vacat: ſed ùt dolus *formaliter* pro *circumventione* accipitur, ita eum, qui metu adigitur, conditiones & circumſtantiæ negotii non latent. Conf. Hornej. *Lib. III. Philoſoph. moral. c. 4.* §. 11. & *DD.* ad *dict. tit. quod m. c.* ubi exponunt *Illi*, cur *dotis* negotium & quæ *ſpiritualia* habentur, (ùt religionem ingredi, matrimonium inire,) ob metum *ipſo jure nulla* eſſe exiſtimentur? Cœtera de *ſubjecto* Obligationum alibi plenius exponuntur: noſtrum eſt hôc locô, ut tantùm ſpicilegia faciamus, indequè ratione *objecti* non minùs aliqua ſolùm, quæ præcipuè notanda ſunt, adducemus. Sit autem promiſſio rei *poſſibilis*, nam promiſſio rei ſaltim moraliter impoſſibilis non obligat: num verò ea promiſſio, quæ *ob rem moraliter impoſſibilem* ſit, obligare quem poſſit? de eô vid. Grotium commentat. *L. II. c. 11. §. 8. & 9.* Illud certum eſt, quod *de facto* impoſſibile eſt alicui, illud nihilominùs rectè *ab aliis* promitti poſſe, fruſtrà diſſentit Hobbes. *c. II. §. 18. de cive.* Quod verò non uni vel alteri, ſed quàm *plurimis* impoſſibilè eſt, licèt *moraliter*, ad illud promittendum indiſcretè quilibet admitti non debet: quale quid eſt *virginitas* ſeu *continentia perpetua*, quam ab integro Ordine *clericorum* Pontificios exigere indignum eſt. *Ob rem moraliter impoſſibilem* ſeu turpem, ſi quid promittatur, obligationem naſci poſſe jam antè diximus, ut tamen diſtinctione hic opus ſit, quando faciliùs retineri quid ex turpi causâ, quàm peti poteſt: ita quod *meretrici* datur, ubi quæſtus meretricius in Rempubl. receptus eſt, illud repeti non poteſt, quia nec turpiter accipit mulier, quæ profeſſione receptâ utitur, nec fruſtrà præbet alter, quia pro uſu corporis pendit, quanquàm aliàs fœmina nequaquam domina corporis ſui eſſe videatur, nec voluntas dantis recta ſed peccaminoſa ſit, indequè totum negotium quà firmitatem Civilem, ex hypotheſi legislationis permiſſivæ pendeat; quam quidem nemo probaverit. Ceterùm ad mercedem *poſt turpe factum* an ſtipulator agere poſſit, quæritur? Exiſtimat Grotius *L. II. c. 11. §. 9.* quia jam merces non ſit illex mali, quippe patrati; Sed rectiùs Puſendorff. *L. VII. c. 7. §. 8.* quòd non minùs adhuc ſit penſatio ſceleris & complementum. *Per accidens* negotium fit injuſtum, quando in eodem *inæqualitas* admittitur, quæcunquè etiam fuerit, nec enim læſio *infrà dimidium* lædentem tutum facit in *conſcientiâ*, ſiquidem non juvat eum lex permiſſiva, non etiam quòd *volenti* (v. g. emtori) non fiat injuria, non quòd lex de pretiis & rebus ſtatuere poſſit, ut in præſcriptione, atquè ſic emtor rei viliori pretio emptæ ab ipſa *lege* juſtus Dominus videri poſſit: nam licèt, quando pretia rerum variant, & ſimul conditiones hominum & occaſiones diverſæ expenduntur, nemini ſcrupulus ob hoc moveri debeat, quòd viliùs fortè rem à quoquam emat: ita ſi emtorem inæqualitati ſtudere certum ſit, licèt venditor propoſitum decipiendi in foro oſtendere non poſſit, emtorem lex civilis tutum in conſcientiâ non reddet; nam lex

solùm

solùm in foro *exteriori* læsionem intra dimidium permittit, & simul *fraudem* omnem & deceptionem severè inhibet, adeoque non approbat iniquitatem, ab ipso emtore v. g. decipiente agnitam, quoad forum *interius*: deindè venditor vel emtor deceptus non vult absolutè, sed *involuntariè*, vel ex *ignorantia* justi valoris, vel *invitus* ex necessitate, dum rem aliter comparare vel vendere non potest. Lex autem non *addicit* rem eâ ratione ùt in *præscriptione*: quin imò præscriptionis longè diversa est conditio, quam simul *bona fides* præscribentis & *negligentia* possessoris, tùm & *ratio* multò magis *publica*, certitudo sc. dominiorum, tuetur. Ex quo facilè intelligitur, quâ ratione dicant JCti *L. XVI. de minor.* quòd *naturaliter*, se liceat circumvenire, id quod Grot. *L. II. c. 12. §. 26.* malè intelligit de recepto more atque consuetudine, & nos rectiùs in *superioribus*, quòd videantur partes inæqualitatem quampiam sibi condonâsse, cùm aliter natura & conditio *commerciorum* non admittat. Cùm verò non tantùm res, sed *facta* & quidem etiam, quæ ab aliis nobis inferuntur, *patienda*, in obligationem deducantur, quæritur, an quis se possit obligare ad perferenda mala, *firmitatem animi humani* superantia: ùt vulnera, & ipsam mortem? Hobbesius negat *d. §. 18.* nec non Pufendorff. *L. III. c. 7. §. 5.* ut tamen ad *probabile* mortis *periculum* subeundum, cum potestate ad extremum repugnandi, quis omninò obligari possit; ùt in Cive pro patria & quolibet milite fieri videmus.

Ad *formam promittendi* varia promissionum genera pertinent, quæ SCti *Rom.* in *Pacta* & *Contractus* distinguunt, nam *pollicitationi* quidem inter conventiones locus fieri non potest; quippe quod *hæ* acceptionem requirant: de quô *superiùs* jam visum est. Cur autem promissio illa conventionalis, quæ *Pactô* fit, inter *Romanos* ad effectum *actionis* producta non fuerit? cùm tamen ex quolibet pacto obligatorio, modò *deliberatum* sit, *jure N. seu G.* actio nascatur, indè procedit, quòd cùm Legislatores Rom. multas indè lites vererentur, si disceptari potuisset, num pactum aliquod deliberatum fuisset, nec ne? ideò ex cœteris quidem negotiis consensualibus, illis scilicet, quæ quòd frequentissimè susciperentur, certam *formam* sortita fuerant, actionem competere voluerunt, ut ut *solo consensu* constarent; ex pactis verò non æquè, nisi *causam* sortita essent, id est *datio* vel *factum* intervenisset: quâ ratione in contractùm *innominatum* transibant, atque si quid *verbis* contrahi vellent, præter contractûs consensuales, ut *stipulatione* seu *verbis conceptis* id perficeretur; secùs nulla inde daretur actio, quantumvis promissio *deliberata* fuisset. Ex quo apparet, animum *indeliberatum*, ad actionem ex pacto denegandam, non facere, cùm ne quidem ex pacto *deliberato*, Jure Civili, actio competat. Et si tamen animum deliberatum non haberet ullum pactum, non dici posset, ex quolibet pactô nasci obligationem naturalem, & vi hujus obligationis exindè remissiores effectus competere. Videlicet ne planè inanes essent & frustraneæ promissiones illæ promiscuæ pactis initæ, ideò *Legibus Rom.* placuit, Prætore vel maximè suppetias ferente, ut cumprimis ad *liberandum* pacta illa proficerent; nec non si postmodùm vel actu *geminatô*, velut in *constituto*, vel quô promissio illa *nuda* firmaretur, ùt in *pignore*, item *fidejussore*, pactis accedente, de enixâ voluntate promittentis constaret, per *indirectum* saltim effectum quendam pacta sortirentur. Nam illud quod *Mastertius* tradit *lib. 1. ad Just. LL. Rom. c. 2. n. 9. 45.* qs. ex pacto *Jure* etiam *Civili* actio detur, satis refutavit Tabor *in Partit. elem. p. 151. seqq.* it. Hahn. *ad* Wesenb. *Tit. de pact.* Quod verò *Connani* doctrinam attinet, illam quidem Grotius & post eum Pufendorff. *L. III. c. 5. §. 10.* rejicit. At verò *Connanus* omninò refelli non meretur, quando ait eum, qui citrà stipulationem promittit, nec servat, quod promiserat, contrà *fidelitatem* agere, quia in animo perfectè promiserat, sed non contrà *justitiam*, quia promissario nullum jus inde fuerat quæsitum, in foro scilicet *exteriori*; quanquàm utique promissio *deliberata*, quæ pacto fit, distinguenda fit, ab ea promissione, quæ fit animo, *non se obligandi*, sed tantùm *affectum* ergà alium, vel desiderium aut propositum suum, ei benefaciendi, declarandi causâ, vel quæ *civilitatis* gratiâ, maximè verbis generalibus suscipitur, ùt v. g. omnia mea usui tibi sunto, pro lubitu; nam ea promissio obligationem non inducit; imò promissio non est, sed declaratio & memoria beneficii accepti, & inde pendentis obligationis, quam *minùs plenam* esse constat, ut ne quidem *inter Gentes* actionem producere posit; cùm omninò turpe sit, pro beneficio pretium poscere.

 Quid

Quid verò nomine *pacti* intelligamus, in Differt. de *Pactis* distinctè expositum est, & malè Hobbesius, *d. c. 2. §. 9. 45.* quòd pactum illud sit, quando vel solùm ab alterutrâ, vel à neutrâ parte quid præstatur, sed *fidem sequi* necesse est; contractum verò quando uterquè statim *præstat* id, de quo conventum est: malè etiam Pufendorff. *L. V. c. 2. §. 34.* quòd *pactum* versetur circà alias res & actiones, quàm quæ *in commercium* veniunt. Nam Pufendorffius quidem eâ hypothesi nititur, quòd pactum naturali Jure à Contractibus non distinguatur, quoad illud pro objecto *res promercales* habet. Et tamen prout certum est, non sinè ratione naturali jus Civile pactorum naturam à stipulationibus & aliis contractibus, sc. consensualibus, distinxisse: ita nunc quidem *moribus nostris* adhuc pactum pro *indeliberato* habetur, & idcircò, non quà pactum, præcisè videlicet, sed quà *serium & deliberatum* est, actionem producit. Ex quo sequitur, eum qui inconsultò aut temerè nec firmo animi proposito se quid promisisse probare vult, admittendum esse, ut jure pactorum *pristinô* i. e. infirmo fruatur: nam ita adhuc inter stipulationes & pacta differentia intercedit: vid. Franzkium *Exercit. X. quæst. 1.* & Christinæum *vol. II. dec. 91.* qua de re in *aph. 19.* differt. *d. pact.* pluribus egimus. Ut adeò traditiones ejusmodi Doctorum Juris G. nulli alii usui sint, quàm ut non tantùm *civem Rom.* in foro suo, sed etiam inter *Gentes* versantem confundant: cùm quidem populi *Europæi* eosdem terminos & appellationes contractuum cum *Jure Rom.* servent, nec utiquè cum illis per *commenta* unius vel alterius, sed per receptas doctrinas agatur: id quod præcipuè ad Grotium *L. II. c. 12.* advertendum est, in quo *capite* multa sunt, quæ reprehendas: nec causæ quid habuit *Grotius*, cur à *Jure Rom.* recederet, nisi quòd videri voluerit, *Jus G.* traditurus in præcepta *Civilia* seu terminos *Rom.* (qui tamen non minùs *Gentium cæterarum* sunt,) non incidisse. Utiquè tradita *Grotiana* infinitis instantiis patent, atquè plura in illis falsa; manca & confusa sunt. Dum itaquè Grot. *d. Lib. II. c. 3.* & cum eo Pufendorffius *L. V. c. 11.* & in *Elem. p. 173.* contractûs *innominatos* cum *nominatis* confundit, uterquè autem contractus in *onerosos* & *beneficos* distinguit vid. Pufendorff. *d. c. §. 8. 9.* atquè *mixtos* contractus, quales in emphyteusi, puta ex locatione & emtione venditione, & in aurifice, quando ex auro suô annulum facit, ex emtione & locatione, statuunt, meritò eos deserimus, & *receptis* nitimur doctrinis, quæ & ipsi *juri N.* conformes sunt, & negotia optimè distinguunt; prout ratione contractuum *innominatorum* exposuit *Bachov.* ad *πρῶτα. de pact. p. 566. n. 3.* Nam *nominati* quidem utiliores ac frequentiores, & hinc nomina exacta magis & ordinata sunt; indequè actio ex istis, cuique specialior, comparata est. vid. *l. ult. C. de interd.* cùm quidem in contractibus *innominatis*, prout negotia cetera extrâ nominata eorumque terminos innumerabilia sunt, & in millenas formas abire possunt, vaga, inconstans & communis contrahendi remansit ratio, ut propterea remediis inde necessariis vaga & generata nomina actionum *Præscriptis verbis* & *in factum* imponere oportuerit. vid. omninò *Ægydium* Hortensium *pecul. tract. d. præscript. verb. p. 33. seqq.* Non etiam *beneficii* ratio ejusmodi est, ut tota possit quadrare in contractus commodati, mutui, mandati, depositi, nisi in quòlibet cœterorum contractuum beneficii quid subesse non posse, asseras, qui tamen & ipsi inter amicos & benignâ sæpè ratione ineuntur: Videlicet potiùs ita confundimus negotia & eorum præstationes, quàm ut eadem discernamus. De *mixtis* illis, quos dicunt, contractibus, etiam *JCtos Rom.* sollicitos fuisse, non tantùm ex constit. *Zenoniana*, sed aliunde etiam apparet, quando videl. in creditum iri dixerunt; in specie illâ cum aurifice, cui aurum nostrum præbemus, vid. *l. 31. Loc.* & *similes.* Adeò Illi rem accuratè satis definierunt, ut *mixtura* inibi nulla locum habeat. Quâ autem ratione contractus *innominatus* per *causam* distinguatur, hoc est, dationem vel factum, à contractu nominato, & simul etiam toto suo genere *à pactô*, satis constat. De eo solùm inter JCtos nostros disceptatur, quô sensu contractus *nominatus causam* habere dicatur. *l. 7. §. 2. 4. d. pact.* & *passim*, sc. non intelligitur ibid. externa aliqua seu impulsiva seu efficiens causa, ut quidem *efficiens* in pactis *legitimis* reperitur, sed *interna*, tùm *materialis*, i. e. negotium, tùm *formalis*, quòd nempè Civile sit negotium illud seu ad actionem ob utilitatem suam *in Civitate* receptum, quod *συναλλάγματος* nomine exprimunt; vid. Franzkium *ad §. 2. Inst. d. oblig.* In specie verò *nominati* contractus, tùm *reales* sunt, tùm *consensuales*, item


item *literales* & *verbales*. Et quanquam hæc genera contractuum nominatorum potiora sint: tamen *permutationem*, speciem illam contractûs innominati, antiquissimum genus & simplicius venditione, censet Grotius *L. II. c.* 12. *§. 3.* Interim in statu integritatis nec emtio nec permutatio obtinuissent, sed communicatio potiùs rerum benignissima, licèt non etiam communio, ùt *suprà* dictum est. *Reales* contractus non ab *objecto*, nam & in cæteris *res* sæpè intervenit, sed à *formâ* dicuntur. Ubi de *mutuo* observandum est, quòd Salmasius *L. 1. de usur. p.* 217. *&* 218. in eo usum tantùm rei, non proprietatem, transferri, & sic in mutuo alienationem non esse, statuat. Cujus quidem argumenta peculiari *Diatribâ Wissenbachius* resolvit, item *Tabor*, in Tract. *d. oblig. success. in off. c. 8. &* in *partit. Elem. p. 3. sect. 4. §. 25.* Et res eò redit, quòd in mutuo non *quantitas* alienetur, sed tamen *corpus* quantùm, quod nec restituitur in specie, ùt constat. Ceterùm de *SCti Macedoniani* æquitate, quoad mutuum à filiisfam. acceptum, *alibi* disquirimus, & constat sanè, quòd totus favor ejusdem in *retentione* consistat, nec ita se habeat, prout in cæteris, quæ *naturaliter* indebita sunt; quippe quæ soluta *repeti* possint. In *commodato* ob supervenientem inopinam necessitatem commodantis, ante usum, rem revocari posse ob naturalem æquitatem, placuit: cùm tacitè id actum videatur, ut commodans fidem servet, *rebus* sic *stantibus*, commodatarius vero detrimentum recipiat *per accidens*: siquidem non damnum hoc, sed evitatio proprii detrimenti à commodante *intenditur*. Unde si quis rem in alium *abdicativè* transferat, velut per *donationem*: ita ex *necessitate superveniente* revocari non posset: nisi quòd de supervenientia liberorum in donatione LL. civiles aliud justâ ratione constituerint. Quòd verò Pufendorff. ratione periculi in *commodato* *L. V. c. 4. §. 6.* opinatur, commodatarium de casu etiam fortuito teneri, quando res commodata ap. dominum æquè casu peritura non fuisset, illud omninò iniquum est: Equidem limitat ille *L. XVIII. in pr. L. V. §. 4. & 7. commod.* & rejicit *L. XIX. eod.* cum quâ committit *L. XII. §. 1. eod.* ad quos textus autem facilè quis *Puffendorfio* satisfecerit, vid. omninò Busium *p.* 507. ubi an etiam de damno ab aliis datô commodatarius teneatur, item *Besoldum* in *Delib. P. 2. p.* 87. Quoad *Depositum* non minùs ratio naturalis fugit *Pufendorfium*, quando *L. V. c. 4. §. 7.* statuit, quòd in eo culpa levis, & nonnunquàm etiam culpa levissima præstanda sit: Nam, licèt quoad doctrinam *præstationum* in universum unâ regula uti non possimus; siquidem in mandato v.c. quandoque lata culpa, aliquando etiam levis præstanda est, & ità in nonnullis aliis, sicut & *in Deposito* præstationem levis culpæ aliquibus casibus *Nostrates* admittunt; ùt, si depositarius se obtulerit, si usum ex re depositâ habeat, si honorarium acceperit, & imò levissimam, ùt in *L. IV. d. reb. cred.* quin & periculum planè seu *casum*, in Deposito irregulari. *arg. L. 9. C. d. pign. act.* junctâ *L. 11. C. si. cert. pet.* aut si casum mora præcesserit, si semel dolô malô rem distraxerit. *L. 1. §. 21. depos.* Tamen Communiter in Deposito dolum solùm & latam culpam præstari debere placuit; ob rationem in *L. 5. §. 2. commod.* expositam: quæ tamen ipsa ratio in iis contractibus & negotiis, qui non utilitatis sed *amicitiæ* causâ suscipiuntur, non obtinet: Quare in *negotiorum gestione* it. in *mandato* culpam levissimam præstat is, cujus nulla est utilitas. Vicissim utilitas Tutoris *in Tutela* intercedere videtur, licèt salarium ille non habeat: quia qui *publicam* salutem curat, curat suorum salutem & propriam. Est etiam hoc observandum, quòd *culpa levis* à levissima naturâ suâ & causâ apertè distinguatur, & satis suppetat subsidii, per quod ad textûs Juris Civilis, quibus nonnunquàm confundi videntur auctores, responderi possit, nec enim quisquàm præstationes culparum accuratiùs, quàm *JCti nostri*, in speciebus singulis, expenderit. Quod porrò *Pufendorffius* docet, *depositarium* posse uti re depositâ, si nil indè minuat, *L. V. c. 4. §. 7.* malè habet; Quin potiùs furtum ille committit, *L. 29. pr. & L. 3. C. depos.* nisi cùm probabili ratione putaverit, id sibi Deponentem permissurum esse. Unde si pecunia *non obsignata* deponatur, depositarius eâdem utendô furtum non committit. *L. 25. h.* junctâ *L. 76. d. furt.* De *Pignore* Legibus *Rom.* æquum visum est, posse etiam illud *ob chirographariam* pecuniam retineri. Rationem *DD.* satis exponunt ad *tot. tit.* hâc de re *Cod.* quanquàm aliàs retentione rei pro debito diversi generis uti non liceat, quando jus quoddam in illâ re retenturus non habet; prout frustrà conductor ædium v. g. domum finitô tempore loca-

locationis pro credito, quô locator ipsi tenetur, retenturus esset: Succedunt contractûs *consensuales*, quibus consensus non pro causa *efficiente*, sed pro *formâ* ùt modò dictum est, deservit, ut tamen consensum non genericum sed *specificum*, velut in emtione venditione, in rem & pretium, intelligamus. Venduntur vero etiam res *incorporales*, ùt nomina, de quibus justissima est constitutio *Anastasii L. 22. C. mand.* ad quam licèt *Moralistæ* multa cumulent, quibus ostendant, posse casu nonnullô nomina *cariùs* vendi, etiam ultrà dimidium pretii; tamen securiùs & multò majori cum fructu in tritura Forensi casus illus examinârunt *Nostrates JCti*: vid. præ cæteris *Oleam* de *ceff. jur. & act.* & Josephum *Urceolum* in *Consult. forens. 51.* Illud etiam quærunt in emtione Naturalistæ: An venditor *vendita rei vitia* publicè significare teneatur? quod quidem rectè negant. Interim is accedenti emtori utique ea indicabit, quippe quòd is nonnunquam rem ex parte vitiosam emit nihilominùs: manifesta autem detegere non obstringitur: quæ exactè etiam *JCti Rom.* ad *Tit.* de *Ædil. edict.* exponunt. Nec minus quoquè de periculo rei emtæ accuratiores illi sunt *Grotiô*, in *L. II. c. 12. §. 15.* & *aliis*: Imò *Grotius* meritò ab *Hahnio* ad *Wesenb. d. contrah. emt. n. 11.* refutatur, cumprimis quòd doctrina ejus multa habeat consectaria, quæ nec Foro probari possunt, nec rationi. Neque enim, quòd *periculum* rei *venditæ*; ante traditionem, *emtoris* sit, exindè procedit, quasi ex dominio rei venditæ susceptio periculi pendere, & cum *Grotio* fingi debeat, emtorem ante traditionem dominum esse; sed ratio juris Civilis potior in eo est, quam *Grotius* non vidit, quòd venditor perfectô contractu solùm constituatur *debitor speciei*, & ad eam jus acquirat emtor, hactenùs, ut ei *affecta* sit, venditor autem specie peremtâ, vel absque culpâ sua deteriorata, liber & à præstatione ulteriori meritò immunis habeatur. Non etiam *Pufendorffius* rem tetigit, dum *L. V. c. 5. §. 3.* in periculo rei venditæ præstandu *moram* esse respiciendam, ait, penes quem illa reperiatur. Nam licèt hoc suô modô verum sit, rem tamen totam non conficit, quoniam sæpè in morâ non est emtor, & tamen periculi præstatio in eum redundat. De *locatione* hoc tantùm (nam cætera etiam *JCti Romani*, cumprimis ubi ad singularia & speciales casus deventum fuerit, rectius & securiùs expediunt) ad *Pufendorffium L. VIII. c. 2. §. 9.* observandum est, quòd malè ibidem contractum *do ut facias* cum *locatione* eundem esse doceat. Non enim de jure tantùm Civili, & in Foro nostro, fœdam ejusmodi doctrinæ confusionem pariunt, sed etiam quoad naturalem rationem, & in ipsis rerum argumentis, illa negotia satis discernuntur. Quoad *societatem* non est, quod longiùs excurramus, eò quòd in *Legibus* nostris *civilibus* quæstiones illæ, quas Naturalistæ suas faciunt, optimè resolvantur; veluti de *proportione* lucri & damni, item quâ ratione si pecuniam unus, alter operam conferat, finitâ societate, si maximè opera frustrà impensa fuerit, alter pecuniam *præcipuam* habeat; siquidem ille non substantiam sed usum ejus communicâsse censetur. Nec non, si plures socii concurrant, quomodo ex unius facto cœteri quibuscum uni negotium est, ceteris sociis obligentur? de quibus *Stracha, Felicius, Seacia* latiùs videri possunt, & præ cæteris *Rota Genuensis* in hoc articulo non minùs, ùt in genere quoad commercia, commendabilis est.

Deniquè *Mandati* eadem est ratio, & jejuna sunt, quæ *Naturalistæ* in his talibus adferunt, si cum *Nostratium* doctrinis conferantur; & nil ferè *Grotius*, *L. II. c. 16. §. 21.* nisi quòd mandatum per æquipollens impleri posse doceat, quando forma mandati generalis fuerit; Licèt rectius habeat distinctio inter mandata *publica*, ùt sunt Legationum, & quæ *privatorum* gratiâ suscipiuntur. *Litterarum obligationem* Civilis instituti esse facilè constat, ut tamen ipsa non minùs præsumptione æquitatis nitatur. Similiter *de stipulationibus*, quòd illæ Civiles sint, constat, & tamen cùm totam rationem verbis se obligandi *Romani* in stipulationum doctrinam intulerint, de æquitate conventionum naturali non meliùs, quàm si stipulationum doctrinam exactè noverimus, constare potest. Equidem *fidejussores* etiam stipulatione constituuntur, quanquàm eorum, qui securitatem obligationi præstant, eive *accedunt*, varia etiam genera sint, cum fidejussoribus non confundenda. Cæterùm Naturalistæ vel hanc solùm quæstionem movent, quâ ratione *pro delicto* fidejussor intervenire possit? quam tamen nemo rectiùs quàm *Rom. JCtus* expediverit, cùm satis non

non ſit in ſuperficie rem conſideraſſe, ſed circumſtantiæ innumeræ exquiſitam magis deciſionem, quæ non niſi ab exercitatô in Tribunalibus ingeniô expectari poteſt, deſiderent.

Deniquè poſt veros contractus ſuccedunt *quaſi contractûs*, quorum multæ ſunt ſpecies, ſiquidem in *Inſtitutis Juſtinianis* tantùm *frequentiores* exprimuntur. Totum vero hoc genus contrahendi non ex *tacitâ voluntate*, ſiquidem etiam *verè* per tacitam voluntatem, ùt in mandatô, ſocietate & aliàs *contrahitur*; Sed ex *præſumtâ* potiùs per legem ex facto *qualificato* conficitur. Obligatio vero *ex delictis* privatis ſuo modô huc etiam referenda eſt: nam & in illis, cùm rationem patrimonii concernant *συνάλλαγμα* quoddam, licet *invitum*, reperitur; quapropter omnia illa delicta *ex re* naſci dicuntur, h. e. ex *facto*, quà opponitur *voluntati* ſe obligandi, non litteris, verbis &c. ut poſtquam factum infectum fieri nequit, is qui delicto læſus eſt, *fidem* delinquentis æquivocè *ſequi* velle videatur, quod probè explicuit *Franzkius* in *Exercitat.* &c.





JVRIS PVBLICI UNIVERSALIS, *SIVE*, DE JVRE CIVITATIS LIBER III. QVI EST DE JVRE ADMINISTRANDI CIVITATEM.

CAPVT I.

De Legibus & Consuetudine.

ARGVMENTVM.

Partitio eorum quæ in administratione vertuntur. Administratio duplex, interna vel externa. Ad illam primò spectare legem, quæ definitur. definitio explicatur. De privilegiis. Virtutes legis, inter eas non esse suadere. Ad futura tantum referri legem. Ad essentiam ejus non pertinere scripturam. De consuetudine, ejus requisitis & efficaciâ.

I.

POstquam de jure Imperantium & eorum, qui subjecti sunt, singulis libris egimus, superest ut de civitate administrandâ, quatenus ad juris rationem pertinet, eâdem quâ coeptum, brevitate persequamur. *

* *Grotius lib. 1. c. 3. §. 6.*

II. Par-

II. Partes adminiſtrandæ Reipubl. alii plures alii pauciores enumerant, Grotius ita partitur; Qui civitatem regit, eam partim per ſe, partim per alios regit. Per ſe autem verſatur aut circa univerſalia aut circa ſingularia. Circa Univerſalia verſatur condendo Leges easque tollendo tam circa ſacra quàm circa profana. Singularia, circa quæ verſatur, ſunt aut directè publica aut privata quidem, ſed quatenus ad publicum ordinantur. Directè publica ſunt actiones, ut pacis, belli, fœderum faciendorum, aut res, ut vectigalia, & ſi quæ his ſunt ſimilia; in quibus & dominium eminens comprehenditur. Privata ſunt res controverſæ inter ſingulos, quarum diſceptatio juris quidem privati eſt, ſed cura & diſpoſitio generalis de illis ad jus publicum ſpectat. Quæ per alterum expediuntur, ea per Magiſtratus aut alios geruntur miniſtros, quales & Legati. Nobis quidem hæc partitio materiam ſuggerit dicendorum, quæ obiter in capite de juribus Majeſtatis pleraque occupata ſunt; ordo tamen ſimplicior magisque *hiſtoricus* (*a*) placet.

(*a*) Historicus. Ita ut de facultatibus ad *interna* Reip. pertinentibus priùs agatur, & ſic de *judiciariis* tractetur ante ea, quæ *conſultativa* ſunt, ſeu mediæ poteſtatis & prudentiæ, quam & βουλευτικὴν appellat *Ariſtoteles*; quippe quòd hæc ad *exterorum* negotia cum Republ. noſtrâ communia ſe porrigat, indeque illam ultimô loco Auctor expendere magis ex uſu futurum eſſe reputaverit: Quanquàm vero certum ſit, *legislatoriam* quidem poteſtatem ad interna ſolùm Reipubl. pertinere; Tamen *judiciaria*, cùm ea non modò ad Magiſtratus reſpiciat, verùm etiam facultatem in univerſum contineat, judicandi de omnibus actionibus tàm civium quàm *exterorum*, sec. id quod juſtum eſt, non ita capienda eſt, ut ſolùm ad forum *intrà* Rempubl. & omnium minimè ad actiones tantum *privatorum* reſtringatur.

III. Eſt igitur adminiſtratio duplex, aut enim ſpectat internam conſtitutionem civitatis vel habet reſpectum ad exteros. Ad illam ſpectat primo Legislatio. Nihil enim prius in civitate Imperio fundata ſolet eſſe quam Legibus ordinare Rempublicam. Proinde non intelligi hoc loco Legem Naturæ, Gentium & divinam, ſed *duntaxat civilem* (*b*) res ipſa loquitur.

(*b*) Duntaxat civilem. Neque aliam propriè legem eſſe, quàm civilem, *Gaſſendus* ait, *Philoſ. mor. p. 152.* licèt [illegible]tio, quam ibi adducit, quòd lex ſit pactio Civi[illegible]s, & ſic ex inſtituto, malè habeat. Cæterùm *jus* à *Lege* ita diſcernunt, ut prius licèt lege non comprehendatur, tamen virtute ſuâ obliget, cùm jus *commune* eô nomine magis deſignetur. Equidem *ſinè lege* vixiſſe populum unum alterumvè communis traditio eſt, quam poſt Tacit. *III. ann. 26.* Boxhorn. *L. I. c. 9.* in explanatione, recepit: At vero nullum unquàm populum ſinè lege vixiſſe verius eſt, ùt oſtendit Boeclerus *Diſſ. IV. polit. ad d. Loc.* Taciti *p. 336. & ſeqq.*

IV. Hoc

IV. Hoc modo sumpta Lex *definitur*, (*c*) Commune præceptum summæ potestatis honestati conveniens, omnesque subditos ad parendum obstringens.* Dicitur *Commune præceptum*, quia non *de singulorum* (*d*) sed universis rebus, *non de raro contingentibus*, (*e*) sed de his quæ ut plurimum eveniunt, concipi solet. Quod à *summa potestate* proficisci debeat, & quid inde observandum, suprà in capite de juribus Majestatis dictum.

* *Vid. JC. l. 1. l. 3. seqq. de Legib.*

(*c*) DEFINITUR. Alii dicunt, Legem esse orationem, *Pufendorfius L. I. c. 6. §. 4.* esse *decretum*, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat. Alii retinent definitionem in *L. I. & II. ff. h.* & quando lex inibi dicitur communis reip. *sponsio*, tunc nonnulli omnem legem dicunt esse *a conventione*. Quamvis autem Græci, (prout *Auctor* definitionis legalis est *Demosthenes*,) ad *Democratias* respexerint, & in statu *populari Reipubl. Rom.* per stipulationes seu *rogationes* lex ferretur; tamen hodiè in Rep. Monarchica non ampliùs Lex, quà *talis* est, per conventionem fit, nisi quà lex per conventionem seu *præconsultationem* præparatur, ac si Cæsar rogaret populum Rom. num ita consultum Reipubl. putet, legem ferri; quo factô deinde Lex *subsequitur*, quam solus edicit *Cæsar*. Simili ratione *Principes* in suis Territoriis cum *statibus* Provincialibus in id *conveniunt*, quod deinceps *Edictô* statuendum est, hinc formulæ, **Reichs- oder Stände, Gutachten, Reichs** it. **Landtags-Abschied.** Equidem in statu populari, idem qui consensum præbebat ùt singulus, legem dicit ùt in universitate constitutus; sed non ita in *Monarchiâ*, ubi Populus sc. Majestate vacuus est: quanquàm in statu populari non minùs conventio *modum* conficiat, quô Majestas se explicatura est. Aliàs enim in pacto dicitur faciam, in lege: fac, cum imperio & vi præsentanea. Illud falsum est, quòd ad legem requiratur subditorum *receptio*; licèt suo modo verum sit, probandum esse, quòd lex *recepta sit*, certis nimirum circumstantiis, quæ vigorem legis in dubium vocent, apparentibus. vid. Menoch. *II. d. præsumt. 2.* & Frider. Martini *c. 4. n. 67. & 76. de jure censuum.* Nam sæpiùs lex protinus ab initio evilescit, ut **R. A. vom Zutrincken.** vid. Tabor. *de altero tanto P. 2. art. 1. n. 6.* Sed oportet, ut Principe sciente hoc fiat; secùs enim usurpatio erit, quæ legi non officit, ut cautè sint accipienda, quæ docet Carpzovius *II, Decis. 1.* junct. Gail. *II. O. 60. n. 3.* Cothmannô *I. cons. 21. n. 74.* & *II. Consil. 51. n. 297.* quasi non quidem ad essentiam legis, sed tamen ad *existentiam ejus* requiratur populi usus & observantia. junge *dict.* Taborem *de Confront. p. 58. & seqq.* it. Canisium *ad c. 5. de reb. Eccles. non alienand: n. 10.*

(*d*) DE SINGULORUM. Vid. *l. 8. de LL.* non *obst.* quòd jus *singulare* detur *l. 16. eod.* nam illud tale non dicitur, quoad *subjectum*, (ad quod æquè & imò majori ratione *τὸ commune* referre poterat A.) ita enim *universos* cives obstringit; sed ob *formam*, quòd Jus tale *contrà tenorem rationis communis* introductum sit. *l. 15. ff. de reb. cr. Privilegia* vero non minùs jura *specialia* sunt (non item *personalia*, de quibus *infra*) & vel integram *causam*, ùt dotis, vel plures *personas*, ùt militum, clericorum, sub nomine *appellativô*, contentas attinent, atque *communia* præcepta hoc respectu non minùs dici possunt. Et licèt alicubi præcepta esse personalia videri possent: *L. 3. & 8. C. de LL.* tamen ex mente legislatoris vim *universalem* habent. vid. *§. 6. in f. h.*

(*e*) NON DE RARO CONTINGENTIBUS. Consonat *l. 5. de LL.* nec *obst. tot.* tit. C. de *parric. Auth. naufragia C. de furt.* it. *l. 20. C. de leg't. hered. l. 7. §. 3. de A. R. D.* & similes *aliæ*. Nam (1) dictam *l. 5.* non aliud intelligunt, quàm quòd sec. prudentiam legislatoris sufficiat, de his quæ sæpè eveniunt sancire, *l. 10. eod. l. 3. C.* ubi particula *potiùs* attendenda est, prout *A.* etiam hic dicit: concipi *solet*, vid. *DD.* ad *l. 64. de R. J.* (2) dist. est inter rara ex opinione agentis, quæ rara

rara propriè non sunt, ùt furtum, parricidium, & similia; & quæ talia sunt ex opinione legislatoris. (3) si magna subsit ratio, cur de raris quid statuatur, non modò consultum, sed & necessarium est, de eis legem ferre; & eò non pertinet *l. 5. h.* ibi: constitui *non oportet.*

V. Debet etiam esse honesta Lex, hoc est, *non inhonesta* (*f*), ut nihil quod necessitati morali & divinis præceptis adversum præcipiat. Hoc enim si fiat, vim suam perdit cives obligandi, quoniam juris Naturæ & divini prior ac superior haud dubie est obligatio. Quod non æque dicendum, si quæ Lex dubiæ sit rationis, nec quare ita placuerit civibus constet; imo ne tum quidem, si contrarium probabilius videatur. Sufficit enim nihil in Lege necessario morum dictamini contrarium posse reprehendi. Hinc merito prohibent Legumlatores, ne quis in rationem Legis inquirat, nempe ita, ut si ratio sibi non liqueat aut minus probetur, tum legi obsequium sit negaturus. * Quo loco recte *illud* applices *Hobbesianum* (*g*), non competere civibus discretionem boni & mali. Quoniam nihil magis ad resolvendam Imperii vim pertineret.

* *V. JC. in l. 20. seqq. d. Legib.*

(*f*) NON INHONESTA. Et multi tamen sunt, qui ad *essentiam* legis *honestatem* non requiri docent, prout nec 1.) ad essentiam Reipubl. pertinet, justam eam & rectam esse, & 2.) leges civiles injustas dari non modò ap. populos extrà Rempubl. Rom. *Grotius* notavit? sed etiam complures ex *Romanis* eo nomine adducuntur, ùt in SCto *Silaniano*, Lege *Majestatis*, & ea, quæ de *corpore* debitoris inter creditores *dividendo* XII. tabulis sancita fuerat; junge Mæstert. *de Just. LL. Rom.* & Antagonistam ejus Cyprianum Regnerum. 3.) *dissidentes* Leges in diversis civitatibus circà idem objectum reperiuntur, quarum una justa non esse videri potest, cùm duo contraria justitia non definiat. 4.) in *rationem* legis inquirendum non est, & imò dari non posse legum omnium rationem profitetur JCtus *l. 20. de LL.* Enimvero si lex sumatur ἐξαιρέτως, ita non potest esse nisi justa, & hæc solùm est, quæ *conscientiam* obstringit. Aliàs omninò lex esse potest, quæ vel non plenè justa, vel etiam injusta sit penitùs, cumprimis si ad statum Reip. qui & ipse corruptus esse potest, pertineat: Ita Aristoteles capiendus est, *III. Polit. 2.* & *IV. Polit. 1.* Imò in privatis etiam lex potest dici justa, quaſ. eâ justior haberi non potest, aut quæ eligit id, quod minus injustum est, quâ ratione etiam lex una ad alteram in eâd. Rep. comparata injusta seu non tam justa dici potest. Quanquàm vero corrupta Resp. adhuc Resp. sit, ideò scil. quia corruptela tantùm est *sec. accidens* Reip. seu formam ejus accidentalem; tamen lex, si quæ injusta datur, internè & essentialiter destruitur, cùm vim cogendi non habeat: nec verè, sed apparenter lex erit; Imò Resp. corrupta non dicitur à legum, sed ab imperantium corruptelâ, quia in illa quoque bonæ leges esse possunt; aliàs si verè sit corrupta Resp. hæc ad leges est accommodanda, non leges ad Remp. si mediocriter, leges illam firmantes etiam malæ dici possunt; & sic *Aristoteles* restringi debet. Exempla legum injustarum, si rectè expendantur, omni ex parte subsistere non possunt, & vel publicâ saltim utilitate nitentur, nec omni ratione vacua sunt; ita SCtum *Silanianum*, quod *Grotius L. I. c. 1.* impetit, satis *Rom. JCti* vindicant: Legem *Majestatis* tuetur *Jac. Gothofr.* integr. *dissert.* contrà Grotium *L. II. c. 21. §. 13.* Lex de *dissecando corpore*, quam nunquàm in usum venisse Mevius *ad jus Lüb.* ex *Tertulliano*

& aliis ostendit, terruit potiùs fraudatores, quàm punivit. Ad *tertium* facilis est responsio, prout enim diversi sunt respectûs civiles in diversis Civitatibus: ita etiam leges non disparatæ solùm, sed *contrariæ* occurrere possunt, indeque in eâdem quoque civitate lex civilis *posterior* priorem, quarum neutra tamen Justitiâ aut ratione destituitur, sæpè tollit. Ad *quartum*, *ratio* non potest dari omnium necessaria, potest tamen *probabilis*: non potest eorum, quæ *statum* concernunt, nec debet à civibus: it. non potest illorum, quæ *merè positiva* sunt, & in *arbitrio* legislatoris *simpliciter* constituta, ùt quòd actiones aliquæ in duplum, triplum competant, quòd 7. testes in testamento requirantur, quanquàm & hoc causam suam habeat, ex *historiâ testamentariâ* nullô negotio ostendendam. Imò si exactiùs *l. 20. d. LL.* intueamur, ad ea quæ juris *constituti* sunt, pertinet, quæ juri *recepto* opponuntur, & adeò *comparativè* loquitur, videl. quanquàm quæ juris constituti sunt, aliquam rationem habere possint, potissima tamen eorum ratio in eo est, quòd sic constitui ea expedierit. Sed *recepti* juris alia conditio est, quia à prudentibus sinè ratione apertâ recipi quicquàm non potuit, imò quò quid antiquius populi moribus probatum & receptum est, eò certius sibi constat, id quòd JCti appellant *jus Commentitium. l. 20. de pæn.*

(*g*) Illud Hobbesianum. Et tamen *Hobbesius* legem nosse, & imò certo respectu rationem ejus debere subditum, ingerit, *c. XIV. de cive §. 11. 12. & 13.*

VI. Dein dictum est in definitione, quod Lex omnes subditos obstringat, non cives duntaxat, quia Legis obligatio à subjectione dependet. Ubicunque igitur illa summæ potestatis est mens, ut omnes teneantur, ibi vis legis adeoque Lex est, quacunque formâ emittantur, sive ut Edicta, seu rescripta, vel ut epistolæ aut decreta.

VII. *Personales constitutiones* (*h*), quæ in gratiam vel in odium certarum personarum statuuntur, privilegia dicuntur, quomodo & Cicero Legem Clodiam, quâ in exilium actus, privilegium suum appellabat, maxime autem exemptiones à jure communi hoc nomine usurpantur. * His quidem æque obligantur omnes, ut respectu personæ privilegiatæ constitutioni effectum tribuant & tribui patiantur; sed ad alios eodem jure ornandos aut onerandos minime valet. In plurium Imperiis privilegia propter studium æqualitatis rariora sunt, in Monarchiis aliquando frequentiora: scilicet, de his quæ vere sunt talia loquimur. Enimvero exemptiones, quæ integris hominum ordinibus, ut mulieribus, militibus, minoribus, pupillis, Fisco tribuuntur, etsi privilegia dicantur, diversi tamen omnino generis sunt; quia non singulis privatisque, sed universæ civitati concessæ videntur.

* *pr. Cicero in orat. pro domo suâ.*

(*h*) Personales. Quas hodiè dicimus privilegia, licet nomen privilegiorum ad constitutiones *speciales* in *Jure Rom.* relatum sit, indeqùe confecta distinctio in privilegia *personarum* & *causarum*. Conf. Strauch. *in Diss. de statutis à Summo Principe.*

VIII. *Vir-*

VIII. *Virtutes Legis* (*i*) à ICtis enumerantur hæ; Imperare, vetare, permittere, punire. Imperantur facienda, vetantur contraria, permittuntur licita: & quidem *permiſſio* (*k*) differt à tolerantiâ: * Nam quod permittitur id juris habet effectus, toleratur quod Lex impune ſaltem transmittit. Ita Lex Moſaica permiſit divortia, Lex Romana concubinatum; ſed meretricias libidines idem jus Romanum tolerat non permittit, ut aliæ civitates ebrietatem, ingratitudinem aliaque vitia, quæ ubique improbantur, nusquam puniuntur. Certe enim propter civiles rationes poteſt aliquid & tolerari & permitti, quod non ſit honeſtum, utique propter neceſſitatem, haud perinde *ob utilitatem.* (*l*) *Suadere* (*m*) aut admonere non eſt virtus Legis, cum parendi neceſſitatem ejusmodi decreta habere non poſſint; quales illa Claudii Cæſaris, ut uberi vinearum proventu bene dolia picarentur, nihil æquè facere ad viperæ morſum, quam taxi arboris ſuccum. ** Sunt & Romani juris aliquæ admonitoriæ leges, majoris tamen momenti quam Claudinæ; ſed neque Leges rectè dicuntur. Denique proprietas legis ut omnium præceptorum eſt, quod reſpectu futuri intelligatur, *ad præterita* (*n*) non pertineat, niſi caſus præteriti temporis diſerte exprimantur; quod in terminis habilibus juſta ratione aliquando fieri poteſt.

* *JC. in l. 7. de Legib.*

** *Vid. Sveton. in Claud.*

(*i*) VIRTVTES LEGIS. Objectum autem legis *propinquum* ſunt *facienda* & *non facienda*, ſeu actiones morales, & quà ad ſocietatem civilem ſeu publicam pertinet, *civiles*, atque hæ actiones ſpectari poſſunt, tùm quoad *objectum* ſuum, tùm quoad *qualitates*, *prius* dicit eſſe *Puſendorff* ſuppoſitivum, & eò *ſtatum* hominis refert vel poſitivum, quò *perſonas* & *res* redigit! Quoad *qualitates* actiones ſunt, vel invitæ vel ſpontaneæ illæ per ignorantiam, vel violentiam, quæ omnia latè quidem Pufend. *L. I. c. 1. & per tot.* exhibet, verùm examine multô, cumprimis quòd à receptis ſcholarum *terminis* nullâ neceſſitate recedat, omninò indiget. Meliùs utiquè inſiſtimus traditis *Hornejì*, & cum primis *Dannhaueri*, in *quæſt. moral.* ubi ſolida & elegantia depromit de *fato* & *fortunâ*, de *divinationibus*, de *libero hominis arbitrio*, de ipſis *humanarum actionum principiis*, de *conſcientia*, de *ignorantia*, de *voluntate* & ejus coactione, de *concurſu Dei* itemquè de *affectibus*. Illud hic ſaltim obſervandum eſt, quòd legislator quandoquè *veniam* largiatur *vitiis*, quorum tanta ſc. eſt pertinacia, ut iis corrigendis impar exiſtat. *vid.* Dieterich. *in Eccleſiaſten* ad *cap. 7, verſ. 14.* Sed hoc eò non pertinet, quod Grot. tradit, *L. II. c. 20. §. 19.* quaſi inevitabilia peccata non ſint verè *peccata:* nemo enim *ingratitudinem*, quam legislator nullus planè tollet, peccatum non eſſe dicet: Senec. *de clement. c. 7.* Nemo *ebrietatem;* quam mortalibus eximere non licet. Et imò ipſum peccatum *concupiſcentiæ*, & peccata in *irregenitis* & *induratis* verè peccata ſunt, & tamen hi nequidem *liberè* peccant, ſi libertatem in genere accipiamus.

(*k*) PERMISSIO. Hanc *plenam* dicunt cæteri, tole-

tolerantiam verò *minùs plenam* permissione, quæ iterum vel tantùm *impunitatem* à pœna habet, quia vel defecti forum, vel leges civiles cujusque pudori & conscientiæ rem committunt, vel tantùm habet libertatem ab *impedimento*: aut in eo *utrumque* reperitur. Cœterùm *permissio* directè actio legis non est, sed actionis negatio, nisi quoad tertium, & hoc quidem quoad ea, quæ perfectè permittuntur: nam *cædem adulteri* in marito alius impedire non prohibetur, imò perfecta permissio magis à libertate non impedita agentis, quam à lege proficisci videtur. Interim etiam hactenus *virtus* legis esse dicitur *permissio*, quatenus (1.) Lex, intrà certum modum & mensuram, permissionem circumscribit, *tot. tit. d. usur. l. 20. & 21. ad L. Jul. d. adult.* (2.) quando ære quôpiam permissio redimenda est, quæ tamen speciei magis ad eam, quam *tolerantiam* appellat *Auctor*, pertinet: Exemplum esse in *meretricibus*, quæstum corpore facientibus. Et sunt plures, qui *lupanaria* ob multos respectus in Rep. utilia esse defendunt; maximè ne tententur matronæ & virgines castæ, ne prolis multitudine ad paupertatem familiæ redigantur *&c.* vid. Clapmarium *L. IV. de arcan. Rerump. c. 19.* Ammirat. *III. Discurs. ad Tacit. 2.* nam exemplum *l. 27. de hered. petit.* est facti, & nostris legibus tàm *Justinianeis*, quàm *Recessuum Imperii*, meretriciæ consuetudines omninò improbantur. Conf. Augustin. *de Civit. Dei. L. XIV. c. 18.* & *Lib. XVIII. c. 21.* Balduin. *L. IV. c. 12. cas. Conscient. 18.* Klock. *Lib. II. de ærar. c. 146.* Carpz. *II. qu. crim. 170. n. 10.* ubi anno 1620. Romæ 1402. meretrices numeratas esse perhibet, quod & *apud* Limn. *in addit. ad Lib. IX. c. 1. n. 86.* reperitur.

(*l*) Ob utilitatem. Quæ scilicet honestati adversatur, nam aliàs *utilitas* Reip. *solida* sc. illa, & quæ supremo juri adversa non est, finem legis conficit, quippe quòd utilitas ex ipso civitatis fine, i. e. ex felicitate & beatitudine petenda sit, quæ obtineri non potest per ea, quæ Deo adversa sunt; quanquàm sæpè utilitatis æstimatio ambigua sit, cujus rei exemplum est apud Thuanum *Lib. XLI. p. 460. seqq.*

(*m*) Suadere. Non obstat, quòd leges aliquæ inter *Romanas* reperiantur, quæ non præcepti sunt, sed *consilii*, ut Wissenb. movet Disp. *IV. th. 10.* Præterquam enim quod in Romanis legibus multa *philosophemata* reperiantur, *definitiones*, *divisiones* & similia, quæ tamen omnia *virtualiter* ad vim legum referuntur, ita etiam consilia à legislatore prodita hoc saltim volunt, quòd modus, quem suggerunt, legislatori placeat, utcunque ratione formæ, seu quà suasionem continent, directò ad vim *legis* (præceptivam sc.) non respiciant.

(*n*) Ad præterita. Posse ad præterita per constitutionem Legislatoris expresè trahi Legem, non est dubium per *l. 22. ff. h. l. 7. C. eod.* junct. *Coll. Argent. th. 23.* Exempla sunt *apud* Fridericum Martini *de Jure censuum: c. 4. n. 110.* Meichsnerum *I. Dec. 12.* & novissimè Philippi in *Decis. Electorali Sax. 67.* Quod tamen ita plerumque instituitur, ut quamvis ad *lites pendentes* lex illa porrigatur, imò etiam illas, quæ secundùm LL. *priores* pro parte alterâ per sententiam definitivam decisæ, & per appellationem *suspensæ* sunt: (conf. *Mevium V. Dec. 278.*) tamen ad casûs vel per *rem judicatam* decisos, vel nunquam *in judicium deductos*, aut per *transactionem* jam sopitos, Lex nova, quamvis *expresse* ad præteritos casûs extensa, non pertineat; veluti nuper, cùm Dux Guelpherbytanus, *Jura Saxonica* per Edictum in Anno 1675. in *urbe Brunsuicensi* ampliùs observari nollet, observatum est, juxta verba edicti: So setzen, ordnen, und wollen wir, daß es zwar bey denen nach Sachsen-Recht, und unserer Stadt Braunschweig Statuten ausgesprochen, und vor Publicirung dieses unsers Edicts albereit durch würckliche Execution vollstreckten Urtheilen, allerdings zulassen; hinfüro aber, und à dato dieses unsers publicirten Edicts, in unser Stadt Braunschweig kein anders, als das allgemeine geschriebene, und in unsern Landen und Fürstenthum übliche Kayserl. Recht sambt denen Reichs- und unsren Landts-Constitutionen, gültig seyn sollen.

IX. Habet Lex suam perfectionem statim atque decreta est, etsi non scribatur, ut rhetræ Lycurgi, neque enim ubi maxime scribuntur Leges, *scriptura ad essentiam* (*o*) illarum refertur. Verum ut obligent cives,

cives, innotescere & publicari debent, quod vix commode primitus quam per scripturam fieri potest. Expedit autem tempus præscribi, ex quo sint valituræ, velut jure novissimo Romano *bimestre spatium* * (*p*), antequam pœnæ violatarum Legum exerceantur, præfinitum est.

* *Justinianus in Nov. 66. cap. 1.*

(*o*) SCRIPTURA AD ESSENTIAM. Et tamen ita *Strauchius* cum *aliis* in Dissert. suis Justinian. statuit, quasi videl. non quidem de essentia legis sit scriptura, sed tamen de essentia legis *scriptæ*: prout doctrina est de essentia hominis docti, non de hominis essentia simpliciter. Nam sanè lex ut sit lex, per scripturam (in quâ est modus *promulgandi*) sortitur, & lex ùt promulgata obligat, cùm si vel maximè *conceptam* esse quis sciverit, tamen scientem ante promulgationem non obliget Christinæus *II. Dec. 52. n. 2.*

(*p*) BIMESTRE SPATIUM. Quod hodienum expressè nonnunquàm Provincialibus etiam constitutionibus inseritur, prout videre est in *Resolutionibus*, Gravaminum Provincialium & Decisionum moderni Electoris *Saxoniæ* de anno 1661. Quanquàm verò *Nov. 66.* hic citata, si rectè eam inspiciamus, de certo tantùm legum genere disponat, quod & *Gudelinus* observat. *Lib. V. d. Jur. novissimo c. 2.* tamen communiter ad LL. quaslibet à *DD.* tempus bimestre applicatur. conf. Merend. *Lib. II. controv. 8.*

X. Vim quoque Legis habet consuetudo, sive *jus non scriptum* (*q*), quod tacito populi consensu vim obligandi accepit. Hujus initium nunquam est à scriptura, siquidem natura ejus & proprietas est, quod auctorem initiumque habeat incertum: sed ubi vigorem suum obtinent mores, & possunt & plerumque *solent scribi* (*r*). Proprie in popularibus Imperiis viget hæc species juris, nempe ut suâ vi nitatur; neque enim in diversis imperiis populus, qui expressè nullius auctor juris est, sed accipit Leges, tacitè id introducere potest. Verum in Monarchiis aut Aristocratiis valet nihilominus consuetudo ex tacito imperantium consensu, sic tamen ut contrario placito semper abrogari queant.

(*q*) NON SCRIPTUM. Est tamen jus non scriptum latius quàm *consuetudo*, atque in eam, ùt & *observantiam*, *stylum* & *ritum*, nisi hæc omnia consuetudinis nomine confundere quis velit, distinguitur. Quâ autem ratione *præjudicia* ab observantia discerni debeant, docet Tabor *de Confront. p. 15.* quamvis *ibidem* variè inter Observantiam *judicialem*, & publicam atque *consuetudinem* volutetur.

(*r*) SOLENT SCRIBI. Et tamen in scripturam redacta *consuetudo* manet talis, etiamsi in scripturam ab eo redigatur, qui legis condendæ potestatem habet. Hunnius *Lib. I. Resol. Tract. 1. quæst. 23.* ita cùm Comes Oldenburgicus 664. Die Statuta oder Gewohnheiten des Budjadinger Landes in scripturam redigi curaret, quoniam illa sæpiùs cum pernicie partium controvertebantur, eaque confirmaret: frustrà deindè dicebatur testamentum quoddam, quod de bonis avitis, contrà consuetudines istas, 1662. conditum fuerat, ideò valere, quia statutum Budjadiense demum ab an. 1664. vigorem suum per sanctionem Principis adeptum fuisset.

 XI. De-

XI. Debet autem, ut consuetudo obtineat, his tribus prædita esse requisitis, ut honesta, generalis & certa sit. Honesta pari sensu, quo *suprà* de Lege dictum. Generalis, id est, ab universâ Republ. vel potiori parte recepta, perinde ut Lex à toto populo: Quatenus enim pari modo obligant, ab unâ ad alteram rectè argumentamur. Hinc Municipiorum consuetudines eandem habent vim quam statuta, ut teneant, quatenus juri moribusque Reipubl. non adversantur. Ad certitudinem requiritur Longum tempus & frequentia actuum, quibus recepta & probata consuetudo. Quantum verò temporis & quales actus esse debeant, à Magistratuum vel judicum arbitrio pendet, modo talia sint, unde quod satis sit de veritate consuetudinis, constare queat.

CAPUT II.

De

Magistratibus creandis.

ARGUMENTUM.

An cunctis magistratibus jurisdictio competat. Divisio prima in majores aut minores 2. quod vel in regimine publico aut in controversiis privatis occupentur. 3. Aut ordinarii sint aut extraordin. 4. perpetui vel temporales. 5. an & in civiles aut Ecclesiasticos? Quid intersit, utrum Magistratus singuli seorsim, an per modum Collegii res administrent. An rectè dividantur Magistratus, quod vel Regis sint vel regni: distinguitur. Nundinationes honorum privatis illicita an publicè fieri possint. Reliquæ obiter attinguntur quæstiones; ut & de muneribus propriè ita dictis.

I.

CIvitas ordinata Legibus, quæ surdæ & mutæ sunt, ministros & executores requirit, siquidem summa potestas per se omnibus haud sufficit exequendis. Hoc fine statim post Leges creati sunt Magistratus, quorum pridem habuimus definitionem, ibidemque de jurisdictione & imperio tanquam de partibus officii illorum est actum. Possit autem videri solos qui res controversas judicant esse Magistratus, quoniam his solis competat jurisdictio & imperium. Sed *in finiendis Magistratibus* (*a*) pro requisito debitam potestatem non præcise jurisdictionem collocavimus. Præter quod cunctis Magistratibus potestatem judicandi de rebus ad officium suum pertinentibus & judicium

cium exequendi, convenire haud immerito dicatur; etsi in omnibus illa solennis & accurata disceptatio, quæ in judiciis solitis, non observetur.

(a) IN FINIENDIS MAGISTRATIBUS. Vid. ea quæ *suprà* diximus: nam Sutholtius *de Jurisdictione aph.* 202. 203. 207. & 217. cum plerisquè *aliis* ex usu *Juris Civilis* Magistratum definit. Ceterùm nec consultare, nec imperare, nec judicare etiam rationem *formalem* Magistratûs conficit, quia primum Consiliariis, alterum Legatis & imò sacerdotibus, tertium judici quoquè Pedaneo commune est. Colleg. Arg. *ad Tit. de Senator. n.* 1. ita describit, quòd sit ad quem cura Reip. jurisque dicendi potestas pertinet, sunt autem vel Majores vel Minores, *illi* Illustres, *hi* Clarissimi dicebantur, sed & medii fuerant, sc. *spectabiles*, ùt Proconsules & Præfectus Augustalis. *Conf.* Coll. Arg. *d. l.* atquè Lentulum in *Apice gloriæ Romanæ Lib. II. c.* 17. item *Lib. III. c.* 16. ubi de Magistratibus tempore Constantini ad seriem *Pandectarum* simulatquè mutatâ eorum sub *Justiniano* potestate.

II. Quibus rebus & quo jure præponantur Magistratus, è differentiis eorum intelligitur. Dividuntur autem primo in Majores & Minores, qui apud Romanos auspiciis discernebantur, hodie secundum plus aut minus momenti, quod singulorum functiones habent in Republicâ, quod tamen nec Romæ non erat.

III. Dein ratione objecti dividuntur, quod vel in regimine publico aut in controversiis privatorum judicandis occupentur. Nam dubitatio Aristotelis, utrum *judices sint Magistratus* (b), (si modo immediatè à Principe constituantur, nec ab alio delegentur) satis ex eo tollitur, quod judicare alioqui sit officium principum, quos primitus eâ maxime gratiâ constitutos antiqui tradiderunt. Proinde quibus partes suas committunt, eos utique & Magistratus, ut ex definitione liquet, esse oportet. Sunt igitur vel ordinarii Magistratus vel extraordinarii. Illi, qui statis temporibus & semper in Republicâ sunt, hi non aliter quam usu aut necessitate postulante constituuntur, quales Romæ *Dictatores* (c) & Interreges.

(b) JUDICES SINT MAGISTRATUS. Dubium hoc fuerat: quoniam causæ publicæ Judicibus non submittuntur, sed causæ *privatorum*, nam Judices pro *Magistratu* sumit, (ùt Romano sensu vox hæc accipitur pro *Prætore* v. c. & *similibus*) *Aristoteles*; sed rectè respondet Auctor. Quòd si vero Judicem pro *Pedaneo* accipias: ita de jure Romano extrà dubium Judex, quippe qui *potestate* nullâ publicâ præditus est, à Magistratibus totô genere distinguitur, vid. Coll. Argent. *ad Tit. d. Jurisdict. thes.* 11. adeò, ut mandatarius & hodiè *delegatus* melioris hactenus fuerint conditionis; quanquàm ne hi quidem *Magistratus* dici possint, eò quòd non propriâ sed *alienâ* potestate fungantur.

(c) DICTATORES. Et tamen Auctor *suprà Dictatores* Majestatem habere asseruerat. Cæterùm *Præfectus vigilum* non minùs extraordinariis accensebatur. vid. *l. 1. C. d. offic. Præfecti vigil. quia* videlicet *noctu* solùm potestate fungebatur.

 IV. Quid

IV. Quid si & in civiles aut *militares* (*d*) dividere Magistratus audeamus, ut præfecti Legionum & tribuni militum centurionesque, tam majores quam minores sint Magistratus? Sane ut Imperatoriæ Majestatis officium non modo est regere civem, sed & armis tueri Rempublicam, ita quibus potestas & ministerium belli regendi legatur, his sine dubio Magistratuum definitio competit. Sunt & aliqui simul tam civiles quam militares, cujusmodi apud Romanos omnes fere majores, exceptis Censoribus & Tribunis plebis: & olim Tribuni Militum cum consulari potestate vel præcipue militares & tamen Magistratus erant.

(*d*) MILITARES. Utique Duces militares societati *Civili* præfecti esse non videntur, nisi quoad judicia militaria. Enimvero hoc ipsum sufficit: nam & *Præfectus annonæ* ulteriorem jus dicendi potestatem non habebat, quàm quoad annonam, & hoc etiam solùm certô modô, vid. omninò *l. fin. §. fin. ad L. Juliam de annon:* Et præterea ad potestatem *jus dicendi* non simpliciter, sed ad curam publicæ rei *non potestate* hic respicimus.

V. Sunt etiam perpetui vel temporarii Magistratus, inter quos tamen quod ad jus & potestatem exigua aut nulla differentia est; præstet autem perpetuos an *ambulatorios* (*e*) habere Magistratus, ea politicorum disputatio est.

(*e*) AMBULATORIOS. Distinguit *Boxhornius* inter ea officia, quæ plus *curæ*, & inter ea, quæ plus *imperii* habent: *Hæc* magis ambulatoria esse vult; *illa* non item. Quòd si tamen mos aut aliæ causæ perpetuitatem jubeant, plures conjungendos esse, ut alter alterius Consilia invadendi Remp. infringat; Sed Ipse ad statum liberum respicit, & plures alias limitationes subjungit. Plenius rem expendit *Hessentbaler* in *Athletâ Politicô, Class. IV. qu.* 1. ubi tandem in hoc devenit, quod pro diversitate munerum & formarum Reipubl. partim ambulatorii partim perpetui Magistratus esse debeant; quin imò personas idoneas muneribus præficiendas, item tempora nunc quietiora, nunc magis turbida attendenda esse, & normam ex prudentiâ pendere, adeò ut in universum nil definiri posset.

VI. Forte etiam tolerari posset divisio in Civiles & *Ecclesiasticos* (*f*), quatenus summæ potestatis aliqui constituuntur Ministri, à quibus partes illius circa Ecclesiæ externa administrentur.

(*f*) ECCLESIASTICOS. Ita Joachimus Stephani *Lib. I. d. Jurisdict. c. 7.* & sunt omninò *Episcopi* præfecti societatis Civilis, tanquàm in Ecclesiâ unitæ, & specialiter sunt præfecti inferioris ordinis *Clericis*, imò *Constitutio* Episcoporum, tanquam Magistratuum ad potestatem *civilem* pertinet, vid. Lampad. *P. 1. §. 24. & p. 3. c. 2. §. 10.* Alii putant, tutiùs eos appellari posse *Curatores:* juxta *Arist. VI. Polit. c. ult.* junct. Sutholt. *de Jurisdict. aph. 93.* verùm ad *judicia* nos Magistratus non restringimus, prout quidem Jurisprudentiâ *Romanâ* illam significationem vocis præponderare volunt, ut non sit Magistratus, qui non de re quapiam possit judicare, vid. *l. 58. d. muner. & honor.*

VII. No-

VII. Notanda etiam hæc differentia, quod Magiſtratus alii conjunctim per modum Collegii functiones ſuas exerceant, (cujusmodi tamen Collegium perperam vulgò Magiſtratus in numero unius dicitur) alii ſingulares ſint perſonæ, quales Romæ plerique erant omnes. Ex quâ diverſitate oritur hæc inſignis diſcrepantia juris: quod ubi ſinguli in Magiſtratu ſunt, majores magiſtratus ſibi invicem non ſubordinati in jus aliter quam ſpontaneâ ſubmiſſione vocari nequeant, ut Romæ juris fuit notiſſimi. * Sed ubi plures magiſtratus uno corpore juncti in eâdem functione ſunt, ibi ſinguli privatorum loco habentur, ideoque & pro collegio ſuo & pro diverſis collegiis recte conveniuntur.

* *JC. in l. 1. & 2. De in jus vocando.*

VIII. Denique ſunt, qui Magiſtratus dividunt, quod alii Regis alii regni ſint. Regis qui & à Rege conſtituuntur & rem Regis, aulicam maxime curant: Regni volunt eſſe Magiſtratus, qui Reipubl. gubernandæ præficiuntur, ſive à Rege ſive à populo eligantur aut confirmentur. Judicium hac de re noſtrum eſt, valere diviſionem, quatenus populo jus aliquod ſpeciale & fundamentale quæſitum eſt, cui adſerendo certi Magiſtratus ſint præpoſiti. Multo magis in Regno legibus ſubjecto, ubi ſummæ vis poteſtatis penes populi ordines aut optimates reſidet. Sed in Imperio *ſimpliciter* uni vel pluribus *delato* (g) negamus hanc obtinere diſtinctionem; quia ſumma poteſtas, cujus miniſtri ſunt magiſtratus, & à qua omnis inferior poteſtas derivatur, penes ſolos eſt Imperantes, ut pridem edoctum. Quare etſi populus quosdam creet Magiſtratus, tamen ne hi quidem ipſi recte populi eſſe dicuntur; quia populus hoc indulgentia Imperantium non jure ſuo feciſſe videtur, aut ſi jure ſuo, tamen præfecti plus juris quam præficientes, qui ſubditi ſunt, habere non poſſunt.

(g) SIMPLICITER DELATO. Imò cùm in hac diviſione non reſpiciatur ad conſtituentem: ſiquidem etiam Rex, qui poteſtatem abſolutam non habet, imò qui nec ſolus imperat, Magiſtratum regni conſtituere ſolus poteſt, ut in Polonia v. c. accidit. Ideò licèt quis ſimpliciter & abſolutè imperet, quia tamen fieri poteſt, ut cauſas domûs ſuæ aut familiæ ſeparatas habeat, quidni poſſet Magiſtratus alios quoque, qui Regni negotia curent, conſtituere, ut magis hi curare videantur ea, quæ Majeſtatis realis ſunt, ſenſu *ſuperiùs* expoſitô? nam ita in ſtatu vel maximè Monarchico & abſolutô ne quidem Regis ſed *Regni* Curatores, Officiales & Magiſtratus, appellamus.

IX. Quin etiam quibus hereditaria & patrimonialis est jurisdictio, potestatem suam non modo subjectam summæ potestati, sed & inde profectam ac ab illâ dimanantem agnoscere debent, etsi forte *recognitionem feudalem* (*h*) nullam præstiterint; quia nulla in civitate potestas præter summam esse potest independens. Quod tamen de amplexu territorii intelligere noli; neque enim impedit, esse qui terras in alienâ provinciâ summo jure teneant aut simili summo, quales in Germaniâ *Nobiles immediati* (*i*).

(*h*) RECOGNITIONEM FEUDALEM NULLAM. Ut sunt *statûs* nonnulli in *Imperio* Romano, qui superioritatem territorialem ex *immemoriali* tempore, citrà recognitionem feudalem, adeoquè *ad instar allodii* obtinuerunt. Et tamen superioritatem illam suô modô recognoscunt ab Imperio, quatenus abindè tanquàm *subordinata* pendet, & imperii *beneficio* debetur: qualia communiter Sonnen-Lehen appellare solent; ùt in *Lectionibus feudalibus* dictum est.

(*i*) NOBILES IMMEDIATI. Hos non putat habere summum imperium *Auctor*, sed simile summo, nam ille *superiùs* asseruerat, *statûs* Imperii singulos *Majestate* præditos, & in *fœdere* contineri. At verò, si communem sententiam sequamur, ne quidem quoad hanc hypothesin *Nobiles immediatos* ratione superioritatis, si ad *subditos* suos referantur, diversæ conditionis à statibus censere debebat, quia *Jus Comitiorum* nil ad *superioritatem* territorialem, quippe quòd *status* fuerint in Imperio, antequàm superioritas illa exoriretur, de quo quidem ad *Jus Publ.* & ad *Lampadium* accuratiùs. Illud tamen verum est, Nobiles immediatos ideò inferioris conditionis censeri, quia super negotiis fœderati illius corporis, ùt Auctor putat, in Imperio non statuunt.

X. Creari magistratus ab Imperantibus summis res ipsa loquitur & diximus dudum: utique majores: Nam quo minus inferiores per ministros creari curet, nihil de jure quidem obstat. Digni an indigni, gratis an pretio functionibus præficiantur, politicè quidem & interni juris respectu interest multum; sed externa facultate parum aut nihil refert; nisi à ministris male distribuantur, qui rationibus & pœnæ hac causâ sunt obnoxii. Inprimis si pretio nundinentur officia Reipubl. quod ratio vult haud minus illicitum esse in plurium Imperiis, ubi Collegiis à summâ potestate delegatis dispositio de plerisque muneribus publicis permittitur. Quin & idem juris est, in singulis qui concilia summæ potestatis constituunt, ut sordium convicti repetundarum teneantur. Ratio prohibitionis præter intrinsecam rei turpitudinem est hæc manifesta, quod cujus rei quisque tantum ordinandæ gratiâ constitutus est, absque proprietate vel fructu & usu, de hac nummariam utilitatem nullo modo percipere possit: talis autem sine dubio sit potestas conferendi in idoneos homines munera Reipublicæ.

Quæri

Quæri potest, an cum intrinsecâ honestatis ratione convenire possit, quod summæ potestates ipsæ pretium officiis Magistratuum præscribant, ut quibusdam locis fieri vidimus & videmus. Dicendum in thesi, *Rempublicam* vehementer hoc instituto *dehonestari* (*k*), & virtuti, cui sæpe comes paupertas, aditum ad honores, quo nihil injustius, præcludi. Tamen si mores adeo sint corrupti, ut sordibus nullo modo privatim abstineri queat, fieri potest, ut nec civitas peccet, quod publico quæstu procerum avaritiam eludere satagat: Idem erit, si in summâ rei communis angustiâ præcipuis Magistratibus officium ineuntibus collatio extraordinaria imponatur. Sed Lex de pecunia *pro suffragio* * (*l*) vel aulicorum in Monarchiâ vel Regentium singulorum in Polyarchia danda exigendaque, ratione vix ulla nec quidem necessitate defendi potest.

* *Qualis constitutio Justiniani in tit. C. de suffragio esse videtur.*

(*k*) REMPUBLICAM DEHONESTARI. Et tamen cùm *divitiis* vel maximè Rempubl. niti, juxtà virtutem, constet, prout *Aristoteles* in optimatibus Reipubl. Aristocraticæ passim considerat: in illis Rebuspubl. ubi nundinationes *receptæ* sunt, ùt in *Galliâ*, Proceres eô adigi videntur, ut divitiis studeant, quæ tamen ipsæ rursus à familiis ditioribus illis, dum officia comparare necesse habent, ærario publico inferuntur: quanquàm ipsi *Proceres* Regni Galliæ jam olim de venalitate officiorum apud Regem conquesti fuerint, ùt videre est *Tomo X. Mercurii Gallici* d. anno 1624. *pag.* 687. ubi redundantia exinde in Rempl. incommoda universa recensentur. De eo dubitandum non est, posse honores illos pro pecuniâ conferri, qui *sine potestate* habentur; velut in Diplomatibus Nobilitatis, Comitivæ Palatinæ, & similibus, apparet. Expedit enim aliquando pecuniæ summam honoribus aliquibus præstituere, ne quôlibet ad eos admissô tanquam promiscui vilescant, id quod in gradibus Doctoreis & similibus magnâ ratione inductum videmus.

(*l*) PRO SUFFRAGIO. At verò hanc *L. unica* Constitutionem satis vindicat ab ambitu & corruptela Joh. Otto Tabor. *tract. pecul.*

XI. Cæterum quibus datum est jus munera publica conferendi non videntur adeò coarctandi, ut ex pluribus Candidatis haud ineptis omnibus, ex favore aliquem minus idoneum eligere nequeant, si nulla prægnans Reipubl. ratio secus postulet. Neque enim in puncto consistit *æstimatio aptitudinis* (*m*).

(*m*) ÆSTIMATIO APTITUDINIS. Confer. *l.* 18. *in pr.* & *l.* 19. *§.* 4. *de ædilit. edict.*

XII. Juris quoque ratio non prohibet unum civem pluribus officiis & honoribus fungi, modo functionibus omnium par sit implendis. Sed an expediat honores ita cumulari, politica quæstio & Legibus cujusque Reipubl. terminanda est.

XIII. Spe-

XIII. Spectant quoque ad Politicam hæ quæstiones; Utrum senes an juvenes, divites an pauperes, esse debeant Magistratus, an plebeji cum nobilibus, advenæ cum indigenis admittendi. Item quanta potentia Magistratibus tribuenda, perpetuam an temporariam potestatem habere debeant, & id genus alia.

XIV. Invitos etiam cogi ad Magistratus capiendos, si res postulet, juris ratio dubitare non patitur. Sed hoc usum magis habet in muneribus proprie dictis, quæ sine commodo atque honore continent Reipubl. administrationem. Ejusmodi munera sunt vel *patrimonialia vel personalia* (*n*). Illa quæ sumptibus patrimonii & damno administrantis geruntur. Personalia, quæ animi provisione & corporalis laboris intentione sine aliquo gerentis detrimento perpetrantur. Mixta quæ & corporali ministerio nec sine detrimento expediuntur. Patrimonialia propius ad onera & tributorum similitudinem accedunt, ut præstatio equorum, navium, plaustrorum. Personalia veluti Tutela & Cura, * Centurionum quoque & vexilliferorum in ordinibus oppidanis. Mixtum videtur, exhibitio in armis, operasque & vigilias suo sumtu præstandi.

* *Videndi JCti l. 14. pr. & §. 1. & l. ult. de muneribus & honor.*

(*n*) PATRIMONIALIA VEL PERSONALIA. Amplissimus hic est articulus, & expedit de eo integros consulere tractatûs, cumprimis *Taboris* de *Metat.* ubi pleraque executus est, uti solidè jure *Justinianeo* tàm pandectarum quàm Codicis resolvenda sint: jungi debet huic *Mundius* de *muneribus, honoribus* & *oneribus* & quoad munera *personalia Klockius* nobili de *Contributionibus* Commentario.

XV. Sed hæc à Magistratuum officiis, de quibus hoc loco, satis aliena sunt.

CAPUT III.

De *Judiciis*.

ARGUMENTUM.

Judiciorum necessitas: Quando cessent: Definitio. Judicium quatenus ad Jus publicum pertineat. Divisio prima in civilia & Criminalia. 2. In publica & privata; verum hanc divisionem esse Juris Romani propriam. 3. Esse aut ordinaria Judicia aut extraordina-

ordinaria. Personas judicium constituentes esse tres, Judicem, Actorem, Reum. Judex quid. & quinam Judices esse queant. quod ejus officium. partes & ordo judicii latius explicantur.

I.

Legibus & Magistratibus in civitate stabilitis, Judicia, quorum gratiâ vel maximè instituta illa habentur, statim exercita fuisse nota res est. Ad hoc enim reperta est sacra Legum reverentia, ut nihil proprio ageretur impulsu, adeoque vis abesset, ut bene olim Theodoricus Rex *. Vim autem Cæsar Philosophus ait esse, quoties quis id quod deberi sibi putat non per judicem reposcit **. Et summum præceptum, non esse singulis concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi *. Excepta necessitate, quoties sine certo periculo vel damno judex non potest expectari. Hinc enim inculpatæ tutelæ moderamen omnibus gentium Legibus *ad avertendum vitæ periculum* (*a*) videmus sancitum. Et huc facit, quod debitorem fugientem prehendere, numosque ei extorquere liceat **. Sed extra hos similesque casus a Lege judicii minime recedendum. Improbanda igitur gentium Germanicarum vetus consuetudo, quâ dubiæ controversiæ *pugnis singularibus* (*b*) dirimebantur. Res adeò est sanctissima judicium, quo ultimum in rebus humanis malorum evitatur Bellum. Proinde quod judicis officium Christiano illicitum *Christiani homines* (*c*) sentiunt, nimis longè à prudentia Christianâ recedit.

* *apud Cassiod. lib. 4. varior. epistol. 4.*

** *D. Marcus in l. 13. D. Quod metus causa.*

* *L. 176. d. Reg. Jur.*

** *L. 10. §. 16. l. pen. in fin. D. Quæ in fraud. credit.*

(*a*) AD AVERTENDUM VITÆ PERICULUM. Etiam *cum internecione* aggressoris, vid. Hug. Grot. *L. II. c. 1.* & Rachelium *Disp. 1.* de *Duellis §. 20.* idque in *bonis etiam irreparabilibus*: velut servandô membro nobiliori corporis, item pudicitiâ, imò & ob bona fortunæ; quanquàm non sinè *graduatione*, si ad *vitam* usque nostram intendat, qui *bonis* imminet: ut rectè idem Rachelius *§. 23.* (de quib. omnibus *infra* distinctiùs) Quod vero Grotius docet *L. II. c. 20. §. 8. vindicationem privatam* non omninò illicitam esse, si quando quis jure niti se putet, adeoque tutum illum esse in conscientiâ, quod *Lib. II. c. 7. §. 2.* insinuat; qui cùm probatio in judicio ipsi defuturà sit, rem quæ ipsius est, propriô factô sibi attribuat, illud utique recipiendum non est: nam deficit ejusmodi asserenti *auctoritas* publica, quæ *vindex* mali unica est, & *reparatrix* controversæ inæqualitatis: *Rom. 13.* neque in conscientia illud tutum, quin in *Civili* vitâ ob confusionem & scandala suboritura periculosum

losum. Quid quòd magis consultum sit, jacturam rei pati, quàm malè agere, & cum periculo publici. Non *obstat*, quòd *Israelitæ* vasa Ægyptiorum in retributionem operarum, retinuerint, & hoc adeò Deus ipse jusserit. *Exod. 3. v. 11.* junctô *Sapient. c. 20. 12. 20.* vid. Osiand. ad *d. c. 7.* Grotii. Idem dixeris, in *delictis*: nam hæc vel maximè vindicat publica auctoritas. Pugnat etiam *vindicta propria* cum charitate proximi. Jus naturæ brutale, quod *Grotio* est in oculis, jus non est; & *modus* defensionis ipse in jus naturale *secundarium* incidit. Vindicta verò propria ab illo jure secundario planè aliena est. Repugnat deinde *Grotio Prov. c. 25. v. 29.* Factum *Samsonis* est extraordinarium: nec privata fuit ista vindicatio, cùm ille fuerit vindex populi. Sic & *Maccabæi* publicam personam sustinuerunt. In specie, quod *vindicem sanguinis* attinet, in *veteri Testamento*: non erat hæc vindicta juris moralis & perpetui, sed *forensis*: & legitima erat ira, quâ homicida vindici tradebatur. *Num. 35. v. 19.* Tùm & vindex Carnificis locum subibat, nec poterat interficere occisorem; nisi post cognitionem causæ, & rem sententiâ definitam. Igitur quod Grotius *L. II. c. 20. §. 9.* opinatur, Judicium Zeli sub tempus *Novi Testamenti* reliquias fuisse juris privatim se ulciscendi, illud non minus falsum est: nam seris demum temporibus judicium illud introductum fuit, quod & modô aliquô publicum erat, & non nisi præsentibus ad minimum decem Israëlitis peragendum. *Stephani* verò *lapidatio* fuit judicii publici, hujusque potestas utique tunc temporis adhuc Judæis competebat. Sic & *retaliatio* in V. Test. prohibita fuit (de quo & *inferiùs*) nisi quæ publicâ auctoritate fieret. Denique locus hic de privata vindicta suppleri potest non tantum ex *Commentatoribus in Tit. Cod. quando liceat unicuique sine judice se vindicare aut publicam devotionem*: Sed & ex Tractatu *Struvii*, item *Grackii*, d. *Vindictâ & Auctoritate privatâ* tùm & Armamentario *Taboris*.

(*b*) Pugnis singularibus. Sive *duellis*. Ubi rursus *Hugo Grotius* emendandus *Lib. II. c. 1. §. 15.* quando licitum esse duellum putat: Saltim his casibus 1.) si invasor licentiam concedat dimicandi alteri, aliàs eum peremturus. 2.) si Princeps duos mortem meritos invicem committat: Nam quoad *prius*; alter non potest mihi licentiam dimicandi, & se perimendi concedere; neque hæc est defensio, quippe quæ solùm obtinet, post invasionem, quæ expectanda est. Quoad *posterius*, judicio agendum, infirmior sæpè succumbit, nec ad propriam mortem proximè quis cooperari potest: alter etiam alterum non læsit, & mors eô modo, quo manu mea inferenda, non est minus malum; imò est malum morale, quod nunquam eligi debet. Equidem in *statu Naturali* duellis faciliùs locum faciunt, eò quòd in illo judex non reperiatur. vid. Pufendorff. *Lib. V. c. 13. §. 2.* undè Hobbesius *c. 1. §. 9. de Cive*, in statu naturali quemlibet esse judicem suæ causæ, ait: quod tamen rectè negat Pufendorff. *L. III.* & potiùs *ad Arbitros* provocandum esse vult. *§. 5. & seqq.* id quod fieri debeat juxta *Grotium*, *Lib. II. c. 23. §. 11.* cumprimis ab eo, qui petit, cùm alterum tueatur possessio: nec non idem Pufendorf. *§. 7.* differentiam arbitrorum *à Mediatoribus* exponit. Igitur *H. Grotius L. I. c. 2. §. 2.* statum quendam sibi fingit ante omnia judicia, ubi manu quis suum jus consequatur. Omninò malè. Nam in *Societatibus simplicibus imperiô* res acta fuit; licèt familiari: & imò *Deus ipse* judicis atque vindicis locum in primis familiis sustinuit, ut quoad privatos, admitti non possit Duellum, nec pro causæ diremtione admitti unquàm potuerit, aut possit etiamnum, quod vel Pufendorff. insinuat, *d. c. 13. §. 8.* Constat equidem de duellis, quæ vocant, Judicialibus, quòd, ante *Pacem Publicam* in Imperio constitutam, singuli causas suas per illa diremerint. vid. *Rachelium d. loc. §. 16.* ubi ex LL. Gentium *Germanicarum*, quas ex *Lindenbrogio* citat, ad longum de illis *duellis* agit: quomodo fractâ spathâ se idoneaverint Partes, quomodo item *testes* duellis commissi fuerint ex *Lehmannô, Lib. II. Chron. Spir. c. 30.* & imò quæstiones juris per illa diremptas, *apud* eund. *Lib. V. c. 4.* Quin & *modos* alios dirimendi causas *Criminales* obtinuisse notum est, ùt per *candens ferrum*, per *aquam ferventem*, de quibus optimè *Loccenius* in *Antiquitatibus Sueo Gothicis*. *Torneamenta* vero duellorum nomine non rectè censentur, cùm congressus *hostiles* non fuerint, ùt rectè *Rachelius d. Diss. §. 25.* Sed obtinuère Duella illa per abusum, nec rectè dicta fuere *judicialia*, cùm potius speciem *belli* habeant, & judiciis planè adversa sint: tùm & periculosa sunt, cum effusione sanguinis & occisione conjuncta, & vel maximè ambigua. Durârunt tamen

tamen etiam recentibus adeò temporibus, neque enim *Carolus IV.* post nonnullos Antecessores suos, in totum abolere hoc malum potuit; quippè qui in *c. 17. A. B.* expressè constituit, in cô casu, quando Justitiam impetrare quis non potuisset, eum manu suâ aggredi posse reum, ut tamen ei tres dies antè invasionem denunciet, & hoc videlicet, ut alter se tanquam contrà bellum munire posset, nec instar prædonis actor in eum irrueret: Addidit etiam, non sociis reorum aut familiaribus, sed ipsis tantùm reis, denunciationem faciendam, & in eo loco invadendum esse, ubi domicilium habeat. Quid? quòd etiam debitor Creditori, si destinatô temporê non solveret, potestatem concedebat, mit Raub und Brand (an die Graffschafft, v. c.) zu greiffen; donec felici auspicio *Maximiliani I.* an. 1495. per *Pacem Publicam* oder den Königl. Land-Fried, institutô simul *supremo Judiciô Camerali*, diffidationes omnes sub pœna *banni* tollerentur: cùm quidem anteà etiam in judiciis, velut *Rotwile*, an. 1458. das Kampf-Recht per sententias sæpe decerni soleret. Putat quidem Limnæus *ad §. 1. Obs. 6. A.B. Carolum V.* in *Ordinatione Criminali*, *art. 129.* diffidationes quasd. iterum permisisse: At verò non illæ sunt *diffidationes*, sed speciem *defensionis* privatæ, & quidem *consensu Imperatoris* præsuppositô, ibidem intendi constat, ut diffidatio sumatur pro dehortatione hostis ab insultatione; alioquìn fore, ut se consensu Imperatoris defendat, & injuriam continuò à se ulciscendô propulset: quanquàm plenius *Carolus V.* hac in re per Kayserl. Land-Frieden: Tit. Aufhebung aller Fehden, an. 1548. se exhibuerit. Conf. Friderum Mindanum *Lib. I. c. 25.* Nunc quidem *Duella privatorum* quod attinet, injustitiam eorundem, & effectus *coërcitionum* per varia momenta accuratè expendit, ad Constitutionem Ducis Saxoniæ, *Ernesti p. m.* Franzkius *in Resolutionibus.* Quod autem *summos Principes* attinet, & qui iisdem accensentur, an hi singulare certamen acceptare possint, in casu necessitatis, ad dirimendam controversiam, de quâ cum multo boni publici detrimento & effusione sanguinis Christiani certatur? ambiguæ quæstionis est; saltim ob circumstantias, quæ non facilè junctim reperiuntur, ut affirmativa sententia ipsô factô probari posset. Detinet Theologos exemplum Davidis *I. Reg. 17.* quod tamen vel maximè singulare est. Colorem facit asserentibus, quòd fiat duellum ejusmodi auctoritate publicâ: quòd malum minus sit, ut cùm perimere bello liceat integras legiones, liceat multò magis hominem unum. (Est vero diversa ratio quoad electionem mali in personis publicâ auctoritate congredientibus; nam ita occisio hominis malum morale non est.) Accedit utilitatis publicæ ratio, ut si impares simus exercitu, & res desperata sit: si congrediamur plenô agmine, succumbere nos, & Remp. probabiliter internecioni submitti oporteat: Quæ quidem *Franciscô* Galliæ Rege Carolum quintum ad duellum vocante, cùm locum non haberent, justâ ratione *Carolus V.* duellum declinavit; ut ut Franciscus vel maximè idem, ut exitum res non sortiretur, sollicitè curaverit. vid. quæ collegit Limn. *ad proœm. Cap. Caroli V.* verb durch die Wahl *p. 18. & seqq.*

(*c*) CHRISTIANI HOMINES. *Hug.* Grotius *L. I. c. 2. §. 7. gladii* potestatem Magistratui rectè confert, ex *c. 13. ad Rom.* ubi non tantum est narratio quædam, quòd Magistratus teneat gladium: Sed implicitum mandatum, quòd non frustrà, i. e. *non temerè*, nec *inaniter* gladium gerat, eaque *ordinatio Dei* in genere dicitur; licèt tunc Magistratus non nisi *infideles* essent. Dicitur etiam ad *Christianos*, & quidem quòd *omnis anima* huic Ordinationi subsit. Nec functio ea impia dici potest, quæ à Deo ordinata est, imò *persona*, quæ functionem illam sustinet, *inviolabilis* esse potest, ita ut nemo Titio Magistratui dicere possit, se ipsi reluctari, non etiam *potestati* ejus; nam hæc abstractio intolerabilis est. Nec frustrà dicit textus: *potestatibus supereminentibus*, ipsos videl. *Reges* & *Principes* designandô, non tantùm *potestatem* eorum. *vid. Luc. c. XI. v. 12. I. Petr. II.* Igitur quod *Grotius* postmodùm docet *Lib. II. c. 20. §. 16.* quasi homini Christiano non conveniat, ut officium judicis de sanguine hominis ambiat: in eô videtur *Anabaptistis* propiùs accedere, & potestatem quidem ipsam pro Dei ordinatione agnoscere; (ùt loco superiori,) sed tamen ut Christiani potestatem illam non tantum non ambire, ùt subdolè loquitur, sed nec recipere debeant. Sanè Christus *Math. VII.* non agit de *judiciis* publicis, sed *privatis*, iniquis, temerariis, superciliosis, quæ ex meris suspicionibus, & *contemtu* proximi, nullâque habitâ ratione imbecillitatis humanæ suscipiuntur. Quando vero Magistratum sibi delatum quis susci-

suscipere debeat? quæ quæstio prudentiæ est, *Junius* resolvit in *Quæst. VII. Politica & seq.* Est deindè notandus *H. Grotius*, quando *Lib. I. c. 3. §. 1.* judicia publica non esse à naturâ ait, sed à *factô* humano. Nam utiquè sunt *à natura* in Communi, quanquam in specie quoad hanc vel illam formam sint humani arbitrii; imò Juris divini sunt & *moralis. Deut. I. v. 17.* juxta Præceptum quartum & octavum Decalogi. Sunt etiam Juris *naturalis* ex ipso, quod imperia sint à natura, & hæc etiam ordinem in societate servari atquè *suum cuique* tribui velit. Quoad ipsas *partes litigantes*, homini Christiano coram Magistratu, & sic *judicio contendere* licere, ex *1. ad Cor. 6. v. 4.* dubium non patitur: Nam ibi Christiani in judicio litigare aliter non prohibentur, quàm in casu *scandali*, ut benè *Osiander* ad *Grot. Lib. I. c. 2. §. 8.* & *pleniùs* antè citatus *Junius quæst. 50.* ipseque *Grotius d. l.* quanquam non satis rectè illud *Matthæi V.* exponat, quasi leves injurias, item res minoris momenti, dimittere aliis debeamus. Nam Christus *comparativè* loquitur, quod *potiùs* dimittenda tunica, si ex litibus multò majora mala metui possint; neque nimium urgere Jus quodlibet debeamus, dum *privatim* res agitur, sed potiùs *cedere*, salvis tamen per omnia judiciorum juribus.

II. Definitur Judicium, Legitima causæ disceptatio, quæ fit apud judicem à parte actoris & rei litis finiendæ gratia. In omni controversiâ seu causa duplex est quæstio, facti & juris; facti, an & quomodo aliquid gestum sit, juris, an recte vel secus & quid de eo statuendum.

III. Disceptatio tam de jure quam de facto pertinet ad jus privatum, quod totum circa judicia veluti cardinem suum vertitur. Sed constitutio & ordinatio judiciorum ad jus publicum merito refertur. Quod Prætores Romani non male discrevisse videntur. Namque illi tanquam Magistratus præerant quidem judiciis & auctoritatem illis præstabant & judicata exequebantur, sed ad merita causarum cognoscenda alios judices dabant. Forte & criminalia judicia, quibus vigor disciplinæ publicæ vindicatur, recte *publici juris* (*d*) dicuntur; quare & hodie publico nomine per Fisci procuratores duntaxat vindicantur.

(*d*) PUBLICI JURIS. Licèt enim *criminales actiones* non persequantur id quod privatim interest, (quamvis ne quidem Criminale judicium strictè accipiamus pro eo, quod pœnam corporis ingerit, sed ex sensu Justiniani,) tamen judicium *criminale* & judicium *publicum* variè distinguuntur. Nam *Criminale* dicitur ab *objecto* & *fine*, *publicum* potissimum à causa *efficiente*, *Lege* videlicet *judiciorum publicorum*, ut Lege *Juliâ*, *Corneliâ*, *Pompejâ*. Quin & publica à *popularibus* actionibus discernenda sunt: Nam quoad *efficientem*, Populares à *Prætoris* Jurisdictione procedunt, ratione *objecti* persecutio in illis tantùm *pecuniaria* est, de quâ *actor* etiam participat. *l. 25. ad S C. Silanianum:* quoad *formam* judiciorum *publicorum*, *ordo* singulari planè solennitate constat. Sed *popularium* idem modus est, qui privatorum judiciorum, atquè coram eo institui possunt, cui causarum *civilium* cognitio commissa est. vid. Coll. Arg. *de popul. Act. th. 10.* Durant etiam *populares* plerumquè annô unô, *publica* judicia regulariter 20. annis. *Effectus* deniquè non est in *popularibus* corporale supplicium, quòd plerumquè in judiciis publicis est. Cœterùm judicium publicum non modo à

causâs

causâ efficiente tale est: nam & *lex Cornelia* quædam de *injuriis* constituta reperitur, nec ratione tantùm *subjecti*, quia suspecti Tutoris postulatio hactenus *publica* videri posset: Sed oportet, ut quoad *omnes* causas publicum quid contineat.

IV. Scilicet præcipua judiciorum divisio est, quod civilia vel criminalia sint. Civilia, quibus illi quorum interest agunt ad commodum pecuniarium sibi applicandum. Criminalia, quibus ad publicam animadversionem, hoc est, ad mortem vel cruciatum corporis aut exilium vel mulctam fisco applicandam agitur.

V. Horum alia divisio in privata vel publica juris est Romani non Universalis: Namque hodie, *de cunctis*, ut dictum, *criminibus* (*e*) publicæ accusationes instituuntur. Veteres publica dicebant, de quibus Leges nominatim erant latæ, & in quibus cuilibet è populo potestas experiundi dabatur, eaque certo solennique ordine moris erat institui, quæ omnia fuisse Romanis arbitraria satis apparet.

(*e*) DE CUNCTIS CRIMINIBUS. Equidem Juris universalis adhuc est, judicia in publica & privata distinguere; modò quòd in una alterave Republ. id quòd privatim in judicium deductum est, publicum quoquè fieri possit, non facilè contrà; quanquam *adulteria* quoad subjectum non promiscuè omnibus persequi datum fuerit. Ita *furtum* privatæ fuerat persecutionis, & nunc etiam, si res furtiva extet, eand. repeti posse constat, saltim ut *pœnalis* persecutio quà privata fuerat, penitùs cesset. Nec enim audiendus est Tabor *in Racem. Crim. I. Th. 6. 8.* & *ad art. 17. & seq. Ordin. Crim.* quando actionem furti in *duplum* vel *quadruplum* adhuc obtinere putat: quicquid enim sit de *O. Crim.* sanè per universum Imperium illam actionem in *desuetudinem* abiisse constat. vid. Carpz. *P. II. cr. qu. 77. n. 5.* & Berlich. *P. V. Concl. 43. n. 2. & 3.* Quid quod omnes actiones *pœnales* ex *delictis privatis* solâ *injuriarum* exceptâ, non modò in *Germaniâ* non ampliùs obtinere promiscuè statuant: de quo tamen conferenda sunt, quæ *de usu actionum* Juris Justinianei *pœnalium*, peculiari Dissertatione, *Bergerus* commentatus est. Verum etiam *extrà Germaniam* crimina, etiam popularia, à Procuratoribus *fiscalibus*, aut per modum *inquisitionis*, tractentur, & *damnum* tantùm *pecuniarium*, privatis illatum, quà fieri potest, actionibus communibus Rei vindicationis, in factum, & similibus læsi privati persequantur. Confer Gudelin. *Lib. V. de jure novissimo, c. 14.* & Giphan. *ad l. 18. C. de Transact.*

VI. *Pleræque* (*f*) aliæ judiciorum partitiones quas habent JCti, nobis alienæ sunt, præter unam, qua dicuntur ordinaria vel extraordinaria sive summaria. Illa, in quibus ordo judiciorum solennis observatur, plenaque causæ cognitio intervenit: extraordinaria, quibus nec solennia servantur, neque exacta cognitio adhibetur. Ordinaria in omnibus causis regulariter esse debent, quia nemo damnandus, nisi de quo plane & plene judicibus liqueat. Fieri tamen potest, quoties vel periculum in morâ vel celeritate opus est, aut res agitur non

 perem-

peremptorii præjudicii, vel *inter partes ita convenit*, (*g*) ut brevi habitâ inquisitione & examine causæ, judicis officium interponatur. Talia, omnium populorum consensu, *judicia possessoria* (*h*) habentur, quia publicæ quietis maxime interest, possessiones rerum non nisi publicâ autoritate moveri & expeditissime restitui ac custodiri, nullâ re alioqui ad rixas & tumultus procliviore.

(*f*) PLERÆQUE. Sunt autem multæ, quæ hinc alienæ non sunt, ut quando dicimus, judicium esse *Ecclesiasticum* vel *seculare*, esse *Reale* vel *personale*, esse *conventionale* & *Reconventionale*, item *simplex* aut *duplex*, *universale* aut *particulare*, *Generale* vel *speciale*, *bonæ fidei* vel *stricti juris*, quæ sanè omnes distinctiones in *naturâ* rerum fundata sunt.

(*g*) INTER PARTES ITA CONVENIT. Equidem regulariter invitô Reô ex ordinario processu *extraordinarius* confici nequit. Mevius I. *Dec.* 170. *&* 188. nam *judici* quidem ex justa causâ aliud placere potest Zanger. *P. I. d. except. c. 1. n. 58.* Quid enim si causa minima sit? quid si in ea semiplena probatio sufficere possit? Besoldus. *P. 1. ad jus Würtenb. n. 12.* Sanè in regno *Neapolitano* omnes causas summarias esse *Hodierna* tradit *ad Surdi Dec.* 17. *n. 6.* quod tamen aliter intelligi non potest, quàm de causis illis, quæ indagationem pleniorem non requirunt.

(*h*) JUDICIA POSSESSORIA. Confundit *Auctor cognitionem* extraordinariam cum *processu* extraordinario: nam licèt Prætor seu *Magistratus* ap. Romanos extra ordinem causas possessorias *ipse* expediret; constat tamen si possessionis causa dubia esset, partes *actionem* ex *Interdicto* comparatam deducere potuisse, & hodiè judicium summarium à judicio ordinario, seu *pleno possessorio* per hoc distinguitur, quòd posterius plenam & solennem causæ cognitionem desideret. Quænam verò, ratione *Processûs*, *summariæ* causæ habeantur? cùm quidem omnis regulariter ordinaria sit, (Mevius *I. Dec.* 17.) *ap.* Carpzovium exponitur, in *Processu Tit. I. art. 1. n. 46.* & *Jacob.* Schultes. *in observ. 3.* ubi 150. enumerat. De *Processu* ipso solùm hoc observandum est, quòd malè Pufendorff *L. V. c. 13. §. 8.* asserat, non posse judicem invitam partem adigere, ut patiatur controversiam alterius conscientiæ seu *juramento* committi: cùm enim litigantes arbitrio judicis se submiserint, & finem litium expetant, utique judicis erit, eandem, si probatio deficiat, vel juramento suppletorio vel purgatorio dirimere. Quòd si verò nil planè probatum appareat, tùnc omninò liberum est *partibus*, num ad juramentum procedere, & simpliciter conscientiæ rem committere velint.

VII. Porrò ex definitione judicii liquet, personas id constituentes dari tres principales, judicem, actorem & Reum. Judex est vir bonus, juris peritus, ad lites terminandas publicè constitutus. Fungi possunt hoc officio omnes viri boni & juris periti, quanquam in excelsioribus Magistratibus quandoque toleratur, ut *juris imperitiam* (*i*) ope adsessorum suppleant.

(*i*) JURIS IMPERITIAM. Distinguunt communiter inter Magistratum & Judicem pedaneum, nam *Magistratus* ex censu factos vel auctoritate militari civibus præfectos tradit *Gellius Lib. XIV. Noct. Attic. c. 2. De judicibus* autem vid. *Nov. 82. in princ. & c. 1.* item Bocerum *Classe V. Disp. 2. th. 24.* Hodiè sanè *peritia* requiritur omni modô, vid. *Part. 1.* der Cammer-Gerichts-Ordnung *tit. 3.* & Ordinationes judiciarias communiter; junctô *Dannhauero Part. 1. Theol. conscient. p. 91.*

VIII. Quàm

VIII. Quàm autem justi & injusti discrimen acre judicium & ingenii intentionem requirat, quàm non sine multâ præceptionum memoriâ & subtili applicatione consistat, Romanum jus luculenter docet: Nec tamen hoc in plerisque à naturalis juris consecutione & eo quod cunctis civitatibus conveniat recedere, satis probant, qui licèt obtrectatores Romanæ prudentiæ, optimum illud esse juris Naturalis interpretem fatentur. Nulla igitur ratione Hobbes doctrinam artis Legalis in advocatis necessariam, in judice prope supervacuam existimat, Angliæ potius suæ, quam ingenii humani morem negotiorumque perplexam varietatem, ut videtur, considerans.

IX. Exigit præterea judicis definitio, ut ætas justa, illæsa existimatio & naturales facultates adsint; neque enim surdus aut mutus judex esse potest: *cæcus* (*k*) non facile dabitur, datus tamen quominus remaneat, nihil obstare videtur, quia cœcitas animi perspicaciam adjuvat potius quam obtundit. fœminas ratio communis arcet.

(k) COECUS. *vid.* Bachov. *Vol. 1. ad Treutl. Disp. 8. th. 2. lit. B.* ubi per *l. 3. Cod. de sentent. ex periculo recitand.* coecum simpliciter rejicit, sed malè; cùm hoc ipsum, quod in *l. 3.* habetur, per alium fieri possit, ùt *Donellus* evincit *L. XVII. c. 24.* saltim in his, quæ ocularem inspectionem requirunt, coecus versari non potest; Et tamen hoc etiam per relationem aliorum rectè peragitur. Utiquè cœcus non facilè judex constitui debet, Judex verò *constitutus* & postmodùm cœcus factus, ob hoc removendus non est; si modò rei aliter prospici possit.

X. Officium judicis in genere est, ita judicare, quemadmodum Legibus & moribus est proditum & merita cujusque causæ postulant. Nobilis & vetus est quæstio, si judici aliter de facto constet, quàm ex actis & probatis liqueat, utrum *juxta suam scientiam* (*l*), an ad fidem testium & instrumentorum jus dicere debeat. Imponere illi necessitatem pronunciandi quod falsum & iniquum esse novit, id verò durum neque committendum est. Rursus permittere, ut testes omni exceptione majores præ sua solius scientiâ spernat, exemplo pravum & noxium foret. Siquidem hoc prætextu; quoniam judices, etsi debeant esse boni, sæpe malos vel ambiguos esse contingit; infinitæ tegerentur iniquitates. Plane is qui summam habet potestatem, aut qui datus est ita, ut judicati rationem nullam redditurus (quanquam ita vix potest) merito tutoque scientiam suam præfert. Sed quorum sententiæ retractari possunt, his id nullo modo indulgendum, quia judicati

cati rationem aliis ex conſcientiâ ſua reddere nequeunt, neque ſuperior qui errorem ejus corrigit, aliter de eo quam ex actis arbitrari poteſt. Standum igitur mediâ opinione; faciendum, ut judex eâ cauſa ſe exoneret, ac inter teſtes potius auxilio veritatis adſit.

(*l*) JUXTA SUAM SCIENTIAM. Franzk. *I. Reſol. 22.* & cum eo *Brandmyllerus* in *Manuductione* ad *Jus Canonicum p. 426.* putant, judicem quemcunque, etiam inferiorem ſeu ſubalternum, ſecundùm conſcientiam judicare debere: non enim eſſe probatum id, quod judex credere non poſſit, eiun huic fides facienda ſit. At verò *judici fides* fieri debet, in oppoſitione ad partes litigantes; ſed tamen ita fieri debet, prout ratio *proceſſûs* fidem *ex actis* facere videtur: ſiquidem Judex legibus de proceſſu conſtitutis adſtrictus eſt; aliter in quâlibet cauſa tàm Civili quàm criminali mero *arbitrio* ſuo contrà teſtes & inſtrumenta Judex uti poſſet: quòd abſurdum & in Rempubl. pernicioſum eſt. Itaquè diſtingui oportet, inter Judicem *ſupremum*, quippe qui *Legibus* judiciariis non tenetur, nec ulli mortalium, ſed Deo rationem geſtorum reddit: & inter Magiſtratum vel Judicem *inferiorem*. *Prior* ille ſecundùm conſcientiam utiquè judicare poteſt & debet, tentatis fruſtrà rationibus, quibus probationum modi cum veritatis ſubſtantia concordare poſſent; ſed *poſterior* ſi probationibus quid imputare vel ſuſpectas eas reddere non poſſit, abſtinere causâ potius & rem ad ſuperiorem deferre, ibiquè cauſæ de novo perquirendæ teſtem ſe & inſtructorem præbere debet: quâ ratione veritas faciliùs detegetur. Et deferendus adeò *Dannhauerus* in *cap. 2. quæſt. moral. 5.* quando ſupremum quoquè Judicem ſecundùm acta & probata judicare debere, ſtatuit.

XI. Dein, per omnes judicii partes vertitur officium Judicis, initio ab in jus vocatione facto; quæ rectius multò juſſu magiſtratus per apparitores fit, quàm lubitu privato, ut *olim tumultuariò* (*m*) Romæ. Præter ordinariam illam per Nuncios publicos, eſt & extraordinaria citatio, quæ per tubam vel æris campani ſonitum fit aut per edictum, quoties ad certum reum vel locum certum viatores dimitti non poſſunt: idque maxime *in criminalibus*, (*n*) reo fugitivo, exercetur*. In quibus & apprehenſio magis quam citatio adhibetur. Abſentes, qui ſe nunquam ſtiterunt, damnari, licet moris hodierni ſit, rectius tamen jure Romano comparatum videtur, quo miſſio in poſſeſſionem bonorum abſentis, diſceptatione cauſæ reſervata, fiebat, idque ob urgentiſſimam rationem, ne inauditus damnetur: maximèque in criminalibus hoc obſervandum. Ubi ſemel tamen ſe partes ſtiterint litemque ſint conteſtati, ferendum non eſt, ut inchoatum judicium eludatur**, ſed reo ſubducente ſe, judex ad definitionem procedet. Hæc de reo; Nam ſi actor qui vocavit adverſarium, copiam ſui non faciat, reum pro illo tempore duntaxat abſolvendum res ipſa loquitur.

* *Vid. Nov. 53. cap. 4.*

** *Nov. 69. cap. 3.*

(*m*) OLIM

(*m*) Olim tumultuario. Quod licet *Bachovius* in dubium vocet, tamen *Hahnius n. 2.* ad *Wesenb. de in jus vocat.* ipsi respondet. Et probatur sanè violentam vocationem obtinuisse, in statu *Democratico*, quasi quilibet civium auctoritatis publicæ quid sustineret, ex *L. XII. Tabb. apud* Rittershus. *cl. 3. ad XII. T. c. 1.* verba sunt hæc: *si in jus vocatus non it, testatô eum capito, si calvetur*, i. e. moretur, *pedemve struit, manum in eum jacito.* Göhausen *P. 2. Peric. Acad. 2. qu. 21.* Ant. Faber *ad l. 18. d. t.* in *Rational.* Cujac. X. obs. 10. ubi *Plautus* & *Terentius*. Observarunt etiam morem hunc Hebræi, *Matthæi 18. v. 18*. Itaque non obstat *l. 11. d. in jus voc.* ibi: *pœniteat*. Resp. sufficit quòd obtortô collo fieri *potuerit*, licèt non ubiquè facta sit: & quando dicitur, Patronum non invitum vocatum esse, potuit concurrere propria voluntas; indeqùe vocatio illa facilius per pœnitentiam excusari. Cœterùm in *l. 18. eod.* vox *videri*, ut sæpe aliàs pro *esse* sumitur.

(*n*) In criminalibus. Vid. notata ad *Tit. de Requir. reis vel absent. damnandis*. Nec justitiâ destituitur modus procedendi *ad bannum*: oder auf die Acht, quibusdam locis receptus: & in terris quidem *Saxonicis*, aliter in *Electoratu*, aliter in *Provinciis* reliquis proceditur. vid. rationem procedendi in *Electoratu* Saxoniæ, *apud* Carpz. in Peinl. Inquisition und Achts-Process, & *eund. P. III. criminal. qu. 140.* In Provinciis verò Thüringiæ *apud* Richter. *de success. ab intest. sect. V. p. 122. & seqq.* ubi licèt ante hâc declarati in bannum corpus & vita omnium impetitioni subjiceretur, tamen per Rescripta Principalia modum illum abrogatum esse *Richterus* notat, quippe qui solùm der Reichs Acht relinquendus sit: indeqùe *confiscatio bonorum* unicè obtineat; salvâ tamen legitimâ & portione statutariâ, idqùe nihilominùs aliter ac in *O. Crim. art. 218.* ubi in *solo* crimine *læsæ Majestatis* confiscationem fieri posse, statuitur: adhibe Coler. *Dec. 102.*

XII. In citatione videndum, ne quis ad judicem incompetentem vocetur; quâ in re semper videndum, cui foro Reus sit subjectus; quod non modo æquitatis respectu ubique gentium receptum; sed & publici juris ratio idem inculcat. Insinuatio enim citationis quæ reo debet fieri est actus jurisdictionis, quam is nisi ab suo judice agnoscere non compellitur, ex notissimâ regula, extra territorium suum jus dicenti impune non pareri.

XIII. Sortitur autem quilibet reus forum duplex, ratione domicilii & negotii, de quo agitur. Domicilium non ex origine, ut Romanis visum, sed ex habitatione, juxta quam suprà *capite de civibus* dictum, æstimatur, & in omni causa reum citationi facit obnoxium. Negotium est civile vel criminale. Civile in Rem aut in personam dirigitur. Quod in rem instituitur, ibi judicandum, ubi res est sita. Non quod reus si in alieno habitet imperio citari queat, sed quod missionem in possessionem, si in loco rei sitæ se non defendat, pati debeat *. Actiones in personam contra Reum moveri possunt, ubi contractus est celebratus, vel ad quem contrahentes respexerunt, qui in dubio præsumitur idem ubi res gesta fuit. Nec tamen rursus, vi contractus adversarium alibi habitantem in jus vocare licet, sed oc-

casio expectanda, dum in nostro territorio reperiatur, ut de jurisdictione *superius* dictum. Continentia quoque causarum, de quâ *ibidem* egimus, judicem incongruum facit competentem; & hoc ad negotii subjecti pertinet conditionem. Denique ad hunc locum delicta referuntur, quæ tam ratione loci quo crimen admissum, quam personarum judicantur: scilicet ubicunque deprehensi sunt **, maxime tamen, ubi deliquere, puniendi facinorosi, quod & supra monuimus. Privilegia fori sunt quidem æque juris publici, at peculiaris & civilis, de quibus singularum scita gentium consulantur.

* *Vid. l. 2. C. ubi in rem actio.*

** *L. 1. C. ubi de Crimin.*

XIV. Porro judices ad singulas causas dati identidem ante causæ cognitionem jurant, se integrè & sancte judicaturos; sed ubi perpetuum judicis munus est, sufficit in ingressu officii juramentum præstari.

XV. Post litis contestationem, quæ perficitur intentione actoris & contradictione rei, propria incipit disceptatio & cognitio causæ, & ab hoc tempore judicii appellatio *strictè loquendo* (*o*) inchoatur. Si de facto partes consentiant, de jure saltem ambigant, sequitur decisio immediate. Quod si & in facto discrepent primò interloquitur judex & probationem utrique injungit, quod illi tam argumentis quam testibus & instrumentis satagunt. Et judicis officium est, testes, si nolint, compellere ad perhibendum testimonium. Instrumenta quæ probent publicâ fide composita esse debent, sive apud acta, seu per tabelliones ad eam rem publicè constitutos, quâ in re perniciosa quarundam civitatium negligentia cernitur. Cognita causa finitur sententia, quæ est Ultima judicis de re controversâ pronunciatio continens vel absolutionem rei vel condemnationem tam actoris quam rei. Lis finita, dicitur *res judicata*; (*p*) unde confestim victori actio nascitur. At executio differtur aliquantisper; quâ in re civile fuit jus Romanum vetus, xxx. dies reis pecuniâ condemnatis pro laxamento concedens; Quadrimestre spatium, quod novo jure datum*, nimis enorme; mores hodierni qui parum aut nihil largiuntur asperiores videntur. *Modi* (*q*) quibus sententia executioni mandatur inprimis sunt, abla-

ablatio vel occupatio rei per manum militarem, pignoris capio & distractio bonorum.

* *L. ult. C. de usur. rei judic.*

(*o*) STRICTE LOQUENDO. Quâ videl. ad effectum judicii respicimus, judicati sc. actionem, quæ ex *litis contestatione*, tanquam quasi contractu, nascitur: nam si judicium pro *processu integro* accipias, seu congerie actuum, ex quibus ordo judiciarius conficitur, ita judicium *a citatione* initium capit. juxta §. *ult. Inst. de pæn. temerè litigant.*

(*p*) RES JUDICATÆ. De jure quidem Civili *Justin.* protinùs rem *judicatam* esse dicimus *per sententiam*; undè non immeritò disquirit Collegium Argent. an rectè dicatur sententia in rem judicatam transire? *Tit. de Appellat. th. 15. n. 11.* item, an rectè, cùm appellatur, res judicata, dici queat? id quod *affirmatur* ab eod. *Collegio Tit. de re jud. th. 111. arg. l. 32. in fin. de re jud. l. 14. C. de appell. l. 2. §. 1. de Cond. indeb.* longè aliô sensu atque *Jure Can.* rem judicatam esse dicimus, post fatalia, sc. appellationis interponendæ, præclusa.

(*q*) MODI. Rationem *exsequendi* nemo meliùs explicuit *Colero* in *Tract. de Process. executivis.*

XVI. Impeditur executio per appellationem; quæ nihil est aliud quam Querela super iniquâ sententiâ aliove gravamine, ab inferiore facta ad superiorem. Quæritur, an hoc remedium lege seu statuto civitatis *tolli queat*; (*r*) & responsio est, appellationem proprie dictam rectè tolli; at omne remedium, quo de iniquitate judicum queri aut supplicare liceat, nulla Lege auferri posse.

(*r*) TOLLI QUEAT. Videbatur posse tolli, quia defensio *civilis* est, ùt *Anton. Matthæi* docet ad *Libr. XLVIII. d. Crim. Tit. 17. cap. 5. n. 11.* licèt ad Jus naturale reductivè pertrahatur, ùt omnia, quæ juris positivi Civilis sunt; aliàs enim non posset summa potestas de appellatione disponere, ceu de potestate illâ latè agit *Brederodius P. I. d. Appell. Tit. 11. col. 24. & seqq.* At verò de Summo Principe hìc non disquiritur; indeque rectè plerumque statuunt, quòd nullum *statutum*, quantumvis sit juramento firmatum, appellationem ad judicium superius impedire possit: vid. 𝔈. 𝔊. 𝔒. *P II. tit. 28. §. 2.* Gail. *observ. 135.* quamvis *limitere status* Imperii Appellandi licentiam, veluti per necessitatem præstandi juramentum calumniæ, deponendæ certæ pecuniæ *&c.* non prohibeantur. vid. ℜ. 𝔄. d. an. 1654. §. 115. Nam subditus quidem in unâ alterâve lite *renunciare* appellationi potest, sed non potest ei renunciare *absolutè* & in genere: siquidem hoc jura superioris attingeret vid. Tabor. *ad* Barbosam *Lib. I. cap. 75. axiomat. 2.* frustrà contrarium suggerente *Capollâ*, *cautelâ 37. confer.* Mynsing. *III. obs. 58.* item Clezelium *c. 4. d. Appellat. n. 7.* ubi de gravamine denegatorum processuum; veluti citationis & similium: Quamvis autem per viam *S. Q.* gravamen *denegatæ Justitiæ* proponi debeat; tamen certis requisitis accedentibus, (d. quibus Mynf. *II. obs. 24.* & *III. obs. 57.*) *appellationem* quoque desuper institui posse, *Anton* Faber docet, *L. VII. C. 5. tit. 26. def. 4.* Sed hic distinctione ulteriori opus, ùt exposuimus *d. Gravam. extrajud. c. 3. P. 2. sect. 1. membr. 1. §. 2.*

XVII. Differt ab appellatione Relatio *, quæ duplex est; una cum judex Principem expositâ facti specie super jure consulit; hæc non impedit appellationem. Altera, cum omnia & integra acta mittuntur ad Principem, ut is ipse ferat sententiam, cui sese judex parem

non ſentit & ab hâc non poteſt provocari. Perinde à provocatione differt Querela denegatæ juſtitiæ, quæ immediatè ad Principem fieri poteſt, vel eum qui vicem Principis hactenus exercet.

* *Tit. Cod. de Relation. l. 34. C. de appellat. junctâ l. 1. §. 1. D. eod. tit.*

XVIII. Plures appellationum gradus civitati ſunt noxii; ubi tamen ſunt plures poteſtatum gradus, ibi totidem provocationes fieri neceſſum eſt, quia *per ſaltum* (s) nulla fit appellatio.

(s) PER SALTVM. Vid. tamen casûs, quibus *omiſsô mediô* appellatur, *ap.* Berlich. *P. 1. Concl. 50. n. 67. & ſeqq.* junctô Rodingio *Lib. 1. Pandect. Cameral. Tit. 20. §. 6. & ſeqq.*

XIX. Propter moras & ſumptus judiciorum haud rarò in arbitros compromittitur, qui ſunt privati homines, quos partes eligunt, ut litem inſtar judicum definiant. Horum omnis poteſtas compromiſſo continetur, quod tamen de rebus ad jus publicum pertinentibus, in quibus *crimen aut infamia* (t) ſimilisve cauſa vertitur, concipi non poteſt. *

* *JC. in l. 32. §. 6. de arbitris.*

(t) CRIMEN AVT INFAMIA. Nec enim hæc privati ſunt arbitrii, ne quidem ſi *civiliter* de criminibus ageretur, quaſi ſc. læſo damnum præſtari conveniat: neqûe etiam ex delictis *privatis*, de *actionibus famoſis*, quæ indè oriuntur, compromittere licet. *l. 32. §. 6. ff.* de *Receptis.* Sandius *Lib. V. Tit. 8. Dec. 6.* Ratio inter alias eſt in *l. 63. de furt.* poteſt tamen de contractu ex quo de dolo condemnatum *infamia* ſequeretur, compromitti, *arg. l. 13. §. 5. de his qui not. infam.* quoniam ſc. contractus ejusmodi non ſemper & per ſe infamiam condemnato attrahit.

XX. Sententia arbitrorum non parit actionem rei judicatæ, quoniam hæc publicam ſupponit auctoritatem. * Imo partes, *pendente cognitione* (u), arbitrum deſerere & judicem adire poſſunt. ** Utroque tamen caſu, ſi vel deſtituant eum vel pronunciato ſtare nolint, exigere poſſunt pœnam compromiſſo præfinitam. *

* *L. 1. C. de arbitris.*

** *JC. in l. 30. D. eod. tit.*

* *Cit. l. 30. in fin.*

(u) PENDENTE COGNITIONE. Neqûe enim *litis pendentia* aut *præventio* per compromiſſum inducitur: *l. 30. ff. de recept. l. 2. C. ut lite pendent.* ut proindè exceptio ejus coram ordinario objici non poſſit: *cap. quamdiu d. Appell.* Gail. *1. Obſ. 141. n. 3.* Undè & pendente compromiſsô pars alterutra appellationem coram ſuperiore proſequi valet. Rugiuellus *§. 11. de appell. gloſſa 1. n. 57.*

XXI. Pro-

XXI. Provocatio ab arbitro nulla potest fieri, cùm quia partes suo consensu huic beneficio renuntiasse videntur; tum quia nulla inter arbitrum qui privatus & judicem subordinatio inferioris ac superioris est. *Reductio* (x) quæ fit hodie nec cum juris publici ratione, nec cum naturâ compromissi satis convenire videtur. Verum, ut *è silentio* (y) certi temporis, præsumptio, quod partes acquiescant ac inde actio quasi judicati nascatur, id habet rationem *.

* *L. penult. C. de arbitr.*

(x) REDUCTIO. Admitti demum *Reductionem* in enormissimâ læsione, praxi *Cameræ* (vid. Meichsn. *Tom. 1. Dec. 11.*) nec minùs in *Galliâ* & *Belgiô* receptum est. Regnerus *ad Tit. de recept.* in *Censurâ* §. 5. prout etiam contrà *laudum* ejusmodi per exceptionem doli victus se tueri poterit, *arg. l. 36. d. V. O. j. l. 3. C. de recept. l. 32. §. 14. ff. eod.* R. A. 1594. §. 65.

(y) E SILENTIO. Quod *homologationem* dicunt, sumendô eam pro qualibet laudi approbatione, contrà quam vox illa *l. 4. §. fin. C. de recept.* pro *sponderi* accipi videtur. Et quidem, si subsecutô laudô intra 10. dies contradicatur, omnis vis laudi eliditur, ùt rectè Bronckhorst. *I. ἐναντ. 63.* aliàs comprobatum censetur, si videlicet pœnâ vel stipulatione compromissum munitum non sit: nam ita quandoque præstitâ pœnâ seu eo quod interest, laudum evitare, & *ad ordinarium* procedere licebit, *juxta* Scacciam *d. Judiciis Lib. II. c. 2. n. 408. & seq.*

XXII. Cæterum de personis judicii reliquis principalibus, actore & Reo non est quod agamus. Sponte intelligitur, actorem esse, qui provocat ad judicium, Reum qui provocatur. Utriusque commune est, quod si temere ad litigandum procedant, impensis adversæ partis & aliquando infamiâ puniantur *, præter jurisjurandi religionem, quâ initio calumniæ causâ obstringuntur.

* *Vid. tit. Inst. de pœnâ temerè litig.*

XXIII. Personæ minus principales ad judicium necessariæ sunt, Scribæ, Executores, Apparitores, Viatores, denique Advocati & Procuratores. Ab Advocatis differebant olim *Patroni* (z), hodie utroque munere iidem funguntur, tam consulendo quam voce scriptoque causas adjuvantes. Advocati habent clientes & precibus adeuntur, sed Procuratores mandato constituti pro dominis funguntur, omniaque ad instruendam causam necessaria præter juris patrocinium expediunt. Olim ita juris publici erat advocari & procurare, ut à quovis pro quolibet institui possent, nunc alio sensu publica sunt, ut à nemine quam cui venia data sit, illa munerum exerceantur. Qui-

busdam locis Procuratorum officia & Advocatorum pariter habentur, laudabili instituto, etsi dignitatis speciem minuat advocatis, modo litigantibus compendio sit.

(z) PATRONI. Quanquam *postulare pro se* ipse quis potuerit, etiam reus, plerumque tamen in eo alii, quos *Patronos* appellabant, Clientibus suis præbebant ministerium; *Advocatis* extra judicia & tribunalia causam consiliis instruentibus: donec idem qui consilia præbuerat, causam etiam in foro peroraret, & utrumque adeò munus subiret unus & solus Advocatus: quod quidem *sub Augustis* percrebuit. *Hodie* ad pristinam ferè distinctionem reditum est, & Advocatus plerisque locis non postulat, sed Procuratores patrocinandi munus occuparunt.

CAPUT IV.

De

Judiciis Criminalibus.

ARGUMENTUM.

Animadvertendi in crimina modus duplex, Inquisitio vel accusatio & de ordine utriusque. absentes non damnandos. an reus dum capitur vi resistens jure occidatur: an quæstio per tormenta rationi & justitiæ conveniat. De pœnis, earum divisio triplex. rationes puniendi variæ; & ignoscendi causæ.

I.

QUanquam de judiciis locus superior generalis fuerit, pleraque tamen ad civilia inprimis pertinent, criminalia in multis secus habentur. Modus vindicandi maleficia duplex est, per inquisitionem vel per accusationem.

II. Inquisitio fit immediatè à Magistratu, cum vel delicti *ignotus est auctor (a)*, vel notus quidem, at à nemine postulatur.

(a) IGNOTUS EST AUCTOR. Nempe duplex est *Inquisitio*: *Generalis*, ad hoc scilicet, ut delictum & auctor ejus inveniatur, an & à quo commissum sit? quâ inquisitione etiam eum, qui *inferiorem jurisdictionem* habet, Carpzovius *P. III. qu. cr. 103.* defungi posse, docet: & *specialis*, quæ à *captura* rei de Crimine diffamati vel denunciati initium capit. Equidem generali inquisitione non opus est, quando de delicto & reo constat, sed ad specialem tantùm proceditur Mevius *V. Dec. 302.* Aliquando tamen Judex *injuriarum* conveniri potest, quando protinùs, sine indiciis urgentibus, ad certam *personam* deflectit.

III. Accusatio apud Romanos in certis & gravioribus delictis cuilibet è populo competebat, hodie omnium criminum soli ad eam rem constituto Procuratori persecutio committitur. Non male, siquidem

quidem multa manere delicta oporteret impunita, si è populo *accusator esset expectandus* (*b*). Querela tamen nec hodie privatorum excluderetur, si negligentiâ conniventiâve Procuratoris vigor justitiæ adversus quosdam remitteretur. Quin etsi inquisitio fiat, causa tamen *per modum accusationis* (*c*) & defensionis agitanda & discutienda est.

(*b*) ACCUSATOR ESSET EXPECTANDUS. Quanquam vero jure Justinianeô *inquisitionem* non obtinuisse aliqui doceant; tamen illud falsum esse, Besoldus *c. 18. Proc. Judiciarii* & Carpz. *d. l. n. 24. & seq.* ex *l. 13. d. Offic. Præsid. l. 1. C. d. custod. reor. l. 7. C. de Accus. & Nov. 121.* satis docent; de jure verò *Canonicô* minor dubitatio est *c. 17. 21. & 24. d. accusat.* confer. Brunnem. *c. 1. Process. Inquisit. n. 2. seqq.* nimirum, si accusator non prodiret, utique Magistratus curæ inquisitio commissa fuerat. vid. *l. 2. §. 5. ad L. Jul. d. adult. arg. l. 14. C. de accusat.* Undè *Inquisitio* pro modo *extraordinario*, aliter ac *hodiè*, ubi *ordinarium* judicii genus factum est, habebatur. Et tamen variè servatur: sic enim in Ducatu *Würtenbergicô* generalis quidem inquisitio usu obtinet, sed *specialis* non omnimodè: nam in caus. Capitalibus judex ordinario modô, per viam accusationis, à *Procuratore Fisci* susceptæ procedit, in *non capitalibus* solùm ex officio, & per viam *inquisitionis*.

(*c*) MODUM ACCUSATIONIS. Distinguendum nihilominùs est, an accusator, ante receptas probationes, superveniat: quâ ratione doctrina *Auctoris* procedit regulariter; an post eas: & tunc demum si probatum crimen non fuerit, accusator adhuc admittitur. vid. Carpz. *qu. cr. 107. n. 55.* Econtrà è Processu accusationis Processum inquisitionis fieri, tradit idem Carpzov. *n. 58.* quamprimùm torturam reo imponendam esse decernitur vid. Eund. *qu. cr. 106. n. 97.* id quod malè negat cum *Oldencopio Decad. 1. qu. 6.* contrà *Carpzovium*, Blumlacherus *ad Ordin. Crim. art. 45. n. 3.* quippe quos non juvat *art. 45. 46. 47. 78. 94. & 95. dictæ Ordin. Crim.*

IV. Delati graviorum criminum carceri confestim mancipantur & ex vinculis causam dicunt; ratione manifestâ; Nisi ob qualitatem delicti & personarum reus vel custodiæ militari aut *fidejussoribus* (*d*) committi posse videatur: quod à Judice æstimandum *. Et quidem haud facile sponsor in his, ubi de pœnis corporalibus agitur, admittendus, quia, si fugiat reus, judicium eludetur, quando competens supplicium à fidejussore expeti non potest. Neque verò civilis materia obligationis est inter gentes, ut ad mortem se quis aut cruciatum obstringat, nec denique justitiæ hoc modo satisfieret.

* *L. 1. & seqq. D. & Cod. de custod. reor.*

(*d*) FIDEJUSSORIBUS. Qui locum habent in crimine corporis pœnâ non coërcendo. Blumlacherus *ad Art. 76. O. Crim. n. 8.* quin & *immobilia* reum possidere hoc casu sufficit Carpz. *P. 3. qu. cr. 112. n. 47.* imò in crimine etiam illo, quod corporalem pœnam habet, si ex actis appareat, eam reo metuendam non esse, *fidejussores* non minùs admittuntur. Ubivis autem fidejussores *de judicio sisti* recipiuntur, quando rei copia haberi non potest; quippe quòd in gravioribus etiam delictis, & vel atrocissimis, reo ejusmodi *salvus conductus*, ad oblatam cautionem sufficientem, conceditur: (quæ quidem cautio in *generali conductu* non exigitur: vid. Carpz *P. 3. qu. cr. 112. n. 53.*) Durat autem salvus conductus *specialis* solùm eò usque, biß was Peinliches wieder den Inqui-

Inquisiten erkannt wird, malè dissentiente *Oldencopio Decad. II. qu. 10.* contrà *Carpzovium*, quasi reus à sententia torturæ adhuc appellare possit: nam ita nunquàm salvus conductus, etiamsi sententia definitiva lata esset, finiretur.

V. Absentes non videri damnandos sed innocentiæ perpetuam patere defensionem debere, superius dictum *. Item, ubique locorum, ubi Reus deprehenditur, judicium rectè institui, rectius tamen ad locum admissi, modo requiratur, transmitti, & hoc suprà dictum.

* *L. 1. in pr. D. de requir. reis & absent. damn.*

VI. Si Reus vi resistat aut fugiat, an occidi possit? quæritur; & quidem de fugâ sine morâ negandum est. Si vim opponat, videtur bellum esse; proinde hoc agendum, ut quovis modo capiatur, in quo tumultu Reus cadens, *jure cæsus videbitur* (e).

(e) JURE CÆSUS VIDEBITUR. Quin & si eruptio rei periculosa futura sit Reipubl. aut si in gravi & flagranti crimine deprehendatur, armis se defendentem, citrà mandatum judicis, occidere posse apparitores, firmat Bachov. *ad Tr. Vol. II. Disp. 31. th. 6. Lit. C.* & *Ant.* Matthæi *de crim. Lib. XLVIII. tit. 14.* ubi simul quomodo fugientem in *alieno territorio* apprehendere liceat, disquirit.

VII. Carcere clausus celeriter examinandus judicandusque, ne mala mansio pœnæ loco cedat, nec omnino *excedendum* (*f*) juris Romani biennium sine causâ.

(*f*) EXCEDENDUM. *Conf.* Coll. Arg. *d. custod. reor. th. 9.* Aliquando respectu *patientis*, non item Magistratûs, carcer *pæna* dicitur, *l. 1. & 2. C. eod.* Quòd autem *l. 38. de injuriis* publicorum *vinculorum* mentio sit, de *carceratione* intelligi non debet, sed de condemnatione *ad operas publicas*, Bachovius *Vol. II. Tr. Disp. 35. th. 4. lit. d.* Jure tamen *Canonicô* & *moribus* nostris, qui *lege publ.* probantur, non modò carcer *temporalis* pœnæ cedit, *Art. 157. & 216. Ordin. Crim.* verùm etiam carceres *perpetui* dictari possunt, frustrà *dissentiente* quoad hoc Menochiô *I. A. Q. 89. n. 2. & 3.* de quo *inferiùs*.

VIII. Damnandus verò haud dubie nemo, nisi confessus aut indubitatis probationibus evidenter convictus, quâ in re non modo admittendi testes & instrumenta, sed & artificialia argumenta ex circumstantiis facti desumpta, quæ modo tam clara sint, ut nullum dubitandi locum relinquant *. Nam ex indiciis & præsumptionibus licet urgentissimis, *neminem* unquam *damnandum* (*g*) ratio salutis humanæ omnino flagitat; valetque hactenus regula; præstare sontem dimitti quam innocentem damnari.

* *L. ult. C. de probat. l. 1. §. 4. D. de quæstion. l. 2. C. Quor. appell. non recip.*

(*g*) NEMI-

(*g*) NEMINEM DAMNANDUM. Distinguunt communiter, ut ad condemnandum omninò requirantur in Criminalibus probationes luce meridianâ clariores; *l. fin. C. de probat.* nisi causa sit difficillimæ probationis, & quæ in sensus exteriores non incurrat. *v. l. 5. & 6. de re milit.* & Carpzov. *P. 3. Const. 15. def. 11.* Adeò ut licèt Mynsingerus *VI. Obs. 97.* aut confessum aut *convictum* esse reum oportere, tradat: tamen hoc posterius alii sic etiam intellectum velint, ut *plures imperfectæ probationes* ad convincendum conjungi possint, vid. omninò præ cæteris *Taborem*, in *Tr. d. Quæstionib. p. 123. & 177.* De eo autem dubitandum non est, quòd ad effectum *torquendi*, & faciliùs ad punctum *inquirendi*, imperfectæ probationes sufficiant, velut ipse Mynsingerus *Lib. V. Obs. 33.* rectè docet: ubi non minùs etiam à rigore doctrinæ suæ in *d. Obs. 97.* quoad effectum *condemnationis* remittit, atque conjecturatæ probationi ex præsumtionibus urgentibus locum facit.

IX. Sed gravissima quæstio hæc est, si probationes ad sententiam non sufficiant, an quæstionem de Reis per tormenta habere liceat: Usus temporum fert ita; multi tamen sapientes viri in alia omnia. Multum mihi interesse videtur, *abstracte ita quæsitum* (*h*) ponatur, an hoc modo, sitne Lex justa de tormentis. Priori modo largiendum videtur, non posse justum censeri, ut is de cujus crimine dubitatur nec confessus nec convictus, malum patiatur, maxime cum & insontes hoc præambulo cruciatu ad confitendum haud raró adigantur. Leges tamen de tormentis probandas existimo, modo adsint duo requisita & una cautio. Primum, ut crimen sit grave, quod sine magno Reipublicæ detrimento non potest ignosci. Secundo, ut adsint tam prægnantes præsumptiones, sola ut rei confessio deesse videatur, ut judex, licet ad damnandum progredi nequeat, * prope tamen certus sit animi, sontem esse Reum. Cautio est, ne confessiones extortæ pro exploratis facinoribus habeantur, sed ni cum judiciis & vestigiis facti omnibusque circumstantiis conveniant, fidem ne mereantur. His suppositis, Legem de tortura non esse improbandam, ea nobis ratio est, quâ & aliàs usi sumus, quòd Lex sit ὁμολογία πόλεως, communis Reipubl. sponsio, cui sponte cives se submittere intelliguntur, quam proinde nemo injustitiæ adversus se aut alium quemvis arguere potest. Deliberatio civitati proposita fuit, utrum facinora, de quibus magna præsumptio, non tamen erat liquida probatio, dissimulari vellet, an per tormenta inquiri. Si hoc, metuendum erat, ne non insontes aliquando affligerentur. Si illud, infinita delicta, quæ plerùmque sine arbitris committuntur, impunita manerent, multoque magis crebrescerent; maxime cum ne jusjurandum quidem ob periculum perjurii reis imponi posset. Et hoc consequens nullò modo

Zzz impe-

impediri; prioris incommodum ferè totum evitari poterat, ſi requiſita modo poſita cuſtodirentur. Aut igitur tota civitas perpetuo ingenti incommodo & diſcrimine laborare debebat, aut tale quid recipiendum, unde rariſſime nec niſi exquiſitis caſibus immeritò civis torqueretur. Prius ſine dubio cum gravius, alterutrumque neceſſarium eſſet, pono cunctos cives decreviſſe, recipiendum id in quo minus eſſet malum, & adhibenda tormenta, cautiſſimè tamen; ſeque ſingulos huic ſubjeciſſe periculo, ut ſi quem prægnantibus indiciis (quod tamen nunquam ſine aliquâ culpâ, ſaltem imprudentiâ accidit) circumveniri contingeret, uti quæſtio habenda foret, id, etſi forte nec nocens, pateretur. Malum hoc triſte non turpe erat, ad quod ſua ſe quemque voluntate boni publici causâ obligare poſſe dictum eſt aliàs.

* *L. 1. §. 1. D. de quæſtion.*

(*b*) ABSTRACTE ITA QVÆSITVM. Abſolutè ſc. ſpectatam torturam improbat auctor, reſpectivè & quà per legem tanquàm *ſponſionem communitatis* in Republ. placuit, licitam eſſe ait. At verò hoc eſt re ipsâ torturam *improbare;* in quo multos habet conſentientes. vid. Wiſſenb. *ad ff. d. qu. n. 13.* Beſold. *in Theſ. Pr. voc.* Peinliche Frage. *Anton* Matth. *d. crim. p. 802. Bachovium, Zepperum* & *alios:* argumentô potiſſimum hôc ductos; ſi tortus tormenta pati poteſt, non fatebitur; licèt deliquerit: ſi pati non poteſt, innocens fatebitur: Enimverò inter *rem & rei modum* diſcernendum eſt. Nemo torturam injuſtam dicit, ſi prærequiramus, ut de *corpore delicti* conſtet, ut pœna delicti ſit *corporalis,* ut ad confirmationem potiùs quàm *ad indagationem* veritatis inſtituatur, ut *penè convictus* ſit reus gravibus *indiciis*, minimùm *ſemiplenè* probantibus Nec *Auguſtinus* torturas reprobavit; velut hoc ipſum unà cum cœteris ad *juſtitiam quæſtionum* ſeu torturæ pertinentibus exequitur Tabor *d. Tract. de Quæſt. p. 8. 37. & ſeqq.* ubi *p. 18.* in ſolâ *Angliâ* & *Succia* torturas receptas non eſſe tradit. Exempla Tragica, quæ apud *Oldencopium* in *appendice* Cautelarum Criminal. *apud* Hanedæſium *quæſt. ult. Exerc. Imperialium*, & *alibi* exhibentur, ſi rectè examines, ad regulas *accuratæ* quæſtionis non quadrant, & imò, ſi vel maximè in tot millibus qui torquentur, unum vel alterum innocentem torturam indignè pati contigat: num propterea, ipſas torturas penitùs ex Republicâ eliminandas, ſequeretur? niſi etiam ipſa judicia tollere, teſtes non adſciſcere, & quæcunquè in *humanis* rebus aliquando, licèt rariſſimè, & ferè nunquam, fallere poſſunt, exterminare velis? Cœterùm ex *Auctoris* diſtinctione quælibet, etiam iniquiſſima, ſi *lege* publicâ reciperentur, (quam *ſponſionem* eſſe non niſi certô modô, *ſupra* expoſuimus) juſta dicere liceret, quod abſonum eſt. Videlicet non de eo quæritur, an torturæ quoad *effectum* juſtæ ſint? nam ita injuſta ſæpè quoquè juſta dicimus; velut rem iniquè judicatam; ſed an *formaliter*, h. e. an modus talis ſit, quem *lege* in Republ. introducere poſſimus & imò *debeamus.*

X. *Genus tormenti* (*i*) oportet ejusmodi ſit, quod tranſitorium, licet acrem habeat dolorem, neque membris ſit mutilandis, denique ab ordinariis puniendi modis abhorreat *. Quâ cauſa, quod nonnemo virgas commendat ut efficaciſſimas nec corpori in futurum noxias,

xias, id iis in locis ubi fasces pœna sunt, admitti non debet: alioqui multis aliis βαρβαρικωτέροις torquendi modis virgæ præstarent.

* *Damhoud. prax. crimin. tit. de Quæst. c. 37. in fin.*

(*i*) Genus tormenti. Apud *Romanos* fuerat *equuleus*, vid. Rosinum *L. IX. c. 31.* sed tamen & fidiculæ seu *funes* (vid. Bocerum *de Torturis c. 3. n. 19.*) ùt & nunc adhibentur. Carpz. *qu. cr.* 117. sunt etiam *pondera.* Zangerus *cap. 4. d. tortur. n. 8. Adustio* ignis seu luminum, summum torturæ gradum conficit, nec unquam ille decernitur, nisi in Criminibus nefandis & exceptis. Carpz. *d. l. n. 40.* ne quidem si *plena* tortura decreta fuerit, quam nos exprimimus per formulam: Ziemlicher maßen. Apud *Italos* efficacissimum genus torturæ est *vigilia.* Farinacius *Lib. 1. Criminal. Tit. 5. quæst. 38. n. 17.*

XI. Damnatis pœna infligitur, quæ est *delicti coercitio* (*k*), de qua summa regula est, quod pro quantitate peccati gravior esse debeat, ut tamen crebrescentibus delictis ex usu Reipubl. asperari possit.

(*k*) Delicti coercitio. Aliis *malum passionis*, quale dicitur non minùs, quando quis ad remos & metallum damnatur: nam in his quoquè passio est, ùt rectè Pufendorf. *L. VIII. c. 3. §. 8.* siquidem molesta actio plus ex passione trahit. Cæterùm *d. l.* idem Pufendorff exponit, quâ ratione ad hoc nemo teneatur, ut pœnæ se ipsum offerat.

XII. Nec tamen ad distributivam quæ dicitur, sive ad tributicem justitiam, pœnæ referuntur, verum expletricem, quia & puniens *perfectum jus* (*l*) puniendi, & qui plectitur pœnam perfectè mereri debet *.

* *Grot. l. 2. c. 6. 20. §.*

(*l*) Perfectum jus. At vero non minùs in *Justitia distributiva*, ùt in totâ *Justitia particulari*, jus perfectum reperitur: quo ipsô præprimis à Justitia *universali* distinguitur: & quis in *muneribus*, quæ ad justitiam distributivam pertinent, jus non perfectum esse diceret? Interim ad Justitiam *universalem* illicitorum *pœnas* refert *Rachelius* in *Diss. de pœnis §. 20.* Equidem ad *distributivam* justitiam, particularis justitiæ alteram speciem, eas non respicere, rectè docent communiter; nec enim pœnarum eadem quæ præmiorum est ratio; quanquàm nec *præmia* in sensu strictô accipiantur, dum ad distributivam ea referimus, sed pro *commodis* cujusquè generis, quæ *a Civitate* quilibet civium percipit: quâ ratione *onera*, non item pœnæ, illis opponuntur: quippe pœnæ non debentur Civi *qua civi:* non etiam *personarum* respectus est in pœnis, sub ratione objecti *per se*, licèt *per accidens*, ut majus locarium opificem periculosum, in locatione domûs, pendere oportet; & tamen *Grotius* ne quidem ad *commutativam* justitiam (*Lib. II. c. 20. §. 20.*) pœnas referri posse vult, quia sc. pœna non possit dici *deberi*, aut per eam reddi quid nocenti: quanquàm omninò licèt personæ quid non reddatur, tamen malum pœnæ retribuatur *malo culpæ:* quæ relata sunt, & imò ad commutativam justitiam *debitum* & *creditum*, quod *contractuum* tantùm est, præcisè non requiratur; cùm & *totum jus in re*, & alia multa, præter conventiones, eò referantur. Num E. *peculiarem aliam particularis Justitiæ* speciem, quam Pufendorff *L. I. Elem. Jurispr. def.* 17. §. 4. & *Lib. VIII. c. 3. §. 24. d. J. N. & G.* inducit, *vindicativam* scilicet, recipiemus? ut *damni* saltim reparatio ad justitiam commutativam referenda sit? Nequaquam: sed potiùs distinguendum est, ut si *persecutionem* intueamur, quam Respublica suscipit, eam *universali* Justitiæ relinquamus: siquidem *Reipubl.* delinquens

linquens non quidem ùt Civis, sed tamen *ùt reus*, & *perfectè* quidem, secundùm justitiam universalem, obligatur: ad *particularem* verò vel justitiam illam *correctivam*, quæ commutativa inadæquatè dicitur, referamus exactionem pœnæ, quam quasi *ex* συναλλάγματος, postquam factum infectum fieri non potest; obtinere nos, licèt invitô reô, malumus, fidem seu *perfidiam* delinquentis *secuti*: de quâ re in *Dissert. d. justitia §. 26.* plenius dictum est.

XIII. Pœna triplex à fine triplici non malè statuitur à Tauro Philosopho, νουθεσία, τιμωρία, παράδειγμα.* Primam speciem latine dixeris *admonitionem*, quæ dirigitur ad emendationem peccantis, ideoque capitalis esse non potest; Nam quod ** Seneca dixit, interdum ut pereant, interesse pereuntium, *huc applicari non potest.* (*m*) τιμωρίαν dixeris *satisfactionem*, cum, ut Gellius ait, dignitas auctoritasve ejus in quem est peccatum tuenda est, ne prætermissa animadversio contemptum ejus pariat & honorem levet; nec tantum dignitatis sed & cujusvis causâ juris tuendi intelligitur. παράδειγμα est *exemplum*, cum ideo pœnæ exiguntur, ut unius supplicium metus sit multorum, aliique similia cæteroquin ausuri deterreantur. Forsitan & quartus erit finis, *cautionis*, ne idem qui deliquit nobis aliisve rursus nocere queat; etsi hoc alii ad τιμωρίαν referant; ego verò ad νουθεσίαν malim, est enim medium hoc emendationis.

* *ap. Agell. lib. 5. c. 14.*
** *lib. 1. de irâ cap. 5. in fin.*

(*m*) HUC APPLICARI NON POTEST. Ut nempe ad *emendationem* non pertineat. Locus Senecæ hic est: *ultima supplicia sceleribus ultimis imponat Judex, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit.* Ne videl. in nequitiâ diutiùs hæreat, & quô unô modô potest, desinat esse malus: nam hæc *Senecæ* dictio figurata est, solent aliàs pœnarum fines distingui, ut alius intendat bonum singulorum; quod fit in pœna tam *medicinali*, quæ emendat & hominem puniendum respicit: quàm *satisfactoria*, quæ læsum concernit; alia bonum *Communitatis* intendat, ùt in pœnâ *exemplari*; siquidem in hac etiam declinatio & aversio mali rationem boni habet. Nec ergò boni ratio cessat, si vel maximè pœnæ non alius finis sit, quàm ut malus tollatur è medio; licèt Grotius *Lib. II. c. 20. §. 4.* in hoc casu pœnam remitti posse statuat: & vix unquàm potest fieri, ut tres illi fines eod. tempore & in eod. delinquente simul cessent. Quod verò finem cautionis, quem *Auctor* hic subjungit, attinet, ille plerumque in tertium genus pœnæ illabitur: quanquàm suô modô ad emendationem pertineat: nec tamen eô sensu, quô ab *Auctore* hic νουθεσία accipitur: nam illa ipsa peccantem respicit. At vero non potest emendari, qui è medio tollitur; licèt hoc ipso emendentur alii. Nec etiam ad satisfactionem finis ille respicit aliter, quàm ut in posterum metu liberentur cives mali sibimet inferendi, non etiam ut præteriti mali reparationem eô modo recipiant. Deniquè *H. Grotius d. l.* notandus est, quando malè docet, hominem in puniendo quid propositum habere debere, quod *bonum* sit, Deum verò etiam punire posse, ex nullâ causâ, simplici Jure *dominii*: cum tamen pœna non sit actus dominii, & hoc quoquè Dei dominium non debeat adversari justitiæ divinæ, quæ culpam in puniendo requirit: quâ de re *superiùs* extensè dictum est. De illa pœnâ quæritur, quam *belli* sumunt ab invicem Reges & Respublicæ; videlicet quando *denegatio* ultroneæ *satisfa-*

tisfactionis & violentæ peccati sui seu *iniquitatis* defensio, bellum parit: quod quidem *proprie* effectum pœnæ habere dici non potest, sed *mala* solùm habentur per modum belli illata, in quibus propriis quisque viribus & arbitrio cautionem sibi de futuris injuriis procurat: nec ut coërceatur lædens, alterius cujusquàm, sed directè solùm læsi ipsius, interest, in cujus etiam arbitrio consistit, an injurias exequi velit. Quid quòd cautio bellica definita non sit, sed pro conditione status nostri & hostium sumi soleat, quæ omnia in *pœnis* propriè dictis, & auctoritate *superioris* illatis, secùs habent. Haud dubiè enim *Grotii* sententia illa *d. Lib. II. c. 20. §. 40.* vana est, qui putat Reges posse Gentes adeò *punire*, ut etiam aggredi eas possint ob peccata, quæ Reges illos peculiariter non tangunt, quando immaniter jus naturale & Gentium violent: Neque enim judices sunt Reges illi, neque imperium habent, nisi in subditos, & intrà suum territorium; quin potiùs Deus ea, quæ in contumeliam ipsius vergunt, Ipse vindicabit, suamque perniciem ferent peccantes, quorum crimina etiam alia nil ad Reges alios: vid. *I. Corinth. V. v. 12.* & jussu speciali divinô ejusmodi Reges omninò destituuntur. Nec *obst.* quod *Grotius* dicit, iisdem jus persequendi competere, non quà imperant, sed quà nemini subsunt: nam punitio requirit *facultatem*; hæc vero *positivum* quid est: proinde hostis etiam hostem non tam punit, quàm affligit; neque enim ejus Dominus est aut superior: Pertinet huc disquisitio illa, quæ antehàc auctoritate Caroli V. Imperatoris à viris divini & humani juris peritis super *Expeditione Indica* suscepta est, cui manum accuratiorem imposuit *Sepulveda* senator in *suprema Curia* Hispanicâ *Indiarum*.

XIV. Hi omnes usus in plerisque non capitalibus quæ publice exiguntur pœnis concurrunt, ut est fustium, virgarum, flagellorum, vinculorum castigatio, verberatio. Ad emendationem magis, quanquam & ad reliquos fines, pertinet *damnatio ad opus publicum*, (*n*) Relegatio, interdictio fori aut negotiationis, similisque juris alicujus. Ad *satisfactionem* maxime pertinent pœnæ pecuniariæ his qui læsi sunt applicatæ, παλινῳδία (*o*) in injuriis & reliqua pœnarum genera pro cujusque qualitate, ùt hæc ratio magis aut minus illis quadrat. Ad *exemplum*, pœnæ capitales in primis referuntur, maximè tales quibus & minus sontes quandoque involvuntur, veluti *decimationes* (*p*). Sed & hæ capitales suos gradus habent. Summus olim *crux* (*q*) erat, hodie vivi crematio, dein reliquæ mortium species; quamvis & omne mortis genus rectè summum dicatur supplicium.

(*n*) DAMNATIO AD OPUS PUBLICUM. A quâ differt damnatio *in metallum*, quæ si maximè temporalis fuerit, civitatem perimit *l. 28. §. 6. de pœn.* perpetua vero etiam libertatem. *l. 17. eod.* sed damnatio *in opus publicum* perpetua civitatem adimit. *l. 34. d. t.* temporaria ne quidem civitatem tollit. *l. 6. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Hodiè post *Nov. 22. c. 8.* nullum genus pœnæ libertatem aufert. vid. Wissenbach. *l. 16. & sqq. ad ff. d. pœn.*

(*o*) PALINODIA. Hæc quidem ad *pœnas* referri non potest, nisi ubi actûs singulariter *ignominiosi* adhibentur. Undè nec *criminalis* est actio ad Palinodiam, sed civilis, & rei tantùm, id est, *bonoris* exhibitivi, persecutoria. conf. Philipp. *in Us. Pract. Inst. Lib. IV. Eclog. 23.* & Mevium VI. *Dec. 88.* frustrà dissentiente Mynsingerô *II. Obs. 98.* Hactenus tamen ad *pœnas* referri potest recantatio, quatenus *infamia* recantanti impingitur; quod ipsum tamen etiam in actionibus quibusdam ex contractibus accidit: ut adeò pœnam hanc *civilem*, non etiam criminalem, dicere liceat.

(*p*) DECIMATIONES. Et *sortitiones* pœnarum,

narum, de quibus *suprà* diximus. In universum pœnas ad *talionem* redigunt, quæ quidem omnimodo locum habere non potest. Pufend. *L. VIII. c. 3.* sed duntaxat *analogica*: quanquam ap. *Hebræos* propriè sic dicta talio in membris ruptis, (& tamen hæc non nisi sub *alternativâ*) obtinuerit: *arg. Exod. 21. v. 29. & seq.* ùt & jure *civili*: quô ipsô tamen citò eam in *desuetudinem* abiisse, *Ant.* Matthæi cum *aliis*, ostendit *Tract. d. Criminibus*, in *Tit. d. Injur. cap. 2. §. 2. & 3.* Christus verò legem talionis non sustulit, contrà quam Grotio, *L. I. c. 2. §. 6.* visum est. Nec tamen est necessarium, ut eadem semper inter pœnas, si comparatè spectentur, sit *proportio*, quæ est inter *objecta* per delictum *violata*, sed singulis sua velut seorsim pœna imponi potest, ex usu Reipubl. nec minùs adeò in *occisionem feræ*, quàm hominis, si ita *necessitas* publica suadeat, pœna *capitis* potest statui. Sed, ut ipsa civitas pro lubitu *crimina* definire, & v. c. *duella* pro licitis declarare, possit, ùt *Hobbesius* asserit: illud falsum esse, *suprà* ostendimus. vid. Pufend. *L. VIII. c. 1. d. J. N. §. 3.* ubi quidem furta apud *Lacedæm.* sub declaratione certarum circumstantiarum, puta ut res erepta protinùs aliena esse desineret, permissa fuisse, tradit. Equidem *capitales* pœnas nonnulli planè aversantur: aliqui etiam, ut Zepperus *Lib. V. de LL. Mosaicis cap. 7.* (à quô *inferius Auctor*, *§. 21.* non adeò abscedere videtur) indignè ferunt, si ultrà vitam *exacerbentur* supplicia, & ut pœnarum capitalium discrimen appareat, terrorem *ex simulacris* augeri posse, opinantur: in quo quidem vani, & institutô divino, quô *varietas* pœnarum capitalium in *Vet. Testamento* satis constat, omniumque *Gentium* usui & placitis, adversi sunt. Utique *Grotius Lib. II. c. 20. §. 12.* planè *capitales* pœnas, (eum *Photinianis* sc.) aversatur, quasi sinè illis Respubl. consistere possit: Et tamen desperati vix aliter coercebuntur: non *obstante*, quòd finis earum ap. omnes superstites obtineri non possit: nam aliàs vel uno supplicio capitali à quoquam sumtô protinùs omnes capitales pœnæ desinere possent. Accedit verbum Divinum. *Ps. CI. v. 8. 1. Reg. II. v. 31. &c.* An autem *Lex civilis* in illis tantùm delictis, quæ per *Mosen* morte coërcita sunt, & quæ his paria habentur, jus necis habeat? quam *Scoti* esse sententiam idem *Grotius* perhibet, *Lib. II. c. 1. §. 14.* Illud quidem negandum est, cùm libertati *Christianæ* id repugnet; neque Leges *forenses* nobis absolutè imperent, sed *exemplum* tantùm suppeditare possint; quod ipsum fit non quà Lex Mosis *formaliter Lex* est, adeò ut Jus Civile eidem hactenus præferri possit. Quin imò *voluntatis* divinæ & quidem *perpetuæ* notitia solùm ex eo, quod *forense* fuerat, haberi nequeat. Quidni igitur *Lex Civilis*, ex quolibet delicto, quod ob utilitatem publicam pœnam *mortis* meretur, licèt atrox non fuerit, pœnam capitis introduceret?

(q) Crux. Servilis hæc pœna est & omnium aliquando gravissima habita, quam *Constantinus* piâ ratione sustulit. vid. omninò *Petr.* Fabrum *Lib. II. c. 8. semestr.* plenâ & accuratâ tractatione. Quanquam malè ibidem neget, quòd crucis supplicium Judæis ante tempora Christi cognitum non fuerit, & ligni vox *Deut. XXI. suspendium* notet: nulla autem vox Hebræa præterea detur, quæ crucem designet. Nam *Lipsius* in *Commentatione* peculiari *de Cruce*, *aliique*, probabiliùs contrarium adstruunt. Idem Faber *dictô L. II. c. 7.* erudite rationem *Culei*, Laquei, vivi Cremationis, item damnationis *ad bestias*, exponit: quam ab *objectione bestiis* factâ rectè discernit *Bachovius* ad *Wesenb.* de *Pœnis, n. 3.* & Carpz. *quæst. cr. 128. n. 26.* nec non omne *Fustigationum* genus, *dictus Faber c. 6.* item, pœnam *Fustuariam* & *verberum* plumbatarum, in *c. 8.* tùm & damnationis *in opus publicum* & *metallum. c. 5. ibidemque* Relegationem, & cumprimis quaslibet pœnas *serviles* egregiè expendit. Unicum hoc addendum est, cùm hodiè in pœna capitali *rotæ* & aliquando ipsius *decollationis*, ubique autem *in suspendio*, corpora damnatorum *insepulta* maneant, furcis vel rotis imposita: num illud contrà legem Dei, *Deut. II. v. 23.* non pugnet? Dicendum est, *ceremonialem* hanc fuisse legem, & in *Christo* impletam, nunc quidem cessare. *Galat. III. v. 13.* Quodque moralis illa non fuerit, arg. *II. Samuel. XXI.* constat: undè & *maledictio* illa *in ligno* tantùm *ceremonialis* est, quia in eo *pœnitentiam* agere poterant; ex quâ non maledictio, sed salus oriebatur, vid. quæ *Osiander* notat, ad *Grot. L. II. c. 19. §. 4.* ubi *Grotium* refellit, quando is rationem Legis Mosaicæ in *imagine divina* quærit.

Non capitales pœnæ variæ sunt, quas inter *Confinatio* etiam obtinet. Die Bannung oder Verstrickung ins Hauß. it. *Strapacorda:* de quâ Tabor *in Armament. p. 96.* Membri etiam *abscisso*, ùt manûs,

manûs, linguæ &c. huc pertinet, cùm fustigationi comparetur; indeqùe Nobiles in Saxoniâ pro fustigatione manûs amputationem eligere possint; *ap.* Carpz. *qu. cr. 129 n. 39.* ubi & de *membrorum extensione*, der Wippe ꝛc. nec minùs *ad triremes* condemnatio & ad *carceres* huc respicit: de qua *ad §. 21.* dicemus.

XV. Ex omnibus causis & finibus memoratis pœnas etiam Christianis esse licitas manifestè & ratio exigit & disciplina Servatoris mundi *permittit* (*r*): modo in executione opera detur, ut damnatus spatium pœnitendi & peccata sua detestandi justum habeat. Quanquam autem jure Naturæ pœna à quolibet qui paria non deliquerit exigi possit, ut rectè Grotius * docet, tamen *nec civitatis constitutio* (*s*) neque divinæ Legis sanctitas facile id cuiquam privato concesserint. Unde tamen non sequitur **, accusationes publicas, ut Grotius censet, abhorrere ab officio *hominis Christiani*, (*t*) nisi quod temeritas hic maximè abominanda.

* *Grot. d. lib. 2. cap. 20. §. 3.*

** *Idem d. cap. 20. §. 10. sub fin. & §. 1.*

(*r*) Permittit. Cum *Grotiô* loqui videtur *Auctor*, quando iste *Librô II. c. 20. §. 4. & §. 21. it. c. 24. §. 2. & 3. licitum* tantùm esse *punire*, non etiam necessarium, statuit, & exerceri debere jus ad pœnas *remissiùs*, cùm pœnæ omninò *debitæ* dici non possint. At verò Magistratus loco Dei *vindex* constitutus, tàm non potest condonare, ùt nec Deus potest, intuitu *justitiæ* suæ, nocentibus, quà tales sunt, vid. *Prov. XVII. v. 15.* Estqùe *Magistratus* Custos & executor utriusqùe tabulæ, ad tollendum malum de Israël: neque verò *Patri* judex comparari potest, nam & ille intrà fines *domûs* suæ tantùm versatur, & in delictis *minoribus*. In *Bello* vindicativo remissiùs utiqùe agi potest; sed bellum ùt *suprà* monitum est, *pœnæ* rationem non habet; indeqùe Rex quidem subditis ignoscere non potest, Regi tamen adeò condonare non prohibetur, ùt nec privatus, quò minus privato jus suum aut injuriam remittat: quò ipsô tamen *Aggratiatio* non tollitur: nam hanc circumstantiæ publicæ utilitatis, & certus adeò respectus, admittit; de quô superius. Est etiam H. Grotius *Lib. I. c. 2. §. 9.* notandus, quando dimissionem sceleratorum *Christianæ bonitati* adscribit: de quô inferiùs in *§. 19. & 20.* videbimus. Illud certum est, quod de *pœnitentia* ait *Auctor, hoc loco*, non efficere eam, quo minùs condemnatus, qui pœnitentiam agere detrectat, pœnâ capitali nihilominùs *perimi* possit. Iterumque H. Grotius *L. II. c. 20. §. 11.* emendandus est, quando pœnitentiam ob crimina, *satisfactionem* esse docet: quô ad *Pontificios* propendet. Et tamen contritio ipsa est à Deo, nec mœror est pœna, & quæ à Dei manu post delicta sentiunt pii, non sunt irati judicis, sed patris misericordis, qui post remissam culpam castigat. vid. *II. Sam. XXIV. v. 10. & seqq.*

(*s*) Nec civitatis constitutio. Et quia pœnæ ratio simpliciter obtinere absqùe *imperio civili* non potest, ùt *supra* de pœnis in *familiis* ante civitates admonitum est, quod in eis Magistratûs vicem ipse Deus obierit: hinc non rectè Grotius *cit. loc.* docet: Neque enim Imperium est, ex qualicunqùe delicti habitudine in uno ad alium, sed à Deo immediatè, nec quis ob delictum protinùs adeò est *inferior*, ùt nec comparantur Magistratus & subditi, ùt homines, & ratione qualitatis peccaminosæ, sed intuitu *Officii Magistratûs*. Correctio *fraterna* huc non pertinet; de quâ digna lectu sunt, quæ in *Ordinat. Provinciali Gothan.* reperiuntur: nam illa est actus *charitatis*, & sub eô respectu ad *omnes* pertinet; non etiam est actus *justitiæ*, quo nimirum per punitionem commune bonum inten-

intenditur: nam illa *superioris* est. *Jus vitæ & necis*, quô antehàc in *Republ. Romana* familiarum capita pollebant, particula quædam fuerat *Imperii delegati*: ùt in *vocatione in jus* non minùs obtinuisse *supra* diximus. Non aliter ùt suô modô, si *proscriptum* seu bannitum privatus *enecat*, executor publicæ interminationis esse censetur, atque si non privatô odiô & ex propriâ causâ, sed ut *communitati* prodesset, ad hoc ipsum processerit, *in conscientiâ* tutus est; quanquàm non unâ cautione hic opus sit: ceu patet ex traditis *Taboris* in *Armament. p. 243. & 256.* ubi de occisore militis, qui *banniti* partes fovet, an ille ex *L. Cornelia* teneatur? disquirit. An autem qui *furem nocturnum* interficit, civili lege permittente, in conscientiâ tutus sit? de eo vid. Grotium *L. II. c. 1. §. 14.* sanè quando Lex *dolori* solùm indulget & indignationi, adeoque pœnam tantùm humanam tollit, non vitium actûs: tunc *conscientiam gravem* esse, ùt in maritis adulteram uxorem atque mœchum occidentibus, *Ant. Matthæi*, arbitratur in *Lib. XLVIII. d. Crim. Tit. 5. c. 2.* contrà quàm *Auctor* in *§. seq.* docuit. Prout verò puniendi facultas privatis non competit: ita etiam de *justitia* pœnæ judicium sibi sumere ipsi non possunt: Unde nec eorum traditio vera est, qui volunt *Carnifici* causæ *merita* cognita esse debere; saltim ei non apertè de injustitiâ constet; Utique enim injustum apertè judicium nemo debet exequi, sed ut Principis animus aliò flectatur, tentandum est. *Deut. XVII. v. 7.* & H. Grot. *L. II. c. 26. §. 4.*

(*t*) Hominis christiani. Nil facit pro *Grotio*, quòd justus dicatur *Josephus*, dum *Conjugem* suam *Mariam* deferre noluit, nam justus hinc dicitur, quòd re nondum penitùs perfectâ noluerit. Cæterùm ab accusationibus quandoquè expedit *abstinere*, non quòd accusare per se illicitum sed quòd periculò plenum sit; cumprimis olim ob inscriptiones in crimen, & nunc ob emendationem damni & injuriæ.

XVI. Quandoque etiam publica autoritate jus puniendi *privatis permittitur*, (*u*) non modo ad emendationem, ut parentibus & propinquis, sed & ad satisfactionem & exemplum, ut Pater in filia adulterâ, atque olim indistinctè, etiam maritis in uxores & dominis in servos; quæ Leges quare conscientiis securitatem præstare nequeant, si vitiosi absint affectus, nulla ratio apparet.

(*u*) Privatis permittitur. Pufendorffius *L. VIII. c. 3. §. 1.* fatetur, neminem privatorum Jus puniendi habere, & rectè hactenus: at verò quando putat posse universos in Republ. per conspirationem quasi producere facultatem puniendi, & eam Principi conferre: prout nemo solus harmoniam conficere possit, ita verò cum aliis Recentioribus ad Principia sua respicit, quibus Imperium summum à populo procedere statuitur: de quo *superiùs*. Illud rectè docet, quòd nemo facultatem habeat *se ipsum puniendi*. Quâ ratione autem *Parentes* in *liberos* Jurisdictione valeant, & *pœnali* quidem olim in *Republ. Romanâ*, de eo non minùs *alibi* dictum est: nec enim solùm mortem inferre liberis poterant, sed & relegationem illis indicere, ùt *Petrus* Faber *Lib. II semestr. c. 5.* tradit. Postmodum *Justinianeis* temporibus liberos judici tradere, & pœnam ei dictare poterant, si modò delictum *ad injuriam patris* pertineret. vid. *Ant.* Fabr. in *Cod. Sab. VIII. 33. 1.* quod tamen ipsum ne quidem *usu* nunc servatur: Carpz. *P. III. q. 100. n. 35.* utiquè *carcere privato* liberos detinere possunt: de quo Mevius *Lib. 1. tit. 3. ad Jus Lubec.* Quòd si tamen pater *Jurisdictione* publicâ, & quidem *patrimoniali*, præditus sit, an tunc Jurisdictione illâ in *conjugem* & *liberos* uti queat? latè exequitur Mylerus *c. 22. Gamologiæ*. Junge etiam, quæ in *Diss. de mero imperiô*, notata sunt.

XVII. Cæterum puniuntur non quilibet actus vitiosi, sed qui *humanam lædunt societatem*, (*x*) quam quo magis violant, eò vindictam gravio-

graviorem esse oportet. Spectari tamen debent causæ * quæ impulerunt, quæ retrahere debuerunt, aptitudo personæ delinquentis, ad judicandum de illis; locus & tempus perpetrati delicti, qualitas & quantitas facinoris, itemque eventus qui subsecutus est, quæ omnia latius exequi non est hujus loci. Denique *cogitationis pœnam* (y) neminem pati recte docent JCti**, quoniam actus interni Deo soli subjiciuntur; at qui in effectum deduci cœperunt pœnis & solent affici atque etiam debent.

* *Grot. d. l. §. 29. 30. & 31.*

** *in l. 18 D. de pœnis.*

(x) HUMANAM LÆDUNT SOCIETATEM. Idem sentit *Grotius L. II. c. 20. §. 20.* At vero peccata, quæ propriè delinquentis *naturæ* nocent, non minùs punienda sunt, quia non solùm magis lædunt & propiis, sed *exemplô* etiam nocent, & hônestati publicæ adversantur. Est etiam falsum, quod *Grotius* ait, *vitia* virtutibus quæ *cogi non* possunt opposita, ùt sunt misericordia, gratitudo, puniri non debere: sic enim avaritiam, ambitionem, invidiam, superbiam, impunem esse, tanquam vitia animi, quæ sinè eversione civitatum puniri, nisi in actûs enormes eruperint, non possint; Nam *imbecillitates* quidem humanæ vindictæ publicæ non subjiciuntur: si tamen notabile quid ejusmodi vitiorum advertatur, *Censores* non tantùm *Romani* id ipsum compescebant; sed *hodiernùm* vitiis illis suæ coërcitiones, licèt non criminales, (quod nec fieri convenit,) imponuntur.

(y) COGITATIONIS POENAM. Nam cogitatio actus internus est, soli Deo cognitus, si tamen actus internus cum externo *junctim* æstimetur, tùnc *internus* ad pœnam maximum momentum adfert: vide de cætero, quoad cogitationem prorumpentem, (de *Conatu*,) integram Dissert. *Taboris*, & tradita Ziegleri *ad Lib. II. Grotii cap. 20. §. 39.* De *mandatoribus* delicti hoc solum adversus Grotium *L. II. c. 17. §. 11.* notandum est, quòd malè Idem doceat, mandantem *primo loco* teneri: nam licèt rectè se habeat, quòd mandans & mandatarius, tanquàm in genere *morum*, teneantur *ad æqualia*; tamen potius est, ut patrator ipse, qui causa principalis, *physica* & *immediata* est, pœnæ cumprimis subjiciatur. *Auxiliatores* delictorum quomodo teneantur, *Grotius* etiam citatô *cap. 17. §. 11.* exponit, & longè distinctiùs *Nostrates.* vid. post Carpzovium *Ant.* Matthæi & *cæteros*, Taborem, in *Armament. p. 222. 263.* & *multis seqq.*

XVIII. Id autem ex omni hac disputatione facile intelligitur, non alium quam *ipsum delinquentem* (z) esse puniendum, neque ad posteros quicquam pœnæ propagandum: quanquam incommoda pœnæ parentibus inflictæ liberos premere possunt, veluti ex public. bonorum egestas eorum consequitur; quæ tamen hoc nomine reprehendi non potest, quasi personam delinquentis egrederetur.

(z) IPSUM DELINQUENTEM. In pœnas *divinas* hic plerumque introspicere solent DD. Et quidem *Reformati* supralapsarii Deum maximam hominum partem, sinè intuitu peccati, ad æterna Gehennæ supplicia damnâsse, statuunt: quam sententiam horribilem appellat Jansenius, *Tomo II. lib. 3. c. 1. §. 5.* vide specimen *Jansenismi* ab *Osiandro* editum, & quæ nos *supra* de *Jure D.i* notavimus.

vimus. *Arminiani* non quidem *merò* Dei imperiô cruciatibus affici, sed tamen vitâ temporali privari nos posse, asserunt, idquè *absolutò Dei jure* in vitam hominis: quam quoquè sententiam *H. Grotius* hinc indè sequitur: sed tamen hæc ipsa, in Tractatu *pœnarum*, nec quicquam locum habent; undè *superiùs Grotium* rejecimus, quando in *Lib. II. c. 21. §. 14.* tradit, quòd Deus *in posteros* pœnam porrigat, non *vi justitiæ*, sed *jure dominii*. Nam utiquè pœnæ illæ divinæ respiciunt peccati antecedentis *meritum* & gravitatem, nec ratio alia in sacris suggeritur, quam quod Deus sit *Zelotes* aut *vindex*: *Exod. XX. v. 5* adeò ut in punitis culpam subesse necesse sit, & subfuerit etiam in Exemplis, quæ Sacrô Dei verbô prodita sunt; quippe quòd in illis filii aut populus *peccantibus communicaverint* positivè & negativè, sicquè per imitationem, consensum aut conniventiam, quæ omnia moralem causam conficiunt: undè ad eam usquè generationem porrectas esse pœnas videmus, in quâ adhuc sceleris vigebat *memoria*. Non *obstat*, quòd Ezech. *XXI. v. 8. & 9.* habetur, Deum *cum injusto justum* punire: nam hoc quoad *subjectum*, *comparativè*, non absolutè, & quoad *prædicatum* seu punitionem ipsam, ne quidem absolutè accipitur: prout etiam locus *Genes. XVIII. v. 23.* non simpliciter, ut jacet, intelligi potest, cum etiam injustum sit, multitudini malorum parcere ob manipulum bonorum vid. Grot. *L. III. c. 2. §. 1.* qui in hoc argumento non simplici vice labitur: ut quando ait, Deum solùm illa in posteris punivisse crimina, quæ in *ejus contumeliam* patrata fuerant: *d. c. 2. §. 14.* Nam contrarium ex *Gen. IX. v. 25. II. Sam. XII. v. 15. Daniel. VI. v. 24.* apparet. Similiter, quòd tradit idem Grotius, in *N. T.* Deum in posteros pœnis non invehi: Nam & Deus hodienum *Zelotes* est, & ipsi *Judæi* crediderunt, supplicia etiam suô tempore à Deo ad liberos pertingere posse. Matthæi *XXVII. v. 25. Joh. IX. v. 2.* Quantum vero attinet ad ipsum *Magistratum*, & an ille *ad liberos* & *familias* extendere seu porrigere supplicia possit? de eo graviter disserit *Petrus* Faber *Lib. III. Sem. c. 3.* & nos *cap. seq.* eâ de re dicemus. Interim notandum est, quòd pœna ob delictum *Universitatis* non semper exigi possit, v. c. post duas aut tres generationes: prout nec dici potest, *primò* & *per se*, de civitate, quòd deliquerit: Sed eâ ratione, quâ collegium doctum elicitur, in quo non omnes æquè docti reperiuntur, ùt Pufend. *L. VIII. c. 3. §. 29.* rem explicuit, qui & *§. 29.* de *fidejussoribus* delinquentium benè docet, quòd illis *pœna* infligi non possit.

XIX. Cæterum non modo jus habent qui civitati præsunt delicta puniendi, sed & auctoritate summi Legislatoris ad hoc *tenentur*, (*a*) ne delectari peccatis, saltem haud improbare videantur. Quæ tamen ratio, ubi manifesto cessat, non est scelus, ignoscere delinquentibus, si utilitas Reipubl. non ferat severitatem. Nam ex gratiâ, licet externo jure facultas illa Principi competat, pie tamen atrocibus delictis impunitatem dare non potest; sed in mere civilibus *regnat ejus arbitrium* (*b*). De levioribus etiam ferri potest, ut ob publicam lætitiam aut principalem festivitatem generali abolitione coloni carcerum dimittantur.

(*a*) TENENTUR. Equidem *deberi* non posse dici pœnam *suprà* diximus, quia debitum non est inter Magistratum & subditum, quà tales sunt; nec pœna *delinquenti* propriè debetur, sed ipse eam debet Reipubl. Franzk. *ad ff. Tit. de J. & J. n. 13.* In cœteris ait, jus suum cuiquè tribui, quod sinè injuria ei denegari nequeat; in *delictis* vero tribui, quatenus ab ea quis sinè alterius injuriâ immunis esse non possit. Malè autem *H. Grotius Lib. II. c. 20. §. 22.* facilè à pœna abstineri posse docet, in delictis *occultis*, item ob merita delinquentis, & ob *charitatem Christianam*: cùm quidem sufficiat etiam occultis delictis proximum lædi, nec Judicis sit ad *merita* delinquentis extrà delictum respi-

respicere, multo minus ob *insigne artificium* delinquenti parcere; de quô *Ant.* Matth. ad *l. 31. d. pœnis lib. 48. d. crim. tit. 14. c. 5. n. 7.* utque justitia *charitati Christianæ* haud unquam repugnat: Ita *Stoici* non rectiùs docent, quòd nunquam ignoscere liceat: nam hoc extraordinariè quandoque fieri, Reip. interest, etiam in his, quæ *merè civilia* non sunt; de quo tamen vid. ipsum Grotium *L. II. c. 20. §. 2.* & quæ de *Aggratiatione alibi* diximus.

(*b*) REGNAT EJUS ARBITRIUM. Pertinet huc elegans disquisitio *ad L. 13. de pæn.* quô sensu accipiendum sit, quòd hic JCtus hodiè omnia crimina *arbitraria* esse doceat, quam secundum *legem 1. §. 4. ad SCtum Turpillianum* accuratè instituit Tabor *in Racem. crim. ad art. 158. Ord. crim. th. 6. p. 457.*

XX. Nam *privatæ abolitiones* (*c*) quæ jure Romano noscuntur cum accusationibus privatorum sepultæ sunt. Perinde ac transactiones, quibus rei capitalium criminum apud Romanos, accusatores suos *impune corrumpebant*; (*d*) quanquam & hodiè cum his qui læsi sunt pacisci nemo prohibetur: sed procurator fisci qui solus accusat, *grande nefas* (*e*) transigendo committeret.

(*c*) PRIVATÆ ABOLITIONES. Similia tradit *Argentræus* ad *Consuetudines Britann. art. 274. n. 7. & seq.* & ex eo *Wissenbach ad SCtum Turpill.* item *Gilhaus. P. II. Arboris crim. c. 3. n. 20.* sed dissentit Dion. Gothofr. *ad d. tit. in not.* nec apparet ratio, vel textus aut consuetudo solida, quâ jus hoc *abolitionis* sublatum sit: quin potius, quoad usque accusationes criminum *a privatis* suscipi possunt, *abolitionem* quoque superesse necesse est; prout quidem jure Saxonico pœna illi constituta reperitur, qui *sine abolitione* ab accusatione destiterit.

(*d*) CORRUMPEBANT. Malè *corruptiones* appellat *Auctor*, quod ratione sanguinis redimendi constat. De quo, ùt & hodierno jure, de crimin. *transigendi* in *Disp. de Transact.* diximus. De *Asylis* quoque hîc agendi locus est, quem *suprà* præoccupavimus. vide interim de *Ecclesiis* & *Statuis Principum*, quousque securitatem eò confugientibus præbere debeant, *Seldenum* de *Jure N. L. IV. c. 2.* & de *abusu* hodierno maxime Pontificiorum, Zieglerum *L. II. ad Lancellot. Tit. 20. §. 6.*

(*e*) GRANDE NEFAS. Et tamen *Fiscalem* non tantùm in Imperiali *Camerâ*, siquidem de pœna *pecuniariâ*, i. e. fiscali, agitur, transigere posse, satis constat, ex Gailio *1. Obs. 114.* ibique *Gravero* in *Considerationibus*: sed etiam *alibi* simile quid receptum est; saltem quòd in pœnis *non fiscalibus*, ut corporis, & similibus, *Auctoris* sententia valeat.

XXI. Morte reorum crimina *pœnasque deleri*, (*f*) cum ad heredes nunquam transeant, per se clarum est. Et mortem supplicio irrogatam convenit humanitati esse momento transitoriam. Crux antiqua, vivicomburium, laniatio & contusio articulatim facta, per famen enecatio, similesque parum memores legum Christianarum videntur. Terror quidem ex apparatu & species major ex circumstantiis quæri potest; Sed in ultimâ horâ quâ transitus ad æternitatem committitur, non erat magnitudine doloris animus lacerandus & pene adigendus ad desperationem. Modi quoque custodiendi reos criminum à pœnis diversi esse debebant, ideoque *carcer maxime perpetuus*

tuus (*g*) non immerito ab Romanis & veteribus cunctis fuit improbatus ad pœnam.*

* *Ulpian. in l. 8. §. 9. D. de pœnis.*

(*f*) POENASQVE DELERI. Tantùm quòd in Crimine *repetundarum* & *de residuis*, accusatio, quoad quæstionem pecuniariam, ad hæredes jure Romano jam porrecta fuerit.

(*g*) CARCER MAXIME PERPETVVS. Nunc autem non modò *carcer temporalis* pœnæ cedit. *Ordin. Crim. Art. 157. & 260.* Verùm etiam *perpetuos carceres* in pœnam sæpiùs decerni videmus. vid. Richter. *vol. 2. Consil. 346.* saltim quòd in eo non exigua resideat difficultas, quemnam effectum ratione condemnati, quoad *bona* & *causas civiles* perpetui carceres habeant? Equidem illis comparantur sæpius hi, qui *ad Triremes* alibi condemnantur, vid. Merlin. *in Controvers. forens. c. 52.* in quibus distinctio illa magis probatur, ut licet ad tempus *ad Triremes* condemnati civitatem non amittant, tamen aliud etiam *in perpetuum* eò damnatis obtineat: ùt Peregrinus *Lib. III. de Jure Fisci tit. 4. n. 5.* de his quoque sentit, qui in perpetuum ad carcerem condemnati sunt, sive *Laici* sive *clerici* fuerint, ac proindè activas & passivas *actiones* eosdem amittere docet: id quod tamen hactenus solùm recipiendum est, si *bona* eorum simul *publicentur*, ut rectè *Petr. Gregorius, in Lib. XLII. Syntagmatis c. 8. n. 12.* quem *Barry* in *Tract. de success. ab intest.* aliique secuti sunt. Nec tamen, licèt bona eorum non publicentur, condemnatos tamen ejusmodi *testari* posse *Dd.* admittunt, absque peculiari concessione Principis, Castill. *Decis. 37. n. 20.* id quod fortassis *in Germania* quoad condemnatos ad *perpetuum carcerem* secus habet, quippe quòd testari etiam jure Communi, nunc qualem receptò, regulariter iis, qui *capitis damnati* sunt, permissum sit. Illud certum est, quòd ea quæ *juris G.* sunt, ne quidem in perpetuum ad carceres aut Triremes damnati amittant; idque post *Nov. 22.* & postquam *pœna servitus* planè sublata est.

CAPUT V.

De

Pœnis variorum criminum.

ARGUMENTUM.

Crimina rectè dici publica vel privata, at alio sensu quam judicia publica aut privata jure Romano, publica esse Majestatis, Peculatus, Repetundarum, Ambitus; Annonæ, Concussionis & Residuorum. Privata, Adulterium, Stuprum, Homicidium, Parricidium, Vis, Falsum &c. de quibus singulis speciatim.

I.

TAmetsi divisionem judiciorum in publica & privata nuper esse juris universi negavimus, tamen alio sensu non aliena id genus partitio videtur. Ut publica sint quæ immediatè lædunt Rempublicam, privata, quæ directè singulos violant, civitatem per consequentiam.

II. Prioris generis est crimen Majestatis, Peculatus, Repetundarum,

darum, Ambitus, Annonæ, Concussionis & Residuorum. Posterioris sunt, Adulterium, Stuprum, Homicidium, Parricidium, Vis tam publica quam privata, Raptus, Falsum, Magia, Plagium, Abigeatus, Furtum, Rapina, *Injuria*, (*a*) Stellionatus &c.

(*a*) INJVRIA. Ne quidem si *realis* est, judicium publicum illam propriè efficere, (licèt post *L. Corneliam*,) *suprà* diximus. Interim *hodiè* ubi non minùs per inquisitionem injuriæ *reales*, & quidem *atrociores*, vindicantur, indequè ad Jurisdictionem superiorem, oder die Ober-Gericht, pertinent, (vid. Carpz *II. quæst. cr. 99. n. 3.*) ad *publica* judicia suo modô non malè referuntur. Cæterùm Crimina, quæ *privata* appellat Auctor, omnia sic habent, ut ex quolibet eorum etiam *privatæ* possint dari atquè *civiles actiones*; secùs ac in illis, quæ *eximiè* publica sunt, quippe quorum nomine præter eam, quæ ex *L. publica* in quibusdam criminibus competit, ex privatis nulli datur *quà privata* persecutio, nisi quòd de *concussione*, quæ & ipso jure Rom. inter publica judicia non simpliciter, sed ad *extraordinaria*, quæ modò quodam talia sunt, referenda est, aliud asserendum sit: vid. *t. t. ff. d. concussione*, junct. Wehner. in *supplemento Observ. Pract. p. 10.* ubi & de affini crimine *barattariæ*, quando judex officium non facit nisi pro pecunia; item Taborem, *d. suffragio, p. 188 & 190.*

III. Crimen Majestatis admittitur à subditis contrà summam potestatem, *estque duplex* (*b*). Majestatis in specie vel Perduellionis. * Hoc dicitur, cum quis animo hostili adversus Rempubl. aliquid machinatur, ut hi qui seditiones in urbe vel exercitu movent, qui armatos habent, qui hostes adjuvant, aut consilia literasve cum illis communicant, etiam qui Magistratus præcipuos publicâ de causâ occidunt, maxime qui vitæ Principum insidiantur, & alii plures. ** Majestatis in specie vocatur, cum quis jura summæ potestatis sibi, at sine hostili intentione usurpat, ùt is qui monetam cudit, qui privatim carceres habet, vectigalia colligit, &c.

* *JCti in l. ult. D. ad L. Juliam majest.*

** *JCti in l. 1. & seqq. D. eod. tit.*

(*b*) ESTQVE DVPLEX. Hanc distinctionem quâ ratione *Nostrates* exponant, videre est *apud* Ant. Matthæi *de criminib. p. 313.* & Theodoricum *Disp. V. crim. th. 2.* junctô Zieglero *integr. Diss.* & Jac. Gothofredo *ad L. Quisquis. C. ad L. Jul. Maj.* utique Romani Principes posteriori specie in immensum *abusi* sunt: quod detestatur *Forstnerus* ad *Tacitum p. 250.* Longè rectiùs Nostrates statuunt, quòd ne quidem verbis seu *maledictis* crimen Majestatis committatur, vid. Carpz. *I. qu. cr. 41. n. 113.* nisi *ad seditionem* spectent, ut Schützius tradit, *Exercit. 25. th. 6.*

IV. Pœna Majestatis simpliciter læsæ est capitalis, genere mortis leniore aut terribiliore pro meritis admissorum: qua parte quod vivicomburium in privatos monetæ percussores statuatur, etsi probi sint nummi, id neutro modo habet *æquitatem* (*c*). Perduellionis apud pleras-

plerasque gentes pœna non modo personas deliquentium, sed & liberorum *& propinquorum* (*d*) feriebat, cujus rigoris vestigium in jure Romano superest. * Sed hoc quidem præter rationem justitiæ humanæ atque divinæ; non sufficiente ad approbationem, quod dicitur, fore, uti caritas liberorum parentes amiciores Reipubl. faciat, similibusque ratiunculis.

* *L. quisquis. 5. C. ad L. Jul. Maj.*

(*c*) ÆQVITATEM. At vero *arbitraria* pœna, non etiam vivicomburium huic speciei præstituitur, *Art. III. Ord crim.* vid. Carpz *L. 2. qu. cr. 43. n. 10.* ut nec idem supplicium obtinet, si quis Principis alterius signum *Monetæ* ex justâ materiâ fabricatæ imponat: in quo *Bocerus* lapsus est, qui in isto casu pœnam *ignis* obtinere putavit: Nam vocabulum Zeichen *Art. III. O. Cr.* ad eos tantùm respicit, qui ex injustâ materiâ monetam conficiunt, vid. Carpz. *d. l. n. 27. & seq.* adeò ut etiam is, qui grandiorem monetam resolvit, ut inde minorem cudat, in *art. III. arbitrariè* tantùm puniendus sit. Et quamvis *Ferdinandus I.* sub pœna ignis illud prohibuerit, in R. A. 1559. §. Wir ordnen, magnâ necessitate, quæ nunc quoquè imperium premit, eò perductus: tamen illam pœnam *Scabini Saxonici* nunquàm observarunt; ùt idem notat Carpz. *d. l. in fin.*

(*d*) ET PROPINQVORVM. Nam Persæ & Macedones etiam propinquorum *capita* devoverunt ob crimen perduellionis, quos *H. Grotius L. II. c. 21. §. 15.* crudelitatis accusat; quanquam, ùt ibi notat *Osiander*, malè *Danielis caput* hanc in rem citaverit. Utiquè quod in *L. 5. C.* de speciali lenitate *Impp.* dicitur, quâ *vitam* liberis conservent, in terrorem ita constitutum est, & in relatione ad *Gentes alias.* Cœterùm ex crimine Majestatis *parentum*, dum *bona ipsorum* confiscantur, ut inde ad liberos nil transeat, pœna dici non potest: saltim hoc in Cônstitutione *d. L. 5.* eximendum super eâ disceptantibus, superest, quòd *infamiam* liberi subeant, quanquàm nec *pœna* propriè dici possit, quando Resp. ab honoribus non debitis familiam malè meritam arcet; ita ut effectûs infamiæ minimùm eò sequantur, licèt de cœtero infamiam *formaliter* talem nemo nisi ex *facto proprio* subeat: videl. qui suam contemnere vitam famamquè videbatur, hunc timidiorem reddere volebant Legislatores, si novisset, toti suæ familiæ perpetuum dedecus adhæsurum esse. Erant etiam *reprimendi* hîc filii, ne ultores essent paternæ necis; quapropter ad *filias* derivatio imputationis non porrecta est. Quid? quòd non crederetur tantam rem quis moliri, nisi adhibitis in *conscientiam liberis.* Accedit, quòd exempla paterni criminis in ipsis metui possent; quæ quidem *contigisse* re ipsâ aliquot speciebus ostendit Forstnerus *in Hypomn. Polit. IX.* Deniquè trahit aliquid ex iniquo omne magnum exemplum in singulos, quod utilitate publicâ rependitur, juxta *Tacit. XIV. Ann. 11.* atquè in nefando *extraordinario* crimine extrà ordinem quid constitutum esse oportuit: *confer* ad hæc Mæstert. *Lib. II. d. Just. Rom. Leg. c. 63.* Et sic *H. Grotio Lib. II. c. 21. §. 13.* respondere licebit. Sanè quod *Hobbesius* adfert, liberos & propinquos penitùs vitâ privari posse, tanquam *hostes* Reip. & quid in bello nemini parcatur: illud utiquè rejiciendum est. Nam nec bellum hic fingi potest, & in ipso etiam bello innocentibus parci, quà fieri potest, ratio dictitat.

V. Solam quoque scientiam in hoc aliisque atrocissimis criminibus supplicio volunt esse obnoxiam; non male quidem, modò non ordinariæ pœnæ, nisi *merum silentium* (*e*) non tam sit quam conscientia.

(*e*) MERVM SILENTIVM. Distinguunt enim pleriquè, an qui *conscius* est, probare illud possit,

possit, ut tunc teneatur, secus si non possit; nisi etiam hoc casu omiserit secretò præmonere illum, cui periculum imminet. Mynf. *V. Obs. 40.* Theodoricus *Disp. V. Crim. th. 6.* Lœsius. *n. 7. b.* quò pertinet exemplum Christophori *Thuani*, quod accidit 1638. capitis puniti, Lugduni; ob reticentiam *conspirationis* in Regem Galliæ.

VI. Natura Majestatis sponte suggerit, hoc crimen non committi quam adversus eos, qui vere summam habent potestatem: Proinde machinationes subditorum contra eos qui *superiorem habent* (*f*) non sunt perduelliones sed magnæ injuriæ, nisi quatenus ad perturbationem superioris Imperii tendunt, quod autem exteri contrà aliquam potestatem moliuntur, id hostile judicandum.

(*f*) SUPERIOREM HABENT. Magnô molimine Carpzov. *p. 1. qu. cr. 41. n. 54.* & Besold. *in Delib. qu. 11.* hoc agunt, ut in *Status Imperii* crimen Majestatis committi propugnent. At verò quid opus fuisset, specialiter in *A. B. Tit. 24.* de EE. hoc cavere? nec Archi Duces *Austriæ* speciali prærogativa hâc in re sibi prospicere opus habuissent: de quâ re *Sixtinus Lib. II. de Regal. c. 20. n. 20.* Undè subditus in Principem suum, qui *Status Imperii* est, delinquens, capite luit crimen, si *analogiam* criminis Majestatis habeat, aliâve pœnâ ultimi supplicii exacerbati; sed tamen *memoria* ejus *post mortem* non damnatur, nec ubique *confiscationem* bonorum subit. vid. Schütz *VI. Jur. Publ. Disp. VI. th. 19.* Illud nescio, num ad Crimen Majestatis sufficiat, quando is, qui alibi *habitationem* constituit, in Principem *domicilii originis* quid admisit; si vel maximè animum revertendi habuisse videatur: quæ *Feltmanni* est traditio *d. Juram. Perhorresc. c. 38. n. 9. & seqq.*

VII. Sequitur *Peculatus*, qui nihil est aliud quam furtum publicum, cujus mille modi formæque; proinde & variæ pœnæ. non abs re autem videtur, quod jure Romano, Magistratus quibus custodia publicæ rei commissa, capite cum suis administris hac causâ plectantur; * quod utinam mores & tempora ferrent! Furtum pecuniæ ad civitates non liberas pertinentis analogicè peculatus dicitur; ** proinde eandem in pœnis analogiam servari oportet.

* *JC. in l. 3. ad L. Jul. pecul. §. 9. Inst. de publ. judic.*
** *L. 4. §. ult. D. ad L. Jul. pecul.*

VIII. *Repetundarum* tenentur *, qui in Magistratu, potestate, curatione, Legatione aliove munere publico positi pecunias acceperunt, quò magis aut quò minus ex officio suo facerent. Pœna secundum merita cujusque corruptelæ diversa est, ut aliquando capitalis esse queat**. Haud infimum inter hos locum tenent, qui honores & munera Reipublicæ vendunt, quibus proinde non minor quam ordinaria Romanorum pœna deportationis conveniret.

* *JCti in l. 1. & seqq. D. de lege Jul. repetund.*
** *L. 7. §. ult. eod.*

IX. De

IX. De *Ambitu* tenentur, qui corruptis suffragiis honores petunt, unde patet, cum hi qui Reipublicæ præsunt, precio munera publica distribuunt, concurrere ibi utrumque repetundarum & ambitus crimen. Hoc crimen hodie cessat in urbe, tradunt JCti Romani *, postquam collatio honorum ad Principem spectare cœpit; neque enim de facto summæ potestatis inquiri potest; sed in plurium Imperiis, etsi à Collegio summæ potestatis honores proficiscantur, viget tamen hoc crimen, non contra universum Collegium, sed in singulos qui subjecti sunt.

* *L. un. in pr. de lege Juliâ amb.*

X. Crimen *annonæ* committitur ab his, qui malis coitionibus hoc agunt ut annona fiat carior, quod cum ad universæ civitatis salutem pertineat, mirari licet, cur Romani adversus *dardanarios* (g) tam levi pœnâ defungantur; (maxime cum Romæ ea res, frumento trans mare advehendo, crebris subjecta periculis & seditionibus fuerit) multâ saltem XX. aureorum aut interdictâ negotiatione, vel ad summum relegatione aut in vilioribus opere publico in pœnam statutis. * Non est dubium, quin res & ratio graviorem postulet animadversionem; nec immeritò Carolus Cæsar V. pœnam capitis insigniori in hoc genere improbitati præscripsit. **

* *L. 2. §. ult. de lege Jul. de ann. l. 6. d. extraordin. Crimin.*

** *Constit. crimin. Caroli V, art. 113.*

(g) DARDANARIOS. A *Dardanis* Phrygiæ Gente fraudulentâ & mendacissima vid. Zahnium *cap. XI. de jure Municip. n. 10. & per tot.* Quòd verò *Carolus V.* pœnam capitis huic Crimini præscripserit: illud ad summum intelligendum est, nec ut unquam decernatur, nisi *JCtis adhibitis*, qui magnitudinem facti ponderent, vid. Menoch. *Lib. II. A. Q. 317.* & Colerum *Lib. 1. d. Alimentis c. 17. n. 54.*

XI. Crimen *Residuorum* est affine peculatui; committitur enim ab his qui pecuniam in publicos usus sibi commissam intervertunt sibique retinent; qui jure Romano* sic puniuntur, ut tertiâ parte plus quam debent solvere cogantur: rursus profecto *nimis defunctorie*, (b) siquidem quod tam parum à peculatu differt, nihilo magis supplicii gravitate ab eo distare debuit.

* *Martian. in l. 4. §. 5. ad L. Jul. pecul.*

(b) NIMIS DEFUNCTORIE. At verò respiciendum est ad hoc, quod *credita* sit pecunia

Admi-

Administratoribus ejusmodi, qui in crimen hoc incidunt: adeò ut hactenus à *peculatu* satis differat. vid. *l. 9. § 2. ff. ad LL. Jul. pecul.* & Zoes. *in fin. ibid.* Undè ne quidem jure *Saxonico* & *moribus* nostris quantitatem subtractæ pecuniæ admodum *furti* exigimus. vid. Carpzov. *P. 2. Crim. q. 85. n. 26. & seqq.* non attentô, quòd *Besoldus* in *Delib.* ad *tit. d. furt. qu. 5.* & *Bocerus* in *Classibus*, ad *d. t. L. Jul. th. 17.* graviùs ejusmodi Officiales coërcendos esse velint, idque ob *perjurium* accedens, item ob *falsum*, ut ajunt, & *peculatum*.

XII. Denique *concussio* vocatur, cum quis obtentu potestatis quam habet, terrore injecto, pecunias aliis extorquet, quod pro negotii modo variè, sed haud procul à repetundarum exemplo, puniendum.

XIII. Est & publicum crimen *rupti* violative ageris, quo fluminis aut oceani inundatio sistatur, quod graviter & plerumque capite *vindicandum*. (*i*) * Ex his de cæteris, quæ Remp. immediatè spectent, facile judicabitur.

* *L. 10. D. de extraordin. crimin. L. un. C. de Nili aggerib. non rump.*

(*i*) VINDICANDUM. *Gladiô* scilicet de quo *Matthæi c. XXVI. v. 52.* accipi debet: Nec enim locutio illa solùm proverbialis est & prædictoria, ùt cum *Photinianis* Hugo Grotius. (vid. *L. 1. c. 3. §. 3.*) voluit; sed ordinem insinuat publicum, & munus justitiæ, atque Magistratûs officium vel maximè eo loco, unà cum cæteris *supra* adductis, firmari, probè ostendit Osiander *p. 545.* Atque malè Grotius *Lib. I. cap. 2. §. 4. & seq.* docet, ante diluvium *vindictam privatam* obtinuisse, idque Deum quoad *Cainum* edictô repressisse, & postmodùm quoque in *Republ. Hebræorum*, in *vindice* sanguinis, *Num. XXV.* hujus rei vestigium remansisse. Equidem de *Vindice suprà* actum, & probata sententia magis, quòd vindicta illa *impunis* potius fuerit, ob duritiem cordis Israelitarum; non etiam in foro *animæ* omninò licita. Undè *Grotius* malè docet, quasi *natura* hoc ipsum dictitet. Nec minùs, quæ suppliciorum ratio fuerit in *statu primævo* hominum, *aliàs* diximus. Quod *Cainum* Deo placuit, majorem terrorem incutere mortalibus, eô exemplô diutiùs in animis hominum superstite, & impressô homicidæ *signô* tàm horrendi patrati criminis, quod *tremorem* dicunt Theologi fuisse *capitis* & omnium *membrorum*: ita ut quidem tùm temporis pœna *sanguinis* utiquè homicidio jam præstituta fuerit, quam & ipse *Cainus* conscientiâ *sibi* dictitat.

XIV. Privatam læsionem, sed & publicam manifestâ consecutione præferunt, primo, *Homicidium*, quod jure naturæ, Gentium & divino, sanguine vindicandum, utique voluntarium, non invitum. Hoc autem duplex est: per vim & per ignorantiam; Invitum per vim dicimus hic (nota tamen improprietatem * termini) cum quis defendendi corporis sui vitæque causâ invasorem occidit: per ignorantiam, quod absque proposito occidendi casu perpetratur. Tale etiam est, cum quis animum quidem habet occidendi, sed in actu licito se versari existimat, ut *si quis Patrem in bello interficiat.* (*k*) Sed qui in re

 illici-

illicita scit se versari, *licet animus cædis absit*, (*l*) tamen de cæde quam commiserit tenebitur, ut si quis in rixa hominem repentinâ percusserit iracundiâ; vel poculum amatorium propinaturus *abortum* (*m*) fœtus animati procuraverit. Qui quod prohibitum est incipit, ille de omni eventu tenetur **. Etiam conatus atrox & obstinatus pœnam mereri potest ordinariam, quò pertinet quoque, si quis *cum telo* (*n*) homines occidendi causâ diu & studiose ambulaverit*. Mitior tamen extra ordinem animadversio locum habet, quoties ad culpam propius quam ad dolum causa cædis perpetratæ accedit.

* *Improprietas in hoc consistit, quod propriè Invitum per vim dicatur, ad quod agens nihil confert, ubi principium agendi est extra agentem, quod hic secus.*

** *JC. in l. 16. §. 8. D. de pœnis.*

* *Vid. l. 1. D. ad L. Cornel. de sicar.*

(*k*) Si quis patrem in bello interficiat. Videtur speciem solùm homicidii per ignorantiam Auctor adduxisse, quando eam per casum illum definit, qui aliàs ignorantiâ invincibili constituitur: Aliàs in ipso genere criminis & pœnarum, immensa differentia est inter homicidium *culposum* & *casuale*: adeò ut aliquando culpa lata pœnâ ordinariâ coerceatur, ùt *l. 38. §. 5. d. pœn. l. 12. ff. & l. 4. C. de custod. reor. casuale* verò adeò *impune* fit, ut ne quidem *civiliter* de eo agi possit, vid. Mevium *I. Dec. 220. prout* quidem, cumprimis in *Foro Saxonicô*, de *Wergeldio* constat, *hoc est XX.* Imperialium præstatione, quòd illud toties agnatis ab occisore, & quidem integrum pro *masculo* occiso, pro *fœmina* dimidium, solvendum sit, quoties coërcitio pœnam corporalem non attingit: nam pœnam carceris vel relegationis Wergeldii præstatione non excludi, satis constat; vid. Carpz. *P. 1. qu. cr. 15. n. 53. seqq.* Et cumprimis *qu. 34. n. 7.* & *seqq.* sed & de homicidio *casuali*, num non aliquando præstatio pecuniaria nomine ejus fieri debeat, per distinctionem *P. 1. Crim. qu. cr. 27. n. 56. & seq.* Utiquè occisionem patris in bello ad Casuale homicidium, si propositô fiat, licèt non dolo malô, referri non potest: sed culpæ *cædes* hæc adscribenda est. Si Justini effatum sequamur, *Lib. XVI. Histor. cap. 1.* ibi: *In parricidio nulla satis justa causa abs sceleris patrocinio prætexi potest*, nisi quòd patrem contrà patriam venientem omninò occidi posse, complures statuant, vid. Tuschum Card. *lit. P. Conclus. Pract. 133.* quod quidem *Praschius* de *charitate Patriæ p. 50.* tunc solùm, & rectè quidem, admittit, si aliâ ratione & per alios occurri certo excidio Reipubl. aut Principis, non possit: qui tamen casus facilè non accidit. Agit etiam *ibid. Praschius* de *liberis & fratribus*: Mitiora dubia movet *Pufendorf.* de deferendo seu accusando patre Reipubl. causâ in *Diss. Acad.* d. *Oblig.* adv. *Patriam §. 33.*

(*l*) Licet animus cædis absit. *Malitiosa* sc. hominem occidendi voluntas requiritur, nec simplex sufficit, cùm etiam is habeat *animum* occidendi, qui occidit *defendendi* sui gratiâ. Sed voluntas illa vel directa est vel *indirecta*: *hæc* etiam sufficit, ùt si quis aliquem lædat instrumento ad homicidium apto, licèt tantùm animo vulnerandi. vid. *l. 6. C. de vi publ. l. 5. & 58. d. pœn. l. 15. ad L. Corn. d. sicar.* Carpz. *P. 1. qu. cr. 1. n. 28. & seqq.*

(*m*) Abortum. Quæ hic ad textum *l. 38. §. 5. de pœnis* moventur, ex *Doctoribus* affatim peti possunt, vid. Corrasium in *L. IV. c. 2. Miscell.* Mœstertium *Lib. I. de Just. Legum Rom. dub. 25.* junct. Wissenb. *ad L. Cornel. de sicariis n. 12.* cui satis ex *Mæstertio dict. I.* vel *Cujacio* ad *Paul. V. sent. Tit. 23.* responderi poterit. Utiquè si quis medicamentum ad conceptionem non malô animô, licèt malô exemplô dederit, ex quô illa quæ id accipit, enecata fuerit, relegationem patietur, non ultimum supplicium.

plicium. *l. 3. §. 2. ad L. Corn. d. ficar.* Fachinæ. *I. controv. 36.* Menoch. *II. Arb. c. 352. n. 2.* Illud quæritur: an liceat Pharmacum præbere ad faciendum abortum, quando vita matris, ex difficili partu, periclitatur. Negat *Lessius, Lib. II. de Just. & Jur. c. IX. n. 10. d. 61.* item Dannhauerus *quæst. 2. moral. c. 8.* ubi illicò post conceptionem fœtum *animâ* præditum esse, asserit.

(*n*) Cum telo. Sed ex *gladii strictione* hodiè non ampliùs doli mali, seu animi ad occidendum meditati, præsumtio nascitur. Tabor *in Armam. p. 109.* imò si vel maximè *Consilium* occidendi adsuerit, tamen non subsecuto effectu pœna *extraordinaria* solùm locum habet; *Art. 58. Ordinat. Crim.* nisi quòd adhuc dum insidias improbiores, veluti per conductitium sicarium, intentas capitali animadversione vindicari velint.

XV. *Parricidium* proprie sumitur, pro cæde alicujus qui in rectâ sanguinis lineâ nobis est conjunctus, reliquorum cædes propinquorum, magis est, ut homicidia atrociora sint *. Pœnæ gravitas non tam quærenda, ut superius dictum & de Majestatis quoque ac similibus intelligendum est, intentione cruciatus, quam in specie terribili apparatus; quod egregie & ingeniosè à Romanis observatum, cum parricidas virgis sanguineis verberatos culeoque inclusos cum cane, gallo gallinaceo, *vipera & simiâ* (*o*) in mari vel flumine suffocari voluerunt.

* *Vid. §. 6. Inst. de Publ. jud.*

(*o*) Vipera et simia. Rationem hujus inventi *Wissenbachius* post *alios* investigare studet, sed nemo meliùs *Palatiô* in *Monarchiâ Occidentali*, integrô *capite.*

XVI. *Adulterium* est corruptio mulieris alii nuptæ. Nam vir conjugatus rem cum alia solutâ habens matrimonii quidem *æquè fidem violat* (*p*), sed non idem admittit delictum, quod uxor alii se substernens; quia hæc præter thorum violatum, efficit ut maritus cum non est, pater videatur. Unde omnium populorum existimatione contumeliosior est viro quam mulieri *conjugis evagatio* (*q*). In muliere igitur adulterium, in virgine viduaque stuprum committitur, gravius quidem à conjugato quàm à cælibe, tamen stuprum; idque non Romano tantum sed & divino juri consentaneum videtur *. Quare Justinianum ** ego quidem cucurbitas pingere maluissem, quando capitis pœnam à Constantino Magno utriusque sexus adulteris inflictam *mulieribus remisit* (*r*), jubens eas virgis admonitas monasterio includi, etiam venia bonis viris datâ post biennalem pœnitentiam eas reducendi; scilicet, *quis earum non misereatur* ait optimus Cæsar, * dictante Theodorâ. Recentiores Legislatores cur antiquum jus Romanum,

 quo

quo relegatio tantum in adulteros ſancita erat, facilitate ſuperare, quam & novum Conſtantini & divinum & veterum Germanorum aliorumque gravium populorum, quibus hoc capitale fuit, imitari maluerint, nullâ idoneâ ratione probari poteſt.

* *L. 6. §. 1. D. ad L. Jul. de adult. Levit. 20. v. 10. Deut. 22. verſ. 22.*

** *in Nov. 134. cap. 10.*

* *In l. ult. Qui potior in pign.*

(*p*) ÆQUE FIDEM VIOLAT. Ita ut Carpz. *P. 2. q. cr. 52. n. 3.* etiam adulterium per hoc *jure Civili* committi putet contrà *l. 101. d. V. S.* & *alia* à *Bachovio* adducta. *II. ad Tr. Diſp. 32. th. 2. lit. b.* Nam quòd Crimen hoc jure *Canonico* vocetur adulterium illud eò pertinere videtur, ut uxori itidem divertere & maritum accuſare liceat; non autem ut adulterio ſtrictè dicto adæquetur: quod etiam velle videtur *Conſt. Crim. Art. 120.* & ſit adeò adulterium *ſecundùm quid*; quanquàm ſimpliciter *ſtuprum* cum *Ant.* Matthæi *Libr. XLVIII. tit. 3. c. 1. n. 12.* dici non poſſit, ſed rectè fidei conjugalis diruptio in adulterii *ſpeciem* incidere dicatur ab *Auctore*, quò ipſa Jura *Saxonica*, ratione capitalis ſupplicii, reſpexiſſe putanda ſunt.

(*q*) CONJUGIS EVAGATIO. Benè exponit Pufendorf. *L. VI. c. 1. §. 10.* unde contemtus ille viri procedat. vid. de nomine Hanrey. Limnæum *Lib. VI. c. 6. J. Publ. n. 95.* & Beſoldum, *Th. Pract. lit. C. n. 62.*

(*r*) MULIERIBUS REMISIT. Nam licèt inſignior fiat viris injuria, per adulterium mulieris, tamen in *fœminis* imbecillitas ſexûs ſpectanda fuit, quâ libidini magis ſuccumbunt. Accedit, quòd mariti fortè placati, ſi mulieribus cohabitare voluiſſet, duplici afflictione afficiendi non fuerint. vid. Tabor. in *Partit. Elem. p. 280.* Weſenb. *ad L. Jul. de adult. n. 19.* ibiquè *Bachov.* & cum primis Jacob *Moeſtert L. II. c. 19. d. J. LL. Romanarum.* Certè non multum à pœna mortis diſcrepare videtur mulieris coercitio: ſiquidem pœna *carceris perpetuæ* morti ſimilis eſt. Carpz. *II. qu. 53. n. 20.* ceu quidem bienniô exactô, vel marito interim mortuô, adultera pœnitens perpetuò in monaſterio detinebatur, illiquè pars quarta bonorum propriorum concedenda fuerat. *Nov. 134. c. 20.* Quòd ſi maritus *civiliter* egiſſet, dotem lucrari poterat. *Nov. 101. c. 9.* ſi *criminaliter*, ſubſtantia mulieris inferebatur monaſterio. *cap. 10. 16.* Confer Berlich. *P. 1. Concl. 29.* Licèt autem Carolus V. in *art. 120.* ad jus *Juſtinianeum* ſe remittat; tamen quia ap. *Noſtrates monaſteria* non habentur, de conſuetudine communi *Germaniæ* receptum eſt, ut adultera *virgis* cedatur, & in perpetuum *relegetur.* vide ſimul de *hoc* & jure *Saxonico* Berlichium *d. P. IV. Concl. 27.* Alicubi ſanè leviùs & vel *carcere* adulterium coercetur, (ùt in Ducatu *Würtenbergico*,) & *alibi*, etiam *relegatione* tantùm: id quod Wiſſenbach probat, in *th. 19. b.* & qui apud *Struvium* citantur, *§. 32. eôdem.* confer Taborem *d. quæſt. p. 44. & ſeqq.* item Feltmannum *de juram. perhorr. c. 21. n. 15.* Bachov. *Vol. II. Diſp. 32. th. 5. lit. B.* poſt Lipſium *ad IV. Ann. Taciti* ubi ſolidè ex *Romanâ hiſtoria* idem deducit. Cœterùm quod Grotius tradit *L. II. c. 1. §. 15.* adulteram liberis legitimis etiam rependere teneri, ſi quod damnum ex concurſu ſuſceptæ prolis adulterinæ ad hæreditatem patiantur, illud rectè examinat Zieglerus *ibidem*, poſt quem vide Pufendorf. *Lib. III. c. 1. §. 9.* Nam utiquè ſi maritus uxori cohabitaverit, partus potiùs ipſius, quàm adulteri, eſſe cenſetur; ſecùs ne quidem filius adulterinus ad hæreditatem patris admittendus eſt.

XVII. *Stuprum* eſt corruptio virginis viduæque honeſtæ; Nam meretricia voluptas etſi impunita, ut viſum Romanis, exemplo ebrietatis ſimiliumque vitiorum eſſe non debet, æſtimatione tamen criminis diſtingui meretur. Perſecutio ſtupri non malè exerceri videtur, ut vir

vir *ducat vel dotet* (*s*) *. Nam ſi amor furtivus nuptiis conglutinetur, hoc ferendum: Sin, æquum eſt ut defloratæ pecuniarium ſolamen tribuatur. Quod tamen nihil vetat, quominus inſignitior fraus alterius, publicâ multâ vel coercitione corporali adficiatur. Meretricia libido ſimiliter mulctanda pecuniis, aut relegatione, ſi nimis impudens & frequens.

* *Conſtit. L. un. C. de rapt. virg.*

(*s*) DUCAT VEL DOTET. Equidem jus divinum videtur *conjunctim* hoc exigere, ſc. ſi vi quandam, ſed tamen non omninò reſiſtentem, quis ſtupràſſet: nam ſic *præciſe* eam ducere, & 50. ſiclos ei pendere tenebatur. vid. *Exod. XXII. v. 16.* junct. *Deut. XXII. v. 25. & ſeqq.* quam tamen conjunctivam patri puellæ in *disjunctivam* vertere permiſſum erat. Et fruſtrâ adeò hoc vellicat Wiſſenb. *n. 27. ad L. Jul. de adult. confer* ad uſum Fori Richterum integrâ *Deciſ. 88.* Et quoad *fornicationem*, Mæſtertius *Lib. II. d. Tract. c. 11.* oſtendit, etiam *jure Romano* non abſque omni *coercitione* hoc delicti genus fuiſſe. confer de eo non minùs *Scharockium* de *variis incontinentiæ ſpeciebus c. 3. & ſeqq.* junctô ſimul ad uſum forenſem Carpzoviô *qu. cr. 70.* & Meviô *ad Jus Lubecenſe. Lib. IV. Tit. 5. art. 5. D.*

XVIII. Vis fertur duplex publica & privata; Illa tamen non eſt publicum noſtro ſenſu crimen. Nam ſi in Remp. committatur Majeſtatis eſt: ſed publica vis dicitur quælibet atrocior, *maximè quæ fit armis*, (*t*) hinc privata intelligitur. Publicæ pœna plerumque capitalis eſt, privatæ ſecundum merita ſingularium alia atque alia eſſe debet.

(*t*) MAXIME QUÆ FIT ARMIS. Nam & *ſinè armis* committitur, velut in *perſonam* publicam, aut à perſona publica, item ex *objecto. l. 7. 10. & ult. h. l. 5. §. 2. eod. l. un. C. d. rapt. virg.* Beſold. *II. Conſ. 40. n. 1. & ſeqq.* adeò ut *in domo* alicujus propriâ patrisfamilias illata vis *pro publicâ* habeatur, juxta *Taborem* in *Armam. p. 315.* qui & *ſpecies* violentiæ publicæ & privatæ benè diſtinguit, *eod. Tract. pag. 91.* In quibus variè confunditur *Bachovius ad §. 8. d. publ. Judic.*

XIX. Ad publicam vim pertinet raptus virginis viduæve honeſtæ, quem meritò jus Romanum graviſſime perſequitur, capitali pœnâ. Quod tamen non diſtinguit inter volentes invitasque mulieres, id vero *nimium rigoris* (*u*) præferre videtur. Stuprum denique gravat quidem raptus crimen, ſed hoc tamen ſine illo conſiſtit & nihilominus capite rectè punitur.

(*u*) NIMIUM RIGORIS. Et tamen non modò in delictis publicis illius, cui quid infertur, *voluntas* attendenda non eſt, ùt vel in adulteriis apparet; ſed ſufficit etiam parentibus, conſanguineis, tutoribus, maritis, non conſentientibus, *Raptum* contigiſſe: quanquam fieri poſſit, ut caſu unô vel alterô pœna *extraordinaria* obtineat: ſi fœmina nec dolo malô, nec malis perſuaſionibus, aut artibus decepta, & ad conſentiendum inducta fuerit: de quô *vide* Harpprechtum *ad §. 8. Inſt. ad publ. jud.* & Beſold. *II. Conſil. 40.*

XX. *Falsi* crimen est ficta veritatis imitatio vel suppressio in fraudem alterius facta, cujus *plurimæ sunt species*, (x) * aliæ aliis graviores, leviores; perinde variè puniuntur; haud absurde in illo membro præ aliis quo maxime falsum committitur, sc. *linguâ perforatâ*, (y) quod & in perjuros & blasphemos rectè statuitur.

* *Vid. l. 1. l. 2. & l. 8. l. 13. §. 1. l. 32. §. 1. ad Leg. Cornel. de Fals.*

(x) PLVRIMÆ SVNT SPECIES. Adeò ut *nonnulli* falsum in *verum* & *quasi tale* distinguant, ceu observavit *Bocerus cl. IV. Disp. 15. th. 2. & seq.* & quasi falsum sit, quod non *L. Cornelia* de falsis, sed *aliis* Principum *Constitutionibus*, vel *SCtis*, tanquam accessione Legis illius, notatum reperitur. Imò ne hoc quidem sufficit *multis*, sed quamlibet *veritatis* immutationem, suppressionem vel imitationem, in alterius *fraudem factam*, pro falso habent: quæ sententia est intolerabilis. Quin potiùs nemo falsi accusari potest, nisi ejus factum expressè *a lege notatum* fuerit, Wesenb. *n. 2. ad L. Corn. d. fals. in fin.* Bachov. & Hahn. *ibidem* & Tabor *in Racem.* Disp. *de Stellionatu n. 10.* Undè accessiones quidem Legis Cornel. in eôdem numero cum L. rectè habentur; Sed tamen asserendum non est, cum *Carpzovio qu. cr. 39. n. 14.* quòd *generalis* notatio ad falsum sufficiat; secus indè sequeretur, nec *dolum* aut doli *actionem peculiarem*, nec crimen *stellionatûs* peculiare, existere; quod & ipsum *ex falso* oritur. *l. 3. §. 1. d. Stellion.*

(y) LINGVÂ PERFORATA. Quæ pœna quidem, ùt nec linguæ *abscissio* ob *blasphemiam*, in *Saxonia* non frequentatur, teste Carpzoviô *qu. Crim. 45.* Cæterùm *blasphemiæ* species varias *Feldenus* commemorat *P. 2. Elementor. Jurisprud. univ. memb. 37. pag. 379.* & de *perjurio* idem videri potest, *membro 38.*

XXI. Huic affinis est Calumnia, sive delatio falsi criminis, cujus pœna rectissime jure Romano talionis tradita fuit, hoc est, eadem quam merebatur crimen, quod calumniator intendebat.

XXII. Magia quandoque pro veneficio sumitur,* at tunc ad homicidium pertinet; sed propriè est crimen eorum, qui ope diabolicâ, præstigiis artibusque vetitis *grassantur*; (z) idque plerumque dispendio hominum tam corporum quam animorum, aliquando quasi pro hominum salute. Illos jus civile gladio punit, hos impune dimittit *Constantinus* (a) Christicolarum primus Cæsarum,** alii hos gravius plectendos censent, ob periculum majus animarum. Neutri bene; puniendi quidem, sed lenius quam qui nocendi causam habent; quia Legislator maximè læsionem societatis communis spectat.

* *L. 3. 5. 7. C. de malef. & Mathemat.*

** *Constant. in l. 4. C. eod. tit.*

(z) GRASSANTVR. Cujusmodi Magos *dari*, *Carpzovius* post *alios* persequitur *qu. cr. 45. n. 39.* quòdque pro contrariâ malè citetur *Canon. Episcopi. XXVI. qu. 5.* (ubi, quòd *illusiones* Diaboli tantùm hominibus imponant, dicitur) eruditè ostendit *integrâ Diss.* Joh. Ott. Tabor; Quòd vero *capite* plecti

plecti debeant sagæ, licèt *damnum* non dederint, *Dannhauerus* ex divino jure probat, *Lib. II. Theol. Conscient. p. 465.* ubi simul an hæc pœna ad *impuberes* porrigenda sit? ex spe conversionis expendit: de quo & latiùs *Weizeneckerus* de *Servitiis Dæmon. cap. ult. n. 5.*

(*b*) CONSTANTINVS. Nequaquàm verò. Quomodo enim Constantinus vel potiùs *Justinianus*, qui Constantini Constitutionem recepit, impunè eos dimitteret, qui tamen Ipse medicinam magicam, & sic ea remedia illicita, quæ commodant, improbat *l. 1. §. 3. d. var. & pond. cognit.* Brunnemannus, ut Constantinum salvet, *Legem 4. C. d. Malef. & Mathemat.* accipiendam esse censet de Litaniis & Processionibus hodienum apud *Pontificios* usitatis. At verò illas demum *Seculo V.* introductas esse constat: Vid. Polydor. *Vergilius Lib. VI. d. Rerum Invent. c. X.* Neque oppositio textûs, cùm omninò pars posterior de re quâdam illicita loquatur, illam expositionem admittit. Alii de tolerantia intelligunt: ùt *Zoesius* & plerique *cæteri.* Nonnulli de permissione *ad finem boni*: cujus generis quoquè alia in *Justinianeo* Jure reperiantur, accipiunt, ùt *Coll. Argent. Heigius, Dambauderius & alii.* Deniquè *Gentilismum* sapere eam Constitutionem indequè à Leone *Nov. 65.* atquè Jure *Canonico can. 26. qu. 2.* emendatam fuisse, *Carpzovius, Balduinus, Bachovius* nec non ea *Disputatio* adstruit, quæ nuper ad istam *l. 4. Altorfii* edita fuit. At verò aliud *dictæ l. 4.* remedium quærendum est, ex ipsâ oppositione *Textus.* Nimirum, Imperator in versu: *nullis.* non loquitur de illis, qui expressum cum Diabolo pactum iniêre, quippe qui igne puniri debent; licèt nemini nocuerint; sed ne de his quidem, qui pactum tacitum cum Diabolo iniêre, veluti auxiliô ejus & colloquiô immediatè utentes; verùm de illis, qui *superstitiosa remedia* ùt *characteres, sententias, imagines* & cætera, *innoxiè* adhibent, in quos non equidem nulla pœna, sed tantùm *non severissima,* ùt in *pr. d. l.* & *casu opposito*, (nam ita τὸ *criminalibus*, in versu: *nullis* pro *severissimis* accipiendum est) indeque *extraordinaria* seu arbitrariâ, sicut per *Ord. Criminalem* in *Art. 149.* & ad ductum Juris Canon. *c. XXVI. qu. 7. can. 15.* utendum sit. vid. Carpz. *P. I. qu. cr. 49.* & *P. IV. Const. 2. def. 9. & 10.* Adeò ut non simpliciter hos excuset Imperator à pœna, cui tamen alibi in Jure Justinianeo iidem subjiciuntur, sed tantum à gradu pœnæ severissimo seu capitali. Quanquàm *ratio in fine* subjecta non exactè quadret. Et cùm *ambiguè* posita sit Constitutio, ideò mirum non est, quòd *Leo Imperator* in *Nov. 65.* eam non minus de *Gentilismo* acceperit, quasi quid ejus Constitutioni illi inhæreat: ceu quidem etiam Tabor *in Partit. Elem. p. 278.* eam infelicitati seculi illius imputat.

XXIII. *Plagium* vocatur furtum hominis, cujus pœna usque * capitalem extendi potest, haud minus quàm raptus sine stupro.

* *L. ult. D. & C. de Plagiar.*

XXIV. Abigeatus est furtum majus pecudum ex agro vel stabulo abductarum; nam modicum, veluti ovium paucarum, magis est furtum. *

* *Vid. L. ult. D. de abig.*

XXV. Quanquam verò pœna furti simplicis exemplo juris divini, Romani & aliarum gentium *intra mortem* (*c*) subsistere debet, tamen in abigeos maximè qui ut artificium illud exercuere, non abs re videtur acerbius imo & capite animadverti; eâdem ratione, quâ Scythæ olim nullum furto crimen gravius puniebant, quia nullis domibus res suas continentes, nihil salvum custodire possent, si non facilitas

litas perpetrandi acerbitate pœnæ, & ſpes impunitatis metu gravitatis ſupplicii compenſaretur.

(*c*) Intra mortem. vid. de *Furti* coërcitione in lege *Hebræa*, & quomodo duplô puniri dicatur, & tamen quinq; e boves & rurſus quatuor oves alicubi reſtitui debeant, *Oſiandrum ad H. Grot. Lib. II. c. 20. §. 32.* Equidem lex ſacra, de non occidendo fure, lex tantùm *forenſis* eſt, pro certô tempore & ſtatu; licèt ipſa furti prohibitio ſit *moralis*: & quanquàm nonnulli pœnam capitalem furum ex ſacris probare conentur, tamen *Exod. XXII.* loquitur de perfoſſore, qui pro Aggreſſore meritò habetur, & *Sam. XII. v. 5.* accipi poteſt, de extraordinaria *ſeveritate*, maximè quod furtum ibidem in *rapinam* incideret: quanquam nec *mors* pro ſupplicio mortis neceſſario accipi debeat, ſed pro graviſſima, nec tamen capitali, pœna: ùt *Judic. XVI. v. 16. Baruch. II. v. 4. & III. v. 4.* Meliùs urgetur *Geneſ. XXXI. v. 32.* ubi malè *Grotius* ſacrilegium Jacobum cenſuiſſe putat, qui probè ſuperſtitionem *Labanis* agnoverat; Saltim ex hoc, & ſimilibus aliis locis, colligere licet, etiam in *V. Teſtamento*, ante legem, boni publici causâ, imò & poſt eam, circumſtantiis exigentibus, *capite* puniri *furtum* potuiſſe: ùt quidem tempore *Caroli V.* perturbatio pacis publicæ & furum frequentia capitale ſupplicium exegit. Non *obſtante*, quòd inter *furis* ſupplicium & *rem* ablatam proportio non ſit, quoad juſtitiam reparativam: de quâ nec in genere *pœnarum* quæritur; Sufficit enim quòd *proportio* ſit quoad Juſtitiam *punitivam*, ejusque *fines* ſuperiùs expoſitos, ceu nec æſtimatur furtum, ſeu delictum aliud, tàm ex eventu & objecti multitudine, quàm ex pravitate voluntatis & intentione, tanquàm conſtituente formali, adeò ut æquè puniatur qui viginti ac qui mille furatus eſt: ut tamen cùm delictum hoc *res privatorum* reſpiciat rei hactenus ſimul habenda fuerit ratio, ut Legislator certam *quantitatem*, ceu à *Carolo V.* factum eſt, definiret, infrà quam pœna Capitis furi non intentaretur: cùm non videretur juſtitiæ conſonum eſſe, ut ob rem *minimam* capitis ſupplicium fur pati deberet, prout in *his* quidem *Provinciis* id ipſum ultrò produxerunt *Dicaſteria* & ad *20.* Imperiales, in pœna *capitis*, reſpiciendum eſſe voluerunt; ſeciùs ac in *Electoratu*: Neque enim *Noſtrates* tempora præſentia eôdem rigore, quô *Carolina* indigere arbitrati ſunt.

XXVI. Pluribus de furto rapina & injuria heic ſuperſedemus. *Stellionatus* (*d*) * poſtremò dicitur omne crimen, quod ſpeciali nomine caret, à Stellione verſuto animali, quod ſe in omnes formas vertere dicitur, adeoque ſpecierum enumerationem hoc delictum quaſi clauſulâ generali obſignat.

* *Vid. L. ult. D. Stellion.*

(*d*) Stellionatus. De quô integrâ *Diſſertatione* inter *Racemationes criminales* vide *Taborem*.

Caput VI.

De

Tributis & vectigalibus &c.

ARGUMENTUM.

Neceſſitas tributorum. An bonorum publicatio juncta pœna capitis juſtitiæ ſatis conveniat. De

De tributis quæstio duplex tractatur, prima, quæ sint commodissima. 2. an omnia justè exigantur. ibi de præcipuis speciebus. de jure immunitatis. de commissis & de locandis vectigalibus.

I.

CIVitas Legibus, Magistratibus & Judiciis ordinata absque pecuniariis subsidiis neque intrinsecus subsistere neque adversus exteros se tueri potest. Nam quies Gentium sine exercitu, exercitus sine stipendiis, stipendia sine tributis nullo modo haberi possunt.

II. Ad hunc igitur locum pertinent quævis commoda fiscum & ærarium augentia, quorum pleraque in capite de minoribus Majestatis juribus ita recensa sunt, ut in universali hac disciplinâ parum de illis supersit dicendum. Nisi de publicatione bonorum quærere velimus, sitne justum fisci ditandi medium; ratione dubitandi, quod ut Cicero * ad Brutum fatetur, (defendens SCtum, quo bona Lepidi publicata fuerant) pœna quoque ad liberos pertineat; quare & Justinianus novissimè in gratiam propinquorum sustulit confiscationes.** Sed non obesse hoc argumentum diximus pridem; adeoque nihil impedit, quominus redarguere liceat; quos occidere justum est, hos spoliare non potest esse inhonestum. Sed est aliud; publicatio bonorum tum maxime cœpit, cum pœna capitalium delictorum non esset mors sed exilium, quod veteres scilicet mortem civilem, id est, commentitiam vocabant; hoc autem vix erat supplicium, si damnati patrimoniis suis in exilio gauderent, cujus rei experientia Romanos quidem compulit, *** ut bonorum publicationem, relictis alimentis, in pleraque graviora crimina sancirent. Ubi vero mors naturalis cœpit infligi reis, jam hoc satis supplicii *cœpit videri* (*a*). Hoc saltem exinde consequi videtur, etsi confiscatio in regulas justitiæ non impingat, laudabilius tamen abstinere Fiscum bonis damnatorum ubi sanguinem effuderit, etiam vel ideo, quod tum jactura opum reo nihil officiat, tantum premat posteritatem.

* *Epist. ad Brutum.*
** *Nov. 134. cap. ult.*
*** *Testis Sueton. in Julio.*

(*a*) Coepit videri. Et tamen etiam ex pœnis capitalibus publicationem bonorum, nonnullorum locorum *moribus*, in *Germaniâ* usurpatam fuisse, tempore *Caroli V.* ex *Art. 218. Ordina-*

 tionis

tionis Criminalis, colligitur: ubi quidem Imperator, licèt aliàs in *proœmio* Ordinationis, *Imperii statibus* derogatum esse non velit, an ihren alten wohl hergebrachten rechtmäßigen und billichen Gebrauch, tamen promiscuam illam *confiscandi* rationem tollit, in verbis: Daß an etlichen Orthen, so ein Ubelthäter, ausserhalb des Lasters der Beleidigung unserer Majestät, oder sonst in andern Fällen, so der Ubelthäter Leib und Guth nicht verwirckt, vom Leben zum Todt gestrafft, Weib und Kinder an Bettelstab und das Guth dem Herrn zugewiesen werde. Diese und dergleichen Gewohnheit wollen wir, daß eine jede Obrigkeit abschaffen, als wir denn dieselbe aus Kayserl. Macht aufheben, damit vernichten und abthun, und hinführo nicht eingeführet werden sollen. Itaque hodiè citra casûs speciales in Jure *Justinianeo* expressos, qui præter objectum *Nov. 134.* in *Pandectis* aut Codice occurrunt (nam hos *Carolus V.* non sustulit, *arg. verb.* und andern Fällen, & *art. 134. & seq. Ordin. Crim.*) tantùm ex crimine *læsæ Majestatis humanæ* confiscatio servatur, cui crimen læsæ Majestatis *divinæ* ob *Auth. Gazaros. C. d. hæret.* jungit Mylerus *cap. 68. d. Stat. Imp. n. 7. & 8.* sub quo quidem *hæreseos* crimine, licèt Magiam seu *sortilegium* plures comprehendant: tamen ab illis rectè discedit *Heigius II. qu. 33. n. 53.* & Klockius *Lib. II. d. ærar. c. 85. n. 37.* tantum quòd inquisitionis *sumtûs* ex bonis sortilegorum, (licèt hoc etiam non admittat Merckelbachius, *apud* Klockium *I. Cons. 24. n. 32.*) desumi soleant. Sic & ex *omni* Crimine capitali *per accidens* confiscatio in illis locis subsequitur, ubi die Mordacht recepta est. Aliàs non licet *statui Imperii* confiscationem bonorum ex aliquâ causâ, & ne crimine quidem enormi, *propriâ auctoritate* introducere, vetante illud expresse *dictô Art. 218.* nisi quòd *immemorialis* consuetudo in caussa probabili, ad instar privilegii, invalescere possit. Et hinc statutum ne quis emigret ex territorio *sub pœnâ confiscationis bonorum*, etiam exteri injustitiæ arguunt, ut Amaya *I. Observat. Juridicar. cap. 6.* quamvis hoc etiam speciali ratione, vetitæ nimirùm libertatis, iniquum censeri possit. Saltim de eo constat, quòd plures *Civitates* Imperiales, bona in *censum non professa* pro commissis, per statuta vel usum inveteratum habeant, eaque in Fiscum redigant; qualia Statuta usumve immemorialem, licèt à multis reprobentur, servari tamen illis debere, verius est. Quâ ratione autem & quousque heredes reticentium eapropter teneantur, ap. Besoldum d. Ærario C. V. n. 25. disquiritur: nosque aliàs argumentum hoc *latius* deduximus.

III. Sed plus juvant Rempubl. tributa & vectigalia, de quibus duplex quæstio vertitur, prima, quænam sint *commodissima*, (*b*) dein, satin' juste omnia exigantur. Prior maxime politica est Quæstio, altera hujus loci sed vel brevissima vel subtilissima. Nam contenta est Ars nostra, quod ad justitiam, si non repugnent honestati morali: at si comparatio instituatur, quænam ex omnibus æquitate maxime commendentur, ea minuta foret disputatio.

(*b*) COMMODISSIMA. De Vectigalibus, quibusnam mercibus tam importandis quàm exportandis ea imponi debeant? Pufendorffius agit *L. VIII. c. 5. §. 6.* de Tributis autem, quænam opificia aut negotiationes illis gravari vel secus debeant, agit Boxhornius in *Disquis. Polit. cas. 18.*

IV. Locus generalis de jure summarum potestatum tributa *indicendi*, (*c*) an id populis invitis, an absque necessitate possint, spectat ad librum priorem, ubi de juribus Majestatis.

(*c*) INDICENDI. Afferunt hîc communiter locum *Cominæi*, qui de *Galliæ* regno, vel maximè *Monarchico*, afferat, invitis subditis contributiones imponi non posse: at vero hunc ex *Seysselli* Princi-

piis

piis *Aristocraticis* perorare, *Boeclerus* advertit, in *Diss. VII. Pol. pag. 359.* & communiùs recepta est sententia, quòd tributa solvenda sint summæ Potestati, nec renitendum ei, licèt de *fine* & *objecto* dubium moveri posset; idque ob *Rom. XIII. v. 3. 4.* adeò ut *Grotii* sententiam in *Lib. I. c. 2. §. 7.* dum is tributorum exsolutionem non deberi putat, nisi cum fine bono jungantur, in Regno quolibet admittendam non esse, sed in eo solum obtinere, verius sit, in quo cum *principatu libertas* miscetur.

V. Species autem vectigalium inhonestarum vix aliæ sunt, quam quæ ex rebus inhonestis colliguntur, veluti è lupanaribus, quia vix est, ut non hoc ipso probari videantur. Nec quidem satis illic defenduntur, ubi Magistratus indomitas hominum libidines cohibere non possunt, quin perniciosius erumperent, nisi ad meretriciam licentiam conniverent: Procul enim à conniventiâ distat permissio, quæ exacto vectigali omnino infertur. Cæterum indecoræ collectiones ut Vespasiani exlotio, differunt hoc sensu ab inhonestis.

VI. Sed verè hujus generis putamus vectigal, quod Magistratus decerpunt *ex fœnore trapezitico*; (*d*) cum enim hoc, ut hodie exercetur, sit injustum, non potest vectigal Magistratuum, quo auctoritas instituto illi præstatur, injustitiæ absolvi. Perinde quod exigitur à mimis & Comœdis similibusque, inter illicita referendum videtur, quatenus vix ullæ hodie comœdiæ sine turpitudine exercentur. Simile de similibus esto judicium. Nam de iis quæ cum necessitate morali pugnant minime difficilis aut obscura constitutio est.

(*d*) Ex foenore trapezitico. Si fœnus seu usura injusta non est, prout *suprà* ostendimus: non etiam injustum erit, ut exindè Magistratus quid sibi vindicet, tanquam ex pecunia sc. fœnebri & quacum creditor patrimonium suum auget: quò pertinet das Churfürstl. Sächs. Steuer-Ausschreiben de an. 1626. wegen des 6ten Steuer-Gülden, ut debitor quidem 6. Florenos, prout tunc temporis semisses usuræ obtinebant, creditori pendere debeat, der Gläubiger aber den 6ten Gülden als Steuer einschicken solle. conf. Carpz. *P. II. Const. 30. def. 1.*

VII. Alterum de comparatione mediorum inter se, obiter delibabimus. Justissimus omnium, census videtur, quo secundum *facultates divitiarum* (*e*) cives in contributionem vocantur; & forsitan magis ratione fructuum quam sortis habitâ, quia alioqui fœneratores & qui reditus capiunt faciliores, præ immobilium possessoribus enormi præcipuo gauderent. Secundum hunc, quæ minus exhauriunt & causis lucrativis imponuntur præstant media, veluti quod à successionibus quæ ex latere propinquitatis aut ab exteris veniunt, deducatur.

Tum vectigalia rerum quæ extra civitatem evehuntur quæque aliunde advehuntur, earum quæ magis ad luxum & abundantiam quam usus necessarios pertinent, quales sunt quas Marcianus in *L. XVI. π. de publicanis* recenset.

(*e*) FACULTATES DIVITIARUM. Nam quia cujusquè patrimonium à Republ. defenditur, & quidem non finè impensis; hinc pro ratione redituum seu emolumenti ex bonis cuiquè redacti, civium onera congrua imponenda sunt: cumquè res suas cives etiam, beneficiô Reip. augere possint, si tunc quæratur, an impositio sit facienda ex his quæ quilibet *lucratur*, an ex his quæ quisque *consumit?* potius est, ut ad *consumtionem* respiciatur: quoniam fieri potest, ut qui æqualia lucrantur, non possideant æqualia: tùm & difficile est in acquæstum inquirere, faciliùs in consumtionem, atquè uni parsimonia fraudi esse potest, alteri lucro esse luxuria.

VIII. Ad censum proximè accedunt præstationes agris & domibus impositæ, quæ rebus semper cohærent & à quolibet possidente exiguntur, *etiamsi convenerit* (*f*) inter emptorem & venditorem, ut emptor tributum solveret.* Imo & reliqua tributi non soluti, quæ ante venditionem cesserant, ab emptore solvenda sunt, quia fundum sequuntur. Idem erit, si venditor partem census ab agro vendito in alium quem habet vicinum transtulerit, tametsi professionis censualis translatio publicis actis inserta fuerit; semper enim fundus vetusto censui manet obnoxius: nisi à Principe permissa sit translatio. Vectigal etiam quod agris vendendis imponitur, ab emtore solvendum videtur, venditori tamen pro parte imputandum, nisi aliter sit cautum. At in rebus mobilibus *præstat à venditore solvi* (*g*) vectigal, quia minus molesta solutio est accipienti quam precium danti.

* *Vid. tit. Cod. Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.*

(*f*) ETIAMSI CONVENERIT. Ita ut si fundus aliquis Principalis sit, qui sub eâ conditione venditur, ne Canon *Principi* præstaretur, fundus cum pretio committi debeat; secùs ac in fundo civitatis. *l. 5. C. d. diversf. præd. urb.* sed tamen hoc de fundo, in Principis *privato* patrimonio constituto, accipiendum est. Quid autem juris sit in eo, qui *potentioris protectioni* se submittit, ut à tributis seu præstationibus publicis se eximat? vid. *Brunneman. ad Tit. C. ut nemo ad suum patroc.* Utiquè per *derelictionem prædiorum suorum* neminem se ab oneribus eximere regulariter posse, docet Tabor *Tr. d. Metat. p. 286. & seq.*

(*g*) PRÆSTAT A VENDITORE SOLVI. *Gabellam* vocant, quam quidem communiter placet, ab emtore solvendam esse. per *l. debet. ff. d. ædil. Edict.* Rationes habet Franciscus Marci. *Dec. 285.* & Capella Tholosana *qu. 452.* An autem rescissô contractu Gabella ejusmodi nihilominùs debeatur, disquirit Brunnemann. *ad l. 1. C. qu. liceat ab emptione disced.*

IX. Rebus ad vitæ usum necessariis, *liberisque capitibus* (*h*) non nisi

nisi summâ urgente necessitate vectigal imponendum: sed hæc ad politicam vergunt.

(*h*) Liberisque capitibus. Kopf-Geld oder Kopf-Steuer, quam sanè ob *vitam ipsam pendi*, ut hæc sc. vel corpus liberum, ejusque tutela, redimi debeat, rationi & æquitati minùs conveniens esse videtur; quamvis id velit Pufend. *L. VIII. c. 5. n. 6.* Nil enim à cive hoc respectu exigi potest, quàm ut operâ suâ, cùm hostis instat, ipse *vitam* suam, pro ordine & loco, quem in civitate sustinet, tueatur: & longè rectiùs JCti Romani die Kopf-Steuer speciem esse dicunt oneris quodammodò realis, quòd absquè prædiorum respectu, & adeò ab *omnibus*, etiam qui prædiis destituti sunt, attamen sumtibus, & quidem pro cujusquè *conditione*, non pro *vitâ* (secùs à *Pufendorffio* proditur, qui omnibus æqualem præstationem, quia omnes æquè vivunt, imponendam vult) præstari debeat. *l. 6. §. 5. de muner. & hon.* vid. Klockium *d. Contrib. cap. 2. n. 12. 14. & 22.*

X. Immunitas *à vectigalibus* (*i*) haud facile, à censu vix unquam concedenda, idque in omni civitate ferè servatur. Concessa tamen à principe ad heredes aut posteros non pertinet, nisi diserte privilegio sint comprehensi *. Et mentione posterorum simpliciter facta, rationem habet, quod Lege Romana sancitum, posteros feminei sexus non intelligi, sed masculinos duntaxat **. Collegiis vero data immunitas, veluti Academiis, perpetua, quandiu durat collegium, intelligitur ***. Quia tamen vim majorem non habet immunitas quam privilegium, ideo lege contraria tolli & aboleri potest immunitas; nisi per contractum promissa & adsignata sit; quo casu jus quæsitum auferri non potest, nisi id quod interest in vicem præstet. Debent autem personæ immunes ad evitandas fraudes profiteri, quid in usus suos accipiant, idque ut *libello* (*k*) manu sua subscripto testentur haud de nihilo Lex Romana postulat *. Immunes autem sunt perpetuo, Res fisci, res exercitibus paratæ & ferè præsides provinciarum; ** studiorum quoque honori datum sæpius, ut Academiæ ibique tam docentes quam discentes ab oneribus vectigalium liberentur ***. Hi etiam qui loca palustria aut eluvione maris vadosa aliterve inculta emendant & frugifera faciunt, urbesve desertas frequentant, meritò immunitate, saltem ad tempus sublevantur. *

* *JC. in l. 1. §. 1. D. de jur. immunit.*
** *d. l. 1. §. ult.*
*** *L. penult. §. penult. eod. tit.*
* *Vid. l. 4. §. pen. D. de publican.*
** *d. l. 4. §. penult. l. 9. §. pen. & ult. eod. tit.*
*** *L. 3. C. de alluvion. & palud.*
* *L. 2. C. de Vectigal.*

(*i*) A ve-

(i) A VECTIGALIBUS. Videtur *Auctor* hanc doctrinam mixtim tractare de vectigalibus, cum iis, quæ ad munera seu *tributa* pertinent. Nam quæ in jure nostro de *immunitate* habentur integris titulis, ad *vectigalia* non pertinent; quanquàm *in his* utiquè immunitas plerumque rebus aut personis concessa sit, de quâ in titulo *de Publicanis & Vectig.* agitur.

(k) LIBELLO. Quid usus servet hodiè in vectigalibus, vid. ap. Hahnium *ad* Wesenb. *d. Publican. n. 4.* Köppen. *Dec. 50. n. 13.* Confer. Seckendorff, im Teutschen F. St. *P. 3. Regal. 3. n. 5*

XI. Tributa sive census plerumque immediatè colliguntur. Vectigalia proprie dicta (nam sæpe *confunduntur* (l) solent locari, quia diligentius quæritur pecunia ab his quorum privatim interest, quam ab iis qui Rempublicam *administrant* (m). Qui conducunt vectigalia publicani dicuntur, odiosum cunctis gentibus nomen, tam ob exactiones, quibus vexant cives, quam ob per se invisum plebi institutum. Pœnas eorum qui res munificas sive tributo obnoxias non profitentur, est hæc, quod res celatæ cadant *in commissum* (n) & in fiscum seu *publicani commodum* (o) redigantur. Nec tantum merces, sed & naves & plaustra quibus vectæ sunt, committuntur, *licita cum illicitis*, (p) * ut quidem passim observatur; nempe si unius Domini sit navis aut *unius societatis*; (q) nam si diversi magistri, diversa consilia celantium & non celantium sint, omnes eadem pœna involvi minimè debent. Neque *ignorantiæ prætextus* (r) hac parte recipitur, si vel juris sit vel facti proprii ** Sed error probabilis hactenus tamen excusandus, ut publicani modica admonitione, v. c. duplo vectigali sint contenti, ut jure Romano ***. Factum quoque servorum domino ignoranti nocere non debet, nisi rebus illis quibus fraudati sunt, præpositi fuerint. Minori quoque ætati veniam erroris, etsi non æque probabili, æquitas postulat concedendam *. Si quis verò res suas professus vectigal non solverit, nec commissum nec alia pœna habet locum: quia publicanus sibi imputabit, quod *vectigal non exegerit* (s) **. Denique, si propter necessitatem adversæ tempestatis, onus fuerit expositum, non debere hoc commisso vindicari, æquitas manifesta dictat. Persecutio mercium, quæ in commissum ceciderunt, datur etiam adversus heredem; non quod ille propter defuncti delictum puniatur, sed quia merces ipso jure à defuncto amissæ fuerant; proinde apud heredem remanere non poterant. Si qua præterea pœna lege statuta sit, ea cessat adversus heredem ***.

* *L. 11. §. 2. D. de Publican.*

** *L. ult. §. 5. eod. tit.*
*** *l. 16. §. 10.*
* *§. 9. d. l. 16.*
** *Ead. l. 16. §. 12.*
*** *L. 14. eod. tit.*

(*l*) Confvndvntvr. Quod ipsi *Auctori* accidit, & in jure quidem nostro sæpè tributa sub nomine vectigalium continentur. *l. 1. & l. 2. C. d. exact. trib. l. 9. C. d. annon. & tribut. l. 23. d. V. S. tot. tit. si ager vectig.* vid. Cujacius *VII. obs. 3. & 4.* & Wissenb. ad *l. 17. d. V. S.* Et tamen si exactè nomen accipias, nunquàm exactiones publicæ & communes sub eo nomine veniunt. vid. Arnisæus *Lib. 3. d. Jur. Maj. c. 7. §. 1. 4. 8.* & quod differentias varias explicat Collegium Arg. de *Censibus th. 6. n. 2.* it. Gudelinum *Lib. V. d. J. Novissimo c. 9.*

(*m*) Administrant. Id quod aliunde non minùs utilissimum esse Reipubl. & fraudes per hoc eò diligentiùs caveri, ostendit Boxhorn. in *Disquis. Polit. cas. 42.*

(*n*) In commissvm. Sed pœna *commissi* non ubiquè locorum obtinet, sic enim in *Saxoniâ* pœna arbitraria servatur. (Carpz. *P. 4. Const. 14. defin. 15.*) nec non alibi. vid. *Anton.* Matthæi *cap. 7. d. Auction. n. 20. seqq.* ùt & Mevium *ad Lib. II. Jur. Lubec. Tit. 13. art. 6. n. 7.* Prout etiam pœnæ eorum, qui *Gabellas* defraudant, Jure Communi *arbitrariæ* sunt. vid. Coler. *P. 1. c. 3. d. Process. execut. n. 74.* & Menoch. *II. A. J. Q. cas. 397.*

(*o*) Pvblicani commodvm. Non obstat *l. 9. §. 4. de Publican.* Nam *l. 11. C. de vectig. & Commiss.* pro Publicanis apertè militat; *d. l. 9.* autem vult, quòd Mercator, qui de fundis fiscalibus mercari consuevit, non eandem immunitatem, quâ Fiscus fruitur, allegare possit. Neque etiam pro *contrariâ* facit, quòd fundus *emphyteuticus* si committatur, ad conductorem non pertineat. Est enim in utrâque specie manifesta differentiæ ratio. An verò *augmentum vectigalis*, v. c. ex mercibus, quæ antea prohibitæ fuerant, nunc permissis, ad Publicanum spectet? vid. Taborem *ad Colleg. Arg. tit. d. Publ. th. 9. circâ fin.*

(*p*) Licita cvm illicitis. Sed hoc nonnisi sub distinctione verum est: Videl. in universum res, quas professus quis non est, aut licitè portari possunt, sed non absquè solutione vectigalis: & tunc res celatæ tantùm in Commissum cadunt. *l. 4. §. 1. d. Publ. l. 1. §. 15. de aqua quotid. & &c l. 58. de SCto Trebell.* dummodò & improfessæ per se immunes fuerint; aliàs & hæ non minus unà cum celatis committentur; tantùm ereptis casui commissi illis, de quib. vectigal præstitum est. Rennemannus *Disp. 51. de jure Oblig. th. 25.* Aut res, etiam cum vectigali licitè portari non potuerunt, & si Dominus reliquarum mercium eas suis junxerit, aut jungi sciverit ab alio, licitis unà mulctatur. *l. 3. C. de Naut. fœn. l. 11. §. 2. de Publicanis.* Sixtinus *Lib. II. de Regalibus c. 6. n. 126.* Ergò publicis rebus vetitis, si privatas insciô Dominô junxerit nauta, hæ in commissum non cadent; quamvis publicis non vetitis, sed tamen immunibus, omninò ex facto nautæ, (non profitentis sc. privatas,) Dominus periclitaretur: contrà Christinæum *Vol. V. Dec. 58.* Ex quibus Wissenb. *n. 25. ad ff. d. Publicanis* emendandus est, qui de cætero notat, *Belgas* discernere *Accisças* à Vectigalibus, *Gallos* habere distinctam rationem maris, à terris & fluminibus. *Ant.* Matthæi *cap. 7. de Auction. n. 7.* inter Jus scriptum & benignum distinguit, ut quidem de jure stricto *Dominus mercium licitarum* semper periclitetur; de jure benigno nunquàm. confer Boërium *integr. Dec. 178.*

(*q*) Vnivs societatis. Nam & socio immunitatem in *individuis* proficere volunt: Interim cùm præstationes vectigalium in quantitate consistant, ideò res socii, cujus socius immunis est, utiquè in *commissum* cadit, non obstante *l. 5. pr. d. Censibus.* quippe quæ loquitur de casu, quo uterquè munificus est.

(*r*) Ignorantiæ prætextvs. vid. Mylerum *c. 12. d. pond. & mens. p. 154. & seqq.* & Taborem *c. 6. Armam. th. 31.* ubi *l. ult. §. 10. d. publicanis* exponit: Utique error probabilis *Antonio* Matthæi *in Lib. II. d. Auction. c. 7.* attendendus videtur, ut à commisso quem liberet: Aliàs si vectigal deprehensus vel confestim offerat, *moram* tamen purgare non potest. *l. 16. §. 3. & 11. cod* cùm pœnitentia in delicto consummato non admittatur. Farinac. *Quæst. 31. n. 65. & 66.* & per commissum res proti-

protinùs *ipsô jure* commissa sit. vid. *l. 19. d. leg. 2. l. 13. d. condict. indeb.*

(s) Vectigal non exegerit. Et hodiè fisco illud resarciet: Köppen. *P. 1. Dec. 209.* ita ut malè Notator ad *Colleg. Arg. th. 14. n. 9.* hoc casu duplicatum vectigal solvendum esse velit.

XII. Cæterum vectigalia sine principis jussu neque à Magistratibus, neque ab ipsis publicanis augeri vel minui, vel reformari possunt. Neque pactiones publicanorum in ejusmodi finem cum singulis initæ, facile permittendæ; saltem Reipubl. non præjudicant, quominus, publicano non solvente ærario, debitum vectigal exigatur. Collectio pecuniarum publicanis nullo modo permittenda, nec proinde collectores vectigalium conductorum participes esse debent. Neque permittenda publicanis dilatio solutionis prætextu *compensationis* (*t*) alterius debiti, sed hoc à Republ. seorsim petere debent. Quando tamen constat, eos nihil esse fraudatos, & ob defectum solutionis excutiuntur, tum liquidi compensatio negari non potest. Vigor etiam publicæ utilitatis postulat, ut reliquatores publicanorum corporaliter plectantur, nisi perspicue docere queant, nec cupiditate, neque negligentiâ suâ, verum fato accidisse, ne solvere possent. Est & hoc rationi consentaneum, ut qui maximos fructus ex redemptione vectigalium consecuti sunt, si postea minime tanti locari queant, iidem ea prioribus pensionibus suscipere compellantur, ut Romanis usitatum erat, * hodie non perinde servatur. Debitores autem fisci vel Reipubl. ** vectigalia conducere prohibentur, nisi forte tales obtulerint fidejussores, qui & reliquis eorum satisfacere parati sint. Denique, si pensionibus facta sit locatio, prioribus non solutis, pellere licet conductores, necdum etiam tempore conductionis impleto ***.

* *L. 11. §. ult. eod.*

** *L. 9. §. 2. & 3.*

*** *L. 10. §. 1.*

(t) Compensationis. Nam debitor Reipubl. non potest uti compensatione per *l. 17. & 20. d. compensat. l. 3. C. eod. l. 46. §. 4. & 5. de jure Fisci* Langer *P. III. d. Except. c. 8. n. 15.*

XIII. Cœterum, ut publicanis secundum statuta paratum & rigidum jus dicatur, publice interest, nec minus ut audacia temeritasque eorum in captandis vexandisque civibus, pœnis competentibus coërceatur *. Utroque tamen casu sententia declaratoria requiritur, nec

nec minus, cum quæritur, an res celatæ debeant committi: ut tamen usque ſummaria cognitio adhibeatur.

* *L. 12. eod.*

XIV. Quæ de vectigalibus Reipubl. traduntur, ea de municipiorum quoque tributis & vectigalibus intelligantur: ſcilicet, ſi principis conſenſu inſtituta fuerint, neque enim ordo municipalis nec ad ſuas quidem neceſſitates quicquam ab ſuis incolis *exigere poſſunt* (u).

(u) EXIGERE POSSVNT. Poſſe *Municipia* collectos imponere extrà ordinem ex *l. 12. C. d. operib. Publ.* evincitur; ſed non niſi municipum conſenſu, & quidem majoris partis: vid. Zahn. *d. Jur. Munic. c. 63. n. 7.* ut tamen collecta illa *modica* ſit, atquè hodiè conſuetudine ſeu conniventiâ Principum firmata. Diſtribuere autem ea collectas à ſuperiore indictas inter cives ſuos poſſe, certum eſt. Klockius *c. 17. d. contribut. n. 19. & 172.* ubi quidem ſi plus ſolverint aliqui, adv. reliquos concives condictionem indebiti non habent; Zahn. *c. 65. n. 14.* neque contrà Magiſtratum imponentem, ſed tantùm moderamen petere poſſunt: vid. Mevium *VI. Dec. 170.* Utiquè *novas Gabellas* etiam, victualium nomine, civitates *Municipales*, absquè *superioris conſenſu*, inſtituere non poſſunt. Klockius *c. V. d. Contrib. n. 121. & ſeqq.* licèt *Civitates Imperiales*, cùm quidem cœteris Statibus Imperii tale quid permiſſum non ſit, Gabellas ejusmodi, quibus etiam *tranſeuntes* & peregrini graventur, poſſint inſtituere, idem Klockius *d. l. n. 180. ſeqq. & Capitul. Leopoldina*, quæ rationem quoquè exprimit. Deniquè, quod nonnulli docent, eos qui defraudant vectigalia, non peccare in *conſcientiâ*, quia pœna apponatur in bonis, adeoquè lex ſolùm tribuat Principi Jus ad rem ſeu fiſco in fundum, ſi fraudator depreheuſus fuerit: illud vèrò repugnat *præcepto* divino reddendi vectigalis *Rom. XIII. v. 6. 7. Matth. XXII. v. 21.* vid. Oſiandr. *ad* Grot. *L. II. c. 19. §. 16.*

CAPVT VII.

De

His quæ exteri ſibi invicem debent. *

* *Vid. ſuper hoc cap. Grot. lib. 2. cap. 2.*

ARGVMENTVM.

Citra omne factum & pactum exteros ſibi invicem teneri ad ea quæ neceſſitas poſtulat, modo alter carere poſſit. 2. & quæ ſunt innoxiæ utilitatis. 3. quæ ad propulſandum à nobis evidens periculum requiruntur, ut munimentum in ſolo pacato capi liceat, ſub cautione certâ, an poſſit vicinus Rex impediri, locum in ſuo munire nobis vicinum, aut regionem nobis vicinam occupare. Quo ſenſu jure Romano capti à populo nobis pace nec bello cognito in ſervitutem redigantur.

I.

HAbemus civitatem legibus ordinatam, à Magiſtratibus adminiſtratam, Judiciis pacatam, pecuniis inſtructam. Non deerant, quæ plura de internâ adminiſtratione dicerentur, ſed compendio conſulen-

ſulendum. Sequitur, quid juris publici adverſus exteros, qui ſub eodem nobiſcum imperio non degunt, cuique civitati ſit obſervandum. Quâ in re primô videndum, quid juris ſit, ubi nullum fœdus, nullum factum aut pactum inter nos & alienigenas interceſſit.

II. Et primô, *quæ neceſſitas poſtulat* (*a*) ea ſibi invicem exteri debent: proinde, ſi qua civitas fame laboret, frumentum à vicinis petere poteſt, precio tamen juſto, modò illi non laborent pari neceſſitate. Idem in aliis rebus: & ex negatione, belli cauſa naſcitur. Ratio eſt, quoniam proprietas rerum, quæ initio humanæ ſocietatis communes erant, conſenſu generali eſt introducta, nec patet ulterius, quam ille conſenſus ferat: atqui non eſt dubium, quin ea voluntas omnium fuerit, ut inſtitutum ſalutis communis ergo receptum ne duraret in perniciem hominum, ipſamque neceſſitatis legem ſubigeret. Ex eâdem causâ, ſi quis populus virorum ſit, is matrimonii copiam, quâ ex ſe frui nequit, *jure petit à vicinis:* (*b*) ideoque Romani bello potius juſto quam raptu perfido contra Sabinos agere debuiſſent.

(*a*) QVÆ NECESSITAS POSTVLAT. Non aliter *Molina* proceſſit, quando in *Tomo I. d. Juſt. & Jur. Diſp. 105.* aliis in res noſtras citrà factum noſtrum Jus competere docet in caſu 1.) graviſſimæ neceſſitatis & 2.) utilitatis innoxiæ, vid. *§. 3. b.* Equidem neceſſitas aliàs quoquè multum valet contrà juſtitiam, ùt *Quintilianus* ait, Declam. *260.* Strictam videl. illam & *regularem:* Cœterùm *Jus* quoquè parit *benignum* illud & extraordinarium, quò non tantùm diſpoſitionem circà res *nonnullas* Legis *Rhodiæ* referunt, in quibus *contributio* ne quidem debetur: ùt eſt conſumtio *cibariorum:* (ſiquidem illa neceſſitati communi impoſita navi videntur, & in ſocietatis commodum deſtinata,) ſed & in cœteris Legis *Rhodiæ* capitibus, dum ſaltim jus eſt mihi, res *alienas* in mare projiciendi, *Juſtitia* ea ratio ſe exſerit; nec minus in his, quæ *in conſequentiam* ejus introducta ſunt, veluti quòd vicini ædes ad incendium à meis avertendum diruere poſſum. Similiter *damni infecti* aliqua huc pertinent, item quòd *viam* de fundo ſuo alius mihi invitus concedere tenetur, ſi exitus aliò non pateat. Sic & quoad homines ipſos, ſi duo tabulam unam navis occupaverint, quæ utrumquè non capit, abstrudere alterum licebit, ut nos ſalvi ſimus: & pari ratione obterere intermedium, ut ex perſecutione hoſtis mei, cùm aliter non liceret, evadam. vid. Puſendorff. *L. II. c. 6. n. 3.* ubi tamen quando neceſſitatem efficere poſſe tradit, (licèt ſubdubiè,) ut *jugulare* liceat unum ex navigantibus *famis* ſedandæ causâ, per ſortem, utiquè rectiùs *negativam* ſimpliciter adſtruxiſſet; Nec enim *ſcelus* neceſſitatis causâ committendum eſt. Utiquè *publica neceſſitas* majorem habet juſtitiam, & ideò Dominus territorii naves prætervehentes, item advenarum currus & equos, cogere poteſt in caſu neceſſitatis, ad uſus ſuos, etiam citrà mercedem, ſi præſtari ea nequeat; ut tamen ſinè gravi vectorum damno ſiat, & quà aliàs commoda admiſſionis peregrinorum ex hoc quadantenùs compenſari videntur; adeoquè non ex jure quodam *Communionis reviviſcentis:* quò hæc talia *H. Grotius* ex parte retulit; ſed jure potiùs *imperii*, idquè in tantum, ut etiam ad loca periculoſa & infecta, ad exercitum ſcilicet vel aliâ exigente neceſſitate vectores ejusmodi mitti poſſe *Ripa* docuerit; quanquàm hoc non niſi magnis cautelis & reſtrictionibus aſſerendum ſit. vid. Perez. *ad Cod. tit. de nav. non excuſandis.* Quid autem, num quis in extrema famis neceſſitate, in quam præter culpam propriam incidit,

cidit, jus habet rem alii subtrahendi, ut ob hoc in Crimen *furti* non incidat? Equidem nonnulli ne quidem extremam necessitatem requirunt, sed *gravem* admittunt, uti *Dicastillo*: qui etiam putat, posse furem ejusmodi si impediri velit, ipsum Dominum occidere, quamvis cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Lib. II. de Just. & Jur. Tract. II. Disp. 9. Dub. 9. n. 257. & seqq.* Quos *Hug. Grotius Lib. II. c. 2. §. 6.* in hoc quidem sequitur, quòd *furtum* surripiens ille non committat, & quidem ob hoc, quasi *communio* illa *primæva* reviviscere videatur. At verò nullam unquam ejusmodi *communionem* fuisse, quam & *Lessius* in hoc articulò supponit; nec *dominium* instituti *humani* esse, sed juris *divini* naturalis & moralis, *superiùs* ostendimus. Necessitas etiam licèt extrema, nedum gravis, morbi, famis, nuditatis, rem meam *alterius* efficere non potest, quùm potius rei alienæ contrectatio *furtum* constituat, quâcunque intentione illa ipsi surripiatur: nam & hic *lucrandi* animus, i. e. cupido alieni versatur, nec privatus in facultate illâ dominii, quæ ex jure universali pendet, dispensare potest. Non etiam sequitur: ex *charitate* dominus rei tenetur egeno in necessitate succurrere. E. hic sumere sibi potest, quô indiget: een non sequitur: Princeps imperare benignè tenetur. E. subditis ad hoc eum cogendi jus competit: peti solùm & urgeri hoc potest; quò demum respicit *Prov. III. v. 27.* etiam à Magistratu, quippe quòd simus dispensatores bonorum à Deo constituti, & *Eleemosynarum* sua sit *necessitas*, quod *Franzkius* integrâ *Resol.* optimè deduxit: Exhinc autem egeno in rem nil juris est, ita ut si vel maximè unquàm primi extitissent divisores, egeno propriam invasionem non permisissent, sed dominis injuncturi fuissent concessionem superflui: Quid quòd ipse *Grotius d. c. 2. §. 9.* surripienti in casu, in quo desinit ejusmodi necessitas *restitutionem* injungat: ex quo sanè non oportet rem fuisse ei debitam, nec enim nunc obligatio de novo nata dici potest, si non principium debiti ex ipsa surreptione protinùs nasceretur. Facessat itaque *Pufendorfius L. II. c. 6. §. 5. & 6.* quando à furti crimine surripientem in casu, quô à locuplete rem obtinere precibus non potuit, immunem esse, docet, & *divisioni* primævæ hoc adscribit, non item *communioni cum Grotio & cæteris*, quia aliàs, inquit, domino, qui pari necessitate premitur, posset adhuc rem alter eripere, velut in medio positam & communem. Sed & fundamento *Pufendorfii* ea, quæ antè diximus, officiunt: & quanquam ipsum Franzkium *II. Resol. 7. n. 33.* item *Wissenbachium* ad *Tit. d. furtis.* non minùs, quoad rem ipsam, *Grotio* accedere videamus; tamen nil ulteriùs hi moliuntur. *Textibus* autem nonnullis ex jure *Canonicô* in *cap. 3. X. d. furt. c. XXVI. Dist. 5. de Consecrat.* & *can. fraternitas. caus. XII. qu. 2.* Riemerus *Decad. 12. Qu. 4.* satisfecit, vide etiam *Seldenum, Lib. VI. cap. 7.* & *Taborem Racem. 3. Crim. n. 36.* & in *Armam. p. 319.* qui nobis adstipulantur. Itaque *furtum* omninò surripiens ille committit, quanquàm cessante improbitate *pœnalem* actionem meritò non subeat, nec quoad *rem* ipsam restituendam priùs quàm ad hoc idoneus fiat, adstringatur. *vid. Ord. Crim. in art. 66.* ibique Matthiam *Stephani* & *Bachov. Vol. 2. Disp. 30. th. 3. lit. H.* Nec putem eum solùm quoad forum exterius, sed etiam in forô interiori *conscientiæ* ipsum à pœna liberum posse pronunciari, licèt *Osiander* dissentiat, *ad H. Grot. Lib. II. c. 2. §. 6.* nisi quà *appetentia alieni*, etiam in contractibus, pœnam coram Deo meretur; quô intuitu sententia Osiandri admitti potest.

(*b*) JURE PETIT A VICINIS. Ita *Grotius L. II. c. 2. §. 21.* quem *alii* refellunt, quòd ita parentum libertas, nec non liberorum, concutiatur, tum & utriusque partis religio moresquè diversi esse possint: & quanquàm alteri jus esse queat matrimonii; non tamen esse determinatè hujus vel illius. *Grotium* quoquè Exemplum *Benjaminitarum* non juvabit: nam hos non Jure G. se niti putavisse, sed peculiari Reipubl. communis, ob unionem tribuum attendendum est. *vid. Judic. c. XX.* Itaquè hic multa supponenda sunt, ut nil se. supersit præter nudam *invidiam*, quam ut inter Gentes feramus, ratio communis propagandi generis humani non patitur. Equidem *LL. Romanæ* eum *peregrinis nuptias* non admittunt, non quidem ut prohibitæ esse reperiantur, sed solùm quòd peregrini & in Civitatem non recepti *civilibus* effectibus nuptiarum frui non possent: Ut non opus sit cum Pufendorffiô *L. III. c. 3. §. 13.* ad alias rationes confugere; veluti quòd conditionem fœminarum & copiam peregrinis fuisse, Romani supposuerint, quòd splendorem prætexuerint familiarum, & ut Romanæ mulieres maritos faciliùs invenirent, nec opes extrà civitatem aliò transferrentur. Quod verò *Sa-*

binos attinet, in raptum fœminarum Sabinarum valdè invehitur *Augustinus L. II. cap. 17.* & *L. III. c. 17.* de *Civitate Dei.* & cumprimis libertorum matrimoniorum, infamem & indignam Romanorum sortem, hospitalis fidei sanctimoniam, & huic adversam fraudulentæ deceptionis feritatem, urget. Ubi quidem de *libertate matrimoniorum* ea habenda sunt, quæ antè diximus. De cœtero quamvis varias causas, quibus raptum hunc tueatur *Pufend. d. l.* adferat; tamen rationes *Augustini* satis prægnantes sunt, præcipuè quòd ludorum festivitatem dolosè mentiti Romani fuerint: cui malè reponunt alii, quòd deficiente superioris judiciò modus acquirendæ rei, quæ jure cuiquam debetur, *promiscuus* sit, nec an per vim an dolum acquiratur, referat; perfidiam verò non esse, nisi fides data fuerit, quò factô demum Jure suo quem semet abdicâsse, vel vindicationem ejus ad certum tempus suspendisse, videri: Nam utiquè à *perfidiâ* raptus ille alienus non est, cùm *fides hospitalis* super omnem utiquè fidem sit. Ex quo rectè *Auctor* cum *Augustino* sentire videtur.

III. Secundò, quæ sunt *innoxiæ utilitatis*, (*c*) ea jure à quovis populo petuntur; quidni enim, ut rectè Cicero, quando sine detrimento suo potest, alteri communicet, in iis quæ sunt accipienti utilia, danti non molesta? Hinc non modo ignis & aquæ copia indigentibus danda, sed & *transitus per terras* (*d*) & aquas patere debet, qui hoc transitu opus habent ad causas justas; modò cautionem securitatis sufficientem petentes præstent. Nec quidem *vectigal* (*e*) transeuntibus imponi potest, nisi quod respectum ad sumptus ob illum transitum faciendos habeat, denique nisi præscriptione immemoriali jus illud acquisitum sit. Sed & *commoratio ad tempus*, (*f*) imo & perpetua habitatio his qui sedibus suis pulsi sunt negari non potest, modo imperium agnoscant & recipi possint. Imo & terræ à populo non occupatæ per fundos, sed tantum *imperio tenus*, (*g*) non videtur ejusmodi exulibus neganda, supposito semper id tuto fieri posse. Nam ut quisque suum occupavit quod securè teneat, non minus primævâ hominum conventione statutum videtur, quàm ut res dividerentur: ideoque hujus rei cautio semper excipienda est. Hinc tempore belli jure suscepti, licet occupare locum *in solo pacato situm*, (*h*) quoties certum periculum est, ne hostis eum locum invadat ac inde gravissima damna infligat, multò magis si jam hostis eum teneat & inde nobis noceat. Sub hac tamen cautione, ne plus quam custodiam nobis arrogemus, relictis domino vero fructibus & jurisdictione, periculoque cessante, locus restituatur. Neque sumptuum nomine qui in custodiam sint facti locum retinere licet, nisi & cives domini veri præsidio nostro manifestè ab injuriis vindicati fuerint.

(*c*) INNOXIÆ UTILITATIS. Conf. *H. Grotium L. II. c. 2. §. 11.* ubi quidem malè fundat illam utilita-

utilitatem in revivifcentia *communionis primævæ*, cùm potiùs res illæ, quas ibi defignat, ob naturam fuam, ex intentione Dei, & conditione ipfarum rerum, femper in communione, h. e. ut cujusquè *omni tempore proprie* fieri poffent, fubftiterint: ùt ipfe de aquâ profluente *§. 12.* fatetur. Etenim rerum ejusmodi ufus in plures fe diffundit, finè labore & induftriâ, & citrà detrimentum aut imminutionem commodi alieni: ac præterea quædam *humanitatis* funt, fi non tantùm ad res, fed etiam ad jura feu facultatem, innoxiam ejusmodi utilitatem referas; ùt funt erranti viam monftrare, lumen de lumine accendere, quod tamen utrumquè non femper innoxiæ utilitatis eft: indequè, cùm fuerit ex humanitate, tanquam parti unius corporis, præftari debet. *Inventum* verò quoddam, licèt faluberrimum, ùt aurum conficiendi, & fimilia, ut quis *communicet*, non tantùm non à privato, fed nec publicò nomine quis cogi poteft; fi non ob aliud, faltim ob hoc, quòd nec publico expediant, quibus commercia omnia & patrimoniorum ordo turbaretur. Quod *res* ipfas attinet, etiam de iis diftinctè fentiendum eft, fic enim aqua non ubiquè *utilitatis innoxiæ* haberi poteft. Undè Mofi etiam Idumæus aquam non injuriâ denegaffe exiftimandus eft, (*Judic. XI.*) in regione fiticulofa, & pro toto exercitu.

(*d*) TRANSITVS PER TERRAS. Diverfæ quæftiones funt de *tranfitu* fingulorum vel paucorum & *inermium*, & de tranfitu *exercitus*: *priorem* quidem concedendum effe, faciliùs afferi poteft cum *Grotiô*, *Lib. II. c. 2. §. 13. & c. 1. de mari libero*, five illud fiat ob commercia, five ob cupidinem luftrandæ nationis exteræ: de quâ caufa plures dubitant. Nam utiquè ad colendam focietatem humanam *peregrinatio* impediri non debet, modò noxa abfit morbi, fceleris, latrocinii, religionis turbatricis. Quod verò *commercia* attinet, quorum caufa favorabilior eft, etiam ob hæc tranfitum concedendum effe, verius eft. Nec enim ut lucrum meum minuatur, alteri medium, quô unicô gaudet lucrandi, præfcindere fas eft, nec nuda utilitas mea jus mihi facit adverfus alterum. Quid quòd per accidens lucrum unius gentis minui poffit, commercandi verò ratio per fe omnibus debeatur: prout quis non ferret opificem conquerentem, quòd alter, ejusdem artis beneficiô, commoda ejus ipfi evertat. Interim *Stapulam* imponere gens intermedia mercibus transvectis poteft; velut *vectigal* Juri Gentium non minùs congruum eft: nec tamen ut *omnes* merces *venum exponi* debeant, (nam ita neceffitati tranfeuntis in fuo non confuleretur,) fed tantùm ut pars aliqua. Difcrimen verò inter merces *neceffarias* & luxum inftruentes fieri non debet. Quid enim hoc ad Rempubl. intermediam, fi in altera *luxus* foveatur? Et quisnam judicaverit, num unum alterumvè in caufa luxus cenferi debeat? maximè ubi Gentium diverfi mores & inftituta reperiuntur. Ipfa tamen Gens tranfiens, fi quæ in copia habet, ea ut vendat priùs, cogi utiquè poteft. Proindè non obftat, quod obvertitur, indigentiam alterius ipfi adverfus me jus parere non poffe: nam hæc petit id, quod eft in principio. Non etiam quòd poffint notitiam aucupari peregrini rerum noftrarum: nam eandem accipere hoftes quoquè poffunt ex captivis: imò quæ arcana ftatûs funt, à Civibus clàm haberi debent. Regulæ autem morales omnes, eò quòd bonæ funt, & ad virtutem ducunt, communicabiles habentur. Quòd fi morbos diffimulari poffe dicas, etiam cives fi domum peregrè redeant, diffimulare eos poffunt, & hinc Quarantanæ plerisquè locis frequentantur. Quæ omnia efficiunt, ut etiam moram quandam adventantibus concedi oporteat; fiquidem fi corruptelæ noftratium ex moribus peregrinorum metuantur, obfervatores conftitui, & fpatium certum commorationi præfigi poteft. Interim cum *Francifco de victoria*, Profeffore Salmanticenfi (*Prælect. V. de Indis noviter inventis*, *fect. 3.*) ad *Hifpanos* concludere non licet, qui navibus ingentibus, nunquàm vifis, ad littora *Americana* accedentes, infuetis armis pariter ac veftibus inftructi, nec linguæ gnari, ab Americanis *juftè repulfi* funt. Cauti funt *Japonenfes*, quando peregrinos etiam cum navi unâ alterâve admittunt, fed ut *naves* protinùs Commiffariis Regni relinquantur. Illud equidem *diffentientes* adventanti denegare non poffunt, quòd jactatum mari & pulfum ad oras peregrinas, fi morâ quâdam ad reparandam navim vel reftituendam valetudinem indigeat, excipi, & tempus neceffarium ei indulgeri oporteat. Præterea quæritur: an Gens una cum Gente altera pacifci poffit, ut certi generis *merces ei foli* vendat? Permittit hoc *Grotius Lib. II. c. 2. §. fin.* ubi fpeciem ponit in fructibus, qui alibi non nafcuntur, & reftringit fenten-

 tenti-

tentiam suam, ut debeat parata esse Gens illa, quæ soli sibi id genus mercium pacta est, aliis easdem æquô pretiô vendere. Enimvero sicut nonnulli illô *Grotii* locô ad hoc abutuntur, ut ostendant, non posse populum quendam *cogi* ab exteris *ad commercia*, quoniam hoc ipso pactô *Grotius* admittat, omnes præter unam gentes ab aliquo commerciorum genere excludi posse; (quanquam *H. Grotius* traditionem suam dictâ *restrictione* juvare nitatur) ita sanè pacta ejusmodi vix probari posse videntur, neque *Grotium* juvat *Pufendorfius*, quando ait, hoc impedimentum libertatis non fieri per violentiam, nec etiam immediatè, sed tantùm mediante conventione cum alio, & sic per indirectum. Nec enim interest, quocunque modô libertas impediatur. Quid quòd *Grotius* ipse in *cap. XII. de mari libero.* jam antè contrarium *contra Hispanos* defenderit, qui apertè tunc profitebantur, teste *Seldeno Lib. II. c. 20. de mari clauso* se populos cæteros à commercio cum *Indis* prohibere posse: adeò ut, in *Jure Belli & Pacis*, *Grotium*, pro *Belgis* suis, qui posmodùm non minùs commercium in *Oriente* sibi *solis* pacti fuerant, locutum esse oporteat. Quid autem de transitu non singulorum, sed integri *exercitûs?* Pufendorfius *L. III. c. 3. §. 5.* transitum exercitui denegari jure posse, contrà *Grotium*, adstruit, qui ex communione rerum primævâ malè rem deducat. *Cautiones* esse inanes ac difficiles, iisque vel maximè præliiis, periculi plenum manere transitum, etiam ob vicinos, imò hostes transeuntium. Hinc unicè, quando vires nobis desint, resistendi, instantiæ transire volentium nos cedere, & tunc excusationi, ratione vicinorum, aliorumque quorum interest, imbecillitatem nostram deservire, posse. Equidem *H. Grotium d. cap. 2. §. 13.* non tantùm, quòd in fictitiâ illâ communione se fundet, verùm etiam ob hoc in materia *transitûs* minùs rectè procedere, apparet, quòd à privato & singulorum transitu, ad eum qui integri exercitûs vel populi est, procedat. Nam licèt privato facilè negari transitus non possit; tamen in exercitu secùs est, si *justus metus* fuerit, qualis utique semper esse potest, ut vix unquam causa non justa recusandi detur. Unde nec *exempla Grotii* quadrant: Nam *Moses* ab Idumæo jure fraternitatis transitum petere poterat, & ratione miserationis diuturni itineris, tùm & de manu Dei, in illô populô, satis constabat; adversus *Amoræos* autem bellum non fuit justum, ob denegatum transitum; sed quia populus ille finibus suis egressus injuriis Israelitas affecerat. *Jud. XI. v. 20.*

(*e*) Vectigal. Probè hunc articulum expendit Pufendorf. *Lib. III. c. 2. §. 7.* ubi, non eand. vectigalis *maritimi* rationem esse, quam *terrestris*, ob sumtûs videlicet aliosque respectûs diversos, ostendit.

(*f*) Commoratio ad tempus. De hoc non minùs agit *H. Grotius d. c. 2. §. 15.* eamque admittit, si innoxia, & exindè nobis satis cautum, fuerit: nec minùs *H. Grotius §. 16.* jus *habitandi perpetuum* peregrinis indulgendum esse, docet; quanquam certis conditionibus: quibus tamen cumprimis conditio *religionis* addenda est, tùm & multitudo attendenda, & causa impulsiva mutandæ sedis, an necessaria illa fuerit? simul etiam an felicitas agri nostri tanta sit, ut recipi illi possint: an bene habitaturi simus? an turba ignava sit? an locari & disponi possit, absque periculo nostri status, an si ubertas fuerit, perstitura ea in longum videatur. Igitur si multitudo nocitura sit incolis: si religione, vel moribus dissideat: si vitiis naturalibus aut moralibus affecta sit, aut Status nostri ratio id non patiatur: habitationem peregrinis concedere non oportet. Num vero, quod *Molina* docet, apud *Grotium L. II. c. 2. §. 22.* impediri non possint illi, qui *veram religionem* afferant? qu. Saltim non posse impediri prædicatores, videtur: si de integro populo ambigatur: Interim quò minus ut *Evangelium* quoque ubivis terrarum prædicent, recipi debeant, meritò dubitatur. Neque enim illi habent Jus prædicandi pro omni tempore: sufficit obtinuisse illos certis quibusdam Periodis, Deo visis, in Adamo, Noacho, & tempore Apostolorum. Et quidni Reges exteri, qui Majestate valent, etiam *de sacris* in suo disponere possent; quanquam omninò male agant, Evangelium à se repellendo; quod tamen invitis etiam obtrudendum non est. *Matthæi VII.* De cætero, quod Pufendorf. *L. III. c. 3. §. 9.* tradit, si nos ad aliam Gentem commeare non cupiamus, quòd tunc etiam nos eidem in nostrô aditum non debeamus; præterquàm in necessario & gravi casu: ex illo *libertas* ea ad alios commeandi, quam *suprà* adstruximus, convelli non debet. Nam sanè amicitiæ, & commodiùs atque cultiùs vivendi desiderii, ratio, contrarium satis evincere potest. Non *obstat*,

obstat, quòd privatus quem arcere possit à suo fundo, licèt nullius periculi metu. Nam diversitas ingens ratione commodorum & incommodorum est: siquidem privatus, quem arceo, ab aliis civibus obtinebit, quod à me non potest. Gentes verò integræ quandoquè subsidiô quodam, quo carere non possunt, indigent, & indignum adeò foret, alterum ex mero beneplacito nos ab his, quæ nobis necessaria sunt, arcere posse: multò minùs ut nos ille arceat à cultu Correspondentiæ & nexu humanitatis: nam quoad *commercia* quidem, satis certum est, tantò liberius nos Gentem exteram ab eodem mercium genere arcere posse; licèt quod ad eam rem, eò commeare non cupiamus; modò merces illæ respiciantur, quibus ipsæ facilè cariturae sunt; ùt sunt equi pulcherrimi, arma certi generis, & similia. Quin & ea prohiberi possunt, quò minùs exteris dimittantur, quæ licitum & necessarium usum habent, si ipsimet illis indigeamus, ùt vinum, oleum, lana, ferrum: prout etiam Nostrates prohiberi possunt, ne ab aliis certum genus mercium emant, scil. ne effœminentur, vel ipsi solertiam dediscant. Unde malè *Francisc. Victoria* simpliciter asserit, *Hispanis* jus merces importandi in Indias fuisse. Sed an unus præ alio admitti possit? qu. Potest excludi unus alterve, si delictum præcesserit. *H. Grotius L. II. c. 2. §. 22.* Imò etiam aliàs quoad ea commoda prærogativam quibusdam concedere licet, quæ ex voluntate superiorum pendeat, ùt in effossione auri & similibus: qualia tamen, quando omnibus promiscuè concessa fuerint, utiquè ab illis Gens una sola excludi non potest.

(*g*) Imperio tenus. i. e. quæ Imperio nostro occupatæ sunt, sed ut nemo eas colat, & nec publico nec privato nomine possessio illarum exerceatur. Rem ipsam quod attinet, sententia hæc *Auctoris*, quam & *Grotius L. II. c. 2. §. 17.* tenet, utique reprobanda est. Nam *planè sterilem* locum non occupabunt, sinè periculo incolarum: *aliquatenus* sterilis, qui culturam admittit, quidni relinquatur incolis, qui nec cultus esse potuit, vel defectu hominum vel electione partis melioris, aut ob calamitatem morborum, belli, & similium: ita ut quamvis *Auctor* hic supponat, quòd tutò illud fieri posse debeat: vix tamen species ejusmodi reperiatur, in quâ periculum non opportunum sit. Proinde non est ferè, ut Quæstio, nisi quàm plurimis restrictionibus affirmari possit. Et haud dubiè inanis iterum est illa, quàm *Auctor h. l.* à communione primævâ petit, ratio.

(*h*) In solo pacato situm. Sic iterum *H. Grotius Lib. II. c. 2. §. 10. & Lib. III. c. 1. §. 2.* ubi & cautionem illam, quam *Auctor* habet, adjicit. Interim, cùm præsidiariorum petulantia satis quandoquè coërceri non possit, collusio quoquè cum vicinis, adversus ipsum dominium loci, aliquando oriri, & periculum exindè non minimum ei creari, queat. Hinc æquitas flagitat, ut priùs domino denuncietur, quò locum custodiat, oblatis etiam sumtibus, aut inutilem saltim ad recipienda præsidia, eum demoliendô vel aliter faciat. Sumtus vero illi, si vel maximè concesso loco à nobis fiant, repeti non possunt. Sanè *Bœclerus* ad *d. Grotii* locum, docet, quòd nemo ad occupationem ejusmodi permittendam teneatur; tantùm quòd veniam faciliorem mereatur is, qui necessitate securitatis suæ locum occupaverit: Nec enim nos securitatis alienæ gratiâ teneri, ut nos periculo suspectæ conspirationis involvamus, ipsisvè belli malis, si occupans ille rursus exturbetur: neque & cogi quem posse, ut hospites recipiat, quibus leges dare nequit: quæ *Bœcleri* sententia satis proba est.

IV. Videndum, ne non ex eodem fundamento rectè statuatur, posse vicinum impediri, ne in suo solo sine aliâ causâ suâque evidenti utilitate munimentum nobis propinquum exstruat, aut aliud quid faciat, unde justa formido periculi oriatur, idque non minus quam quilibet recte prohibetur aliquid in suo, re suâ non postulante, facere, quo damnum rebus nostris inferatur. Quod tamen usque eò non extendendum, ut bellum promiscuè ad alterius minuendam potentiam, move-

movere *liceat*, (*i*) quomodo aliqui disputant, eodem argumento; quod scil. ex tacito generis humani pacto, idem ad securitatem procurandam quod ad damnum avertendum liceat; enimverò factum aliquod speciale opus est ut accedat, unde animus lædendi probabiliter colligi possit.

(*i*) LICEAT. Ideoque metus ex vicini potentia ad bellum non sufficit. Sufficit autem ad apparatum defensionis, imo ne quidem bellum ex *præventione* excusari potest; nisi ex probabilitate morali de animo lædendi in vicino constet. *Conf.* Strauchium *Exerc. IX. Exot. th. 15.* Equidem in Imperio Romano facilius Principibus de securitate constat, vid. Limn. *Lib. IV. J. P. c. 8. n. 213. & seqq.*

V. Eôdem pertinet quæstio, an Regi aut populo præpotenti, cujus vicinitatem timeamus, impugnanti regionem, qua captâ, nobis & vicinus sit futurus & nocendi validus, ob hanc causam impedimento esse liceat, ne quod intendit hoc obtineat, quod ex eâdem sequelâ video disputari. Responsio est, tametsi, ut se res habent humanæ, in suasoriis hæc causa maximè valeat, tamen justificam per se non videri, siquidem hactenus nihil committitur, quò nostra securitas lædatur, & ex obscurâ futuri mali conjecturâ, *ad bellum*, (*k*) quod est omnium malorum compendium, non festinari, interest generis humani: Excipe, nisi constet, eâ certitudine, qualis sufficit in moralibus, impugnari urbes alienas vel ad hoc maxime, ut nobis deinde noceri possit, quibus forte gratia Polyphemi servetur, ut ultimi devoremur.

(*k*) AD BELLUM. Quoad usquè *fæderibus* absterrere licet Regem alterum; Et hinc non directè aggredi eos, qui vicinis nostris imminent, solemus; sed per indirectum, ut vicinos justiori ratione adjuvemus, aut mediationem offeramus: quam si non admittat aggressor, longè rectiùs deinceps præsumi liceat, ne quidem nobis aliquando eum parciturum esse. Cæterùm *Auctoris* tradita *hoc §.* congruunt H. Grotio *L. II. c. 22. d. J. B. & P.*

VI.* Præterea, quamvis judices exteri in exterorum causis nullo modo sint constituti, tamen jus naturæ permittit, imo jubet, ut iis qui vim injustam ab aliis patiuntur, suppetias feramus, modo tam manifesta sit injuria, ut sine longiori causæ disceptatione calumnia judicari possit, atque ubi talis causa subest, ibi suasoria, qualis ea quæ modo relata est, non male accedere potest. * Quin imò subditis alterius Principis manifestâ ejusmodi injuriâ oppressis auxilio accurrere licet, etiam quando ipsis potestati suæ *resistere non licet*; (*l*) quippe cum impedimentum illud personale sit, quod in exteris cessat; & rei na-

tura

tura ex obligatione universâ humanæ ſocietatis ad illos manifeſto ſpectat.

* *Vid. Grot. lib. 2. c. 25.*

(*l*) RESISTERE NON LICET. De jure videl. quoniam ſubditi ſunt. Et tamen nos etiam illis ſuppetias ferre, (licèt hoc velit *Grotius L. II. c. 25. §. 8.*) non debemus. Quid enim ad nos, de quo rationem Deo redditurus eſt Tyrannus, cujus nec forma regiminis nobis perſpecta eſt, an Deſpotica illa, aut herilis, an Civilis ea ſit, aut pactis vel obſervantiâ quolibet modô deſinita. Quid quòd perniciosum hoc ſit inter Gentes: cùm prætextum nunquam non Reges quærere poſſent, ut belli cauſam inveniant, in adjuvandis ſubditis aliorum: Poteſt etiam cum incommodo ſuppreſſorum hoc fieri, ſive impares ſimus negotio, ſive bello ſuperiores: cùm non modò mala bella ſint omnium malorum maxima, verùm etiam deprecationibus ad Regem, & precibus ad Deum, qui non patitur tentari ultrà poſſe, plus ſubditi, novo & incerto Regimini fortaſſe ſubjiciendi, effecturi fuiſſent. Aliàs omninô cuilibet ſuppetiæ ferendæ, quamdiu tertius innocens non læditur, aut præjudicium ei infertur, in re quâpiam, cujus rationem non hominibus, ſed Deo quis reddere tenetur. Sic enim patrocinari non modò poſſumus, ſed debemus Clienti; opemque medicam ferre ægroto; neque eum, licèt nullâ ſpe lucri, deſerere fas eſt: quò intuitu medicos etiam gratioſos appellare ſolemus. Sed in aſſiſtentia illâ, quæ ſubditis fieri poſſe dicitur, omnia in circumſtantiis aliter habent.

VII. Sed hic ſubit mirari, quod humaniſſimum jus Romanorum, non illud caſcum & obſoletum, ſed optimi ævi tradit; ſi cum gente aliqua neque amicitiam neque hoſpitium neque fœdus amicitiæ causâ factum habemus, ſi quod ex noſtro ad illos pervenit hoc illorum fieri, & liberum hominem ab eis captum fieri ſervum eorum, idemque eſſe, ſi ab illis ad nos *aliquid perveniat* (*m*) *. Niſi Hobbes contemneret jus Romanum omnemque auctoritatem, nihil aptius ad jus ſuum Naturæ, quo ante pactiones nihil injuriæ poſſe committi, ſed omnibus omnia adverſus omnes licere diſputat, confirmandum proferre poſſet. Dicendum videtur, JCtos loqui non de eo quod juſtum ſit jure interno, ſed de eo quod inter populos diverſos pro ſtatu ſeparato, in quo ſunt, jure videlicet externo, vertitur, quatenus inter homines agi ſolet, & quidem cum effectu, quia partes non ſunt uni Imperio judiciove ſubjectæ, quò læſus in integrum reſtitui poſſit.

* *JC. in l. 5. §. 2. D. de captiv. & poſtlim.*

(*m*) ALIQVID PERVENIAT. Idem ſenſiſſe Marocci & Feſſæ Regem *H. Grotius Lib. III. c. 9. §. 2.* ex *Thuani Lib. 130. ad annum 1603.* recenſet: Atque idem *Grotius L. 2. c. 15. §. 5.* textum *Juris Romani* hic *citatum*, ſatis bene explicat; quòd videlicet, poſtquam tempore aliquô cognatio inter homines naturalis obliterata fuiſſet, ut latrocinari & *prædas* agere in externos pro licito haberetur, ideò *fœderibus* opus fuerit, ad idem denuò reducendum, quod Juris naturalis fuerat: ſicuti videamus Veteribus olim cautum fuiſſe, ut utrinque è jus *hoſpitii* ut & *commercii* eſſet: idque ſæpius nomine

mine Juris *naturalis* venire. Inter *Græcos* equidem quàm maximè hunc Scythismum seu Tartarismum, vel *prædatoriam* obtinuisse constat. Et ipse *Aristoteles Lib. IV. Pol. 4. Nonnullis* hunc morem probâsse videtur; quem tamen *de facto*, ùt ex *cap. 8. eruunt*, locutum esse, *alii* censent; ùt Tabor in *cap. 6. Arm. th. 24.* ubi de cœtero *jus* illud *bestiale* appellat: quod ne *in Romanos* quadret, cum *Auctore*, de jure *externo* accipiendum est: vel rectiùs dicendum, *Romanos* aliter non potuisse, quàm ut in vicem talionis eum Gentibus aliis, à quibus artem hanc *prædatoriam* patiebantur, hunc in modum agerent; quin potiùs *Romani* studebant, jus illud naturale & cognationem humanam, à naturâ præceptam, fœderibus, hospitio, amicitiâ, & commercis reparare: prout etiam sequentibus temporibus robur subindè reparatio illa sortita est. Cum *Hobbesiana* autem hypothesi malè *Jus Romanum* confertur: Nam *Hobbesius* inter *singulos*, & quidem ex ipsa naturâ, *prædatoriam* adstruit; nequaquam tale quid *Romani*, qui non tantùm *inter se*, sed & cum aliis Gentibus tranquillè agebant: & quidem inter Gentes, nisi ab his ipsi lacesserentur: neque verò *prædatoriam* illam ullibi videmus *naturæ* dictamini à *Romanis* adscribi, quin potiùs eam in remedii vicem adv. exteros adhiberi in Republ. Romana oportuerit. Atquè adeò, quod *Hobbesius* securitatis tàm in civitate, quàm extrà eam, *ex pactis* deduxerat, istud *jus* ipsum *naturæ* jam dictitare *Romani* satis noverant; quòdque etiam *ante pactiones* injuriæ & injusta committi possent.

VIII. Sed interim adeò nec piè nec juste fit hoc, ut si res repetantur, neque restituantur, tum *puro pioque duello*, (*n*) ex formula antiqui juris fecialis recuperari possint.

(*n*) PVRO PIOQVE DVELLO. Ita *bellum* accipiebatur, ùt *Boxhornius* habet *Diss. d. Republ. Romana VI.* ubi formula Fecialium: quorum Jus *Numæ* jam temporibus Romæ observabatur, & de ritibus eorum *Rosinus* legi potest, *Lib. III. Antiquit. Rom. cap. 21.* ibiquè *Dempsterus*: & simul quemadmodum jus *Feciale* populi *Romani* à Jure cæterarum Gentium diversum fuerit: (quarum plures quidem Scythismo illô, neglectô omni jure Feciali utebantur) & quidem apud *Alberic. Gentilem L. II. d. J. Bell. cap. 1.* &c. Formula sic habebat. *Res nec solverunt nec dederunt nec fecerunt: quas res dari, fieri, solvi, oportuit, ideò puro pioquè duello illas quærendas censeo, consentio, consciscο. Conf.* Brisson. *L. IV. Formularum.*

IX. In summâ quicquid Jus Naturale, Divinum, jus Gentium dictat, ad hoc populi *principesque diversi* (*o*) erga se invicem obligantur, quicquid prohibetur illis, hoc nefas est.

(*o*) PRINCIPESQVE DIVERSI. Huc duo præcipuè capita inferenda sunt, unum de *sepulturis*, alterum de *præcedentiâ*. Et *sepulturas* quidem quod attinet, non tantum quòd homines humo potiùs seu terræ mandari quàm inhumati abjici aut cremari debeant, deduxit *Junius* in *Quæst. Polit. 109. & 111.* & quòd apparatu & Ceremonia id debeat fieri: *Qu. 113.* sed & quâ ratione *Juris divini* sit, cum resolutione *textuum* oppositorum, pleniùs ostendit *Osiander* ad *Lib. II. c. 19. H. Grotii* §. 7. *& seqq.* tùm & quod *Gentes* sibi *invicem* & hostibus quòque, ex ratione humanitatis, sepulturam debeant: *H. Grotius d. c. 19. §. 3.* satis probè ostendit; ubi simul: an insigniter *facinorosi* & αὐτόχειρες sepeliri debeant, disquirit. In *Præcedentiâ* autem, quibus ea fundamentis præcipuè nitatur, post alios, de quibus ad *Bœcleri Notitiam Imperii* mentio *facta* est, inter *Dd. Juris Gentium* industriam suam impendit Pufendorfius, *Lib. VIII. d. J. N. & G. c. 4. §. 13. & seqq.*

CAPVT

Caput VIII.

De Legatis.

Argumentum.

Definitio & differentia legatorum. Quæstiones de illis duæ ventilantur, prima, an, & quibus ex causis non admitti possint; dein, an unquam ullâve causâ lædi vel puniri queant ab iis ad quos mittuntur, an res eorum à creditoribus detineri.

I.

Dictum de jure quod inter populos nullo facto aut pacto sibi cognitos ex sola humani generis cognatione intercedit *. Sed quia summopere omnium interest populorum commercia amicitiæque officia propagari, aut si bellum sit ortum, id quamprimum componi; quos fines absque internunciis adsequi non licet; ideo Legati *jure Gentium* (*a*) eximio jure, sunt præditi; quâ re nihil apud omnium temporum scriptores magis testatum. Est autem Legatus, nihil aliud, quam nuncius publicus, vel si definito opus, Qui cum mandatis publicis ab eo, qui summam habet potestatem, mittitur ad exteros. Quatenus summa potestas *in mittente* (*b*) requiritur, diximus in titulo de juribus Majestatis.

* *Ad cap. de legat. vid. Grot. lib. 2. cap. 18.*

(*a*) Jure gent. Sic & *lex 17. ff. de Legationibus* Juri *Gentium* hoc imputat: quod quidem aliqui *suasorium* appellant, ob Majestatem mittentis, itemque necessitatem ac utilitatem humani generis: Nos autem Legatos, apud hostem adeò, ipsô *naturæ jure* inviolabiles esse, jam *suprà* ostendimus, cùm ad Pacem & cætera negotia humanitatis concilianda necessarii sint. Quæ verò Legatis de cætero tribuuntur *privilegia*, ea frustrà juri *Gentium* imputari: puta illi, quod *eximiè* jus Gentium dictum volunt; siquidem ex mera indulgentiâ ejus, ad quem mittuntur, hæc ipsa pendent, seu ex consensu quodam tacito, quò plures moratiores ad similia feruntur: adeò ut si quis Regum, ad quem Legatus mittitur, privilegia mittendo deneget, ob hoc in *jus Gentium* peccare dici non possit; modò non antè ad se venientes prærogativis illis gaudere passus sit, aut tempestivè de eo mittentem adverterit. Sic enim aliud non merebitur, quàm ut ipsius quoque Legati ad alios non nisi *simili modo* habeantur.

(*b*) In mittente. Hinc patet, Legatos non esse propriè dictos, qui à *Statibus Imperii*, quà *tales* sunt, ad Imperatorem mittuntur. Quapropter, cùm in *anno 1529. Protestantium* Legati à Cæsare custodiæ committebantur, non provocarunt illi ad Jus quoddam seu morem inter *Gentes* receptum; sed ad *Capitulationem*, atque sic ad conventionis expressæ jura, *apud* Hordlederum. *Tom. 1. c. 6. n. 8.*

II. Divisio Legatorum vix à veteribus ulla traditur; nisi quod fecia-

feciales & caduceatores aliique nuncii à Legatis difcernantur, qui tamen jure legatorum perinde gaudent. Sed moribus hodiernis varii characteres, *nomina varia* (*c*) ufurpantur, quæ tamen nihil quam dignitatem, jus haud magnoperè variant. Præcipua divifio eft in *ordinarios*, (*d*) qui fedem uno loco moramque longiorem faciunt, ut de omnibus negotiis quotidie occurrentibus agant, & in extraordinarios, qui de certis rebus fpecialiter funt miffi. Illos Grotius antiquis ignotos non ita pridem à Ferdinando Arragonio, cujus fumma confiliorum in explorandis aliorum confiliis erat, introductos, ideoque non neceffarios, forte nec utiles videri fcribit. Hodie tamen ita ufurpantur, ut fine illis amicitia vix ftabilis inter populos diverfos coli videatur, etfi nec minus ufum habeant exploratorum.

(*c*) NOMINA VARIA. Quæ tamen & ipfa jus magnoperè variant, nifi quà in eximium Legatorum genus five *primi* five *fecundi* ordinis fit, incidunt. Equidem *inviolabilitas fola* jus Legatorum non conficit: nam & eâdem buccinatores, tympanotribæ, & Heroldi, fruuntur: *Oratores* tamen item *Nuntii*, à Pontifice miffi, tum & *Deputati*, quos *Respubl. Majeftatica* mittit, ùt Belgarum, *Legati* utiquè funt, licèt *nomen* eorum non fuftineant: de quibus nominum difcriminibus benè egit *Jacobus Thomafius* in *Legato inviolabili §. 7. usquè 24.* & *Culpifius* de *Legat. Statuum, c. 1. & duob. feqq* ubi fimul etiam de *Confulibus Mercatorum* in Emporiis nonnullis, de *Pro-Regibus*, de *Commiffariis*, *Refidentibus*, *Agentibus*, *Ablegatis*, *Miffis* (*Envoyè Gallis*) uterquè agit. Et fatis conftat, quòd fubditi non nifi *Deputatos* & *Syndicos* mittant, Principes verò *ad fubditos* mittant *Commiffarios*.

(*d*) ORDINARIOS. Non rectè *Legatos* ordinarios appellari, *Refidentes* ejusmodi, cùm præcipui ordinis, cum *charactere* fc. perfonæ mittentis, non fint: quàpropter ordinis non fint, Ablegatos feu Miffos ordinarios rectiùs fpecificô nomine Refidentes, & Gallicè Envoyez ordinaires, appellamus. Etenim *Zouchæus* de *Legati delinquentis Judice competente cap. 4. p. 68.* ap. Athenienfes & Romanos, (& prifcis adeò temporibus) adhibitos jam fuiffe, putat; fed malè, per exempla Legatorum, aliquandiu in unô foro commorantium id ipfum probat; cùm deftinatio potiùs mittentis, & receptio ab eo, ad quem miffio fit, refpicienda veniat; & hodiè per plures annos quandoquè Ambafciadores Extraordinarios in aulâ peregrinâ fubfiftere conftet. Hinc Marfelaer, *Lib. II. Diff. 2. de Legatis. Ferdinando*, Arragoniæ Regi, cum *Grotio* inventum hoc *Refidentium* adfcribit: qui de cætero non tàm iniquus eft Refidentibus ùt *Pafchalius cap. 67. d. Legat.* utut ifte periculis has legationes *affiduas* non carere largiatur. Et fanè *Henricus VII.* Angliæ Rex ejusmodi *ordinarios* Legatos in regno fuô *morari* nunquàm paffus eft: ùt *Albericus Gentilis* notat *Lib. II. c. 12.* Utiquè rejici poffe *Refidentes* ejusmodi certum eft; aliter atque Extraordinarios: & hinc in illis pactum fingulare utriusquè partis nonnulli defiderant: quanquàm de causâ efficiente, & quæ fuftineant æquitatem ejusmodi mifforum, peculiare quid afferendum effe non videatur; modò ea obferventur, quæ *fuprà* de admittendis peregrinis diximus. Nam utiquè, ùt Legatis temporariis feu extraordinariis modus Legationis aliquis præfcribi non poteft, ita faciliùs hoc fieri in *Refidentibus* poffe, utilitas ipfa & neceffitas Gentium exigit.

III. Quæfita de Legatis hoc loco inprimis duo funt, prius, an femper admittendi, fecundum, an usque in infinitum inviolabiles. Admif-

Admiſſio legatorum ſine gravi cauſa non poteſt *recuſari*; (*e*) ſunt autem rationes hæ, ſi is qui mittit legationem obtendens verè interim arma intentet: ſi ſceleribus infamis ſit, quæ ratio valet quoque in eo qui mittitur, aut ſi hic aliter ei, ad quem miſſus, nimium ingratus eſt. Denique, ſi cauſa mittendi ſuſpecta, veluti ſeditionis ergo, aut tempus minime opportunum vel dignitati occaſio mittendi minus conveniens eſt. Extra has ſimileſque graves cauſas legatos ſeu belli ſeu tempore pacis admittere nolle, id vero nihil eſt aliud quàm tollere *jus Gentium*, (*f*) ut apud Livium Hanno cenſebat.

(*e*) RECUSARI. Quæ *Auctor* habet, ex *Grotio* modum capient in *cit. cap. 18.* licèt *Grotius ibid.* malè doceat, *Regem bellò victum* Legatos mittere non poſſe: cum tantùm non poſſit *ad Victorem*, qui eundem, ipsò planè devictô, ſe imparem & inferiorem cenſet. An autem *ad Subditos Rebelles* Legatum Reges mittere conveniat? *Boeclerus* expendit, *ad Lib. 1. Hiſtor. Taciti cap. 19. p. 563.* Quod *mittendos* attinet, non poſſe *exulem* ad Principem ſuum mitti, inter omnes convenit. Cœterùm, ſi *mittentes* ipſi criminoſi ſint, item hæretici, iiſdem jura Legationis ſubtrahenda non eſſe, quoad usquè vitia *legationem ipſam* non intrent, magis probata eſt ſententia.

(*f*) JUS GENTIUM. *Jus naturale* potius, quod etiam Hanno Senator Carthaginenſis, dum in Hannibalem invehitur, intellexiſſe potuit: dum ait *Legatos ab ſociis & pro ſociis venientes bonus Imperator noſter in caſtra non admiſit, jus Gentium ſuſtulit.*

IV. Alterum ſingulare Legatis eſt, quod *ſancti* (*g*) ſint, hoc eſt, ut vocis fert proprietas, inviolabiles, cujus rei ratio deſcendit à jure poſitivo Gentium, ut nihil in hiſtoriis occurrat frequentius, quam ſacra legationis, fas Gentium. Et quidem non modò ab injuriis, licet ab hoſtibus veniant, ſed & ab iis moleſtiis, quæ jure illis creari poſſent, liberi eſſe debent. Propter rationem, quia populorum intereſt, quò promptè & ſecurè mittantur, certo conſtare, nullam rem obſtituram, quominus certò tutoque Legati ſint ituri & redituri: ita ut in ſubditorum numero, quales alioqui omnes qui in alterius ſunt territorio, non habeantur. Unde ſequitur, quod non modò in merè civilibus, ut aliqui volunt, ſed ne quidem in his, quæ ſunt juris Naturæ ac Gentium, delictis, *pœnæ ſint ſubjecti* (*h*). Quæ ſententia & hac ratione juvatur, quod ſi liceret ex cauſis crediti vel criminis vulgaris aut machinationis fraudulentæ vel hoſtilis detinere & plectere Legatos, vix unquam deeſſent prætextus perſequendi vexandique illos. Denique & hæc ratio eſt, quod Legati Principem populumve, a quo ſunt miſſi, repræſentent eorumque faciem & auctoritatem præferant,

ut Cicero dixit, quo inprimis firmatur, quod antea dictum, eos quasi extra territorium constitutos videri. Unde si testamentum fecerint, si contractum iniverint, non ex formâ statuti illius loci in quo Legationis causâ commorantur, actus isti nihilominus valebunt. Quare in casu gravioris delicti nihil ultrà in Legatum decerni posse videtur, quam ut finibus egredi jubeatur ac ab eo, qui miserit, puniri postuletur.

(*g*) Sancti. Alii *Sanctos* à *sagminibus*: de quo vide *Thomasium*, *dict. Diss. §. 63.* ùt & de *Cerycüs* Græcorum, sed potior est & uativa magis hæc in *Auctore* deductio.

(*h*) Poenae sint subjecti. Equidem Legatos *puniri* posse videri poterat, his rationibus, si criminum *juris naturalis* reos se reddidissent: quia aliàs non Legati illa foret sanctimonia, sed sceleris. Et velut Princeps in territorio alieno delinquens, sic & Legatus ejus multò magis *proprivato* censendus fuerat, qui nec in delicto Principem suum *repræsentat*, & imò potiùs mandatum Principis sui in eo excedere deprehenditur. Interim verior est *Auctoris* sententia, ut Legatus admissus *extrà Jurisdictionem* habeatur, quousquè Legatum & Pacis Conciliatorem agit; nec respectum huuc amittat, licèt ipse delinquat, & quidem atrociter, vel *comites* ejus; nisi delictum naturæ Legati, quà *talis* est, adversetur, & hostem vel hostilia arguat: sic enim legati personam exuit, quæ cum hoste consistere in actu hostili non potest; siquidem ab hoste etiam missus Legatus pacem quærit aut promovet. Et tamen, licèt possit tractari Legatus ejusmodi ùt hostis, tamen *consultum* magis est, ut si absque pernicie Reipubl. possit, & extrema aliud non jubeant, ad Dominum puniendus remittatur. Non aliter enim, quàm ùt in *salvo conductu*, si in corpus quid decerni potest, securitas delinquentis tollitur: quoniam non etiam cum præjudicio vindictæ publicæ conductus præbitus fuit: ita pariter inviolabilitas Legati eousquè tantùm non cessat, quoad nostra Respubl. non periclitatur; ob cujus securitatem Legatus admissus est. Quod verò *contraria* antè adducta concernit, dicendum est, quòd Legatus non possit videri *in Potestate* Principis exteri positus esse, sed absens potiùs fingatur & exlex ùt *Princeps*, qui ipsum eò miserat. Tùm & publica fides & utilitas Gentium protegere Legatum debet, quæ stare non potest cum *dividuitate respectuum*, eò quòd Legati illa publica consideratio in immensum prævaleat respectui, quô ùt criminosus, si nostram Rempubl. crimina ejus interiùs (& *statum* adeò illius,) non petant, obtegitur. Imò ne quidem in territorio nostro ùt delinquens esse videtur, & quà contrà Domini mandatum peccat, vel voluntati potiùs ejus adversum quid admittit, non alii quàm Domino suo obnoxius est, ad quem ipse puniendus mitti debet. Quid de *Familia* Legati? eam pariter *sanctam* esse innuimus, & si ex eâ aliquis delinquat, coërcitio ejus ad peregrinum Principem non pertinet. An autem Legatus in familiam suam *Jurisdictione* polleat? qu. Quâ talis eâ utique non pollet, quia Majestatem Principis non habet, quâ illa se in subditos ejus, qualis ipse non minùs ac comites sunt, diffundit, sed quatenus ad extraneam Majestatem & cum eâ communicandum *character ille* requiritur, & oportet adeò Legato in specie Jurisdictionem à Principe suo concessam esse. Tunc vero ulteriori concessione Principis peregrini opus non est, sed potiùs si non prohibeat exercitium illius, sufficit; quanquam illud exercitium prohiberi possit. Quod si etiam Legatus vel planè non, vel non rectè, Jurisdictione illâ utatur in comites, v. c. delinquentes vel aliter: id omne Principi mittenti vindicandum relinquendum, nec manum comitibus inferre debet is, ad quem Legatus mittitur.

V. Quæritur, si ille qui misit, nostros antea secus habuerit, an nobis idem in ipsius Legatos sit permissum. Distinguendum reor, utrum

utrum malè per injuriam ſint habiti, an ex merito. Si prius tum ſcelus hoſtium nullo modo fas imitari; ſi poſterius, tum nihil eſſe videtur impedimento, quominus viciſſim jus dicere liceat, non propter jus talionis, ſed quaſi è tacito alterius conſenſu.

VI. Nec modò perſonæ Legatorum, ſed quicquid ad eos pertinet, eâdem ſanctione continetur, quatenus ex jure tralatitio, acceſſoria ſequuntur jus & naturam ſui principalis. Proinde, invito Legato, comites abduci non poſſunt, ſed ad deditionem ab illo poſtulari; quo recuſante, idem ab Rege populove qui legavit petendum. Utroque caſu, ſi palam ſit, mittentes nolle quod à Legatis perpetratum eſt, vindicare, adeoque ſatis id approbare, tum, ſi cauſa tam ſit atrox, nihil aliud quam ultio belli ſupereſt. Ne quidem vaſa resque Legatorum à creditoribus detineri poſſunt, eâdem ratione; non obſtante, quod ita Legati difficulter creditores inventuri videantur: ipſi utrimque viderint.

VII. At hæc omnia non aliter habent locum, quam ſi absque periculo noſtro legatis parci queat, denique per modum defenſionis etiam rectè puniuntur. Quapropter, ſi noxia moliantur conſilia, cuſtodiri utique & interrogari & publico certorumve hominum colloquiis interdici poſſunt. Quin etſi ipſo facto vim inferant, vi illis reſiſtetur, & ſi cadant, jure cæſi intelliguntur.

VIII. Poſtremò, ſi ob cauſas antè memoratas denunciatum ſit, ne Legati mittantur, alioqui pro hoſtibus fore, tum juris ratio minime violatur, ſi legati violentur.

IX. Obligatio autem de non violando duntaxat inter mittentes & eos, ad quos mittuntur legati, intercedit, *ad tertium non pertinet* (*i*). Qui proinde contra jus gentium non peccat, ſi hoſtilia meritos tanquam hoſtes accipiat, iisque damnum aut exitium ferat, cujus rei exempla hiſtoriæ multa ſuppeditant.

(*i*) AD TERTIUM NON PERTINET. Quod *Auctor* ſubjungit, hoſtilia meritos tanquam hoſtes tractari poſſe, ex eo colligitur, hanc ſententiam eum fovere, quòd Legatus per fines hoſtium tranſiens ab hoſtibus occidi queat; ſiquidem ad hos non miſſus ſit, & Legatorum adeò ſecuritate frui non poſſit. Sunt tamen *Alii*, qui putant, tutius eſſe, Legatum ejusmodi tranſeuntem non occidi, aut quolibet modô violari, quia nihilominus Regis ſui Perſonam, qui hactenus in territorio illo deprehendi

hendi non videtur, sustinet, modò boni cujusdam gratiâ transeat, & imò si in perniciem hostium aliò ire Legatus videatur, detinendum potiùs & remittendum, quàm occidendum esse, idque prætereà generositatem populorum moratiorum exigere.

X. Idem est, si legati characterem suum celent ac ut privatos se gerant, quâ, ut & præcedenti ratione Carolus V. duos Francisci Regis legatos per Italiam ad Turcos euntes interfici curavit.

CAPUT IX.

De

Fœderibus. *

* *v. Grot. lib. 2. cap. 15.*

ARGUMENTUM.

Fœdus quod & quotuplex. Non esse justa fœdera, quibus socii ad omnia bella promiscue obligantur: sed nec obligationem inde ad bellum injustum oriri. An cum infidelibus licita sint fœdera inita, disputatur: item, an morte contrahentium finiantur. de sponsionibus earumque effectu. de interpretatione fœderum.

I.

LEgati primò omnium ad exteros dimittuntur, ut amicitiam cum illis aut societatem, hoc est, fœdus contrahunt, quod nihil est aliud, quam conventio inter diversas civitates *non transitoria* (*a*); ut ab aliis contractibus, in quibus nihil post conventionem remanet, distinguatur.

(*a*) NON TRANSITORIA. *Alii* genus propius suppeditant, nec *finis* planè omitti debet. Dicamus igitur: Fœdus esse societatem diversarum Rerumpublicarum sub præstandis publicè mutuis operis. Sic ergò non quælibet Fœdera *propriè* talia dicta sunt, ne quidem ea, quæ de *non offendendo* concipiuntur, nec omnia, quæ inita sunt *commerciorum* gratia; cumprimis quod hæc etiam inter alios quam *liberos* ineantur. Non etiam fœdus *deditionis* aut *Clientelæ*, eximiè dicta fœdera, sunt: Ita ut cùm in varias species abeant conventiones Gentium, oporteat definitionem redigere ad societatem eam, quam strictè & propriè Fœderis nomine appellare liceat.

II. Ratione materiæ dividitur fœdus, quod vel de iis fit, quæ populi per se ex conjunctione humani generis sibi invicem debent, aut quæ aliquid juri Naturæ adjiciant. Priora sunt de non nocendo, de liberis commerciis, similibusque rebus, quales ante præcedenti capite enumeravimus, & hæc vel cum iis quibus cum ante bellum habuimus,

buimus, aut cum feris nationibus, quæ promiſcue prædas agunt, potiſſimum *ineuntur* (*b*).

(*b*) INEVNTVR. Nunc quidem, quod *moratiores* attinet, inter Gentes *barbaras*, fœderatas & ſocios illos non habemus, qui nil niſi communia *humanitatis* officia pacti ſunt. Et antehàc, ubi *prædatoriam* profitebantur integri populi, conſcientiâ tranquillâ eos uſos fuiſſe, putandum non eſt. vid. *Senecam L.IV. d. Benef. cap.* 17. Illuſtravit locum hunc egregiè *Diſſertatio* Thomaſii *de Latrocinio Gentis in Gentem*.

III. Reliqua fœdera ſunt *æqualia* (*c*) aut inæqualia. Utraque vel pacis ſunt vel ſocietatis. Pax bellum ſequitur & in noſtra quoque methodo ſequetur. Societates maximè de commerciis aut de bellis ineuntur, aut ſi quæ res aliæ ſint. De commerciis, velut, ne vectigalia aut omninò aut ultrà modum certum exigantur, aliaque infinita.

(*c*) ÆQVALIA. Sunt, quæ utrinquè eodem modô ſe habent juxta *Grotium Lib.II. c.15. §.6.* & vel de *bello*, vel *citra bellum*; ùt, ne in confinio alterius alter arces habeat, ſubditos ejus non recipiat, iter hoſti non præbeat. Equidem, *Pacis* eſſe fœdus quoddam, impropriè dicitur.

IV. Societas bellica vel eſt de bello pariter communi nomine gerendo vel de auxiliis alteri præſtandis. Prius eſt vel offenſivum, ut vulgo loquuntur, vel defenſivum. Et rurſus utrumque vel ad certa vel ad omnia bella. Offenſivum ad omnia, eſt id quod Græci ξυμμαχίαν vocant, quo Athenienſes & Spartani ſuos ſinguli ſocios habebant conjunctos, ſub ipſorum ducatu; explicatius Thucydides τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς καὶ φίλους νομίζειν, *eosdem hoſtes & amicos habere*. Offenſivum ad certa bella quid ſit, hoc per ſe patet, ut & defenſivum tam ad omnia, quod Græcis ἐπιμαχία dicitur, quam ad certa etiam bella, vel denique cuncta, ſub exceptione quorundam. Eandem diverſitatem tuitionis aut offenſionis recipiunt fœdera, quibus altera pars ad auxilium alterius obligatur, quæ ſimiliter de cunctis aut de certis bellis ineuntur.

V. Ea quibus ſe populus aut Princeps ad cuncta promiſcuè bella adjuvanda obſtringunt, tam nocendi quam tuendi cauſâ, vix humano juri conſentanea videntur, quia præ ſe ferunt animum, ad quoslibet homines, à quibus nullo modo ſit læſus aut offenſus, ſeu jure ſive injuriâ affligendos, paratum. Quare non immeritò Ulricus Zuinglius Tigurinis ſuis auctor fuit, ne in ejusmodi fœdus cum Rege Francorum ineundum, quo ſanguinem ſuum ei ad quævis bella commodato vel locato addicerent, conſentirent *. Tamen ſancito tali

fœdere, eſt dicendum omnino, ad injuſta bella nullam eſſe obligationem, nec proinde contrà fœdus factum videri, quod ſuppetiæ illo caſu negentur: At cum odioſa & lubrica ſit hujus rei diſceptatio, non deſinunt periculoſa animiſque gravia eſſe id genus pacta fœdera.

* *Teſtis Joh. Sleidanus.*

VI. Idem de illo fœdere ſit judicium, quo ſe partes ad perpetuam ξυμμαχίαν, nunquamque ab armis alterum ſine altero deſtiturum, obligarunt. Nam ſi utrique pax honeſta & tuta, plenaque ſatisfactio ab hoſte offeratur, pactum prius obſtare non videtur, quominus alter, ſi nolit alter, ſolus bellum claudat. Quin &, ſi alterutri juſtæ conditiones proponantur, vix eſt; ut prioris vi pacti ad bellum continuandum teneatur; Quia promiſſio, quæ aliud bonum morale majus impedit, non eſt obligatoria, ſed ad auxilium ſocio qui jus ſuum ab hoſte communi obtinere non poteſt, ferendum, alter nihilominus vi pacti obligatus videtur.

VII. Fœdera inæqualia ſunt, in quibus alter plus, alter minus promittit: Nam priora, cum unus auxilium alter mercedem ſtipulatur, æqualia cenſentur. Eaque ſunt ex parte vel ſuperiore vel inferiore. Superiore, ut ſi quis alterum in tutelam recipiat ſine ulla repromiſſione, niſi reverentiæ & gratitudinis, (ſub qua tamen plus longe *latere ſolet*) (*d*). Quæ ex indigniore, ea vel Imperii inferunt diminutionem, vel ſalvâ libertate contrahuntur, cujus rei judicium ex cap. xv. libri prioris colligendum.

(*d*) LATERE SOLET. Sc. ex fœdere *inæquali* plerumquè *imperium* enaſci ſolere, *Bodinus* oſtendit *Lib. 5. de Republ. cap. 6.* quanquam per ſe illa fœdera ſummum Imperium non imminuant, cùm imperium illud, quod potentior habet, *conventionale* ſit, non Majeſtaticum; licèt Leges præſcribat fœderato, quas transgredi ille non poſſit: nam & hæ ex conceſſione ſuperioris *antecedaneâ* æſtimantur, ut ex *ejus voluntate* pendeant. Idemquè dicendum eſt, ſi inconſultò fœderato potentiori ne bellum quidem ſuſcipere, aut pacem inire, liceat: quanquàm ita Majeſtatis *exercitium* reſtringi videatur, quod quidem faciliùs omninò fieri poſſe debet in Juribus illis Majeſtatis, quæ *externa* appellamus, quæ præthereà natura ſui ad *potentiam* magis quàm *poteſtatem* pertinent, nec tàm Majeſtati, eorundem jurium exercitio modum ingeri, officit, quàm ſi *interiora* jura Majeſtatis verſus *ſubditos* exercenda reſtringerentur. Non etiam officiunt Majeſtati fœdera, quæ adjunctum habent aliquod onus, quô ſimul & ſemel defungi licet, ut ſtipendia ſolvere militibus alterius, mulctæ loco quid numerare, mœnia diruere, arma tradere, cum ſimilibus. Nam hæc ne quidem tanti ſunt, ut permanentia illa, quæ ante diximus, & quandoquè perpetuò duratura, v. c. ne liceat arces extruere in certo loco, ne naves extrà numerum habere. Quanquam in his talibus fœderatus inferior obſtrictus

ctus esse dicatur, ut Majestatem alterius *comiter* conservet, ùt loquitur JCtus *l. 7. ff. d. capt. & postl. reversf.* i. e. ut curare debeat, ne majestas fœderati superioris ullô modô imminuatur. *Grotius L. I. c. 3. n. 2.* & *Arnisæus, cap. 4. d. Jurib. Maj. n. 1.* Quantacunque enim adstrictio hæc fuerit, Majestati tamen inferioris ea non derogat: non *obstante d. l. 7.* ibi: *in eos animadvertimus.* Nam *JCtum* ibi exhibere genium *Reipubl. Romanæ*, ùt fuit temporibus posterioribus, observat *Pufend. Lib. VIII. c. 9. §. 4.* quibus fœderum reverentia apud Romanos non adeò servabatur, sed pari jugô premebantur bello victi & socii.

VIII. De *personis fœderatorum* (e) quæritur, *an licitum sit*, (f) inire fœdus cum impiis & à verâ religione alienis, quæ est quæstio juris divini. Nam jus naturæ cunctis hominibus commune est, sufficitque nihil eo conventum, quod morali honestati adversetur. Jure veteri divino exempla fœderum extant non pauca cum idololatris inita, Jacobi cum Labane, Davidis & Salomonis cum Hieromo, ne de hujus affinitate Ægyptiaca dicamus. In Evangelio & rationibus Christianæ sinceritatis nihil est, quod hisce fœderibus in universum obstet; non utique illis, quæ ad benefaciendum infidelibus, nec iis quæ ad mutuam utilitatem pertinent aut ad opem ab illis implorandam. Sed merita circumstantiarum hic consideranda, ne commixtio nimis arcta cum impiis contagium animis adferat, ne potentia infidelium nimis promoveatur, multo minus, ne auxilio illorum ad nocendum Christianis utamur.

(e) PERSONIS FOEDERATORVM. Posse tantùm fœdera inire, qui *Majestate* pollent, extrà dubium est. Hinc Fœdus *Hanseaticum*, quà Civitates *mediatas* in eo contentas, nulla firmior quàm *præscriptionis* & *patientiæ* superiorum tuetur ratio. Carpz. *d. L. R. cap. 6. sect. 10. n. 20.* Reinking. *Lib. I. class. 4. c. 20. n. 50. & seqq.* Quid vero de *statibus Imperii?* Equidem hos etiam fœdus inire posse, ipsis *Legibus Imperii* constitutum est, cùm & possint *Nobiles immediati*, eò quòd Proceres illi ob potentiam in juribus *exterioribus* Majestatis, ad instar Regum seu *Liberorum* aut saltim exemptorum habeantur, quibus exteri tantum deferunt, ut non attentâ Majestate Imperii, cui statûs subsunt, eosdem similes sibi non modò in *fœderum*, sed & *bellorum* & reliquo jure *annexô*, æstiment. De eo magis dubium est, an *statûs* quà *ad Imperatorem* referuntur, fœdera inire possint? utiquè *contrà Imperatorem* nonnisi in causa *Religionis* fœdera pangere, & *defensiva* quidem posse, superiori tempore evictum est, vide Zierizium *Disc. Apologeticô* pro fœdere *Schmalkaldicô*, *Hortlederum* simili *Tract. Arum. V. 1. Juris publ. Disp. 26.* Limn. *Lib. IV. c. 5. n. 31.* Bocerum *de Jur. Belli c. 5* & Carpz. *cap. 4. d. L. R. Sect. 6.* Quanquam *Arnisæus* de *auctoritate Principum semper inviolabili cap. 2.* paulò rigidior sit, eùm ne quidem de religione *introducenda* Politici conveniant, num *armis* id non liceat *statibus*, qui absolutè subditi non sunt: de quo tamen *Ant.* Faber *Swartzburgicus* in Tr. de *Religione regendâ cap. 5.* videatur; ubiquè *Lutherus* etiam *prædictum Fœdus* initiò dissuaserit. Et tamen quod *hunc* concernit, *ille* thesin solùm, quòd subditis non liceat *resistere* Imperantibus, ùt & omnes controversias, *conscientiam* tangentes, ex *scripturâ* decidendas esse voluit, qui præterea oleum igni affundere nolebat, ne exacerbati animi Protestantium Catholicos aggrederentur, sed aggressionem expectarent: quanquàm diffitendum non sit, in *hypothesi Lutherum* à peritis *Status Germaniæ* accuratiùs informatum,

tum, posteà *liberiùs* pro fœdere illo pronunciâsse: cùm Imperator non nisi salvâ *Libertate statum* imperet; omninò autem maxima sit libertas, quæ pro religione facit, ùt habet *l. 43. d. Relig.* junctô Lactantio *Lib. V. Inst. div. cap. 20.* Accedebat, quòd statuum non aliqui sed complures non possent videri decernere voluisse, quod Imperio adversum fuerat; maximè quòd quilibet territorio suo prospiceret, ipsosque jam olim Imperator habuisset pro *Fidei defensoribus*: Schützer und Schirmer des Glaubens. v. R. A. 1524. §. Als auch. Fides autem opus humanum non sit, nec imperii objectum *conscientia* haberi possit; maximè, quando Religio regimen, sub quo quis degit, non turbet, sed firmet potiùs: prout multùm juvit *Imperatoria* contrà *Pontificem* jura, *Protestantium* fides & *Auctoritas.* Quin & Imperator *veram Ecclesiam* tueri, obstrictus est, quæ *Petrum* docentem sequitur, non quæ successorem ejus, (ùt videtur,) errantem. *l. 1. C. d. Summ. Trinit.* als nicht mehr des Stuhls zu Rom, sondern der Christlichen Kirchen Advocat. De cætero quoquè fœdera in Imperio panganda totius Imperii nomine sint *consensu Electorum*, si quando cum *reliquis Statibus* in Comitiis communicari non possit, vel indè procedit, quòd *Proceres* & subditi sanguinem fortunasquè suas fœderibus tutandis commodare, non aliter teneri posse videantur, & periculo semet exponere, quam *si spretô* Illorum consiliô, magnum adeò negotium, quod totam Reipubl. securitatem officit, non suscipiat *Imperans*: ita ut non modò tutius & consultius id fuerit, sed ex *hypothesi* saltim necessarium. Waremund. ab Ehrenberg *Lib. I. de Fœder. cap. 2. n. 223.*

(*f*) AN LICITUM SIT. Ita JCti & Politici quæstionem, quænam fœdera *consulta* ac *licita* sint, simul expediunt. Et quidem, cùm *utilitas* fœderum in *fide* consistat, nec quicquam adeò labile & infirmum, cujus facilior rumpendi causa & occasio reperiatur, quàm fœdera: hinc meritò infida *infidelium*, hæreticorum, offensorum, formâ Reipubl. nobis dissimilium (& maximè si cum *Democratiis* negotium suscipiendum sit) ùt & viribus inæqualium, fœdera censentur. Ad quæstionem *liciti* transeamus, in quâ *sectarios* ab *infidelibus* imprimis distinguere oportet. Sunt autem Sectarii vel *cives*, & tunc cum illis ad *religionis diversæ*. v. g. Evangelicis, ad Catholicæ *assertionem*, fœdus inire non licet; secùs ad tuendam publicam *securitatem* aut *libertatem.* Syringius *d. Pac. Relig. th. 21. & seqq.* Dorschæus *in antichrist. p. 135.* Prout etiam perpetuæ pactiones in *Confraternitatibus* aliisque *Unionibus* cum sectariis ineuntur. Et ita quidem si concives sint: cum *extraneis* autem non nisi ad effectum defensionis & tutelæ, salvâ per omnia Religione fœdera permissa sunt; velut antehàc Protestantium cum Rege Galliæ. *Conf.* Gerhardum *d. Magistrat. Polit. §. 156.* Cum *infidelibus* hoc est à fide *Christiana* alienis, fœdera in *V. Testamento* iniri potuisse *H. Grotius L. II. c. 15. n. 8. & 9.* exemplo *Abrahami* cum *Sodomitis* & *Maccabæorum* cum *Hasmonæis* frustrà probat: ùt *Osiander d. l.* ostendit: & fœdera quæ ex *V. T.* citat, velut *Jacobi*, *Davidis*, commerciorum causâ, aut de non nocendo, inita fuère. Nam ejusmodi fœdera ne quidem prohibitum erat Israelitis ferire, cum *septem populis*, nisi in *idololatria* perstitissent. *Deut. XX. v. 10. Jos. XI. v. 9.* sic enim *exscindendi* erant omnes funditùs, etiam fœminæ ipsorum & infantes: cùm quidem cæteræ Gentes, si pacem abnuerent, tantùm quà viros expiationi potuerint sufficere *Deut. XX. v. 16.* Et cavendus est *H. Grotius*, quem hic nimium pressit *Auctor*, ne *proximi* nomine in hâc etiam Fœderum causa *Israelitas tantùm* intelligamus, quasi in *N. T.* ampliata fuerit Christi institutis *proximorum* conditio. Utiquè non dubitandum est, cum quovis *infideli* fœdus *pacificum*, seu de non offendendo, aut de non nocendo, inire licere: ùt & *defensivum* & de finibus tuendis, imò de *auxiliis* mutuis, quando contra Gentilem aut infidelem alium agitur. Quanquam etiam ad hoc extrà casum necessitatis procedi non debeat, ob rationes ab *Auctore in fin. §.* indicatas. Quocircà *offensivum fœdus* cum illis iniri non debet, & quidem omnium minimè *adversus Christianum.* Quid tamen si vel bellum Christiani contra æquè Christianum ob causam à religione penitus alienam, & quæ meris conditionibus Politicis nitatur (vid. *I. Corinth. V. v. 10.*) sed justissimum tamen, geratur, ut altera pars accessu infidelium se superiorem reddiderit? ita non tantùm offerentes se nobis infideles admittere, aliàs perituri, possumus; verùm etiam ad avertendum internecionis periculum eosd. *accersere* licet; maximè si, post tentata in cassum omnia, nullum se conservandi remedium superest: Nam hoc etiam casu *contrà Christianum* fœdus propriè dictum, consociationis videlicet, suscipi posse, certum est.

IX. Esse-

IX. Effectus fœderis eſt, ut ſine captione fiat quod inter partes convenit, quâ de re mox accuratius. At dubium eſſe poteſt, ſi cum duobus ſit ſœdus ejusdem ſententiæ, ut auxilii ferendi, his inter ſe collidentibus, *utri opitulandum ſit* (g). Nam ſi cum tertio pugnent, nihil difficultatis eſt, cum utrique ut plurimum ſatisfieri poſſit. Et quidem cognitio hauddubie ſuſcipienda, ab utro ſtet ratio & juſtitia cauſæ, ut qui cauſa potior eſt, auxilio prior habeatur. Si non liqueat, utrique vel potius neutri mittendum.

(g) VTRI OPITVLANDVM SIT. Cumprimis reſpici debet, an altera confœderationum ſit *antiquior*. nam hæc in recentiori fœdere excepta videbitur, licèt non expreſſum fuerit. Si vero iisdem temporibus utræque contractæ fuerint, iis opem ferre oportet, qui arctiſſimè nobis juncti ſunt: ùt *Helvetii* ſibi invicem potiùs aſſiſtunt, tanquam ex ſanctiori fœdere contrà alios ſibi fœderatos. Si utriusquè fœderati par ſit conditio, quem caſum *Auctor* ponit, *neutri* auxilia debentur, priusquam *arbitrium* delatum ſit; modò ita conventum fuerit in ipsô fœdere: nam ita detrectantem arbitrium, ad hoc adigere eum potius, quàm juvare, debet; ſi verò nulla de arbitris conventio facta ſit: tunc reſpici volunt, an bellum *defenſivum* gerat alter, ut huic ſuccurrendum eſſe videatur. At verò etiam ille cauſam injuſtam fovere poteſt: ut rectiùs ſtatuatur, *offendenti* ſi potiora ejus jura ſint, auxilia ferenda eſſe. Nam & defenſio ab injuriâ cum offenſivo bello coincidere poteſt. Et fœdus quodlibet à *cauſa injuſtitiæ*, ùt quælibet ſocietas, alienum eſt.

X. Finitur obligatio fœderis, ſi pars altera *pactis non ſtet* (h) καὶ ὁτιοῦν ut Thucydides & vel *tantillum* transgrediatur, niſi convenerit, ne ob quaslibet offenſiones fœdus rumpere liceat. Non tamen ſtatim atque à fœdere licet diſcedere, bellum etiam movere licet: hoc enim propriis regulis conſtat, de quibus *inferius*.

(h) PACTIS NON STET. Iisdem pactis ſc. Nam ob fœdera nova rupta, aut diverſis legibus inita, diverſum fœdus reſcindere non licet. Non etiam à privatis violatum eſſe ſufficit, nam hoc deditione vel pœnâ eorundem vindicatur; niſi ſcientia, facultas puniendi, & neglectus, evincant, fœderatum factum privatorum probaſſe.

XI. Tempore etiam præfinito finitur fœdus; neque enim ſilentio utriusque partis renovatum videtur, niſi actus ipſi hoc *neceſſariò* (i) præ ſe ferant, alioqui novatio non præſumitur ſed ex facto probari debet.

(i) NECESSARIO. Itaquè non omnis actus, qui vel maximè auxilii ſpeciem habet, poſt finitum tempus fœderis exercitus, renovationem ejus infert, modò argumentum poſſit eſſe amicitiæ etiam poſt fœdus durantis.

XII. Quæritur, an & morte contrahentium finiantur; quâ parte inter *perſonalia* (k) & realia diſtinguendum, ut illa morte intereant,

 hæc

hæc ad posteros transmittantur. Realia sunt omnia, quæ cum plurium imperiis ineuntur, quia in illis non est mutatio summæ potestatis quod ad personas. Etiam quæ cum Regibus, si mentio regni, ut plerumque fit, adjiciatur; Quin & ex materiâ, si favorabilis sit, idem colligitur, ut sunt fœdera de commerciis, de non nocendo, de mutuâ defensione. Quod si odiosa sint negotia, neque in verbis sit quicquam, unde obligatio cum respectu ad populum accipiatur, magis est ut personalia censeantur.

(*k*) PERSONALIA. Hæc esse censent, quandò interesse Principum & familiarum eorundem illa concernunt; siquidem juris etiam naturalis est, fœdus, ùt quamlibet societatem, morte finiri, adeò ut regulariter *personalia* esse videantur : *arg. §. 5. Inst. d. societat.* cum *similibus. Albericus Gentilis Lib. III. d. jur. bell. cap. 23.* Idquè maximè si *odiosa* fœdera sint, ùt offensiva: nam defensiva quidem tanquam favorabilia facilè in perpetuitatem vertuntur. Majoris quidem securitatis causâ fœdera, etiam *realia*, mortuo Rege, *renovari* solent, ne si nihil adhuc ex fœdere sit versum in utilitatem Regni, fortassis excipi possit fœdus personale esse, & à successoribus Regni judicari, quasi ex usu Reipubl. fœdus non fuerit. Agitata fuit hæc controversia hoc seculo inter *Electorem Saxoniæ & Regem Suecorum.* Nam Elector sanè, post obitum Regis, exspirâsse fœdus (quod Sueci cum *Regno* initum & *reale* asserebant,) ex his causis censebat, quòd in contrahendo ejusmodi fœdere ad Regis qualitates singulares, scientiam militarem, & prosperos successûs, respexisset, vid. Ableinung der wieder den Pragischen Friedenschluss movirten dubiorum. Quod autem hic *in §. 12.* fœdera cum *Polyarchiis* inita *realia* omnia esse dicantur, illud utiquè de *indefinitis* intelligi, constat: quæ, licet *forma* Rerumpublicarum ejusmodi mutetur, tamen adhuc consistere putaverim: siquidem formæ mutatio solùm *accidentalis* est, & Rex succedaneus voluntatem populi seu Reipubl. tenet; nisi etiam fœdus pro fine habuerit conservationem *status præsentis* : puta defensionem Formæ & Reipubl. Liberæ; sic enim causa cessante & ipsum fœdus cessare oportet. Sed an Regi, qui *Regno pulsus* est, fœderatus alter adhuc teneatur? *Grotius* disquirit, *d. c. 15. §. 17.* & *affirmat*, quia Jus Regni adhuc ille teneat. Enimvero si fœdus initum sit, ad defensionem Regis ejusve familiæ: ita *Grotius* probandus est; non item si in utilitatem Regni: nam ita censetur, ejusmodi Regi auxilia promissa esse, non adversus cives, de quô ne quidem cogitatum fuerat, sed ad hostes *externos.* Quid si pecunia & opes fœderato deficiant? Cessat effectus fœderis per rationem *l. 4. §. un. ff. pro soc.*

XIII. Quid differant *sponsiones* (*l*) à fœderibus, dictum est supra; sunt enim pacta ducum belli inita de ejusmodi rebus, quæ ad summam potestatem spectant & de quibus mandatum illi nullum habebant. Effectus earum est, ut sponsores sive illi fuerint duces soli, sive etiam ordinum ductores seu milites universi, teneantur ad implendum id quod promiserunt. Sed potestas summa, cujus hac parte nullus, ne tacitus quidem intervenit consensus, nullo modo tenetur, nisi non silentio tantum nudo sed & facto aliquo sponsionem comprobaverit. Qui spoponderunt, hi, non servatis pactionibus, tenentur vel

vel ad rem in eundem ſtatum, quo fuit ante ſponſionem, reſtituendam, ſi hoc præſtare queant, vel in id quod intereſt, aut denique ſua corpora dedenda ſtipulatoribus.

(*l*) Sponsiones. Quæ cùm aliàs latè ſumantur pro qualibet promiſſione *l. 7. d. V. O.* hic *ſtrictiori* ſignificatu veniunt. Cumprimis autem celebris eſt quæſtio de *Caudinâ ſponſione* apud *Livium Lib. IX. c. 8. ſeq.* quam & *Grotius* habet *L. II. c. 15. §. 16.* Equidem non tenebatur eam ratihabere Pop. R. nec ad rem reſtituendam in priorem ſtatum; ſed ſponſores teneri ſufficiebat. Interim ſi ex æquo & bono res expendatur, quoniam Conſules conſenſum populi certò ſupponebant, cùm aliter flos populi conſervari non potuiſſet, & ab hoſtibus præſtitum fuerat, quod paci & fœderi æquipollebat, utiquè par eſſe videbatur, ut licèt penes Conſules, de toto bello tranſigere, non fuiſſet, Populus tamen conditiones, nil duri aut iniqui habentes, ratihaberet: neqùe enim hoſtes intolerabile quid poſtulaverant. vid. *Lib. IX. Livii cap. 4.* & generosè *Samnites*, quod deditos ſponſores non reciperent.

XIV. Cœterum *interpretatio* (*m*) * fœderum & ſponſionum ſine calliditate, ut modo dictum, facienda, ex ſimplici & populari intellectu verborum, procul habito ſenſu diverſo, quem quis tacite in animum inducere aut dictis affingere poſſit, cujusmodi & in veteri novâque hiſtoriâ hominum plurima extant ludibria. In ambiguis accedendum ei quod minus ambiguum, omiſſo eo quod eſt obſcurius, quæ eſt regula Plutarchi. Altera JCtorum, in dubiis capiendam interpretationem quæ vitio caret, aliisque certis rationibus non adverſatur. Item, adverſus eum faciendam explicationem, in cujus poteſtate fuit Legem clarius dicere. Denique odioſa reſtringenda, favorabilia interpretatione adjuvanda eſſe & extendenda. Inter odioſa videtur habenda renunciatio libertatis faciendi, quod lubet ex jure Naturæ. Unde pendet quæſtio, an ſociis in fœdere nominatis generaliter, ne liceat illis nocere, contineantur & hi quos alter fœderatorum *poſtmodum adſciverit:* (*n*) quod negandum. Quanquam & novos adſciſcere ſocios non eſt prohibitum. Proinde, quod ad hos, dicendum utrimque ceſſare fœderis obligationem, adeoque in illis impugnandis vel defendendis ſine perfidiâ confligere poſſe fœderatos. Dantur omninò plures regulæ ſatis preſſæ & ſubtiles, ſecundum quas regendæ interpretationes, ſed quæ hujus compendiariæ ſcriptionis modum penitus excedunt.

* *Vid. Grot. lib. 2. cap. 16.*

(*m*) Interpretatio. Ad hanc confugiendum eſt, ſicubi Leges fœderis non omninò expreſſæ

pressæ sunt. Quid E. si in formula fœderis nil dictum sit, cujusnam *impensis* ferri *auxilia* debeant? Ita si ab una tantum parte promissa sunt, debentur non nisi impendiis ejus, qui ea postulat. *H. Grotius L. II. c. 16. n. 12.* Quod juri etiam Civili & Feudali congruit, si ex utraque parte promissa fuerit impensa promittenti, & unicuique adeò incumbunt: siquidem mutuæ hic præstationes respiciuntur. De *modo* autem seu *qualitate* & *numero* auxilii si dubium orietur: tam ad offensionem, quàm ad facultates, fœderatorum respiciendum est. Utique auxilia ne quidem ferenda sunt, si per rationes *proprii Regni* id fieri non posset, cùm quilibet fœderatus civibus suis *propiùs* teneatur: nec debeamus ignari esse conditionis eorum, quibuscum contrahimus, adeò ut cùm *inter Principes*, ex sententiâ dicto *Bacon*, de *Sapientia veterum c. V. unum sit verum & proprium fidei fundamentum necessitas* (magnum potentibus Numen) *& periculum status & communicatio utilitatis*: interpres autem optimus fœderum & anima ipsorum sit *sinceritas*.

(*n*) Postmodum adsciverit. Rectè negat *Auctor*. Non obstante, quod generali *sociorum* nomine etiam *futuri* comprehendi posse videantur, nec quisquàm sociorum libertati, alios in societatem recipiendi, renuntiâsse videatur. Cùm enim hic de fœdere dissolvendo agatur, & adimendâ fœderatorum alteri, injurias sibi illatas vindicandi potestate, quod odiosum est: indè sociorum appellatio ad hos tantùm, qui tempore fœderis erant, restringenda est. vid. *Grotium L. II. c. 16. §. 23.* Ulteriùs quæritur: an ex fœdere ad mutuam *defensionem* facta, auxilia quoque debeantur ad *recuperationem* eorum, quæ post contractum fœdus amissa sunt? Utique: Nam & recuperatio, si in continenti fieri velit, i. e. quamdiu offensio durat, & occasio recuperandi fuerit, ad *defensionem* respicit vid. Gail. *L. 1. d. P. P. c. 6. n. 12. & seqq.* An verò *peregrinis* injustè oppressis opitulari *adversus socios* debeamus? quæritur: cùm quidem nullô pactô videatur id, quod naturæ jure aliis debemus, tolli posse; debeamus autem alii, si modò absque periculo nostro fieri queat, succurrere: adeò ut, qui eripere morti quem potest, nec ab eâ ipsum liberarit, occidisse eum videatur. *c. 6. X. de homicid. Prov. XXIV. v. 11. &c.* id quod multò magis in *potentibus* quàm privatis obtinet. Interim cùm hoc pactô nullum fœdus stabile futurum esset, si hæc justa causa rumpendi foret: ideò reconciliatio potiùs tentanda est, ut fœderatus se tanquam *mediatorem* interponat. vid. *Grotium L. II. c. 16. n. 13.* Et sic quandoque in defensionem alii recipiuntur, ut nec fœdus per hoc violari, nec per hoc fœderatis bellum inferri, censeatur. Quod nullum patitur dubium, quando peregrini illi in fidem ac ditionem nostram concedant; sic enim non fœdus quoddam initur, sed jus quasi subjectionis intervenit. Non autem licet subditos fœderatorum recipere, nec facilè datur tàm manifesta & intolerabilis jure divinô ac Gentium improbitas ac sævitia, ut indè receptio ejusmodi justificari possit; quin potiùs Regibus tuenda est Regum Salus & cavenda exempla in perniciem omnium eruptura. Denique de *pace pangenda* certum est, omnium confœderatorum consensum requiri; nisi non principaliter omnes & suo nomine gerant bellum, sed tantùm ex foedere auxilia ferant. An verò ex Principalibus *majorem partem* consentire sufficiat? indè judicandum, an bellum eos ut singulos an ùt universos concernat. In conditionibus autem Pacis omnium, etiam *auxiliarium*, incolumitati & *securitati* prospici debet. *Neutralitas* in eod. Regno Statibus permittenda non est, nec permissa est in Imperio Romano. R. A. 1641. §. und demnach. nisi cum consensu Imperatoris *§. seq. eodem.* Et sanè Principi etiam summo regulariter ea fugienda est. vid. Reinking. *Lib. III. cl. 2. c. 39.* & Neumeyer. *integr. tract.* junctô *Grotio L. III. c. 17.* ubi quidem minùs benè neutralitatem violari putat, *transitum* denegandô. Pertinet huc pactum illud, quô quis Magnati alicui seu potentiori, pro certâ mercede seu pensione, se obstringit, ut si conatibus illius assistere non velit, favere tamen iisdem velit aut non adversari, quæ quidem nostris temporibus satis frequentia fuêre. &c.

CAPUT

CAPUT X.

De

Bello.

ARGUMENTUM.

Definitio belli, & disputatio an licitum sit jure Naturæ & utroque divino, quod affirm. & probatur, remotis objectionibus. sequitur divisio belli, in publicum, privatum & mixtum. Illud solenne aut minus solenne. solenne fieri, si & summa potestas utrinque sit & præcedat indictio, minus solenne contrà intelligi. quatenus Magistratui bellum sit permissum. mixtum vel ratione personarum aut indictionis. quæ in alterâ parte secus se habeant. privata duella, quando licita. De repressaliis. de interdictione belli.

I.

STatus Naturalis, in quo sunt diversæ civitates, propter humani ingenii pravitatem non minus rixis & contentionibus quam pacis institutis exagitatur. Rixa autem summarum potestatum facile in bellum, quia cessant judicia inter illas, erumpunt. Est autem bellum Certatio per vim, ut Cicero definit, vel ut Grotius, Status per vim certantium, quà tales sunt; * Quanquam nec Cicero ** dixit certationem *pro actu certandi*, (*a*) sed pro universo tractu atque ductu armorum inter partes certantes, ut alibi contentionem belli & observationem, pro longo observandi instituto, & similia.

* *Grot. lib. 1. c. 1. §. 1.*

** *Orat pro Sext. cap 58. 1. off. c. 16.*

(*a*) PRO ACTU CERTANDI. Dupliciter enim bellum sumitur pro *actu* sc. & *statu* seu habitualiter: & *posteriori* tamen modo aliter quàm significata *Hobbesiano*, quoad *statum*, quem ille fingit, *naturalem*: quanquam de cætero *Hobbesius* statum belli, ut nobis sumitur, bene describat in *Leviath. c. 13. §. manifestum igitur.* *Grotii* quidem definitio *L. 1. c. 1. §. 2.* convenit bello *publico* & *privato*; nec non *civili*. Sed rectiùs definitum analogicum in significatu famosiori describitur, quatenus accipitur pro *publico*. Ita definiunt per inimicitiam publicam, quam ille cujus ea de re jus est, & hostes illius inter sese, per vim militarem & hostilem ritè exercent. Quâ ratione nec solùm pro statu capitur. nec etiam per actionem præcisè definitur sed utrumque significatum definitio assequitur; neque enim bellum formaliter est actio, nec adæquatè: non etiam *militiæ* tantùm mentio fieri debet, quippe quòd illa etiam unô exercitu absolvatur; duorum vero exercituum ratio habenda est: nam & Simson contra Philistæos *pugnam* non bellum obiit, & actum extraordinarium virtutis Heroicæ.

II. De hoc prima est quæstio, an bellare unquam sit justum, quod jure quidem Gentium nullam recipit dubitationem, quia de usu & effectu quem populi omnes bello tribuunt, plenæ sunt omnes historiæ idemque

Gggg que

que notiſſima docet experientia. De *jure Naturæ* (*b*) & divino imprimis videndum. Et qui dem non prorſus juri naturæ bellum adverſari ſatis hoc oſtendit, quod nihil quam defenſio corporis ſui magis aut æquè ſit juris Naturalis. Denique ut rebus quas natura in medio poſuit utamur easque abſumamus, id jus primum naturale dictat, & qui hoc prohibet injuriam infert, quam vi repellendam res & ratio dictat. Poſt receſſum à communione licuit idem pro dominio quod antea pro rebus quæ nullius erant factæ. Præterea delinquentes *pœnam mereri* (*c*) eamque à quolibet non reo paris maleficii, maximeque ab eo qui læſus eſt, exigi poſſe aliquoties dicere, occupavimus. Quod cum inter diverſas civitates ſine vi non poſſit fieri, bellum etiam puniendi causâ recte ſuſcipi vel exinde apparet. Adeò ut originem habere bellum ex jure Naturæ manifeſtò conſtet. Proinde quod & JCti & ſcriptores alii bellum jure Gentium eſſe docent introductum, hoc de certâ & ſolenni bellorum formâ, unde peculiares pendeant effectus, intelligendum.

(*b*) JURE NATURÆ. Nec tamen bellum à *primis naturæ* procedit, ut malè *H. Grotius*, *L. I. c. 5. §. 1.* & *alibi*, (quoties vindictam privatam exinde deducit,) inſinuare videtur: ſiquidem homo inermis & ad pacem conditus eſt, bellum vero extrà ordinem naturæ in ſubſidium neceſſitatis aſſumi oportuit; in quo tamen ipſa etiam natura intendit, ut homo de pace cogitare debeat.

(*c*) POENAM MERERI. Quod rejecimus *ſuprà*, ut & *communionem*, quam *Auctor* hic inculcat.

III. Sed nec *de jure veteri divino* (*d*) magna eſt dubitatio, quin non omne bellum ſit illicitum. Abrahamus ſine ſpeciali Dei mandato Reges quatuor devicit, laudante Melchiſedeco. Et bella Davidis, quorum pleraque non liquet nominatim à Deo fuiſſe juſſa, Dei prælia, id eſt, pia ac juſta dicuntur. Imò quod magis eſt, perpetuæ ac generales de modo belli gerendi à Deo regulæ præſcribuntur, * quo quid fortius argumento ſit, bella piè geri potuiſſe, tametſi nullum Dei ſpeciale mandatum interveniſſet? Ex his apparet, Legem Dei de ſanguine non fundendo bellis nihilo magis officere quam Lex de non occidendo judiciis capitalibus obſtat. In nova teſtatione à primo initio habemus Johannis præcurſoris dictum, quo milites officii ſui non deſerendi ſed pie exercendi admonentur. Paulus ** verò, non tantum docet, gratum eſſe DEO, ut oremus pro poteſtatibus, quo tranquillam ſub eorum tutelâ vitam degamus, quod ſine armis in hoc mundo fieri nequit; ſed & Dei Miniſtros affirmat eſſe, qui haud fruſtra

gerant

gerant gladium, quin vindices ſint ad pœnam his qui malum fecerint; quod ratio non patitur, ut minus *de exteris delinquentibus*, (*e*) ad tutelam ſuorum, quam de ſubjectis poteſtatum intelligamus. Idemque ſuo exemplo docuit Paulus, quando militare præſidium, cum ſe inſidiis Judæorum ope Tribuni militum eripuiſſet, minimè rejecit. His accedit, quod, ut ſuprà diximus, Lex Moſaica de rebus moralibus & quæ aliis gentibus æquè conveniat, obligationem ſuam in perpetuum ad omnes populos adeoque ad Chriſtianos quoque extendat. Jam quid magis honeſtati imo neceſſitati morali adverſum eſſe poteſt, quam ut gladii jus ſummis poteſtatibus eripiatur, quo ſublato manifeſtum ſit maximam ſcelerum licentiam malorumque diluvium nihil ut tutum, nihil ſanctum aut inviolatum foret, ſecuturum?

* *Deuteron. cap. 20. v. 10. & 15.*
** *Ep. 1. ad Timoth. c. 11. v. 1. 2. 3.*

(*d*) De jure veteri divino. Ad eum ſenſum accipi hoc debet, ùt *ſuperius* expoſitum eſt; nec enim datur *Lex nova* & vetus in *verbo Dei*. Cœterum *Abrahami* Bellum, ad quod *Grotius* & cum eo *Auctor h.* provocat, licèt fuerit ex ſpeciali Dei mandatô, tamen & ipſum *juri naturæ* non adverſum fuit: vid. *Oſiander.* ad *L. I. Grot. c. 2. §. 2.* quanquam *Iſraelitas* quod attinet, illi juſtum bellum gerere non potuerint abſque mandato Dei ſpeciali. Nec ſequitur, Deus *Leges* de *modo bellum gerendi* præſcripſit, E. bellum propriâ auctoritate populus deinde ſuſcipere juſtè potuit: ſiquidem *divortium* Divinæ voluntati adverſabatur, & tamen ipſe Deus de *modo* Divortii Leges præſcripſerat. Deinde jura Majeſtatis penes Deum reſidebant, ut adeò ſpeciali juſſu divinô populus indiguerit. Quòd vero bellum *juri Divino* adverſum non ſit, *H. Grotius L. I. c. 2.* plenè oſtendit; quanquàm ipſe in *Prolegomenis §. 5.* malè laudet illos, qui *uſum armorum* ſublatum volunt. Nam licèt in omni bello utique mala ſubveniant, tamen illud ſolùm evenit per accidens, & hoc tantùm inde ſequitur, quòd difficulter ad bella procedere debeamus. Utique *dilectioni Chriſtianæ* bella non repugnant, neque *Evangelium* politias tollit aut jus per bellum eas tuendi. *Vita* eſt privatum bonum & exponi periculo pro Republica poteſt, idque publicâ *auctoritate*: nec homo ſibi ſoli natus eſt, ſed *Deo* & *proximo*; hinc abjectâ curâ ſui illis quoque facit injuriam, & multæ moleſtiæ ſunt vitæ humanæ, quæ efficere poſſent, ut quis vitam ſuam citò abrumperet, niſi per inſtinctum ſe conſervandi in emolumentum quoque proximi & gloriam Divinam legem aliam Deus homini commendâſſet. Debemus enim jure Naturæ vitam ponere pro fratribus, ſi patriæ ſalus aut fratrum æterna exigat, prout ipſi æternam noſtram temporali noſtræ præferimus: & verò proximum diligere tenemus, ſicut nos ipſos. Quod enim jure divinô *Joh. III. v. 16.* inculcatur de *fratribus*, illud rectè de quôlibet homine accipimus, ſecùs ac *H. Grotius L. I. c. 3. §. 3.* qui religionis tantùm conſortes intelligit. Nam Chriſtus pro inimicis tantum mortuus eſt. *Rom. V. v. 6. ſeqq.* Et frater eſt homo quilibet quoad carnem. *Rom. IX. v. 3.* Quanquam vitam ut ponamus aliter neceſſe non ſit, niſi accedentibus requiſitis, & cumprimis quoad bellum, *publicæ auctoritatis*. *Eventus* belli dubius poteſtatem illud gerendi non tollit, nec protinus, quod malè cedit, illicitum eſt. Unde & *religio*, licèt nec defendi nec tolli armis poſſit, tamen non obſtante dubiô eventu, exercitium religionis armis rectè aſſeritur. Nam ordinatè juvat Deus, ùt in pace, ſic & per defenſionem armatam, ſi invadamur. vid. *Nehem. IV. 14. 17. 18.* Quin & Princeps licite agit, quando milites ad oppugnandum urget,

get, quamvis multis per hoc pereundum sit; modò ita jubeat necessitas & plures aliàs inposterùm metuendæ sint cædes, quas evitare intendat, vel quòd obsidionem magis diuturnam prospiciat, vel prælium subeundum instet, aut urbes alias exemplo territas eò minùs restituras æstimet.

(*e*) DE EXTERIS DELINQUENTIBUS. Quanquam vero *injuria* sit belli justa caussa, quam rectè vindicat persona publica, Dei Vicarius, animô compescendi hostes, boni communis causâ, in salutem illorum, quibus ex officio subveniendum est; modò lædat injuria illa ipsum vindicantem, sitque atrox, aut saltim malis belli proportionata: nam ita *vindicta* illa ceu *publica* & verbo Dei probata bellum justificat. *Num. XXXI. v. 3. I. Macc. II. v. 66. seqq.* (quapropter non tantùm defensionem & recuperationem, sed & *vindicationem* illô sensu justam belli caussam esse rectè statuitur:) Tamen minùs rectè *Grotius aliique* asserunt, quasi ob delicta, ex quibus sc. damnum aut injuria ad extraneos nisi exteram civitatem redundat, & vel maximè ob Tyrannicam in cives crudelitatem extero Regi Bellum Tyranno ejusmodi vel Genti criminis rea inferre liceat, idque *puniendi* causâ. Nam jus puniendi non competit ei, qui potestate in alium summâ destituitur: & quis ita foret bellorum in orbe finis? Quod verò bellum *adversus subditos nostros* attinet, illud quidem *punitivum* est, rebellium scil. at vero hoc ipso est improprium & nil aliud armata judicii executio.

IV. Ad ea quæ ex dictis Christi contra bellum moventur, tenendum hoc primò; si fuisset Christo propositum omne jus gladii tollere & ejusmodi statum introducere, qualis nunquam visus, auditus esset, eum id verbis quam maximè specialibus & expressis fuisse facturum; Qualia tamen non proferuntur, sed ejusmodi quæ de cohibendo vindictæ privatæ studio & exercenda in rebus minoris momenti patientiâ injuriarum agunt.

V. Jam in veteri Ecclesiæ historiâ celebrantur Legiones Thebæa & Fulminatrix quique sub Juliano defectore militabant, qui, teste Ambrosio, * dicenti Imperatori, producite aciem pro defensione Reipubl. obediebant, cum autem diceret eis, producite aciem in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli. Ne de Martyribus dicam, quos etiam milites complures antiqua martyrologia memorant & agnoscunt. Quod autem sententiæ Patrum quorundam minus de bello honorificæ extant, illæ hanc causam habent, quod tum difficulter *castris inesse sine periculo* (*f*) idololatriæ, saltem sua religionis exercitia minus commodè aut prorsus habere non liceret; Etiam verò, quod cum semper in castris omne genus impietatis regnet, viris eximio sanctitatis proposito afflatis, nihil potius, quam procul abesse à profanis videretur.

* *Ambros. serm. & 7. de offic.*

(*f*) CASTRIS INESSE SINE PERICULO. Arceantur *clerici* ex doctrinâ Pontificiorum à bello, sed ex causis nullius momenti: & quâ ratione eidem intervenire possint, vid. *Osiandr. L.I.c.5. ad Grot. §. 4.*

§. 4. Cœteri si prædæ aut stipendii causâ militent, idque pro *fine* habeant, ut nunc plerumque accidit, non etiam ut ceu *medium* stipendia respiciant, militia vitiosa est. *I. Cor. IX.* Potest autem quis *vitam* suam periculo mortis *exponere*, non quia vitæ suæ est Dominus, sed quod imperio ejus se subjecerit, qui publica auctoritate, ut vitam periclitetur, ei injungere potest: Illud quæritur, si hosti quis se obligaverit, quòd in eum *arma* posthàc *gesturus non sit*, an nihilominus in civitatem suam reversus, ab hac, ut pactô conveniat, adigi possit? Dicendum est, integrum ipsi esse, neque civitatem id ab eo posse exigere, nisi in summô constituta fuerit periculo, ad se defendendum; maximè si ipsius quoque salus cum salute civitatis interire possit.

VI. Sequitur *divisio belli*, (g) * quæ in duas abit species: est enim privatum vel publicum, nisi tertium addere velis, quod mixtum appellatur. Publicum est, quod geritur auctoritate ejus qui habet jurisdictionem. Privatum quod est inter eos, qui auctoritate publicâ carent, & quæ hujus sunt generis vulgo *duella* (h) dicuntur. Mixtum quod ab una parte publicum, alterâ privatum est.

* *Vid. Grot. lib. I. cap. 3. quem & vide ad seqq.*

(g) Divisio belli. Est Bellum ex communibus πρὸς ἓν & *analogicè* dicitur. Inde bellum quoddam *privatum* constituunt, cum in eo, quoad analogicam acceptionem belli, omnia contineantur, quæ in significatu illo veniunt; prout nec omnis privata vindicta injusta est. Cœterùm quòd Majestas non competat partibus, quòd exercitus in illâ specie belli non reperiatur, illud non officit: nam hæc belli tantùm *publici* sunt. Itaque *proprie* bellum dici potest etiam privatum, licèt non usitatè. Est autem *bellum publicum*, quod ab eo geritur, qui potestatem civilem (licèt solùm *subordinatam* seu per participationem) habet. Datur etiam *mixtum*, ùt quòd Rex adversus subditos gerit: nam id ex horum parte privatum est, & sæpè etiam justum. Publicum verò iterum *solenne* est vel minùs. *H. Grotius L. I. c. 3. §. 4.* Quòd autem ibi *Grotius Magistratum tantùm* jus belligerandi habere statuit, illud malè habet: siquidem Auctoritate publicâ Magistratus unicè nititur, si quando armis eum adversus exterum aggressorem uti oportet; etiamsi defendere jura sibi commissa aliter non possit: sic enim fundatur totum negotium in consensu Principis virtuali & implicito: *executio* verò *Jurisdictionis* armata in inferiori, non'est ordinis supremi sed subalterni, nec adeò rectè *bellum* dicitur. Neque etiam Jus Civile Romanum aliud induxit, ùt *Grotius* opinatur; siquidem Majestas populi seu civitatis improprie dicitur, ùt *suprà* ostensum est. Quòd autem *Status Imperii jus* belligerandi adversus exteros obtineant, illud fieri posse illæsâ etiam Majestate Romanâ *alibi* evictum est: ubi diximus Jure *Potentatûs* posse Jura Majestatis illa, quæ adversus exteros valent, ùt sunt Belli, Fœderum, Legationum, &c. *per assimilationem* exerceri ab his, qui in Republicâ quidem sub imperio summô seu Majestate continentur, ipsi tamen *potentiâ* quasi *Regiâ* exteris æquivalent. Quanquam hæc etiam jura non aliter exercere illis conveniat pro *salva* semper *fide*, quâ imperio Romano v. c. obstricti sunt. Quid de *bello intestino* in Republicâ *mixtâ*? Nonnulli verum esse bellum hoc existimant, quia partes utrinque veram habeant, licèt non plenam, Majestatem. At vero non qui Majestatem habet, perinde habet Jus belli. Unde rectiùs dicitur, inter *Optimates*, si aliqui eorum jus tantùm belli habeant, civiles solùm esse dissensiones. Tunc vero quod bellum mixtum concernit, cives etiam adversus Regem arma capessere possunt, si pactis sibi defensionem reservaverint: quâ ratione non ùt subditi, sed *ùt exempti* & ex pacti jure bellum gerunt, cùm aliàs non possint subditi arma adversus Regem suscipere, quin coetus inde conficiatur rebellium, & manus prædatorum: indeque *Grotius L. I. c. 3. §. 1.* bellum latiùs arcepit, abstracta sc. ratione Auctoritatis. Est etiam hoc ad *Grotium Lib. I. c. 4. §. 1.* observandum, quòd ille bellum *privati* in Majestatem

ſtatem non rectè probet exemplô *Abrahami*. Nàm ille fuit *Princeps* independens familiæ ſuæ numeroſæ & ab aliis populis ſegregatæ, à Deo ſc. conſtitutus. Non etiam rectè probat bellum Regis in privatum exemplô *Isbofethi*: nam hic non fuit ſubditus Davidis, ſed *Princeps* populi, quem agnoverant tribus, extrà tribum Judæ, pro capite: *Davidi* etiam nondum competebat Regnum nec competiturum erat niſi ſub certo ordine & tempore adeundem, extinctô ſcil. Saule, occisô Isbofethô, & debellatâ parte illâ, quæ Abnerum militiæ Ducem præfecerat. Denique non protinus quod belli publici ſpeciem habet, tale etiam exiſtimandum eſt: nam v. c. *Princeps Imperii* jura ſua per vim armatam adverſus vicinum, æquè Civem Imperii, defendens tantùm naturali defenſione utitur, ex jure quod cuilibet etiam privatorum competit; quæ tamen defenſio ob poteſtatem defendentis & apparatum *Belli faciem* conſequitur.

(*b*) Dvella. Definiri poteſt *Duellum*, quòd ſit Pugna ſingularis deliberata ab utrâque parte ſpontè & ex condicto ſuſcepta, cum periculo occiſionis ſeu mutilationis aut vulneris.

VII. Publicum rurſus aut ſolenne eſt, quod & juſtum ſuo ſenſu, aut minus ſolenne. Solenne, quod utrimque ab illis qui ſummam habent poteſtatem, ritu jure Gentium neceſſario geritur. Minus ſolenne erit, quod vel auctores habet perſonas, publicas quidem illas, at ſuperiorem habentes, ut Magiſtratus, vel quod juris Gentium requiſitis deſtituitur.

VIII. At verò Magiſtratus in exteros belli jus gerendi nullo modo habet, quia per hoc tota civitas venit in periculum, ideoque ejus qui præeſt civitati hac de re judicium ſolius ſit oportet: qua parte peccarunt Cn. Manlius, qui Gallogræcos & Cæſar Julius, qui Germanos injuſſu populi Romani infeſtarunt. Excepto caſu inopinatæ neceſſitatis; quo caſu præſumptio de voluntate ſummæ poteſtatis dubitare non patitur, ne non arma permiſſa ſint. Verum in ſubjectos, qui Magiſtratus Imperio ſunt prædici, hactenus habent jus armorum, ut partes ſibi commiſſas cum vigore publicæ diſciplinæ & coercitione contumacium ſeu per apparitores ſive per milites in hunc finem ſibi adtributos exercere valeant. At extraordinariâ manu vel cum exercitu abſque ſpeciali mandato nequaquam experiri poſſint; ne civile bellum oriatur. Sub Magiſtratibus & ſuperiorem habentibus hic non complectimur eos, qui partem ſummæ poteſtatis obtinent; nam hi, quatenus ſummi ſunt, rectè hoc nomine bellum ſolenne ſuſcipiunt, multò minus inæqualiter fœderatos: ſed hæc res ex iis, quæ præcedente libro dicta ſunt, intelligi debet.

IX. Jam mixtum quodnam ſit bellum, ex ſimplicibus facile colligitur, ejusque variæ ſunt ſpecies; miſcetur enim aut ex ſolenni & privato

vato vel ex minus ſolenni privatoque bello. Ex ſolenni & privato, cum is qui ſummam habet poteſtatem contra exteros latrones aut prædones, vel ſuos rebelles expedit arma. An autem ſubjecti jure adverſus Imperantes bello congredi poſſint ex iis, quæ de tyrannide ſuperius dicta ſunt, judicari debet. Ex minus ſolenni & privato mixtura conflatur, quoties Magiſtratus pro officii ſui executione vim parat in contumaces aut in prædones. Sed publicum utrimque, minus ſolenne, dari non poteſt inter pares Magiſtratus, quia par in parem non habet imperium nec in eâdem civitate cogendi facultatem; Verum inter ſuperiores & inferiores pari modo vis locum habere poteſt, quo inter Magiſtratus & privatos antea dictum eſt. Mixtura ex publico ſolenni & non ſolenni dupliciter poteſt ſupponi, aut cum Magiſtratus in ſuam poteſtatem ſupremam inſurgit, vel cum adverſus exteros armis contendit. Priorem non poſſe aliter eſſe juſtam, atque ſi privatus quilibet ſummo Imperio ſe opponat, aliàs explicatum eſt. Poſterior ex modò dictis reſolvitur, ejus uſum exiſtere poſſe, cum repentina neceſſitas flagitat, ut Magiſtratus ſalutem publicam armis tueatur, aut cum id genus habet mandatum, ex quo ejusmodi poteſtas colligi poſſit, quemadmodum Romæ Conſules ex SCto viderent, ne quid Reipubl. detrimenti caperet.

X. Hæc de publico mixtoque ſatis, bellum merè privatum regulariter illicitum, nec quicquam adeo inimicum eſt conſtitutioni civitatis & judiciorum. Unde liquet, non aliter hoc juſtum fieri, quam ubi ordo civitatis & judicia ceſſent, quod vel fit extra terminos civitatis aut etiam intrà illos. Extra, ſi qui verſentur in locis à nullo populo vel à tali, qui nullum imperandi parendique ordinem ſervet, occupatis, ut in ſolitudine, inſulis vacuis, aut *Cannibalum regionibus* (*i*).

(*i*) CANNIBALUM REGIONIBUS. Incolæ, qui in Antillis (ſeu Inſulis, quæ Camercanæ dicuntur,) in America Meridionali habitant, *Cannibales* dicuntur, i. e. fortes, & ſunt *Anthropophagi*, quales etiam ſunt incolæ Caribanæ.

XI. In Civitate ceſſant judicia momentaneè vel continuè. Momentaneè, quoties ſine certo diſcrimine res non fert illam moram, ut expectetur judex, velut in invaſione aut fugâ debitoris. Continuè

ceſſant

ceſſant culpâ vel ſubditorum vel Imperantium. Illorum, cum per ſeditiones & bella civilia nullus ordo Reipubl. ſervatur, ſed omnia confuſa ſunt. Imperantium, quando princeps aperte rejecit cauſæ cognitionem. Princeps, inquam, non judex, ſi enim hic læſos & conquerentes audire nolit, neque ſubditis neque exteris cauſa belli naſcitur; ſed uterque ad Principem recurrere debet. Quo adhuc negante juſtitiam, civis quod ultrà moliatur, non habet: Etenim nullo modo ſtatuendum eſt, eum à principe ſuo rejectum ſibimet ipſi jus dicere & ferrum ſtringere poſſe: hoc enim *fœdere civitatis* (*k*) omninò prohibitum, & ferenda ejusmodi ſine dubio injuria, ut ex principiis libro priore collocatis plus quam manifeſtum eſt.

(*k*) FOEDERE CIVITATIS. Longiùs hoc petitum eſt, vide quæ de exortu Civitatis *ſuprà* diximus.

XII. Exteri, à ſummâ poteſtate adverſarii ſui, palam ſpreti ad ſuos Imperantes ſe convertent, quibus, ſi oppreſſionem negatamque juris copiam approbaverint, ab illis veniam reprædandi, ſive literas *Repreſſaliorum* (*l*) impetrare poſſunt. De quibus jam liquet, ut jure dentur & exerceantur, quid requiratur, ſcil. juſtitiam à ſummâ poteſtate partis ejus quæ læſit eſſe negatam, poſtquam ſæpius & inſtanter erat petita. Dein à ſumma poteſtate eorum, qui læſi ſunt facultatem prædas agendi eſſe petitam & impetratam. His præſuppoſitis, nemo dixerit, repreſſalias juri Gentium eſſe contrarias. Nam quod vis armata non primis tantum injuriæ actoribus, ſed cunctis qui ſub eodem imperio ſunt, inferatur, hoc eodem fundamento, quo ipſum nititur bellum. Notum enim eſt è doctrinâ, quam de ſummâ poteſtate libro primo habuimus, id quod agit ſumma poteſtas, hoc omnes & ſingulos cives agere videri, nec quenquam de eo non teneri. Proinde cum Princeps id quod jus & fas tulit, facere noluit, univerſa civitas nec minus ſinguli hoc luere debent.

(*l*) REPRESSALIORUM. *Repreſſalias* neceſſitas introduxit, utique enim pro peccato & neglectu Civitatis ſeu Communitatis, quæ connivet Principi, poſſunt ſinguli affligi, cùm in peccato tantùm perſonali obtineat, ne alius pro alio &c. Nec ergò vindicemus, niſi neceſſitas, ob commune bonum id exigat, & tunc ſummà annuat poteſtas, atque fiat poſt denegatam juſtitiam ab iis, quibus adverſarius ſubjectus eſt. vid. pl. de Repreſſal. in Tract. *d. Gravam. extrajud.*

XIII. Supereſt ad explicationem belli ſolennis, ut ritum qui

jure Gentium in eo requiritur, paucis explicemus. Eſt autem ille ritus, Indictio, ſive denunciatio, quam *propterea placuit recipi*, (*m*) ut conſtaret, non privato auſu ſed voluntate utriusque populi aut Imperantium geri bellum. Denique, ut ſi populus ejusve Imperantes non ſint immediatè in culpâ, deliberent, utrum velint ſuam facere litem, an ſatisfacere læſis. Hinc alia indictio pura eſt, alia conditionalis. Pura fit, cum vel alter jam intulit bellum, aut ea deliquit ipſe quæ pœnam jure Gentium non dubiè merentur. Conditionalis inſtituitur, cum ſubditi alterius deliquerunt, tunc enim ab Imperantibus poſtulanda ſatisfactio, ad quam ſuos cives compellant; aut ſi tergiverſentur, ipſi cauſam ſuſcipiant. Et hæc eſt indictio, quæ cum repetitione rerum conjuncta dici ſolebat Clarigatio, quà non modo rei noſtræ vindicatio aut debiti pecuniarii, ſed & criminalis perſecutio comprehenditur: unde verba fecialium antiqua *reddi*, *ſatisfieri*, *dedi*, delictorum ſcilicet ſontes. Et quidem pura indictio cum ipſa vi paratâ fieri poteſt; conditionalis deliberandi tempus largiri debet. Superflua eſt indictio, in bellis, ut loquimur, defenſivis, aut in executione pœnæ propter delictum manifeſtum. Ritus indicendi cujusque populi & ſeculi ſunt peculiares; ideoque ad hunc non pertinent locum.

(*m*) PROPTEREA PLACUIT RECIPI. Ne ſcil. priùs hoſtiliter agatur, quàm communi quoque illi amicitiæ & cognationi, quâ homines junguntur, renunciatum ſit. Deinde ut alter ſe munire poſſit, non etiam ut admoneatur de ſatisfaciendo. Nam hæc admonitio præcedere debet denunciationem belli. Porrò non eodem momento quis debet indicare bellum & ſimul aggredi: nam hoc ipſum perfidiâ & dolô non caret.

CAPUT XI.

De

Cauſis Belli.

ARGUMENTUM.

Cauſæ belli ſuaſoriæ vel juſtificæ. hæ rurſus triplices, 1. defenſio perſonarum & rerum. 2. Recuperatio ejus quod noſtrum aut nobis debetur. 3. punitio delictorum. De omnibus tenendum, levia transmittenda, ad punitionem pertinere auxilium quod pro innocentibus ſuſcipitur. amorem libertatis, ſtudium propagandæ religionis non eſſe juſtas belli gerendi cauſas. Dubia cauſarum pro injuſtis habenda. Subditos in bellis injuſtis non debere Principi operam dare: magis tamen in dubiis.

I.

BElli causæ (*a*) non male vulgò in suasorias & in justificas dividuntur. Suasoriæ sunt, quæ partes impellunt ad Bellum suscipiendum. Justificæ, quæ juris fundamentum armis tribuunt. Hæ aliquando cum suasoriis coincidunt semperque publice præferuntur. Illæ autem, quando à justificis differunt tacite habentur, & dissimulantur. Justificæ tum sunt προφάσεις, prætextus, suasoriæ magis αἰτίαι dicuntur. Ac ita plerumque in omnibus olim hodieque bellis agitur; suasoriæ sunt ferè cupiditates variæ, quibus principes populique agitantur. Prætextus à justitiæ imitamentis petuntur. Nos de causis verè justificis, hoc est, justis agimus, quæ non male ad tres referuntur, ad *Defensionem*, (*b*) Recuperationem & punitionem.

(*a*) BELLI CAUSÆ. Differunt causa belli *impulsiva* & *occasio*. *Impulsiva* iterum *externa* est vel *interna*. *Ista* est justifica vel suasoria. *Justifica* vel vera est vel apparens. In universum justifica caussa est injuria facta, non facta: *illa* reparanda, *hæc* coercenda.

(*b*) DEFENSIONEM. Omne quidem bellum defensivum est *habitualiter*, quando illatum damnum alter non vult compensare aut honorem detractum restituere. Aliàs vel *defensivum* bellum est vel *invasivum*.

II. Defensio est juris Naturæ, quâ vim vi non privatis modo, sed & populis *repellere licet*, (*c*) idque ita, ut nec indictione sit opus. Enimverò de tuitione corporis ad vitæ vel *pudicitiæ custodiam* (*d*) nihil dubitatur. Sed de minoribus injuriis aut damnis avertendis quæritur, an licitum sit hominem occidere. Equidem si justitiæ expletricis rationem simpliciter consideremus, nemo vel tantillum injuriæ pati cogitur; Sed Lex caritatis maximè Evangelica dictat potius ad leviora connivendum, quam ultionem quærendam, ne dum sanguinem humanum effundendum, ut de *alapâ* (*e*) & de tunica Christus respondit. Sane inter privatos & maximè in civitate, ubi judiciis locus, illud ipsum præcisè observandum, ne *ob res ereptas* (*f*) vel eripiendas cædes committatur, nisi tales sint res à quibus nostra vel nostrorum vita dependeat. Forte autem inter populos diversos circa res majoris momenti ratio non parum diversa consistit. Nam si potestatibus supremis non liceret raptores suarum rerum quantivis pretii occidere, palam est, actum fore de salute populorum.

(*c*) REPELLERE LICET. Quia & *tertius* interveniens tenetur innocentem ab aggressore in vitæ

vitæ periculum indeclinabile conjectum *liberare*, si ipse sit extrà vitæ periculum. Est vero licita *privata Defensio*, quia omnia etiam *animantia* semet tueri videmus. Tum & *Lege divinâ* furem nocturnum licet occidere *corporis tuendi*, quidni vitæ servandæ causâ. *Exod. XXII.* Et inditus homini *appetitus* irascibilis, qui frustraneus esset, si non propulsare noxia possemus. Denique privati ad privatum eadem, quæ Reipublicæ ad Rempublicam est proportio. Quin imò illa, quæ moderamen *inculpatæ tutelæ* habet, *necessaria* est & *praecepti*, in casu indeclinabili, etiam cum internecione aggressoris. Est verò *moderamen* inculpatæ tutelæ actus mixtus, quo quis occisione alterius, à quo corpus ipsius injuriâ præsente, cum periculo vitæ, non aliter vitabili impetitur, eô ipsô temporis puncto, quo impetitur, se defendit, unicè eâ intentione, ut vitam conservet: (quanquam hæc definitio potiorem tantùm speciem describat:) Quòd si enim proximum eripere tenemur vitæ periculo, multò magis nos ipsos, nam is est *ordo charitatis*, & si alium occidere prohibitum est, præceptum erit utique, ne nos ipsi occidi patiamur, aliosque pariter ac nosmet reos faciamus sanguinis. Nec tamen fieri debet occisio illa intentionaliter & per viam aggressionis ac præventionis, ut *directè* mortem alterius intendam; sed ut animus occidentis primò intentus sit in defensionem sui, & si vulneratione possit repelli aggressor, non ultrà progressus fiat: atque ut *medium* impeditivum homicidii fiat læsio. Nam ita non modò impunitatem habet, sed imò *obligationem* ex ordine charitatis & quòd naturæ jus conservationem nostri nobis injunxerit per licita *media*. Hinc etiam *Pufendorffii* doctrina *Lib III. d. J. N. & G. c. 5. §. 13.* meritò rejicitur, quòd *fugere* non tenear in statu naturali, si vel maximè fugere possim commodè, secus atque in civili statu. Quid tamen si me *furiosus* invadat? etiam hunc interficere possum defendendi mei causâ, ùt & illum, qui me hostem suum esse putabat, per internecionem ejus, si aliter fieri nequeat, amoliri possum. Est enim vis illa *injusta*, & talis esse censetur non unicè ex principio agentis sed etiam *subjecti patientis*: nec iste jus ullum me invadendi habet, & ego mihi meritò sum maximi. Quod vero *Rex invasor* non debeat occidi, ejus ratio non ex eo pendet, ùt *Grotius* vult *II. c. 1. §. 9.* quoniam utilis hæc persona sit multis, aut ex debito charitatis. Nam prout malè passim *H. Grotius* Legem *charitatis* cum *justitia* committit: ita ratio ab *utilitate* petita non est adæquata, (licèt etiam *Pufendorffius Lib. II. c. 5. §. 2.* in genere putet, non posse me altorum defendendi mei gratia occidere, quando vita ipsius multis est *utilis* & tamen & ipse conjecturam utilitatis incertam & ambiguam esse *§. 14. ibid.* largitur: & si eò præcisè attendi debeat, inde secuturum, ait, ut nunquam coelebs aut orbus proletarium sui aggressorem defendendo occidere posse videatur. Neque enim per commodum aliorum obligatio mea evertitur, à summo incommodo memet liberandi, & præterea spes de futuris beneficiis valdè maleficiô præsenti imminuitur: quin potiùs speciale *Dei præceptum* quoad Principes præponderat, de non resistendo ei, qui soli Deo subest: prout omninò ex interitu seu interemptione ejus gravia sæpè & funesta bella civilia exoriri possunt. Utique in casu Martyrii in & pro causa Dei potiùs succumbendum est, atque subditis non alia quàm patientiæ gloria relicta est. Post hæc magnâ contentione quæstio illa volvitur: An Christianus, qui se *in statu gratiæ* ac via salutis esse novit, invasorem *injustum*, defendendô se, occidere potiùs, an mortem ab eo sibi inferri pati debeat? Equidem ambiguè dicitur, quòd Christiano invaso *certa spes salutis* affulgere possit. Nam id vel in *sensu composito* intelligitur, nempe Christiano si patiatur se tunc occidi, spem certam affulgere salutis; vel in sensu *diviso*, quòd ei aliàs & quia se in statu gratiæ esse novit, prævisâ tamen morte spontè subeunda spes salutis certa affulgeat. *Priori* sensu Christiano spem salutis certam competere nondum probatum est. Quid enim si in eo statu Christianus persuasus sit, sibi non licere vitam profundere, quam servare potest, adeòque se contrà conscientiam acturum, si nihilominus vitam amittat: nonne enim hoc ipsô *spes salutis* in eo, qui in actu *contrà conscientiam* moriturus est, decrescet, dubia reddetur aut expirabit! *Posteriori* sensu vacillat consequentia. Non enim licet argumentari: Si Christiano antequam decernat mortem subire, quam licitè potest evitare, spes certa salutis affulget, sequitur ei etiam sub conditione subeundi mortem hanc spem salutis pristinam manere illibatam, & vitæ jacturam, quasi viam certam & brevem pertingendi ad salutem hoc ipso maximè opta-

optabilem esse. Nec *obstat*, quòd fortassis imposterum possit homo Christianus desciscere à fide. Nam licèt non sit *absoluta* spes illa salutis futuræ, tamen in hypothesi certa est & tanta, ut quemadmodum Christianus planè certus est, Deum à sua parte nil intermissurum, ut in salutis via constitutus ad eam re ipsâ pertingat, & propter firmum animi propositum non peccandi contra conscientiam & quotidianarum precum exercitium, moralem habet jam certitudinem de se in statu gratiæ conservando: ita non opus habet Christianus, ut ex metu, ne aliquando præparatus inveniatur, mortem aliàs evitabilem anticipando subeat. Quicquid tamen sit, fanè *naturalis instinctus*, qui rectus est & *Legis vim* habet, quousque enormitas non ostenditur, jubet ut quis semet ab internecione liberet: ut Legi naturæ repugnat is, qui hoc modo parcit vitæ alterius & vitam suam profundit; cùm saltim controversum sit contrarium. Neque etiam minor debet esse dilectio nostri quàm proximi, & violaretur aliter ordo charitatis: quid quòd etiam Reipublicæ civis subducatur probus & sceleratus relinquatur. Utcunque enim exitio æterno proximum eripere teneamur idque cum jactura rerum, quæ comparari cum illo non possunt, ut est vita temporalis. Tum & invasus idem sibi cupiat fieri, si in statu æternæ damnationis positus alium gratiæ certum aggrederetur: pro temporali commodo nonnunquam vitam profundamus, multoque magis ergo ex æternâ damnatione proximum eripere teneamur: cùm quæ de necessariâ defensione cum internecione aggressoris adferuntur, ad hanc hypothesin, ubi etiam simul de æternâ vitâ aggressoris agitur, nil inferat. Unde etiam Pufendorff. *Lib. II. c. 5. §. 2.* asserit, invasum bonâ conscientiâ mortem subire & pati posse, si alterum æternum periturum sciat; & ipsum invasum perire aliorum non interesit. Tamen hoc saltim verum est, quicquid nobis ab aliis præstari rationaliter cupimus, illud aliis si opus sit, quò minùs præstemus, nos refugere non debere. Videlicet homo quidem velle potest salutem æternam sibi promoveri, sed non potest velle, sibi in peccato mortali constituto non infligi promeritam pœnam, ad qualemcunque spem salutis conservandam: aliàs Magistratus peccatorem, de cujus salute nondum certus esse potest, cùm nondum seriam ostendat pœnitentiam, non posset ipsum supplicio perimere: adeoque nec invasor potest velle, ut alter patiatur se occidi: cùm suâ culpâ è statu gratiæ ejiciatur, non invasi, & suâ ergò culpâ non alienâ pereat: ceu nostrô etiam concursu ad æternam salutem non indiget, cùm ab aggressione cessare posset. Nec bonum vitæ temporalis exiguum est, sed irreparabile. Accedit quòd tunc demum debeamus pati jacturam boni minoris, quando spes non adeò dubia est auxilii efficacis, quando jactura illa non simul etiam cedat in damnum fortè etiam ingens aliorum, quando malum solùm triste sustinendum est, & non simul malum morale conjungatur, prout est peccatum ad propriam mortem concurrere. Neque vero morali judicio æstimandum est illud malum, in quod se invasor conjicit, & unde per semetipsum immunis esse poterat: & conjungitur hactenùs cum defensione illâ per accidens & vitiô ipsius invasoris, exitium æternæ salutis ab invaso mediis legitimis seu judicariis non avertibile: quidni etiam posset invasor postmodum fieri audacior, ut fortassis unum alterumve temporali vitâ, & si pœnitentiam agere potuisset, æternâ privaret. Ab *exemplis Gentilium* argumentum duci non potest, quippe qui vanâ gloriâ ducti sunt. Deinde aliud est vitam impendere saluti Reipublicæ & amicorum: & vitam his conservandam pro injustô aggressore, & sinè spe certiore salutis ejus profundere. Neque tamen dici debet, damnari istos omnes, qui in illum statum deducti malunt interfici ab invasore, quàm occidere. Licèt enim Christianus reverà ad oppositum obstrictus sit, fieri tamen potest, ut ille argumenta probatæ sententiæ non possit assequi, aut persuasus sit, vi dilectionis fraternæ se proximo in æternum exitium lapsuro parcere; adeoque pati malit, quàm occidere. Et ejusmodi homini, etsi ignorantiâ quâdam laboranti, quia tamen non nisi benigno charitatis affectu, indeque non excusâ fide mortem subit, non cudimus hanc patientiam ad culpam imputatam iri, ut Deus vitâ æternâ eum excludat, sed potiùs, quod affectui charitatis adhæret ἄνομον, remissurus ei & propitius homini futurus sit.

Jam ad alia quoque transeundum est, quæ ad *Defensionem necessariam* pertinent: de quibus licèt in tractatione *Lib. I.* commodior dicendi locus fuerit, tamen cùm hic occasione belli defensivi nonnulla de privata singulorum *defensione* moneri necessum fuerit, atque bellica defensio non minùs

ex

ex naturali jure pendeat, ut ad eam plura defensionis privatæ applicari possint: inde præcipua quædam illius Defensionis expendemus. Et quidem eleganter quæritur. An obterere seu necare liceat *intermedium innocentem*, si aliter mortem evadere concessum non sit, *Negandum* est licèt communiter diversum innuat, qui jus necessitatis extollunt; ùt *superiùs* traditum est. Nam debeo proximum diligere sicut me ipsum, & ille innocens est, qui nullô suô vitiô aut intentione me impedit aut in vitæ periculum conjicit, estque in vitæ justâ possessione, quam adimere ei, sinè culpâ ejus, non debeo, sed casum Deo commendare. Nec *obstat*, me ita salutem alterius meæ saluti præferre: Utique innocentis. Non etiam quòd pactô est non obliger: Neque enim hoc necessarium est, ac mortem non pro illo, sed *præ illo* subeo. Non, quòd adnatantem in naufragio à tabulâ quam teneo arcere possim. Quidni cùm sim in possessione, & ille jus tabulæ non habeat. Denique non obstat, quòd innocens tradi possit, ut civitas servetur. Imò ut servetur Civitas, civis pro eâ tradi, sed non occidi, posset: Dissimilia omnia! Hinc etiam *Scharrokius c. 3. d. officiis secundùm Jus N. n. 11.* autumat, si duo in eo ponantur statu, ut physica sit de morte alterius eorum certitudo, velut si in angusto & præcipiti stadio totô impetu currentes alter alteri obveniat, nec stadium utrumquè ferre possit, nec retrò detur alteri cursus, quòd damnum non dare, sed accipere quis potius, debeat, cùm alter innocens sit, cui parcere debeamus. Quòd si tamen interficiam obstantem mihi, dum fugere aliter non possum, ordinaria pœna in me locum non habet, quia non intentio extorsit necesse, sed necessitas. Porrò Qu. An ad liberandam à morte *fœminam prægnantem* liceat fœtum in utero jacentem expellere & occidere? Videri posset, quia homicidium solùm est materialiter, quoniam intentio Medici non tam ad necem infantis directa est, quàm ut mater conservaretur: & præterea partem licèt abscindere ut totum servari queat. At verò non habent parentes *jus vitæ & necis* in liberos, licèt nondum natos: & formaliter quoque rationem habet homicidii, licèt indirectè intendatur, occisio fœtus animati. Meliùs est, perire matrem quam peccare: ùt etiam *Osiander* censet *Part. II. Theol. Conscient. p. 1259.* & ante ipsum *Dannhauerus supra* citatus, cum *aliis*. Pars integrans matris non est ille fœtus, sed tanquam peculiare suppositum statui, quem Divina providentia constituit, servandum est. Debet, postquam mulier prægnans facta est, non sui tantùm sed & fœtûs habere rationem, & patienter ergò ferat casum divinitùs immissum.

(*d*) PUDICITIÆ CUSTODIAM. Imò de hoc utique dubitatur: Verius enim est, contrà quàm *Auctor* sentit, ob pudicitiam conservandam occidere aggressorem non licere. Est enim potissima pudicitiæ pars intrà animum, quô virgo manere potest. Neque vero pro honore & existimatione quem interficere fas habetur, aut privare quem vitâ hâc & sæpè alterâ: nec virgo peccat, quæ vim patitur, sed peccat saltim dubiâ conscientia, quò hominem occidit. Non *obstat* vitâ æquè charam esse pudicitiam. Nam idem ad hoc, quod in fama, respondetur; videl. illud non procedere simpliciter, sed solùm quantum ad defensionem, quæ aliàs per se licita est, & quoad conservationem ejus moraliter possibilem seu tuitionem, per exclusionem proprii consensus aut concursûs in illius jacturam. Non etiam *obstat*, quòd jactura hæc sit irreparabilis. Nec enim sequitur pro quocunque bono irreparabili hominem licere occidere. Interim fœmina gravi periculo exposita, cùm & in culpam consensisse videri posset, veniâ digna est, vel saltim remissione arbitrariâ, quoad modum quem in defensione excesserit. Posse etiam Civitates, quæ capitis pœnam in violentos stupratores constituere potuerunt, permittere singulis honestis fœminis, vel cum cæde tueri, quod semel ereptum restitui nequit, pudicitiam: Et non tantùm ap. *Hebræos*, sed & Græcos id impune fuisse, notat Pufendorffius *d. L. II. c. 5. §. 2.* ut adeò Tx. in *c. 1. Caus. XXXII. quæst. 5.* attendendus non sit.

(*e*) DE ALAPA. Etiam hîc emendandus est *Auctor*. Nec enim Alapa ideò ferenda est, quia est levis injuria. (*Matth. V.*) Nam & *atrox* si aliquando, & in *gravioribus* etiam Christus vult, ut malo non resistamus. *Comparate* sc. accipiendum est, quòd ait, ut potiùs perferamus, & alteram quoque maxillam præbeamus, quàm vindicemus *privata* vindictâ. Nimirum non pecco priori modô, pecco autem si vindicem: Neque tamen de exhibitione operis etiam illud accipi debet, si quidem nec injuriæ declinatio, nec defensio sui, nec au-

xilii implorando vetatur, cùm & Christus contrà injuriam exercuit. *Joh. XVIII. v. 23.* Sed de præparatione cordis, quâ sc. animus adeò debet esse liber ab affectu vindictæ, ut potiùs paratus esse debeat novam ferre injuriam, si averti non possit, quàm veterem ulcisci. Incautus etiam est Auctor, quando *Grotii* distinctionem inter *Legem veterem & Evangelicam* denuò repetit: neque enim Lex *charitatis* aliter *nova* est, quam quatenus in eam transiit tota vetus Legislatio & transfusæ quoque in eam nunc sunt Leges *ceremoniales*, quòdque Christus Legem illam charitatis *renovârit* suòque confirmaverit *exemplô.* Bene tamen est, quòd de cætero Hugonem *Grotium* non probet *Auctor*, quando iste in *Lib. II. d. J. B. & P. c. 1. §. 10.* tradit, in statu naturali videri eum, qui alapam mihi impingit, dare mihi libertatem adversus ipsum *in infinitum:* cui *Pufendorff. d. L. II. c. 5. §. 12.* adstipulatur, eò quòd semel ille pacem ruperit, ideòque majores injurias me qualitere. impedire posse, licèt nondum vitam meam directè impetierit, sed plagis tantùm me onerare velit aut membro aliquô non vitali me mutilare. Neque enim mala, quæ per modum belli inferuntur, ad simplicem æqualitatem redigi posse: quapropter etiam periculum alapæ accipiendæ posse me cum cæde intentantis arcere iidem sentiunt. Sed hoc nemo facilè approbaverit, estque falsum omninò, tantùm æqualitatem inter offensionem & defensionem esse debere in statu post Civitates constitutas. Nam & jus naturæ in omnibus servari æqualitatem præcipit, nec absque hac cuique suum tribuetur. Redderentur etiam homines insociabiles, si ob injuriam quamlibet necare hominem liceret. Nec *obstat*, quòd si tantûm illud quòd æquum est, possim restituere, semper alter me invasurus sit, quia ita nil perderet, adeòque modestum semper videri miserum esse oportere: nam possum efficere, ut inposterum me vellicare non possit, nisi se in periculum majus conjicere vellet, imò parare socios, & in civitatem ire debemus. Itaque *gradus* servandi sunt & semovenda iniquitas, quæ *ex infinitate* procedit. Nemo occidendus propterea, quòd molestias adversus me iteraturus esse videatur; nec de eo quòd retribuitur sermo est, cùm constet utique inter homines ea, quæ per vim peraguntur & in modum belli fiunt, ad justam æqualitatem exigi non posse: nam hoc facti est; de eo autem, quod *Naturæ jus* exigit, disquirimus: cui ùt & auctori ejus Deo & societati humanæ adversum est, si omnium vita ob leves injurias periculo obnoxia foret. In civitate honor seu existimatio facilè reparari potest, nec adeò indignum videri ait ipse *Pufendorff d. l.* si quis alapam cum resistentia accipiat: unde nec repercutiendo ulcisci licet, quamvis Nobilis vel Miles fuerit, neque etiam alapâ impactâ recupero honorem ab inferente, sed ab aliis, qui nubem honoris pro honore habent; etenim verus honor alapâ non aufertur & honor exhibitivus vindictâ propriâ, per æstimationem internam, restitui non potest, sed is legitimis & in civitate propositis remediis recuperari, non actione privata repeti debet. Interim si quis alapam passus alium interfecerit, extrà ordinem punitur. Carpzov. *II. qu. cr. 30. n. 19. seqq.* Sed & gladium obversum si incurrat, alapam mihi inflicturus, sibi imputet. Sic & prostratus si occidi plagis possit, pugione aut gladiô vel cultello etiam se eripere potest, vid. tamen Harpprecht. *ad §. 5. Inst. d. Publ. Jud. n. 146.* ubi & *n. 171. seqq.* ea quæ de militibus, Nobilibus &c. diximus, (ut tamen ea, quæ ad Ord. Crim. superiùs admonita sunt, agendi velimus,) & ipse confirmat. Quòd verò à me occidi possit is, qui mihi *mutilationem membri* intentat, illud itidem malè asseritur, neque enim id licet, quoadusque aliter possim evadere: imò si evadere nequeam, non tam occisioni æquitatem conciliat, quòd damnum grave sit, quàm quòd incertum sit, annon mutilatio periculum mortis secum trahat, & ex hinc patientiam ejusmodi cuiquam injungere sit contra humanam constantiam. Sunt etiam nimii, qui putant, in casu *insidiarum* etiam, per falsas accusationes, & imò etiam ratione bonorum licere prævenire, & è medio tollere *insidiantes.* Nam moralitas licitæ defensionis consistit in punctô, cum quadam latitudine, usque dum alius evadendi modus non affulgeat: sed in privatis quam maximè *consilia evadendi* mora si quæ fuerit, suppeditare potest, ac voluntas hominis mutabilis est & interna, in qua ne quidem judex pœnam imponere posset, quanquam quis cogitationem eam profiteretur. Quid quòd Deus providere queat, & scandalo plenum sit, perimi hominem, qui nondum de malitia convictus fuerat. Illud facilè constat, quòd *retorsio injuriarum* admittenda sit, (utut *Rennemannus* & nuper *nonnemo* adversus *Struvium de Vind. priv.* aliter

aliter senserint,) quando criminatio alterius in nos conjecta certa est & *injusta*, atque retorsio à nobis non injuriandi sed purgandi nostri caussa fiat, item *in continenti*, loco competente, nec nova inferatur injuria, verùm eadem quæ illata est retorqueatur, neque etiam suscipiatur retorsio, nisi ex gravi caussa etsi eumprimis fama personæ nostræ ratione officii publici in periculum venerit, nec alia via commodior tuendi existimationem nostram appareat: quæ quidem in Civitate, uti ad supprimendos injuriarum processus remedium retorsionis *Lege publica* probatum est, nullum sortiri potest dubium; quippe quòd eo ipsô nil *privatæ* vindictæ contineat.

(*f*) OB RES EREPTAS. Equidem *Pufendorffius Lib. II. c. 5. §. 16.* putat, in statu naturali pro defensione *rerum* mearum posse me invadentem occidere; sed in Civitate secùs esse. Verius tamen est, non posse me furem vel raptorem rerum mearum interficere, quà *talis est*; nam quà periculum vitæ simul intentat, licèt in id me adducam, tamen quia in re licitâ versor, defensione scilicet rerum mearum, hinc *gradibus* & modô inculpatæ tutelæ, ad interfectionem usque adversus ipsum procedere, atque eum perimere possum, qui ut res mihi eripiat, corpori meo vim inferre nititur. Aliàs etiam bona vitæ meæ postpono, quidni & proximi, ne ipsum temporali & æternâ vitâ privem, quòd posterius quamvis ex accidente fit, tamen non est nisi in casu defendendæ vitæ nostræ permissum. Utique *furtum* quà tale non potest mihi jus interficiendi dare, ne dicamus id ob rem dari etiam minimam: Licèt verò *bella* ineantur rerum gratia, tamen publicæ potestatis diversa est ratio; aliàs etiam occidere liceret pro recuperandis, non tantùm pro retinendis, bonis. Vis quoque furis extrema non est, ùt in aggressore corporis, nisi etiam sit fur nocturnus & insidiator vitæ. Ubi obiter notandum est, malè *Pufendorffium d. l. §. 17. 18.* in eo rationem, cur nocturnus fur occidi possit, constituere, quoniam à diurno res faciliùs recuperari potuerit: neque enim tam ad *amissionem rerum*, quam ad *vitæ* periculum eô casu respicitur. Et caveat homo pius, ut quâcunque aliâ potiùs ratione furem nocturnum ædibus expellat, quàm ut eum interficiat; nisi extrema vitæ defendendæ necessitas à fure afferatur: quô sensu locus in *Exod. XXII. 2.* accipiendus est.

III. Idem judicium de rebus esto recuperandis semper tamen intellecto, levia damna *silentio transmittenda* (*g*) (sub quibus & repetitionem ejus quod nobis debetur comprehendimus). Plane ab injustis detentoribus sua per vim avocare licet, cui si per vim illi resistant, jam causa puniendi illos justa nascitur.

(*g*) SILENTIO TRANSMITTENDA. Præcipuè enim si res magni momenti non sit, de jure suo remittendum est; ùt & si ad satisfaciendum læsus se offerat, si facilè res recuperata amitti possit. Nec tantùm Christiani, ùt *H. Grot. II. c. 24. §. 1.* innuit, sed omnes ad hoc tenentur, ut casibus illis cedant, ne sceleribus & incommodis nullis per bellum viam aperiant. Ubi notandum, non ideò dici *I. Paralip. XXIII. v. 8.* Davidem Deo templum ædificare non debere, quòd *bella* gesserit, sed quia fuit distentus bellicis actionibus, ut peragere Pacis opera non potuerit: gessit enim ille bella Domini, & victorias suas ipse deprædicat. *Psalm. LX. v. 8. seqq.*

IV. Summis quoque potestatibus competit jus ulciscendi *puniendique* (*h*) delicta, quorum species pridem complures habuimus.

(*h*) PUNIENDIQUE DELICTA. De quo tamen vid. quæ *suprà* ad *c. de pœnis* annotavimus.

V. Et plane hoc *de justis belli causis* (*i*) quæsitum tam late patet, quam tota boni & æqui disciplina; ideoque hic nihil quam summa capita

capita delibare licet, reliqua aut jam dicta pridem aut aliunde petenda sunt. Hoc obiter tenendum, veras causas è justitiâ expletrice petendas, adtributrix uti *non parit actiones forenses*, (*k*) ita vix est ut belli causas suppeditare queat.

(*i*) De justis belli causis. Est autem Bellum aliquod *justum* vel in ordine *ad jus naturale*, & vel *negativè* quatenus jure naturæ non est prohibitum, vel *affirmativè*, quatenus illô jure præceptum est; vel ad *jus voluntarium*, quod effectum habet juris *positivi*. Itaque Bella dantur, quæ diverso respectu justa sunt & injusta, ùt cum re judicatâ in foro Civili accidit. Potest etiam bellum esse *utrinque* formaliter justum, i. e. ut uterque practicô judicio se putet justam causam fovere, ùt *Israëlitæ* repetentes veterem possessionem terræ Canaan, & *Cananitæ* putantes sibi licere defendere possessiones suas. Sed non potest esse ab utrâque parte seu utrinque naturaliter & à parte rei seu materialiter justum: nam inter justum & injustum non datur medium.

(*k*) Non parit actiones forenses. Imò enim ratio hæc non est, sed quia Cives ejusdem Civitatis concernit, inter quos bellum non suscipitur; aliàs enim justitia attributrix seu distributiva utique jus *perfectum* parit.

VI. Videtur & ad punitionem referri posse causa belli, quod pro auxilio innocentium suscipitur, qui ab aliis, quibus subjecti non sunt, injuria afficiuntur. Imo & pro subjectis alienis licere bellum suscipere, si manifesta sit imperantis injuria, superius approbatum est. De metu quoque alienæ potentiæ diximus antea;

VII. Libertatis amor suasoria causa, justifica per se esse non potest. Nec studium *propagandæ religionis*; (*l*) cujus longe aliam Deus in literis suis rationem præscripsit.

(*l*) Propagandæ religionis. Neque verò Ecclesiæ jus est in armis ad invadendum populos peregrinos. Christus non fuit Rex temporalis. *Joh XVIII.* nec armis sed *verbô* lucrandi animi: nunquam defendi poterit, ob *hæresin*, quem capitis suppliciô puniri posse. vid. Osiand. ad *Lib. II. Hug. Grot. c. 20. §. 50.* Prima Apostolorum vindicta in *Anania* & aliis solùm fuit pro tempore plantandæ Ecclesiæ. Et ne quidem Pontificii extendere audent *indirectam* potestatem in temporalibus, quam dicunt habere *Pontificem*, ad *infideles*, quoniam ad hos ne quidem spiritualis datur *directa*, E. nec indirecta temporalis. Et sanè si delicta in Deum commissa bello caussam præbere possent, una gens facilè damnaret alteram, & adversus invicem gentes universæ exsurgerent. Quid etiam religioni esse potest negotii cum *possessionibus terrarum*, quæ ob hoc cujusque esse non desinunt. *I. Pet. II. v. 13.* Malè etiam *H. Grotius Lib. II. d. J. B. & P. c. 22. §. 10.* statuit, populos qui *rationis* usu aliquo destituuntur, Dominio carere, indeque ab aliis regendos esse. Nam non dantur tales, nec Dominium à ratione pendet, nec si alium lædant, bello petuntur offensivo, sed hoc defensivum erit. Unde rectè idem §. 12. tradit, qui servilis ingenii sunt, eos non statim armis subigi posse.

VIII. Oportet autem ejusmodi esse causam, de cujus æquitate manifesto constet, eâ certitudine, quæ in moralibus haberi possit. Ideo-

Ideoque si dubium sit, an causa belli sit justa, non modo tutius sed & rectius, imò & abstinere armis necessarium est. Praestat primo rem colloquiis tentari, dein arbitrio finiri; denique forte vel certamine singulari, quod in hoc casu pro licito habendum, quia fundamentum habet idem, quod bellum, & minus est malum. Etiam hi, qui bellis alienis se ministros & instrumenta præbent, causæ, hoc est, conscientiæ suæ rationem habere debent. Ne quidem cives principi suo causam habenti injustam, licet imperetur ipsis, opitulari possunt, quia magis hac parte Deo parendum. Quod si de meritis causæ dubitent subditi, videntur posse & debere suos Rectores sequi, non obstante, quod tutius sit, in dubio, abstinere eo, quod periculosius est. Videtur enim vinci ratio hæc, eo quod civibus de actionibus principum suorum optimè sit præsumendum & quamminimùm publicis consiliis intercedendum, Denique certum inobedientiæ peccatum pluris facere par est, quam incertam de iniquitate causæ formidinem. Intelligendum hoc autem de justificis duntaxat. Nam suasoriæ, quatenus ab illis distingvuntur, vix aliâ quam utilitatis consideratione censentur; cujus interpretatio nihil ad subjectos. Etiam vero cum subditi causam belli improbant nihilominus se suaque adversus vim hostium tueri possunt, quia cum ipsi non deliquerint, peccatum imperantis naturalem defensionis facultatem illis auferre non potest,

CAP. XII.

De Jure Belli.

ARGVMENTVM.

Traduntur aliquot regulæ de jure belli, esse id autem duplex, internuum, quod rationibus justitiæ per se consentit, externum, quod usu & consensu gentium vim juris accepit: Inductione specierum id approbatum. Quo jure res hostium capiantur. De jure postliminii tam personarum, quam rerum.

I.

Ut sciamus quid juris belligeranti competat, teneantur hæ regulæ *Prima*, Qui justam belli causam habet, huic omnia licent, quæ ad executionem causæ necessaria sunt.*

* HVGO GROTIVS de I. B. et P. lib. III. summatim exposuit Ius belli, ad quem remittendus est B. L.

II. *Secunda:* Cui finis conceditur, huic omnia ad finem necessaria conceduntur. Hinc qui invaditur & in vitæ periculum adductus est, potest id propulsare quovis modo, nec tenetur primum expectare ictum, aut paribus uti armis. Regulam istam non metimur ex belli principio tantum, sed & ex post, facto. Hinc in eum, qui se hosti meo adjungit, idem licet, quod in ipsum hostem.

III. *Tertia*, si finis obtineri nequeat nisi plus faciendo, quam per se finis requireret, hoc perinde licere dicendum. Hinc plus capere ex hoste fas est quam nobis debeat, ut tamen quod abundat, restituatur deductis impensis. Ex eadem regula sequitur, posse etiam prohiberi alios, ne ad hostem ea deferant, ex quibus ad bellum instructior esse possit, idque facientes licere deprædari, modo publicè præmoneantur. Eadem regula dictat, si per vim assequi finem nostrum nequeamus, fas esse fraudibus uti, salva tamen fide & dignitate. Doli qui in actu negativo consistunt sine dubio licent, qui in actu positivo, hi aut in rebus, aut sermone consistunt. Qui in rebus, cum non habeant certam & infallibilem significationem, sunt liciti: Qui in sermone ut mendacia, quibus fides non rumpitur, jure gentium improbari non videntur, jure Divino vix tuta est affirmatio.

IV. Cæterum Jura Belli vel eiusmodi sunt, ut sine labe interna justitiæ, vel ut tantum impune & cum effectu externo exerceantur. Posteriori, modo licet omnibus, qui bellum solenne gerunt, hosti nocere quovis modo, jure an injuria, nihil refert. Quod non ex jure naturæ sed gentium * oritur, idque ideò, quia plerumque pars vtraque justam se habere causam contendit, à cujus rei decisione belli effectus suspendi nequit.

* Iure gentium et iuræ naturæ, quæ reapse distincta non sunt, et quidem iure naturæ et gentium externo de quo diversis lib. III. capitibus fuse agit laudatus GROTIVS de I. B. et P.

V. Primo igitur licet hosti occidere hostem, omnesque inter hostium fines versantes, quia ab omnibus illis damnum potest metui. Imò etiam fœminas, infantes, supplices, dedititios, nempe, ut dictum, impune, non iure quod vitio careat. Veneno hostem interficere naturaliter licet, jure gentium non æquè. Percussorem immittere, si fides expresse vel tacitè non violetur, vtroque jure (vix tamen dignitate salvâ) licet, alioqui non. Stupra in feminas vel pueros neutro jure licita censentur. VI.

VI. Post corpora res quoque hostium auferre, abigere, rapere, perdere licet; etiam res sacras & religiosas. Qvas res quisque capit, eas facit suas, nempè si nomine proprio capiat. Hinc, quæ actu belli publico capiuntur, fiunt ejus, cujus nomine actus ille instituitur. Sed in actibus privatis, uti sunt excursiones, quilibet rem primum arripiens dominio ejus potitur, idemque in direptionibus ab Imperatore concessis.

VII. Occupatæ autem res dicuntur mobiles quidem, ubi illuc perlatæ fuerint, unde ab hoste difficulter recipi possint. Res immobiles captæ non videntur, nisi munitionibus capientium inclusæ sint, aut capiens plane victor evaserit.

VIII. Res tamen non hostium, licet intra fines eorum repertæ, non fiunt capientium, quia non, ut ab hominibus, damnum ab illis metuitur, idemque de rebus in hostium navibus deprehensis. Sed quæ ab hostibus erepta sunt aliis, ea priores Domini repetere non possunt, quia hostium facta jam erant. Si enim propriæ res hostium non fuerunt, neque solenni bello aliis ereptæ, tunc non fiunt propriæ capientium. Sumptus tamen in rem facti sine dubio repeti possunt.

IX. Nec tantum res, sed etiam personæ, Dominio capientium cedunt, quos enim licet occidere, hos multò magis servare licet ad serviendum. Unde jus vitæ & necis in servos & facultas quidlibet imperandi jure gentium rectè exercetur. Servus tamen bellò injusto licet solenni captus fugere salva conscientia non prohibetur. Resistere autem domino inique imperanti haud perinde potest, qua de re dictum *superius*.

X. Quod jus in singulos, idem in universos competit, ut victor eam civitati formam det, quam voluerit, estque hoc imperium in victoris patrimonio. Imò & deleri forma civitatis & membrum alterius fieri potest, seu mutatione politica tantum, seu migratione in diversas terras.

XI. Porrò ad personas & res privatas ab hostibus captas jure gentiùm obtinet postliminium, quod definitur: Jus ex reditu in

fines publicos. Estque duplex, personale & reale. Personale postliminium est, jus quo is, qui captus ab hostibus & eodem bello reversus est, perinde omnia recuperat sua jura, ac sic captus non fuisset, singula verba expendamus. *Captus*; nam transfugæ non habent postliminium nec qui victi armis, hostibus ex pactione se dediderunt. *Ab hoste;* justum enim, id est solenne bellum esse oportet: hinc in latrociniis & civilibus bellis non opus est postliminio. *Eodem Bello*, nam qui pace facta revertitur, non habet postliminium nisi expressum hoc sit. *Reversus:* nec interest; clam vel palam, vi an dolo, reversus, idque in præsidia nostra vel ad populos partium nostrarum. *Omnia sua jura:* tam quæ statum personæ ejus spectabant, quam quæ in dominio & in credito erant. *Ac si captus non fuisset*, ideoque & ea recuperat, quæ si mansisset apud suos, habiturus fuisset.

XII. Reale Postliminium efficit *, ut res ab hostibus captæ iisque iterum ereptæ prioribus Dominis restitui debeant, scil. immobiles. Mobilia enim sunt in præda, nec postliminio recuperantur, nisi quæ res usum in bello habeant, ut tamen ab his arma & vestimenta excipiantur, quia hæc sine dedecore non amittuntur.

* Movetur hic quæstio. Utrum *postliminium* sit juris gentium, an juris civilis Romani? Probe et accurate distinguit HVGO GROTIUS de I. B. et P. lib. III. Cap. 9. quæ in *postliminio* sunt juris gentium, et quæ in eo sunt Iuris civilis Romani. Sunt autem, qui totam de *postliminii* jure doctrinam ad jus Romanum referunt, et hæc pro stabilienda sententia adferunt. *Postliminium* est ius amissa jura recipiendi l. 19. pr. ff. h. t. Amissio fiebat per legem Corneliam ejusque fictionem l. 22. eodem. Iure gentium nulla fictio legis Corneliæ; E. nec ullum *postliminium*. Captiuorum bona in patria, jure gentium manent in eorum dominio, et suspenditur interim eorum exercitium. Quod etiam ad jus civitatis extendunt. At enim vero, quum (o) HUBERUS in *prælect.* ad Tit. ff. *de captiv. et postlim. reverso* multis et haud spernendis rationibus docuerit; *postliminium* ad ius civitatis publicum pertinere; 2) institutiones illud iuri gentium adscribant; 3) Fictio *iuris postliminii*, a fictione *legis Corneliæ* plane diversa sit, quum hæc ponat, eum, qui ex captivitate redit, *numquam abfuisse*, sed semper in civitate fuisse, illa vero eum, qui captus est ab hostibus, non redit, eo momento, quo captus est, *mortuum esse*, fingit; l. 21. ff. qui testes facere poss. et hinc. si filius, patre, ante reditum mortuo, natus erat, pro spurio habebatur. L. *Div. Sever.* 23. ff. de Captiv; Denique 4) rationes a GROTIO l. c. allatæ eiusmodi sint, vt dissentientium argumenta infringant ac conuellant, statuimus potius cum GROTIO, *quaedam omnino in postliminio esse iuris gentium.*

XIII. Cæterum, quæ supra dicta sunt, de jure occidendi, vastandi, capiendi, & imperio subjiciendi tam justo quam injusto bello, multam recipiunt limitationem ex regulis internæ justitiæ & monitis prudentiæ: de quibus videndi, qui hæc ex professio tractarunt.

CAPVT

CAPUT XIII.

De Fide Publica, dum bellum geritur & dum finitur.

ARGVMENTVM.

Fidem hostibus quoque servandam, imò & latronibus & tyrannis; non tamen ab eo, qui injusta vi coactus est, nisi juraverit. De induciis, & quibus rebus illæ violentur, de pactis captivorum. De pace, quomodo explicetur, quomodo rumpatur.

I.

Naturalis obligatio quæ ex fide data oritur, etiam viget inter hostes quia promissio jus tribuit ei à quo acceptatur, nec aliud ad hoc requiritur, quam ut rationis sit capax. Quod adeo verum est, ut nec latronibus nec tyrannis qua talibus fides data infringi possit, nisi remedio juris civilis, quod illos loco pœnæ juris effectu privet. Si quis tamen præsenti metu sit coactus ad fidem dandam, hic non tenetur nisi juraverit, quoniam Deo non obstat metus exceptio.

* *Fides* ex mente Ciceronis *est dictorum conuentorumque constantia et veritas*, quae etiam gentiles hosti seruandam esse statuerunt. Sicuti enim pro iustitiae fundamento habuerunt fidem; ita semper hanc praestiterunt hostibus. Historia huius caussa memoriam actionis heroicae, quam Pompeius iunior in tuenda hostibus fide praebuit conspiciendam et reliquit posteritati admirandam. Hic enim nimium quantum a praefecto Classis excitatus, vt patris mortem vlcisceretur *Augustumque* et *Antonium* interficeret, respondit: *Augustum* et *Antonium* fide data pacti ineundi venisse, et se malle perdere orbis terrarum regna, quam violare fidem. Digna profecto Heroe responsio admirabilisque fides. Idem laudant Historiarum Conditores ac praedicant de *Carolo* V. Imperatore, qui nulla re a dato Luthero de libero meatu et remeatu fide dimoueri potuit, sed et verbis et re ipsa ostendit, bonam fidem inprimis in Principe residere debere. De fide poblica etiam hostibus seruanda ac concedenda fuse ac praeclare egit *Hugo Grotius* de I. B. et P. Lib. III. Cap. XIX.

II. Hæc de obligatione interna, nam jus externum latrones, quique societati hominum noxii sunt, nullum habere possunt. Pacta quoque summarum potestatum cum subditis eandem habent rationem, jure interno obligant, externo effectu vix possunt, sed hac de re alibi dictum.

III. Imo & perfidis servanda fides, sc. in diversis causis, rupto enim fœdere ab uno, alter manifesto liberatur. Etenim nulla delictorum compensatio datur; sed ex contractu debitum recte hac ratione eliditur.

IV. Ad fidem durante bello pertinent induciæ, per quas intelligitur conventio, ut partes ad tempus bellicis actibus abstineant. Sub quibus non comprehenditur refectio mœnium, conscriptio militum, sed corruptis hostium praesidiis sine vi munitiones eorum occupare pugnat cum induciis, derelicta ejusdem occupare licet. Privatis factis induciæ non rumpuntur, nisi publice approbatis.

V. Pacta captivorum cum hostibus omnino valent, licet postea ignoratæ captivi divitiæ emergant, licet eas penes se habuerit, quia non facit suum capiens, nisi quod apprehendit. Dimissus sub conditione redeundi captivus, ni faciat quod convenit, redire debet, etsi per ipsum non steterit, quo minus faceret.

VI. Pacta ducum non obligant eos, qui summam habent potestatem, nisi de his rebus, quæ ducibus commissæ intelliguntur, quas inter sunt induciæ, aut nisi ratum habuerint. Quodsi dux aut legatus mandatum excesserit, quod arcanum fuit, nihilominus summa potestas obligatur; si manifestus sit excessus, dux ipse duntaxat obligatur. Is qui colloquium facit cum hoste, tacito pacto eatenus de non offendendo obligari intelligitur.

VII. Conventio, qua bellum finitur pax est, quam solus inire potest, qui summam habet potestatem; ducum pacta sunt sponsiones, de quibus supra. Inter conditiones pacis bona subditorum posse alienari ex dominio eminente sequitur, at cum onere damnum sarciendi. De damnis bello datis si nihil convenerit, compensatio ab utraque parte intelligitur, sed quæ privati ante bellum invicem debebant, suo loco manere intelligitur. Imo & hæreditates, quæ flagrante bello jure intestati obvenerunt hostibus, jure gentium hodierno, ubi bellum fuerit finitum peti possunt, quanquam de simplici rigore juris disputari poterat. Delicta, quibus populi unius cives erant obstricti, civibus populi cum quo bellum fuit, remissa intelliguntur, ne qua belli causa post pacem relinquatur. Si dubitetur de interpretatione pacis, pronunciandum est adversus eum, qui legem clarius dicere potuit.

VIII. Rumpitur pax, cum quid adversus pacta conventa committitur, quanquam nova belli causa pace integra etiamnum, hoc est, non violatâ, præberi potest. Facto subditorum rumpitur pax, si summa potestas id sciverit, punire tamen noluerit. Ejusmodi factum est, cum subditi illius, quo cum pacem habemus, hostibus militant nostris. Viceversa, non modo si respublica nostra, sed & cives nostri lædantur, idque non vindicetur publice, ab altera parte rupta pax intelligitur, nisi rem vindicare nequeat, ut si piratæ aut latrones sint. Rupta autem dicitur in favorem ejus, qui est læsus, quo acquiescente pax sustinetur.

IX. Solet confirmari pax obsidibus, quos violata pace jure externo licet occidere, jure interno non nisi ob culpam ipsorum. Fugere obsidi modo fidem non dederit licet; populus tamen, qui dedit eos redhibere tenetur.

CAP. XIV.

Quomodo civitates & imperia finiantur.

ARGVMENTVM.

Modi finiendæ civitatis ad duos reducuntr, primus, cum ipsa multitudo extinguitur; alter cum unio civitatis tollitur, prius inundatione, terræ motu, bellis fieri; alterum dissipatione hominum, vel omni ordine summæ & inferiorum potestatum sublato, non tamen mutatione loci nec formæ reipubl. nec consolidatione plurium civitatium in unam, denique nec improbitate & injustitia.

I.

Quæ post hæc de conservandâ augendaque Civitate dici poterant, ea ad politicam magis spectant. Ut omnia orta intereunt, ita quoque civitas & Respublica. Nam quod hæc immortalis vulgo dicitur, comparate intelligendum, quatenus singulorum motibus plurium Imperia non intereunt.

II. Sed extinguitur civitas, vel ipsa multitudine extincta, vel ejus unione sublata. Multitudo perire potest inundatione, terræ motu, bellis. Unio tollitur sublato omni imperio & communitate juris

juris. Quod (1) Et dissipatione hominum, peste, seditione, bellis. 2) servitute publica, si tollantur omnes magistratus & senatus, ut olim Capuæ factum à Romanis, imo integri populi in provinciæ formam ab iisdem redacti.

III. Sed mutatio loci non extinguit Civitatem, si maneat ordo aliquis imperii, ut cum Athenienses, bello Medico urbe deserta, naves conscenderunt.

IV. Forma quoque imperii mutata, neque civitas neque respublica periisse censetur; semper enim populus Romanus idem mansit, sub regno, consulatu & Cæsaribus.

V. Unio quoque plurium populorum non extinguit civitates, sed conjungit diversas: hinc intelligitur, populum Romanum eundem hodie esse, qui olim fuit. Et proinde ad eundem populum pertinere jura Veterum Romanorum, nisi quatenus præscriptione aliisque juris gentium modis amissa fuerint.

VI. Denique nec justitia deficiente Civitas nomen suum & jus communitatis perdit, quamdiu juncta manet societas, juris licet minus perfecte fruendi causa, quanquam secus olim Cicero arbitratus videtur, adeo ut ne barbari quidem Algerienses & Tunetani civitates esse negandi sint.

F I N I S.



INDEX

INDEX
RERVM

in quo

Numeri Paginas, Litterae vero Commentarios denotant.

Crimi-

Maie-

Procu-

SOLI DEO GLORIA.

IENAE LITTERIS TENNEMANNIANIS

